BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
32
7 C
27
Digitized by Google

Ad simplicem usum F. Cherubini ab Argentio
Ord. Min. Obs. Lectoris Generalis 1616.
Postea ad usum F. Cherubini M.ae
ab Arena Ord. Min. Obs.
Lect. Jubilati.

[illegible]

6:50

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

R. P. MARTINI
BECANI
MANUALE
CONTROVERSIARUM

In V. Libros diſtributum.

Digitized by Google

R. P. MARTINI BECANI

Societatis JESU Theologi

MANUALE CONTROVERSIARUM

In V. Libros diſtributum.

Quibus hujus temporis Controverſiæ breviter dilucidantur.

CUM TRIPLICI INDICE;

Uno Librorum, & Capitum; Altero Locorum Sacræ Scripturæ; Tertio rerum, & verborum.

PATAVII, M. DCC. XXXIII.
Ex Typographia Seminarii.
Apud Joannem Manfrè.
Superiorum permiſſu, & Privilegio.

Digitized by Google

PROGRAMMA

IN

MANUALE

R. P. MARTINI BECANI

Societatis Jeſu Theologi.

M*Artia Martino Martinus bella ciebat*
  Nuper, & in Calvum ſontica tela dabat.
Res belle cecidit, mundi ſpectante theatro,
  Dum lupus hinc, vulpes dum ruit inde vafra.
Et poterant, ſolo calamum ſtringente Becano,
  Monſtra perire ſuis incinerata probris;
Ni ſtygiis adjuta dolis, per mille figuras
  Hæreſis infandum volveret atra caput.
Extremam ſed quando manum Manuale *recepit,*
  Tolle manum, dixit Beſtia: DISPEREO.
Suſtulit ille manum cœlo donatus; at illa
  Saucia clamat adhuc vulnere: DISPERII.

Digitized by Google

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del *P. F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore di Padova*, nel Libro intitolato, *Manuale Controverſiarum in V. Libros diſtributum R. P. Martini Becani Soc. Jeſu Theologi*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza a *Gio: Manfrè Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 26. Luglio 1701.

(Gio: Lando Cav. Proc. Ref.
(Girolamo Venier Cav. Proc. Ref.
(Franceſco Cornaro Proc. Ref.

Agoſtino Gadaldini Segret.

Digitized by Google

INDEX
LIBRORUM, & CAPITUM CONTROVERSIARUM.

Controverſiæ de Fide, & Religione, quæ hoc tempore vigent inter nos, & adverſarios, ad quinque potiſſimum genera revocari poſſunt. Nam aliæ ſunt communes Lutheranorum, & Calviniſtarum. Aliæ Lutheranorum tantum. Aliæ Calviniſtarum. Aliæ Anabaptiſtarum. Aliæ Politicorum. Per Politicos intelligo partim eos, qui pluris politiam æſtimant, quam Fidem, & Religionem; partim qui diſputant quæſtiones ad politiam aliquo modo pertinentes. Et quidem Controverſiæ primi generis, in quibus & Lutherani, & Calviniſtæ a nobis diſſentiunt, ſunt hæ potiſſimum.

LIBER I.

CAP. I. De Scriptura. fol. 2
II. De Traditionibus. 27
III. De Eccleſia. 45
IV. De Capite Eccleſiæ. 71
V. De Judice Controverſiarum. 105
VI. De Antichriſto. 146
VII. De Invocatione Sanctorum. 160
VIII. De Purgatorio. 170
IX. De Communione ſub utraque ſpecie. 197
X. De Sacrificio Miſſæ. 253

a 4 XI. De

XI. De Sacramentis in communi. 273
XII. De Vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ. 288
XIII. De Cœlibatu Miniſtrorum Eccleſiæ. 310
XIV. De Peccato Originali, Mortali, & Veniali. 320
XV. De Libero Arbitrio. 327
XVI. De Juſtificatione. 329
XVII. De Obſervatione Legis. 379
XVIII. De Merito Bonorum Operum. 385
De Fide juſtificante. Vid. in Appendice. 680
De jejunio, & Abſtinentia. Vid. in Appendice. 684
Reliquæ, quæ minoris momenti ſunt, omiſſæ.

L I B E R II.

Controverſiæ ſecundi generis, in quibus ſoli Lutherani a nobis diſſident, ſunt tres ſequentes.

CAP. I. De Ubiquitate. 397
II. De Fide Infantium in Baptiſmo. 410
III. De Impanatione, ut vocant. Vel, an corpus Chriſti in Euchariſtia ſit in pane, cum pane, & ſub pane? quod affirmant Lutherani. 418

L I B E R III.

Controverſiæ tertii generis, in quibus ſoli fere Calviniſtæ, iique vel omnes, vel aliqui a nobis diſſentiunt, ſunt iſtæ.

CAP. I. De Attributis Divinis. 426
II. De Chriſto. 437
III. De Prædeſtinatione. 456
IV. De Gratia. 479
V. De Authore peccati. 484
VI. De reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia; quam negant Calviniſtæ. 510
VII. De Baptiſmo Infantium, an ſit neceſſarius? 526
VIII. De Exorciſmo, quem execrantur. 530
De Imagine Chriſti. Vid. in Appendice. 685
De Circulo Calviniſtico. Vid. in Appendice. 687

LI-

LIBER IV.

Controverſiæ quarti generis, in quibus Anabaptiſtæ nobis ſunt contrarii, hæ potiſſimum ſolent recenſeri.

CAP. I. An detur peccatum originale? Negant cum Pelagianis. 535
II. An Infantes Baptiſmi capaces ſint? Negant. 539
III. An Magiſtratus politicus apud Chriſtianos ſit licitus? Negant. 541
IV. An Chriſtiani poſſint bellum gerere? Negant. 545
V. An poſſint in aliquo caſu jurare, vel juramento ſe obſtringere? Negant. 551
VI. An Polygamia ſit licita? Affirmant. 454. & in Appendice. 689
VII. An Matrimonium diſſolvi poſſit propter diverſitatem religionis Affirmant. 562. & in Appendice. 690
VIII. An animæ juſtorum poſt hanc vitam dormiant? Ajunt. 563

LIBER V.

Controverſiæ quinti generis, quas dixi eſſe Politicorum, plurimæ ſunt, quæ hoc tempore diſceptantur, ſed hæ potiſſimum.

CAP. I. An quilibet in ſua Fide ſalvari poſſit? 565
II. An aliquando liceat negare Fidem Chriſti, præſertim ad vitandam mortem? 569
III. An liceat tacere, vel diſſimulare Fidem Chriſti propter eandem cauſam? 570
IV. An liceat ſimulare alienam fidem, ac religionem. Et ſpeciatim 573
V. An liceat cum gentilibus idola colere? 575
VI. An cum hæreticis publice orare? 576
VII. An conciones illorum audire? 577
VIII. An Sacramenta cum illis participare? 578
IX. An illos ad ſepulturam comitari? 579
X. An carnes cum illis comedere diebus ab Eccleſia prohibitis? 580
XI. An cum illis de Fide diſputare? 581
XII. An libros illorum legere? 584

XIII. An Matrimonia cum illis contrahere? 588
XIV. An in aliis rebus cum illis paciſci? 590
XV. An ſi paciſcaris cum illis, fides ſervanda ſit? 592
XVI. An Princeps Catholicus poſſit tolerare hæreticos in ſua provincia? 604
XVII. An poſſit illos pœna capitis afficere propter hæreſim? 610
XVIII. An poſſit Judæos tolerare? 615
XIX. An Reges, & Principes habeant Primatum Eccleſiæ? 618
XX. An in aliquo caſu liceat mentiri? 667
XXI. An liceat æquivocatione uti? 671
XXII. An qui juravit ſe permanſurum in Lutheraniſmo, teneatur præſtare? 673

APPENDIX.

CAP. I. De Fide juſtificante. 680
II. De Jejunio, & Abſtinentia. 684
III. De Imagine Chriſti. 685
IV. De Circulo Calviniſtico. 687
V. De Polygamia, & vinculo Matrimonii. 689. & 690
An Duellum ſit licitum. 691

Hæc quinque genera Controverſiarum totidem Libris tractaturus ſum: idque breviter, ne Lectori moleſtus ſim: clare, ut quæ ſcribo, omnes intelligant: modeſte, ne quis merito offendi poſſit. Præmittam tamen aliqua de adverſariis, quæ Lectori ſubſerviant.

I. PRÆLUDIUM.

De varia diſpoſitione Adverſariorum, & quomodo cum ſingulis agendum.

IGitur Adverſarii ſive illi Lutherani ſint, ſive Calviniſtæ, ſive alterius ſectæ, non eodem modo omnes affecti, ac diſpoſiti ſunt. Nam primo aliqui in ſuo errore ſunt pertinaces. 2. Alii zeloſi. 3. Alii frigidi. 4. Alii dubii, ac fluctuantes. De ſingulis dicam.

2. Pertinaces ſunt, qui quidem agnoſcunt, ſe recedere a communi ſenſu Eccleſiæ, & antiquorum Patrum; ſed tamen ex ſuperbia, & obduratione mentis, ne videantur a veritate convicti, obſtinate perſiſtunt in ſua opinione. Hi proprie dicuntur Hæretici, teſte Auguſtino, epiſt. 162. & l. 18. de Civitate Dei, ca. 51. Sunt autem ſimiles Phariſæis, & propter duritiam cordis rariſſime convertuntur, juxta illud Matth. 13. 15. *Incraſſatum eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.*

3. Zeloſi ſunt, qui non ex ſuperbia, & obſtinatione, ſed ex quadam ignorantia falſo perſuaſi ſunt, ſuam ſectam veritati, & Euangelio conſentaneam eſſe, ideoque tanto ſtudio, ac ardore eam defendunt, ut videantur parati vitam potius, quam ſectam deſerere. Hi ſimiles ſunt Paulo ante converſionem, qui de ſeipſo ſcribit ad Gal. c. 1. v. 13. *Audiſtis*, inquit, *converſationem meam aliquando in Judaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum Traditionum.* Hujuſmodi zeloſi, quia non peccant ex malitia, ſed ex ignorantia, ſæpe a Deo miſericordiam conſequuntur, ut idem Paulus de ſeipſo teſtatur. 1. Tim. 1. 13. *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.*

4. Frigidi ſunt, qui neque ex ſuperbia, neque ex ignorantia, ſed ex aliis cauſis, quas frigide prætendunt, manent in ſuo errore: Et quando monentur de Catholica fide capeſſenda, ſolent cunctari, tergiverſari, & frivolas excuſationes afferre. Et alii quidem prætendunt, ſe in ea religione, quam prætendunt, natos, & educatos eſſe. Alii, juramento ſe obſtrinxiſſe, quod velint in ea perſiſtere. Alii, non audere palam profiteri fidem Ca-

tholicam, propter amicos, & conſanguineos, qui omnes alterius ſectæ ſint. Alii, non poſſe ſe id facere, ne offendant ſuum Principem, qui a Catholica alienus eſt. Alii denique tametſi nihil horum aperte dicant, revera tamen ex una parte manent in hæreſi propter allatas prætenſiones: ex altera, ſimulant, ſe propendere ad noſtram religionem, ut hac ratione vel Imperatoris, vel alterius Principis Catholici favorem aucupentur, aut certe ad officia, & dignitates apud Catholicos promoveantur: vel, ſi illa jam antea obtinuerunt, ne amittant. Nec deſunt, qui ex eventu, & rerum ſucceſſu ſtatuant de fide ſua: nempe, manſuros ſe in Lutherana, aut Calviniana, ſi videbunt Catholicos affligi, aut bello ſuccumbere: Sin contra, Catholicam amplexuros. Hi omnes ſimiles ſunt illis, de quibus Helias Propheta, 3. Reg. 18. v. 21. *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; Si autem Baal, ſequimini illum.* Et optime in eos quadrat, quod ſcriptum eſt Eccleſiaſtici cap. 3. v. 28. *Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus.*

5. Dubii ſunt, qui ſimplici, ac recto corde quærunt veritatem. Et quia per ſe, ſeu ſuopte ingenio, ac induſtria non poſſunt eam invenire; petunt ab aliis ſe doctioribus juvari, ac inſtrui. Hi ſimiles ſunt Nicodemo in Euangelio, & Eunucho in Actibus Apoſtolorum. Nicodemus petivit inſtrui a Chriſto circa regenerationem ſpiritalem, quæ fit per Baptiſmum, Joan. 3 v. 4. *Quomodo*, inquit, *poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ introire, & renaſci?* Similiter Eunuchus legens Iſaiam Prophetam, cum rogaretur a Philippo, *Putaſne intelligis, quæ legis?* reſpondit: *Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Quaſi dicat: Non intelligo ſenſum Iſaiæ, ſed obſecro, ut mihi interpreteris, ut me juves, ut me doceas. Hujuſmodi homines, ſi incidant in viros bonos, a quibus inſtruantur, facile juvari ſolent: Quo pacto Nicodemus a Chriſto, & Eunuchus a Philippo inſtructus, & adjutus eſt.

6. Igitur cum his omnibus non eodem modo agendum eſt. Ac primo *pertinaces* non facile admittendi ſunt ad diſputationem de fide, ac religione; quia, cum ſint ſuperbi, ac contumaces, non volunt reſipiſcere, etiamſi manifeſte convincantur; ut patet exemplo Phariſæorum, qui ſæpe a Chriſto convicti, nihilominus in errore perſiſtebant. Si tamen cum illis agendum eſt propter utilitatem aliorum, tria ſervari debent. Primo, coercendi ſunt intra limites certæ materiæ, ne ex una in aliam dilabantur. Hoc enim fit ſine fructu. Secundo, reſtringendi ad formam ſyllogiſticam, ut vis argumenti appareat. Nec permittendum, ut ſine

ordi-

ordine, ſine methodo, ſine connexione, quaſi concionabundi multa effutiant, quod ipſis familiare eſt. Tertio, palam confundendi, & increpandi ſunt; ſicut Sadducæi, Scribæ, & Pharisæi a Chriſto fuerunt confuſi, & increpati. Matth. 22. verſ. 29. *Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei*. Et c. 23. v. 16. *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil eſt: qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti, & cæci: Quid enim majus eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum?* Similiter a Stephano, Actor. 7. 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Denique a Paulo Apoſtolo, Act. 9. v. 22. *Saulus autem multo magis convaleſcebat, & confundebat Judæos*. Hæc confuſio dupliciter prodeſt. Primo, quia per eam minuitur authoritas hæreticorum. Deinde illorum aſſeclæ minori in pretio eos habent, atque ita facilius ad nos redeunt. Debet tamen eſſe confuſio rationabilis, quæ non fiat per convitia, & maledicta, ſed per juſtam reprehenſionem, aut apertam victoriam.

7. Cum zeloſis, qui pertinaces non ſunt, contrario modo, id eſt modeſte, ac benevole agendum eſt. Nec tam rationibus, & argumentis obruendi, quam Deo per orationem commendandi ſunt. Sic Stephanus orabat pro Saulo, qui ex præpoſtero zelo Eccleſiam Chriſti perſequebatur, Act. 7. 59. De quo Auguſt. ſer. 1. de Sanctis: *Si ſanctus Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet*. Sic S. Monica cum lacrymis orabat pro filio ſuo Auguſtino, qui Manichæorum erroribus erat infectus. De quo ipſi Monicæ in ſomno dictum eſt: *Fieri non poteſt, ut filius iſtarum lacrymarum pereat*. Quanti porro viri, Paulus, & Auguſtinus? Hic Lumen Theologorum, ille Vas electionis appellatus.

8. Frigidi propter ſuas prætenſiones, a quibus ægre abſtrahuntur, raro ad frugem perveniunt. Cum illis ſerio, ac ſevere agendum eſt. Quod dupliciter fieri poteſt. Primo oſtendendo, prætenſiones, & excuſationes ipſorum eſſe frivolas. Secundo identidem inculcando, ut ſaluti ſuæ conſulant; neque propter humanos reſpectus, favores, & ſæcularia negotia patiantur ſe ab æterna, & cœleſti gloria excludi. Meminerint illius parabolæ Euangelicæ, Luc. 14. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, & miſit ſervum ſuum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. Et cœperunt omnes ſimul excuſare. Primus dixit ei: Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire*. Ecce vocantur frigidi

gidi ad fidem, & Eccleſiam Catholicam. Excuſant ſe, & varias allegant prætenſiones. Quo eventu, ſequitur: *Nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam*. Dura ſententia, ſed juſta. Quia enim ad vocationem Dei cunctabundi, & frigidi ſunt, merito ab omni ſpe vitæ æternæ excluduntur.

9. Dubii denique, qui ſincere quærunt veritatem, fraterne, & ad cujuſq; captum accommodate tractandi ſunt. Et aliter docti, & ingenioſi, aliter rudes, & idiotæ inſtruendi. Sumamus exemplum a Chriſto. Is ſimplicem Judæorum turbam inſtruebat per parabolas, & ſimilitudines, quas facile capiebant. Diſcipulis in Emaus euntibus Moyſen, & Prophetas interpretabatur. Nicodemo baptiſmi neceſſitatem ex analogia humanæ generationis explicabat. Mulieri Samaritanæ Meſſiam eſſe ex eo perſuadebat, quod oſtenderet ſe omnia ſcire, quæ circa illam eſſent. Unde ipſa: *Venite*, inquit, *& videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci. Nunquid ipſe eſt Chriſtus?*

10. Hæc obiter de quadruplici errantium ſtatu, ac conditione a me dicta ſint. Et quamvis cupiam omnibus prodeſſe, omneſq; ad viam veritatis reducere: nihilominus in eorum potiſſimum gratiam has controverſias conſcripſi, qui ſimplici, ac ſincero pectore optant inſtrui, ac juvari. Hi enim facilius convertuntur duplici de cauſa. Primo, quia, cum cupiant juvari, libenter admittunt inſtructionem. Secundo, quia Deus, propter rectam eorum intentionem, paratus eſt illis aſſiſtere. Nam, ut veriſſime ſcripſit Apoſtolus, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Duo ſiquidem requiruntur in hoc negotio. Alterum, prædicatio Euangelii, ſeu inſtructio humana: *Docete omnes gentes*. Alterum, gratia Dei, ſine qua inſtructio non prodeſt: *Sine me nihil poteſtis facere*. Unde fruſtra laborant, qui ſua eloquentia, & argumentandi ſubtilitate confiſi, putant ſe poſſe errantes ad fidem reducere. Illi, poſt longos labores, & diſputandi acrimoniam, merito uſurpent illud Petri in Euangelio: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus*. Quare? Quia humana induſtria ſine Dei adjutorio nihil efficit in hoc opere. Itaq; mutato conſilio reſipiſcant cum eodem Petro: & dicant: *In nomine autem tuo laxabo rete*, ideſt, implorato Dei auxilio hoc opus inchoabo, ne fruſtra laboraverim. Quo etiam ſenſu dixit alter Apoſtolus, 1.Cor.3.6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus*. Et alibi: *Gratia Dei ſum id, quod ſum*. Hæc gratia aſſidue petenda eſt, non ſolum ab iis, qui alios inſtruunt in fide, ut efficaciter inſtruant, ſed etiam ab iis, qui inſtruuntur, ut efficaciter convertantur. Amen.

II. PRÆ-

II. PRÆLUDIUM.

De cauſis, quæ impediunt multos Adverſarios, ne ad fidem convertantur.

1. EX dictis colligi poſſunt 4. cauſæ, quæ multorum converſionem impediunt: quarum duæ ex culpa adverſariorum; totidem ex noſtra incuria ortum habent. Nam & *Pertinaces* propter ſuam ſuperbiam, quæ Deo inimica eſt; & *Frigidi* ob inanes excuſationes, quas obtendunt, ſibi ipſis præcludunt aditum, ut ad veram Chriſti Eccleſiam venire nequeant. E contrario, *Zeloſi*, *& Dubii*, ſi non veniant, noſtræ ſocordiæ quodammodo tribuendum eſt. Utrique a nobis juvari debent: Zeloſi quidem, noſtris ad Deum orationibus: Dubii vero, doctrina, & inſtructione. Sæpe in utroque deficimus. In priori, quia vel raro, vel languide, & cum tædio oramus pro illorum converſione. Orandum ſæpius, ferventius, & majori cum ſpe, ac fiducia. In poſteriori, quia ad inſtruendos dubios in fide (præſertim qui ſimplici, ac ſincero corde quærunt veritatem) opus eſt magnis talentis. Primo, excellenti doctrina, ut recte inſtruas. 2. Spiritu manſuetudinis, longanimitatis, & patientiæ, ut ab opere non deſiſtas. 3. Diſcretione, & prudentia, ut ad captum cujuſque noris te accommodare. His talentis uſus eſt Chriſtus, ut ſupra inſinuavi. Nos aut ſingula non habemus, aut non ſemper utimur. Hic defectus corrigendus eſt.

Prima cauſa ex parte Prædicantium.

2. PRæter has cauſas ſunt aliæ plures, quarum tres tantum inſinuabo. Unam ex improbitate Prædicantium, quos Verbi Miniſtros vocant. Alteram ex ſubtractione calicis. Tertiam, ex onere Confeſſionis. Igitur prima eſt, quod Prędicantes ſoliti ſint odioſe, ac mendaciter traducere doctrinam Catholicorum, ut populum ab ea abſterreant. Solent enim hæc, & ſimilia clamare in cathedris, compitis, hoſpitiis. Primo, nos pluris facere Traditiones hominum, quam Verbum Dei. 2. Verbum a nobis corrumpi, & adulterari. 3. Fidem apud nos negligi: ſola opera commendari. 4. Nos docere, peccatorem ſuis operibus mereri gratiam, & remiſſionem peccatorum. 5. Non minus Sanctos, quam Chriſtum a nobis coli. 6. Imo Sanctos pro Diis apud nos haberi,

haberi, & adorari. 7. Et ſolenne apud nos eſſe, ut in feſtis Sanctorum nulla ſuſcipiatur cogitatio de Chriſto, ſed eo tantiſper excluſo, ſoli Mariæ, vel Petro, vel Nicolao cultus, ac reverentia deferatur. 8. Cum moriendum eſt, nos non confidere in meritis, & paſſione Chriſti, ſed partim in noſtris operibus, partim in patrocinio Sanctorum. 9. Nos in conſecratione uti magicis incantationibus (Sic impie vocant verba illa Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum.*) 10. Nos aſſerere, Pontificem diſpenſare poſſe contra vetus, & novum Teſtamentum. Et alia ejuſdem generis ſexcenta mendacia.

3. Quorſum hæc, obſecro? Nimirum, ut populo perſuadeant, noſtram doctrinam eſſe falſam, abſurdam, Chriſto, & Evangelio repugnantem, quod facile obtinent a ſimplicioribus. At qui cordati ſunt, quique rem totam prudenter diſcutiunt, & examinant, ſtatim advertunt fraudem, & impoſturam. Dicam, quid anno ſuperiori contigerit. Quidam Baro, cum eſſemus in itinere Cellenſi cum S.C.M. bona fide mihi recenſuit, ſe ante complures annos, cum adhuc a noſtra religione eſſet alienus, hæc, & ſimilia figmenta, quæ jam commemoravi, non ſemel audiviſſe a ſuis Prædicantibus. Et teneriori quidem ætate fidem adhibuiſſe, at poſtea, cum maturo jam eſſet judicio, nullo modo potuiſſe adduci, ut crederet, adeo ſtolidos eſſe Catholicos Doctores, qui hujuſmodi portenta profiterentur. Itaque, coemptis eorum libris, in quibus de fide diſputant, diligenter ſe eos volviſſe, & re tota accurate perpenſa, & examinata, manifeſte comperiſſe, omnia ſecus habere, ac Miniſtri commenti eſſent. Et hac occaſione ex Lutherano Catholicum factum eſſe. Lubens hoc intellexi, & Viennam reverſus in multorum conſeſſu narravi quæ audiveram. Nec ſine fructu. Aderant enim ex Lutheranis Viri, ac Matronæ illuſtres, & proteſtati ſunt, idem ſe facturos, quod Baronem feciſſe commemoraveram. Utinam & alii faciant, Videbunt a Prædicantibus deluſos ſe eſſe.

Altera cauſa ex ſubtractione calicis.

4. Altera cauſa, quæ ſumitur ex ſubtractione calicis, multos impedit a converſione. Multi enim Lutherani, & Huſſitæ aſſerunt, non aliam ob cauſam abhorrere ſe a noſtra fide, & religione, quam quod Laicos excludamus a communione ſub utraque ſpecie. Reliqua, quæ apud nos fiunt, tolerari poſſe: hoc unum non poſſe. Extra hoc Catholicos ſe eſſe: in hoc a Catholicis diſſentire. Unde hæc perſuaſio? Ex plauſibili quidem, ſed

ſed tamen falſo fundamento: Solent enim ratiocinari hoc modo: Chriſtus in ultima cœna, cum ſciret ſe morti proximum eſſe, condidit ſolenne Teſtamentum, quo omnibus fidelibus, tanquam filiis Dei adoptivis, legavit ſuam carnem, & ſanguinem ſub ſpecie panis, & vini, per modum hæreditatis, Lucæ 22. 29. Jam vero Catholici privant laicos altera parte hujus hęreditatis, quia ſuffurantur illis ſanguinem, & jubent, ſola carne contentos eſſe. Et ſic faciunt magnam injuriam, non modo laicis, quos privant, ſed etiam Chriſto, cujus violant Teſtamentum. Sic illi. Sed ex falſo, ut dixi, fundamento. Quod ſic oſtendo.

5. Nomen Teſtamenti proprie ſumitur duobus modis in Scriptura. Primo generatim pro quovis fœdere, pacto, vel promiſſione. Secundo ſpeciatim pro fœdere, pacto, vel promiſſione Teſtamentaria, ſeu pro ultima Teſtatoris voluntate, ac diſpoſitione. Vide Hieronymum in cap. 2. Malachiæ Prophetæ, & Auguſtinum in Pſ. 82. Priori modo ſumitur Pſal. 88. 29. *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi*. Ubi per teſtamentum intelligitur promiſſio, qua Deus per Nathan Prophetam promiſit David poſteritatem, & firmitatem regni, 2. Reg. 7. 12. Et Pſal. 105. 45. *Memor fuit teſtamenti ſui*, id eſt, promiſſionis ſuæ. Et Pſal. 131. 12. *Si cuſtodierint filii teſtamentum meum*, id eſt pactum meum. Poſteriori ſumitur Hebr. 9. *Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat Teſtatoris*.

6. Et hoc ſenſu diſtingui ſolet duplex Teſtamentum ſolenne, Vetus, & Novum. Deus enim fecit duo pacta teſtamentaria: Unum cum Hebræis, alterum cum Chriſtianis. In utroque ſpectari poſſunt hæc quinque: Prima, promiſſio ex parte Dei. 2. Hæreditas, quæ a Deo promittitur. 3. Conditio, ſub qua promittitur. 4. In quo ſancitur, & roboratur promiſſio. 5. Inſtrumentum authenticum, in quo ſcribitur, & conſignatur.

7. Et quidem in veteri Teſtamento Deus promiſit Hebræis terram Chanaan per modum hæreditatis, Pſ. 104. 11. *Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ*. Et Levit. 20. 24. *Dabo vobis in hæreditatem terram fluentem lacte, & melle*. Promiſit autem ſub hac conditione, ut ſervarent legem Moſaicam, Exodi 23. 22. *Quod ſi audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, præcedet te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Chananæum, & Hevæum, & Jebuſæum*, id eſt, introducet te in terram Chanaan, in qua habitant populi jam recenſiti. Et quia ex omnibus Hebræis, qui educti erant ex Ægypto ad poſſidendam illam terram, nemo ſervavit conditionem, niſi Caleb, & Joſue: ideo nemo, præter illos duos, potuit eam

Ingre-

ingredi, aut poſſidere. Num. 14.4.22. & Num. 32. 10. Porro hæc Dei promiſſio conſignata eſt in lib. Moyſis, & ſanguine vitulorum, & hircorum ſancita, ac roborata. Exodi 24.4. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini. Et mane conſurgens ædificavit altare, miſitque juvenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras: partem autem reſiduam ſuper altare. Aſſumenſque volumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia, quæ locutus eſt Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille vero ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.*

8. In novo Teſtamento promiſit Deus Chriſtianis vitam æternam per modum hæreditatis. Ad Titum 3. 7. *Ut heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Et Hebr. 9. 15. *Ut repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis.* Promiſit autem ſub hac conditione, ſi credant in Chriſtum, & mandata ejus obſervent. Joan. 3. 16. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam:* Et Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Hæc promiſſio in Evangelio conſignata eſt, ut ex verbis citatis patet, & Chriſti ſanguine ſancita, & confirmata, Matth. 26. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti*, id eſt, Hic eſt ſanguis meus, quo ſancitur novum Teſtamentum.

9. Hinc apparet, vetus Teſtamentum in multis differre a novo. Primo, quia in veteri promiſſa fuit terra Chanaan per modum hæreditatis. In novo, vita æterna. Unde Auguſt. in Pſal. 73. *Deus ſe utriuſque Teſtamenti voluit eſſe authorem, ut & terrena promitteret in veteri, & cæleſtia in novo.* Secundo, in veteri facta eſt promiſſio Hebræis, qui erant ſervi: in novo Chriſtianis, qui ſunt filii, Gal. 4. 22. Tertio, in veteri facta eſt ſub hac conditione, ſi ſervarent legem Moſaicam, quæ erat ſervatu difficillima, & ideo ab Apoſtolo vocatur jugum importabile, Actor. 15. 10. In novo facta eſt ſub hac conditione, ſi ſervarent legem Evangelicam, quæ ſervatu eſt facillima, 1. Matth. 18. 30. & Joan. 4. 3. Difficilior enim conditio proponitur ſervis, quam filiis. Quarto, vetus ſancitum eſt ſanguine hircorum, & vitulorum: novum ſanguine filii Dei. Denique vetus conſignatum eſt in libris Moyſis, & Prophetarum: novum in libris Apoſtolorum, & Evangeliſtarum.

10. Unde ulterius ſequitur, vetus novo eſſe imperfectius. Nam vetus differt a novo, ſicut terra Chanaan a vita æterna. (ex dictis) Sicut ſanguis hircorum, & vitulorum a ſanguine Chriſti (ex dictis) Sicut umbra imaginis ab ipſa imagne. Heb.

10.

10. 1. Sicut externa littera ab interno ſpiritu, & mors a vita; 2. Corinth. 3.6. Sicut ſervitus a libertate, ancilla a domina, Agar à Sara, Galat.4.22. Sicut timor ab amore. Rom. 8. 15. Sicut myſterium occultum a patefacto. Aug. lib.16. de civ.Dei, c. 26. Denique ſicut inchoatum a perfecto, ſemen ab arbore, ſpica a frumento. D.Th. in 1. 2. quæſt. 10. art. 3.

11. Ex dictis concludo, quod initio dixi, falſum eſſe fundamentum, quo nituntur Adverſarii, cum aſſerunt, Chriſtum in novo Teſtamento reliquiſſe nobis ſuam carnem ſub ſpecie panis, & ſuum ſanguinem ſub ſpecie vini per modum hæreditatis; ideoque Catholicos, qui una ſpecie jubent Laicos contentos eſſe, fraudare illos altera parte hæreditatis ſibi debitæ, & teſtamenti Chriſti violatores eſſe. Non ita eſt. Fateor quidem, reliquiſſe nobis carnem, & ſanguinem per modum cibi, & potus, quia hoc expreſſe affirmat ipſe in Euangelio: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: Comedite, bibite.* Sed nego, reliquiſſe nobis per modum hæreditatis teſtamentariæ. 1. quia vita æterna eſt hæreditas nobis promiſſa, ut dictum eſt, non Euchariſtia. Nec uſquam legimus in Scriptura, nos eſſe hæredes Euchariſtiæ, ſed vitæ æternæ, Rom. 8. 17. & ad Tit.3. 7. & Jacobi 1. 5. Et ratio eſt, quia ſicut Manna in veteri Teſtamento non erat hæreditas Hebræis promiſſa, ſed erat cibus, ſeu viaticum, quo reficiebantur Hebræi, dum irent in terram Chanaam, quæ erat illorum hæreditas; ſic etiam Euchariſtia (cujus figura fuit Manna) non eſt hæreditas, ſed eſt viaticum, quo reficimur in itinere, dum tendimus ad vitam æternam: quæ noſtra hæreditas eſt.

12. Deinde: Adverſarii jugulant ſe ipſos in hoc puncto. Nam ex una parte contendunt, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie abſolute præceptam eſſe a Chriſto. Ex altera Euchariſtiam ſub utraque ſpecie eſſe hæreditatem novo Teſtamento nobis a Chriſto relictam. At hæc duo non cohærent inter ſe. Nam hæredibus non ſolet dari præceptum, ut adeant hæreditatem, ſed offertur illis hæreditas ſub hac conditione, ut, ſi velint illam ſponte adire, præſtent conditionem, quæ a Teſtatore exigitur.

13. Tertio, Teſtamentum vetus fuit figura Teſtamenti novi, ut notum eſt. Et conſequenter hæreditas V.T. relicta fuit figura hæreditatis N. T. relictæ. At terra Chanaan, quæ erat hæreditas V. T. non fuit figura Euchariſtię, ſed vitę æternę. Ergo hæreditas N. T. non eſt Euchariſtia, ſed vita æterna. Minor patet ex Apoſtolo ad Hebræos cap. 3. & 4. ubi citans illud Pſalm. 94. 11. *Juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*, expreſſe docet, ſicut Hebræi, qui murmuraverunt in deſerto, non intra-

runt

runt terram Chanaan, in qua quieſcerent; ita Chriſtianos, qui male agunt in hac vita, non ingreſſuros in requiem vitæ æternæ: ergo ſupponit, ſicut populus Hebræorum fuit figura popoli Chriſtianorum; ita terram Chanaan, ad quam tendebant Hebræi, ut ibi quieſcerent, fuiſſe figuram vitæ æternæ, ubi noſtra quies futura eſt.

14. Quarto. Nos habemus clariſſima Scripturæ teſtimonia, quibus aſtruimus, vitam æternam eſſe hæreditatem, quæ novo Teſtamento nobis promiſſa, & legata eſt, ut ex dictis patet. Adverſarii nullo, ne quidem obſcuro teſtimonio probare id poſſunt de Euchariſtia. Citant quidem illud Lucæ 22. 20. & 1. Cor. 11. 25. *Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, ſed male interpretantur. Putant hunc eſſe ſenſum: Hic calix, ſeu potius hic meus ſanguis, qui eſt in hoc calice, *eſt novum Teſtamentum*, id eſt, hæreditas teſtamentaria, quam vobis relinquo. At longe alius eſt. Nimirum ille, quem explicant Mathæus, & Marcus. Quod enim obſcure ſcriptum eſt a Luca, & Paulo, *Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, id clarius ſcriptum eſt a Matthæo, & Marco, *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti*, id eſt: Hic eſt ſanguis meus, quo ſancitur novum Teſtamentum. Opponit novum Teſtamentum veteri, & ſanguinem ſuum ſanguini hircorum, & vitulorum. Sicut enim vetus Teſtamentum fuit ſancitum ſanguine animalium; ita novum ſanguine Chriſti. Et ſicut de veteri dixit Moyſes Exodi 24. 8. *Hic eſt ſanguis fæderis, quod Dominus pepigit vobiſcum*: Et Apoſtolus Hebr. 19. 9. *Moyſes accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum dixit: Hic ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus*: Ita de novo Chriſtus: *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti*. Secundum adverſarios ſic dicendum eſſet: Hic ſanguis Chriſti eſt novum Teſtamentum, ſeu hæreditas novo Teſtamento relicta: Item: Hic ſanguis hircorum, & vitulorum eſt vetus Teſtamentum, ſeu hæreditas veteri Teſtamento relicta, quod abſurdiſſimum eſt.

15. Quinto, adverſarii ſupponunt, non ſolum ſanguinem, ſed etiam carnem Chriſti eſſe hæreditatem novi Teſtamenti, atque ita duas eſſe partes totius hæreditatis: Et conſequenter ſicut de ſanguine dictum eſt, *Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, id eſt: Hic ſanguis meus, qui eſt in calice, eſt una pars hæreditatis teſtamentariæ: ſic etiam de carne dici poſſet: *Hæc caro mea novum Teſtamentum eſt*, id eſt, Hæc caro mea eſt altera pars hæreditatis teſtamentariæ. At hoc falſum eſt. Primo, quia nemo hactenus ita locutus eſt: Deinde, quia debet eſſe propor-

portio inter vetus, & novum teſtamentum. At in veteri non licuit dicere, *Hæc caro vitulorum, & hircorum eſt vetus Teſtamentum*, ſeu pars hæreditatis, quæ veteri Teſtamento Hebræis legata eſt: Ergo neque in novo licet dicere, *Hæc caro Chriſti eſt novum Teſtamentum*, ſeu, eſt pars hæreditatis, quæ novo Teſtamento Chriſtianis relicta eſt.

16. Sexto, hæreditas, quæ teſtamento relinquitur, non ſolet tradi hæredibus, niſi poſt mortem Teſtatoris, quia tunc incipit Teſtamentum eſſe validum, juxta illud Hebr. 9. 17. *Teſtamentum in mortuis confirmatum eſt: alioqui nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt*. At Chriſtus dedit Apoſtolis ſuam carnem, & ſanguinem ante mortem, & conſequenter antequam novum Teſtamentum eſſet validum, & morte Teſtatoris confirmatum: Ergo non dedit per modum hæreditatis.

17. Dices, Hoc in V.T. non eſt ſervatum, quia terra Chanaan, quę Hebręis promiſſa erat per modum hęreditatis, fuit illis data ante mortem Teſtatoris. Deus enim erat Teſtator, qui mori non poteſt. Reſpondeo. Etiam in veteri ſuo modo ſervatum eſt. Poteſt enim dupliciter ſpectari Vetus Teſtamentum. 1. Secundum ſe præciſe, quatenus erat pactum quoddam inter Deum, & populum Hebræorum, quo Deus promittebat illis terram Chanaan, & illi viciſſim Deo obedientiam. Et ſic non erat pactum teſtamentarium, quod requireret mortem Teſtatoris; ſed pactum ſimplex, quod inter vivos poterat iniri, & confirmari. 2. Non præciſe ſecundum ſe, ſed quatenus erat figura novi Teſtamenti. Et ſic erat pactum teſtamentarium, quod morte Teſtatoris debuit confirmari. Quod etiam factum eſt: Et quidem dupliciter: Nam quatenus pactum illud proxime, immediate, & expreſſe promittebat terram Chanaan, quæ erat figura vitæ æternæ, indigebat morte Teſtatoris, non in ſe, ſed in figura. Teſtator erat Chriſtus. Figuram Chriſti gerebant animalia, quæ ad ſacrificium mactabantur. Itaque Chriſtus mactabatur in figura, non in ſe. Quatenus vero idem illud pactum remote, implicite, & mediate promittebat vitam æternam, cujus figura erat terra Chanaan, indigebat etiam morte Teſtatoris, non in figura, ſed in ſe. Nam vita æterna nulli mortalium data eſt, niſi poſt mortem Chriſti, quam in ſe paſſus eſt. Nota: Chriſtus, qui ſimul eſt Deus, & homo, in utroque teſtamento Teſtator eſt, in veteri quidem ante aſſumptam humanitatem: in novo autem poſt factam incarnationem. Igitur in veteri mortuus eſt in figura: in novo in aſſumpta humanitate.

18. Hæc volui paulo fuſius explicare, ut quilibet perſpicue intelligat, totam illam ratiocinationem, qua adverſarii tantopere glo-

glorianturt, mero figmento ſubnixam eſſe. Non enim Euchariſtia ſub utraque ſpecie, ſed vita æterna, novi Teſtamenti hæreditas eſt, ad quam adoptati ſumus. Hanc Catholici integram, & indiviſam eſſe cupiunt. Hanc non modò Sacerdotibus, ſed etiam laicis integram, & indiviſam exhiberi deſiderant. Si ergo adverſarii, de quibus nunc ſermo eſt, non habent aliam cauſam ſuæ defectionis a Catholicis, quam quæ deſumpta eſt ex falſo fundamento, quod jam refutavi, certe nullam habent. Hæc enim, ut dixi, nulla eſt. An autem aliqua alia fingi poſſit, lib. I. cap. 3. videndum eſt. Nunc ulterius progrediamur.

Tertia cauſa ex onere Confeſſionis.

19. Tertia cauſa, quam etiam multi prætendunt, eſt onus Confeſſionis. Putant durum, ac moleſtum onus eſſe, quod Catholici debeant ſua peccata, etiam occultiſſima, ſigillatim recenſere coram Sacerdote. Primo, quia ſæpe contingit, ut homini non occurrant omnia anteactæ vitæ peccata, quæ commiſit. Quid tunc faciendum? An torquendum caput, & anxie diebus, ac noctibus perſcrutandum, quid olim feceris, dixeris, cogitaveris? Carnificina hæc eſt. Secundo, pudet hominem aperire Sacerdoti ea peccata, quę carnalia, & pudenda ſunt, ut fornicationes, adulteria, ſodomias, & ſimilia, quorum quiſque ſibi conſcius eſt. Tertio, periculum eſt, ne Confeſſarius aliis ea manifeſtet, cum magno confitentis rubore, ac confuſione.

20. Sed hæc cauſa tanti momenti non eſt, ut propter eam deſerenda, aut culpanda ſit Eccleſia Catholica. Quin potius ex hoc capite laudanda, & in pretio habenda eſt. Nam in negotio Confeſſionis non debet attendi moleſtia, & difficultas, quæ peccato ſubeunda eſt, ſed potius utilitas, & tranquillitas conſcientię, quę ex Confeſſione percipi ſolet. Fateor, durum, ac moleſtum eſſe, confiteri propria peccata, præſertim occulta, enormia, abominanda; ſed ni facias, ſalvari non potes. Neque unquam pacato eris animo, niſi peccata, quæ conſcientiam onerant, per ſinceram confeſſionem expiaveris. Simile eſt in morbo corporis. Quando æger es, ſumenda eſt amara potio, quæ nauſeam provocat: interdum etiam tolerandę ſectiones, uſtiones, & alia remedia, quę cum ingenti dolore conjuncta ſunt. Si hęc reſpuis, aut miſere vivendum, aut moriendum eſt. Sicut ergo qui ęgro corpore eſt, medicum adit, ut ab eo juvetur, neque attendit moleſtias, & cruciatus, qui ſubeundi ſunt, ſed ſanitatem, & vigorem membrorum, qui non niſi per ingratas, & acerbas medicinas recupera-

ri poteſt : ita pari proportione, qui ſauciam habet conſcientiam, confeſſarium adeat neceſſe eſt; neque attendat, quam hoc moleſtum ſit, ſed potiùs quanta animi pax, & tranquillitas per hoc obtineri poſſit.

21. Et ſane major moleſtia, ac difficultas eſt in ſanando corpore, quàm animo. Primo, quia ut corpus ſanetur, magni ſępe cruciatus, non uno tantum, aut altero die, ſed integris menſibus, aut annis ſuſtinendi ſunt. Quod reipſa experiuntur, qui colica, calculo, podagra, febri, aut ſimili affectione oppreſſi ſunt. Ut vero ſanetur conſcientia, vix momento opus eſt. Tantum ingemiſce, & confitere peccata tua: jam ſalva res eſt. Deinde, ſępe fit, ut qui corpore ęger eſt, etiamſi longo tempore ſuſtineat omnia incommoda, quę morbum, & curationem ejus comitari ſolent, nihilominus propter vim morbi ſanari non poſſit: neque in ipſius, aut medici poteſtate ſit, ut ſanetur. Secus eſt in morbo conſcientię. Quantus quantus ille eſt, curari poteſt, ſi velis. Hinc infero: ſi cum corpori male eſt, paratus es pati omnia, ut ſanitatem recuperes, de qua tamen recuperanda incertum eſt: multo magis, cum animo male eſt, debes omnia pati, ut tranquillitatem conſcientię recuperes, quam recuperare in tua poteſtate eſt.

22. Atque hęc generatim ſufficiant de difficultatibus, quę in negotio Confeſſionis ſolent objici. Nunc de ſingulis aliquid dicendum. Prima eſt, quod ſępe non occurrant homini peccata omnia, quę commiſit. Quid tunc agat? Reſpondeo. Examinet diligenter conſcientiam de peccatis mortalibus; doleat de omnibus, tam iis, quę memorię occurrunt, quam quę non occurrunt. Et priora quidem confiteatur coram Sacerdote; de poſterioribus vero dicat cum Davide: *Ab occultis meis munda me, Domine*. (Ita ſuadet Concilium.Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 5.) Neque opus eſt fatigare caput, aut inſtar carnificis torquere conſcientiam, & equuleo ſubjicere. Aliquis ſane labor adhibendus eſt in examine; ſed non major, quam qui a mercatoribus adhiberi ſolet in examine expenſarum. Multo certe minor, quam qui in morbo corporis neceſſarius eſt. Sępe ęgroti neſciunt, quid morbi, aut contagionis habeant, quę, & qualis medicina adhibenda, cui morbo, aut parti corporis adhibenda. Conſulunt Medicos. Et hi ipſi perplexi ſunt: Explorant pulſum arteriarum, inſpiciunt urinam, & neſcio quas latebras ſcrutantur. Et ſępe fruſtra, ſępe cum periculo vitę ęgrotantium. Nihil tale eſt in morbis conſcientię. Si noti ſunt, tolluntur per confeſſionem: ſi occulti, non nocent. Res facilis eſt; & eo facilior, quo quis ſępius confitetur. Tunc enim & pauciora habet peccata, quæ in confeſſione aperiat; & mino-

ri labore opus eſt in Examine, quia ſtatim memoriæ occurrit quidquid a paucis diebus actum eſt. Norunt hoc illi, qui vel octavo, vel decimo quarto die confiteri ſolent. Non faciunt cum moleſtia, ſed cum gaudio: ſentiunt conſolationem, non tædium. Utinam omnes capiant verbum hoc.

23. Altera difficultas eſt, quod pudeat hominem aperire Sacerdoti ſua peccata, præſertim fornicationes, adulteria, ſodomias, & quæ ſimilia ſunt. Reſpondeo. Sæpe obtenditur pudor, ubi nullus eſt. Nullus eſt in pleriſque fornicariis, adulteris, ſodomitis. 1. Quia non pudet illos in conſpectu Dei male agere. 2. Nec pudet apud alios palam de ſuis ſceleribus gloriari. 3. Quid facturi ſunt in die judicii, quando omnia ipſorum flagitia toti mundo fient manifeſta? 4. Si tantopere refugiunt pudorem, refugiant peccata, quæ ſunt cauſa pudoris.

24. Tertia eſt, quod periculum ſit, ne Confeſſarius manifeſtet peccata, quæ in ſecreta confeſſione audivit. Reſpondeo. Nihil hoc eſt. 1. Quia Confeſſarius arctiſſime obligatus eſt ad ſervandum ſecretum. 2. Si non ſervat, ſuſpectus eſt. Nemo prudens illi credit. 3. Nec obeſt confitenti, etiamſi peccata ipſius a Confeſſario detegantur. Nam teſtimonium Confeſſarii in hoc negotio nullum eſt. 4. Qui metuunt, ne a Confeſſario prodantur, metuant potius, ne prodantur ab iis, cum quibus peccarunt. Hoc frequentius fit, quam illud.

25. Hactenus ſecundum Præludium, cujus ſumma eſt tres cauſas eſſe, quæ multos impediunt, ne ad Catholicam Eccleſiam accedant. Prima eſt, quia Prædicantes ſuis mendaciis faciunt illam coram populo odioſam. Væ illis. Altera, quia privat laicos altera parte hæreditatis. Falſum eſt. Tertia, quia urget Confeſſionem, quæ eſt onus importabile. Non ita eſt. Non, inquam, eſt onus, ſed medicina, ſine qua ſalvus eſſe non poteſt, qui peccavit.

LIBER PRIMUS
DE
CONTROVERSIIS COMMUNIBUS.

INter controverſias communes, quas ſupra enumeravi, tres ſunt præcipuæ, a quibus reliquæ omnes dependent. 1. *De Eccleſia*. 2. *De Judice controverſiarum*. 3. *De Vocatione Miniſtrorum*. Ex ſingulis definiri poſſunt omnes controverſiæ, ſaltem aliquo modo. Nam ſi ſemel conſtet, Eccleſiam Chriſti errare non poſſe in fide, nec alibi eam reperiri, quam apud Catholicos, ſeu Pontificios, evidenter ſequitur, omnes articulos Fidei, ac Religionis, quos Eccleſia Catholica, ſeu Pontificia profitetur, veros eſſe; quos reiicit, falſos, & erroneos. Similiter ſi conſtet, Judicem controverſiarum non alium eſſe, quam eandem Eccleſiam Catholicam, quæ eſt Columna, & fundamentum veritatis, idem ſequi neceſſe eſt, quod ex priori ſequebatur. Denique, ſi conſtet Miniſtros Lutheranæ, aut Calvinianæ religionis non eſſe legitime vocatos ad Miniſterium, ſicut hactenus ſuam vocationem probare non potuerunt, iterum ſequitur ab illis neque Evangelium legitime prædicari, neque Sacramenta rite adminiſtrari poſſe: ac proinde ad Eccleſiam Catholicam confugiendum, in qua eſt conſtans, legitima, & nunquam interrupta Pontificum, & Epiſcoporum ſucceſſio, quæ alibi non reperitur. Hoc obiter monui propter eos, quibus non vacat ſingulas controverſias ſcrutari, & examinare. Hi enim poterunt unam ex illis tribus pro ſuo arbitrio ſeligere, & juxta illius deciſionem de vera fide, ac vera religione ſtatuere. Nunc ſingulas eo ordine, quo antea propoſitæ ſunt, aggrediamur.

CAPUT PRIMUM.

De Scriptura.

IN Scriptura tria ſpectari poſſunt. 1. Canon, ſeu Catalogus librorum Scripturæ. 2. Verſio ſeu translatio ex Hebræo, & Græco textu in Latinum, Germanicum, Gallicum, aut quemvis alium. 3. Senſus litteralis, & myſticus. In his tribus diſcrepant a nobis Adverſarii. Habent alium Canonem, quam nos: aliam verſionem, aliam ſenſus interpretationem. Utri rectius ſentiant, nos, an illi, diſquirendum eſt hoc ordine. 1. Qui libri Scripturæ ſint Canonici. 2. Quæ ſit legitima Scripturæ verſio. 3. Quis ſenſus litteralis, & quis myſticus. 4. An ſenſus Scripturæ ſit obſcurus. 5. Quæ ſit cauſa hujus obſcuritatis. 6. An Adverſarii habeant veram Scripturam. Et, an ex ea contra nos diſputare poſſint.

QUÆSTIO I.

Qui libri Scripturæ ſint Canonici.

1. CANON duo ſignificat. 1. Normam, ſeu regulam, quam ſequimur. 2. Catalogum, ſeu numerum aliquarum rerum. Utroq; ſenſu Libri Scripturæ vocantur Canonici. Priori quidem, quia continent normam, ſeu regulam, quam in fide, & moribus ſequi debemus. Poſteriori, quia in Catalogum librorum divinorum relati ſunt.

2. Eſt ergo quæſtio, quinam Libri veteris, & novi teſtamenti ſint Canonici hoc poſteriori ſenſu, id eſt, quinam relati ſint in Canonem ſeu Catalogum librorum Scripturæ, tanquam Divini, ſeu a Deo inſpirati? Reſpondeo. In Canonem, quo utuntur Catholici, relati ſunt libri veteris teſtamenti, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judices, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Eſdræ, Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus, quatuor majores Prophetæ, duodecim minores, duo libri Machabæorum. Item hi libri novi Teſtamenti, quatuor Euangelia, Actus Apoſtolorum, quatuordecim Epiſtolæ Pauli, tres Joannis, duæ Petri, una Jacobi, una Judæ, Apocalypſis Joannis.

3. Hic Canon habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. Et Patres

tres illius Concilii acceperunt illum per traditionem ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, ut videre eſt apud Bartholomæum Carranzam in Summa Conciliorum. Rurſum Eugenius illum accepit a Gelaſio Papa in Concilio Romano, ut patet ex 2. tomo Conciliorum, in decretis Gelaſii circa finem. Iterum Gelaſius ab Auguſtino, lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. Et Auguſtinus a Concilio Carthaginienſi tertio, quod alii quintum, alii ſextum vocant. Denique Patres hujus Concilii ab Innocentio, Epiſt. 3. ad Exuperium, cap. 7. Vixit autem Innocentius ann. Chriſti 402. Igitur ab illo tempore primitivæ Eccleſiæ ad nos uſq; per continuam Traditionem perſeverat idem ille Scripturæ Canon, quem nos Catholici nunc tenemus, & amplectimur.

4. Ex hoc Canone non paucos libros Adverſarii noſtri expunxerunt. Calviniſtæ quidem ex Canone veteris Teſtamenti, Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Machabæos. Lutherani vero, tum illos eoſdem; tum etiam ex canone novi teſtamenti Epiſtolam ad Hebræos, Epiſtolam Jacobi, Epiſtolam Judæ, & Apocalypſim Joannis. In quos optime quadrat, quod de Manichæis ſcripſit Auguſtinus in lib. de bono perſeverantiæ, cap. 11. *Scripturas*, inquit, *ſic accipiunt, ut ſuo quodam privilegio, imo ſacrilegio, quod volunt, ſumant; quod nolunt, rejiciant.*

5. Dices 1. Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, & Machabæi non fuerunt in Canone Judæorum: Ergo etiam debent excludi a noſtro Canone. Reſpondeo. Neg. conſeq. Non enim neceſſe eſt, ut illi ſoli libri habeantur Canonici apud nos Chriſtianos, qui tales habiti ſunt apud Judæos, ut recte notat Auguſtinus, lib. 18. de Civitate Dei, c. 36. cum ait: *Machabæorum libros non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet*. Et ratio manifeſta eſt, quia Canon Judæorum conſignatus fuit ab Eſdra, vel ſaltem tempore Eſdræ, ut plerique tradunt. At tempore Eſdræ nondum ſcripti erant libri Machabæorum. Quid ergo mirum, ſi in illum Canonem relati non fuerint? Idem poſt Auguſtinum notavit Iſidorus in libro proœmiorum de libris veteris, ac novi teſtamenti. *Hæretici*, inquit, *non recipiunt libros Tobiæ, Judith, & Machabæorum, Eccleſia tamen eoſdem inter Canonicas ſcripturas enumerat*. Et ibidem: *Sapientia, & Eccleſiaſticus parem cum reliquis Canonicis libris tenere noſcuntur authoritatem.*

6. Dices, non ſoli Judæi, ſed etiam multi Chriſtiani, præſertim antiqui Patres, qui ſcripſerunt ante Innocentium, & Auguſtinum, excluſerunt ſupra dictos libros a Canone. Reſpondeo. Canon, quo nunc utuntur Chriſtiani, nondum erat conſignatus tempore iſtorum Patrum. Extabant quidem varii libri tam vete-

ris, quam novi teſtamenti, qui in manibus hominum verſabantur: ſed nondum erat determinate ab Eccleſia definitum, quinam ex illis pro Canonicis habendi eſſent, qui non eſſent. Primus, qui hoc legitime definivit, fuit Innocentius Papa. Ejus definitionem ſecutus eſt Auguſtinus cum aliis Epiſcopis Africæ in Conc. Carthaginienſi: Exuperius cum Epiſcopis Galliæ: Gelaſius in Conc. Rom.: totus deniq; orbis Chriſtianus uſque ad hæc noſtra tempora. Soli fere Lutherani, & Calviniſtæ ſine cauſa tergiverſantur, & a conſenſu tot Patrum, & Conciliorum, ad paucos Patres, qui ante definitionem Innocentii de hac re ſcripſerunt, importune provocant. Sed fruſtra. Nam Patres illi, cum res nondum eſſet legitime per Eccleſiam declarata, poterant de quibuſdam libris vel dubitare, vel aliter ſentire. At nunc facta, & approbata legitima declaratione, dubitationi, vel contrariæ opinioni locus non eſt. De hoc plura ſcripſi in libro de titulis Calviniſtarum.

QUÆSTIO II.

Quæ ſit legitima verſio Scripturæ.

1. NOS Catholici utimur veteri, ac vulgata verſione, quæ jam multis ſæculis in Eccleſia viguit, & communi Chriſtianorum conſenſu recepta eſt. Hanc repudiant noſtri adverſarii, & in ejus locum non unam, aut duas, ſed prope infinitas ſuis auditoribus obtrudunt. Nam alia eſt verſio Lutheri, alia Oecolampadii, alia Theodori Bibliandri, alia Caſtalionis, alia Junii, & Tremellii, alia Munſteri, alia Bezæ, aliæ aliorum: quæ omnes inter ſe diſſident, & ab ipſis adverſariis merito reprehenduntur.

2. Certe Lutherus in commentario de noviſſimis verbis Davidis in præfatione: *Omnino*, inquit, *melius eſſet retinere illam hactenus receptam, & uſitatam verſionem Bibliorum, quam tot novas verſiones cumulari, quibus nihil proficitur, niſi quod diſſimilitudo, & diſcrepantia lectionum memoriam legentium turbat, & ſtudium remoratur, ac in multis locis incertiorem, quam fuerat, dimittit.* Et in libro Prophetiarum ſuarum, qui a Gregorio Vualtero Hallenſe Prædicante collectus eſt: *Tam multæ*, inquit, *noſtro tempore ſunt verſiones Bibliorum, ut paulatim tam multa futura ſint Biblia, quam multi ſcioli in Hebraica lingua Magiſtros eſſe profitebuntur.* Et Rauclinus (alias Capnion) in Hebræas concordantias Rabbi Nathan: *Multæ translationes Bibliorum in lucem prodeunt, quas melius fuiſſet non natas eſſe, vel ſtatim interiiſſe.* Omitto alios, qui ſimilia habent.

3. Quan-

3. Quanto feliciores Catholici, qui unam, certam, conſtantem, ac uniformem ſequuntur Editionem. Et tametſi toto orbe diffuſi ſint, una tamen loquuntur lingua, & iiſdem Spiritus Sancti verbis, ac formulis aſſueti ſunt. His recte accommodari poteſt illud Gen. 11. 1. *Erat autem terra labii unius, & ſermonum eorundem.* Et ibidem: *Ecce unus eſt populus, & unum labium omnibus.* Adverſariis vero, quod ſequitur: *Confundamus linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui.* Et rurſum: *Vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ.* Uno verbo, Catholici, & Adverſarii repræſentant duas familias, in quarum altera Pater, & Mater, Filii, & filiæ, ſervi, & ancillæ eodem loquuntur idiomate, & ſinguli ſingulos probe intelligunt: in altera tot idiomata ſunt, quot capita; ubi Pater gallice, Mater hiſpanice, Filii latine, Filiæ belgice, Servi italice, Ancillæ germanice loquuntur: ubi poſcenti panem porrigitur lapis, volenti bibere miſcetur pharmacum, & ſic deinceps.

QUÆSTIO II.

Quis ſit ſenſus Scripturæ litteralis, & quis myſticus.

1. Solet diſtingui duplex Scripturæ ſenſus. Alter litteralis, ſeu hiſtoricus: alter ſpiritualis, ſeu myſticus. Litteralis eſt, qui proxime, ſeu immediate ſignificatur per ipſa verba; ſive ſint verba propria, ſive Metaphorica. Myſticus eſt, qui non ſignificatur proxime per ipſa verba, ſed per rem ſignificatam ipſis verbis. Ita D. Th. 1. p. q. 1. a. 10. ubi notat duplicem eſſe ſignificationem in Scriptura Sacra: Unam verborum, quæ pertinet ad ſenſum litteralem: Alteram rerum, quæ pertinet ad ſenſum myſticum, ſeu ſpiritualem. Nam & verba ſignificant rem aliquam ſecundum litteram, & res ſignificata per verba iterum ſignificat rem aliquam ſecundum myſterium.

2. Utrumque ſenſum inſinuat Apoſtolus 1. Corinth. 10. 1. cum ait: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt.* Nam in his ſequentibus verbis latet duplex ſenſus. Unus litteralis, qui proxime, & immediate ſignificatur per verba citata, nempe filios Iſrael, quando ex Ægypto egreſſi ſunt, tranſiviſſe mare rubrum, ambulaſſe ſub nube, comediſſe Manna in deſerto, bibiſſe aquam de petra. Alter Myſticus, qui non ſignificatur proxime per verba citata, ſed per res ſignificatas verbis citatis. Nam per exitum filiorum Iſrael ex Ægypto per

Moyſen ſignificatur exitus noſter ex ſervitute peccati per Chriſtum : Et per mare rubrum ſignificatur Baptiſmus : Per Manna Corpus Chriſti in Euchariſtia : per aquam, ſanguis Chriſti: per petram Criſtus.

3. Myſticus a Teologis ſubdividitur in allegoricum, anagogicum, & moralem, ſeu tropologicum. Sicut enim tres ſunt virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas; ita tres ſenſus myſtici. Allegoricus reſpondet fidei, anagogicus ſpei, moralis charitati. Nam allegoricus eſt, quando verba Scripturæ, præter ſenſum literalem, quem habent, ſignificant aliquid pertinens ad fidem, vel Eccleſiam militantem: quo pacto Abraham, qui ſecundum ſenſum literalem habuit duos filios; unum ex ancilla, & alterum ex libera; allegorice ſignificat Deum, qui habet duos populos; unum Judæorum ex Synagoga; alterum Chriſtianorum ex Eccleſia: Hunc ſub libertate gratiæ Chriſti; illum ſub ſervitute legis Moſaicæ (ad Galat. 4. 22.)

4. Anagogicus eſt, quando verba ſcripturæ, præter ſenſum literalem, ſignificant aliquid pertinens ad vitam æternam, vel Eccleſiam triumphantem, quam ſperamus: quo pacto illud Pſ. 94. 11. *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*; ſecundum literalem intelligitur de terra promiſſionis in Palæſtina: Anagogice de vita æterna, ubi eſt vera requies (Heb. 4. 3.)

5. Moralis eſt, quando verba ſcripturæ, præter ſenſum literalem, ſignificant aliquid pertinens ad inſtructionem morum, vel officia charitatis: quo pacto illud Deut. 25. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*: ſecundum literam intelligendum eſt de veris bobus; at moraliter de Concionatoribus, qui non debent impediri, quo minus petant ſuſtentationem a populo, (1. Cor. 9.)

6. Eſt ergo quadruplex ſcripturæ ſenſus. 1. Litteralis, 2. Allegoricus, 3. Anagogicus, 4. Moralis. Qui omnes oſtendi ſolent in voce *Hieruſalem*. Nam illa vox ſignificat litteraliter urbem Palæſtinæ; allegorice Eccleſiam militantem; anagogice Eccleſiam triumphantem; moraliter animam hominis in hac vita. Omnes item notari ſolent in Ep. ad Gal. c. 4. Nam litteralis eſt in illis verbis: *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera*. Allegoricus in illis: *Hæc ſunt duo teſtamenta, &c.* Anagogicus in illis: *Illa autem, quæ ſurſum eſt Hieruſalem*. Moralis in illis: *Quomodo tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc.*

7. Notatum eſt a viris doctis, juxta hos quatuor ſenſus ſcripturæ, quatuor eſſe Doctores Eccleſiæ, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium, & ſingulos in ſingulis ſenſibus explican-

dis

dis excelluiſſe: Hieronymum in Litterali, Ambroſium in Allegorico, Auguſtinum in Anagogico, Gregorium in Morali.

QUÆSTIO IV.

An ſenſus Scripturæ ſit obſcurus.

1. ADverſarii ſolent dicere, Scripturam quoad legitimum ſenſum facilem, ac perſpicuam eſſe, & ab omni intelligi poſſe. Nos aſſerimus, in multis quidem locis facilem eſſe, ſed in multis etiam obſcuram, & intellectu difficilem. Quod teſtatur Petrus Apoſtolus in ſua poſteriori Epiſtola c. 3. 16. ubi loquens de Epiſtolis S. Pauli ſic ait: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.*

2. Et variis modis confirmari poteſt. Primo Exemplo diſcipulorum euntium in Emaus, qui non intelligebant ſcripturam, niſi Chriſtus interpretaretur. (Lucæ 22.27.) Secundo Exemplo Eunuchi Reginæ Æthiopum, qui rogatus a Philippo, an intelligeret Iſaiam Prophetam, quem legebat, reſpondit: *Quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* (Actor. 8.31.) Tertio Exemplo Apoſtolorum, qui multa eorum, quæ a Criſto dicebantur, non intelligebant, Matth. 13.36. *Acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.* Et Matth. 16. 11. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis?* Et Luc. 18.34. *Ipſi nihil horum intellexerunt.* Quarto conſenſu omnium Interpretum. Nam ſi Scriptura eſſet facilis, quid opus eſſet tot interpretibus, tot commentariis, tot quæſtionibus, & controverſiis circa fidem, ac religionem? Quinto inductione. Conſtat obſcuriſſimam eſſe Prophetiam Ezechielis de viſione quatuor animalium. Conſtat Prophetiam Danielis de 70. hebdomadibus, & de abominatione deſolationis multorum ingenia exercuiſſe, & adhuc exercere. De qua Chriſtus Matth. 24. 15. *Qui legit, intelligat.* Conſtat totam Joannis Apocalypſin plenam eſſe reconditis myſteriis: &, ut loquitur D. Hieron. in epiſt. ad Paulin. tot habere ſacramenta, quot verba. Conſtat in reliquo Bibliorum codice multa etiam obſcura eſſe, ac intricata, ut norunt illi, qui legerunt.

3. Ac, ut alios omittam, teſtes ſunt ipſi Adverſarii, qui in explicando Scripturæ ſenſu ſæpe, ac graviter inter ſe diſſentiunt. Nam aliter Lutherani, aliter Calviniſtæ interpretantur illud Chriſti: *Hoc eſt corpus meum.* Et ſexcenta alia loca. Unde hæc diſſenſio? Certe, ſi Scriptura, ut utrique volunt, eſt clara, perſpicua, & obvia, unde ergo lites, & contentiones inter ipſos?

Quare claram, perſpicuam, & obviam interpretationem communi conſenſu non arripiunt? Hic neceſſe eſt, ut vel utrique fateantur ſæpe obſcuram eſſe, vel certe, ſi facilis eſt, ut Lutherani accuſent Calviniſtas, aut hi illos, quod non velint amplecti facilem, & perſpicuam interpretationem.

4. Multa objiciunt. Primo illud Deut. 30. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum.* Ergo, inquiunt, Scriptura eſt facilis. Nec opus eſt, ait Brentius, montes ſuperare, & ire Romam pro interpretatione Scripturarum. Reſpondeo. Aliud eſt quærere, an mandatum legis Moſaicæ (quatenus complectitur legem Decalogi, & legem ceremonialem, ac judicialem) ſit facile intellectu: Aliud, an tota Scriptura ſit talis. De priori non eſt quæſtio, ſed de poſteriori. Nec ex priori poteſt inferri poſterius. Non enim ſequitur: Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, clarum, & perſpicuum eſt: ergo tota Scriptura clara, & perſpicua eſt. Et tamen ſic argumentantur Adverſarii, inepte ſine dubio.

5. Quod vero ad locum citatum attinet, ſic habet: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, ut poſſis dicere: quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſq; deferre, ut poſſimus audire, & facere, quod præceptum eſt? Sed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Ubi per mandatum, ut dixi, intelligit totam legem Moſaicam, quæ continetur præceptis Decalogi ceremonialibus, & judicialibus, ut patet ex verbis immediate præcedentibus. *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta ejus, & ceremonias, quæ in hac lege conſcripta ſunt.* Et clarius ex c. 7. v. 11. *Cuſtodi ergo præcepta, & ceremonias, atque judicia, quæ ego mando tibi hodie, ut facias ea.* Igitur ſenſus eſt: Lex Moſaica, quam volo vos cuſtodire, non eſt vobis incognita, neque ex remotis regionibus ad vos deferenda (alioqui poſſetis vos excuſare ab ejus obſervatione, dicendo, vos neſcire, quam legem velim a vobis cuſtodiri) *ſed eſt in ore veſtro, & in corde veſtro, ut faciatis illam.* In corde, quia audiſtis illam a me proponi, & explicari; in ore, quia profeſſi eſtis vos eam ſervare velle.

6. Hoc conſtat ex pacto, quod Deus iniit cum Iſraelitis, Exod. 19. 5. *Si audieritis*, inquit, *vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta. Et reſpondit omnis popu-*

populus ſimul: Cuncta, quæ locutus eſt Deus, faciemus. Hinc non licet argumentari, ſicut Adverſarii argumentantur: Lex Moſaica fuit populo propoſita, & populus promiſit ſe illam ſervaturum: Ergo tota Scriptura eſt clara, & perſpicua. Sic tamen licebit: Lex Moſaica eſt clara: Ergo aliqua pars Scripturæ eſt clara, quod non negamus. Quomodo autem ſit clara, patebit ex ſequenti objectione. Igitur

7. Secundo, objiciunt illud Pſalm. 18. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et Pſalm. 118.105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Et infra v. 130. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Ergo Scriptura eſt clara. Reſpondeo: Idem David, qui hæc dixit, dixit etiam ſequentia, Pſal. 118.18. *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Et infra v. 34. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Et ibidem v. 135. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas.* Ergo Scriptura non eſt clara. An igitur David ſibi ipſi contrarius eſt? Abſit. Ut hoc conſtet, hæc tria diſtinguenda ſunt. 1. Lex Moſaica eſt clara, quoad ſenſum litteralem, quem verba expreſſe ſignificant. 2. Lex Moſaica non eſt clara, quoad ſenſum litteralem, quem verba non expreſſe, ſed tantum implicite ſignificant: Nec etiam quoad ſenſum myſticum, quem verba nullo modo ſignificant. 3. Lex Moſaica, quando bene intellecta, & perſpecta eſt quoad omnem ſenſum, dirigit hominem in ſuis actionibus, inſtar lucernæ, vel luminis, ut clare videre poſſit, quid ex Dei voluntate agendum ſit, & quid omittendum.

8. Exemplo rem declarabo. Hæc lex Decalogi, *Non occides*, eſt quidem clara quoad ſenſum litteralem, quem verba expreſſe ſignificant. Nam expreſſe prohibet externum homicidium, ut omnes fatentur. Non tamen eſt clara, quoad ſenſum litteralem, quem verba non expreſſe, ſed tantum implicite ſignificant. Nam per illam legem non tantum expreſſe prohibetur homicidium, ſed etiam implicite prohibetur ira, quod non omnes norunt, & ideo Chriſtus hoc explicat, Matt. 5. 21. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis* (nempe expreſſe, quod ante dictum eſt implicite) *quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Quando igitur hæc lex ſemel hoc modo percepta & intellecta eſt, tunc inſtar luminis dirigit hominem in actionibus ſuis, ut dixi.

9. Eodem modo hæc lex ceremonialis Exod. 12. 3. *Decima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas: erit autem agnus abſque macula &c.* eſt clara quoad ſenſum lit-

teralem, quem verba expreſſe ſignificant; non tamen eſt clara quoad ſenſum myſticum, quem verba non ſignificant. Non enim clare ex verbis illius legis colligi poteſt, quod agnus ille fuerit figura Chriſti, qui tanquam agnus innocens pro nobis oblatus, & occiſus eſt. Quando igitur lex illa, quoad utrumque ſenſum, cognita, & perſpecta eſt, tunc dirigit hominem in ſua devotione, & cultu erga Deum.

10. Ex dictis facile explicantur verba Davidis. Quando enim dicit: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*, loquitur de lege Moſaica, non quidem quoad ſenſum litteralem, quem verba expreſſe ſignificant; ſed partim quoad ſenſum litteralem, quem implicite ſignificant; partim quoad Myſticum, quem nullo modo ſignificant. Petit igitur revelari ſibi oculos mentis, ut conſideret mirabilia myſteria Paſſionis, mortis, & reſurrectionis Chriſti, quæ latent in lege Moſaica juxta ſenſum myſticum. Eodem ſpectat, cum ait; *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Item, *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum.* Contra quando dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*, loquitur de eadem lege Moſaica, quatenus jam cognita, & perſpecta eſt. Sic enim eſt quaſi lucerna, ſeu lumen, quod nos dirigit, ut ſine offenſa ambulemus in ſemitis mandatorum Dei. Quod clare inſinuatur illis verbis: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat*. Non dicit abſolute, ſermones tui illuminant, ſed declaratio ſermonum tuorum. Indigent enim ſermones Dei aliqua declaratione, tum quoad ſenſum litteralem, quem verba implicite tantum ſignificant; tum quoad myſticum, quem nullo modo ſignificant.

11. Igitur Adverſarii nihil aliud poſſunt colligere ex verbis Davidis, quam quod lex Moſaica, quando declarata, & explicata, & bene intellecta eſt, illuminet nos in noſtris actionibus. Ex quo non ſequitur, totam Scripturam claram eſſe, ſed potius, partem Scripturæ, tum quoad ſenſum litteralem implicitum, tum quoad myſticum, obſcuram eſſe, & indigere declaratione. Et ideo cum Davide dicendum: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*. Scrutabor, inquam, Myſteria Chriſti Salvatoris, quæ in lege Moſaica, tanquam in figura adumbrata, & prænuntiata ſunt.

12. Tertio objicitur illud 2. Petri 1. 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco*. Ecce, inquiunt, Verbum Dei vocatur Lucerna lucens. Reſpondeo. Miror Adverſarios ex hoc loco argumentari. Vis argumenti debet eſſe hæc: Prophetiæ veteris Teſtamenti de Chriſto ſunt claræ, & perſpicuæ: ergo tota Scriptu-

ptu-

ptura eſt clara, & perſpicua. Nec conſequentia valet, nec antecedens verum eſt. Non enim ſequitur: Prophetia veteris Teſtamenti eſt clara: Ergo etiam Prophetia Apocalyptica eſt clara. Deinde falſum eſt antecedens, ut ex dictis patet. Nam Iſajas prophetavit de Chriſto c. 5. 7. Et tamen Eunuchus interrogatus a Philippo, an intelligeret Iſaiæ Prophetiam, reſpondit: *Quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Et ſimiliter duo Diſcipuli euntes in Emaus non intellexerunt Prophetias de Chriſto, ideoque neceſſe fuit, ut ipſemet Chriſtus eas interpretaretur. Et ratio ſumitur ex Apoſtolo 2. Corinth. 3. 14. Quia Prophetæ non loquebantur clare de Chriſto, ſed ſub velamine. Non enim proponebant Chriſtum, ut in ſe eſt, ſed quatenus ſub externis ſignis, ſeu ceremoniis, tanquam ſub umbris occultabatur. Ac proinde Judæi non poterant intelligere Prophetias de Chriſto ex ipſis Prophetarum verbis, ſed debebant inquirere, & ſcrutari ſenſum myſticum, qui interius latebat. Et hoc ſenſu dicebat illis Chriſtus, Joan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas.*

13. Nec obſtat, quod prophetia, ſeu propheticus ſermo vocetur Lucerna lucens. Non ideo vocatur Lucerna lucens, quia facile intelligitur; ſed quia intellecta illuminat, ut in præcedenti objectione explicatum eſt. Sicut enim lucerna lucens in caliginoſo loco exhibet nobis ſufficiens lumen, ut poſſimus caute ambulare, ne impingamus in lapidem, aut foveam: Sic etiam prophetia de Chriſto, quando lucet in caliginoſo noſtro corde, id eſt, quando a nobis intelligitur, exhibet ſufficiens lumen, ut poſſimus credere de Chriſto, quæ per Prophetas credenda proponuntur. An autem illi, ad quos ſcribebat Apoſt. Petrus, intellexerint Prophetias de Criſto, diſputari poteſt. Probabile eſt, aliquos non intellexiſſe. 1. Quia Apoſtolus vult illos attendere ſermoni Prophetarum, id eſt, ſcrutari ſenſum prophetiæ, non qui immediate ſignificatur per verba, ſed qui intus latet ſub velamine occultatus. 2. Vult eos tamdiu ſcrutari, donec intelligant ſenſum: *Donec*, inquit, *Lucifer oriatur in cordibus veſtris*. 3. Addit, non poſſe hoc illos aſſequi per propriam induſtriam, ſed per inſpirationem Spiritus Sancti, ſeu per orientem Luciferum in eorum cordibus: *Hoc primum*, inquit, *intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. Quaſi dicat: Prophetiæ non ſunt inſpiratæ ab homine, ſed a Spiritu Sancto: Ergo ſenſus illarum non debet peti ab homine, vel ab humana induſtria, ſed a Spiritu Sancto, cor noſtrum illuminante. *Quis enim cognovit*

ſen-

ſenſum Domini? aut quis Conſiliarius ejus fuit? (Rom. 11. 34.) Neque tamen neceſſe eſt, ut ſinguli immediate illuminentur à Deo, ſed ſufficit, Apoſtolos, & Doctores per illuminationem Spiritus Sancti cognoſcere ſenſum Scripturæ, reliquos ab iis diſcere. *Nunquid omnes Doctores?* inquit Apoſtolus, *Nunquid omnes interpretantur?* Non, *Sed diviſiones gratiarum ſunt. Alii datur ſermo ſapientiæ: alii interpretatio ſermonum.* (1. Corinth. 12.)

14. Quarto, Objiciunt illud 2. Corinth. 4. 3. *Quod ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum; in iis, qui pereunt eſt opertum: in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti.* Si, inquiunt, Scriptura novi Teſtamenti infidelibus eſt operta: Ergo fidelibus non eſt operta, ſed clara. Reſpondeo. Apoſtolus nomine Euangelii non intelligit Scripturam novi Teſtamenti, ut falſo ſupponunt Adverſarii, ſed prædicationem Adventus, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, quæ ab ipſo fiebat. Non igitur ſenſus eſt, Scripturam novi Teſtamenti claram, & perſpicuam eſſe fidelibus, obſcuram, & opertam infidelibus: ſed potius, fideles, audita Pauli prædicatione, credere Chriſtum veniſſe in hunc mundum, & pro nobis paſſum, ac mortuum eſſe: infideles, propter excæcationem mentis, non credere. Igitur, opertum eſſe infidelibus Euangelium, nihil aliud eſt, quam infideles non velle credere Euangelio. Hoc ſenſu opertum erat illis, de quibus idem Apoſtolus, 1. Corinth. 1. 23. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Certe prædicatio Pauli, qua palam dicebat, Chriſtum pro nobis crucifixum eſſe, non erat obſcura, ſed clara. Nihilominus nec omnes Judæi volebant credere, nec omnes Gentiles. Hinc patet, non valere hanc conſequentiam: Fideles credunt Chriſtum crucifixum eſſe; infideles non credunt: Ergo Scriptura fidelibus clara, infidelibus obſcura eſt. Imo fieri poteſt, ut aliqui fideles, qui credunt in Chriſtum, non intelligant Scripturam, & fateantur ſibi difficilem, ac obſcuram eſſe: & viciſſim aliqui infideles intelligant quidem Euangelium, ſed non credant vera eſſe, quæ in eo ſcribuntur: Sicut nos intelligimus fabulas Æſopi, ſed non credimus vera eſſe, quæ in iis ſcripta ſunt.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quæ ſit cauſa obſcuritatis Scripturæ.

1 INvenio duas potiſſimum cauſas. Unam, ex parte rerum, quæ tractantur in Scriptura. Alteram, ex parte modi, quo tractantur. Res, quæ tractantur, ſunt fere quadruplices. Primo, Hiſtoriæ, ut patet in Geneſi, Exodo, Numeris, Deuteronomio, Joſue, Lib. Judicum, Regum, Paralipomenon, Eſdræ, Judith, Tobiæ, Eſther, Job, Machabæorum, itemque in Euangelio, & Actibus Apoſtolorum. Secundo, Vaticinia, ſeu Prophetiæ, quæ in Pſalmis, in majoribus, & minoribus Prophetis, & in Apocalypſi Joannis majori ex parte conſignatæ ſunt. Tertio, myſteria fidei, præſertim de Trinitate, Incarnatione, Prædeſtinatione, fide juſtificante, de præſentia Chriſti in Euchariſtia, & de ſimilibus. Quarto, præcepta, & documenta moralia de virtutibus, ac vitiis. Tametſi ergo neque in his, neque in Hiſtoriis ſit fortaſſe magna obſcuritas ex parte rerum; ſumma tamen eſt in Prophetiis, & Myſteriis fidei. Hæc enim ſuperant humanum captum, & intelligentiam: neque percipiuntur a nobis, niſi in ænigmate, ut loquitur Apoſtolus 1. Cor. 13. 12. cùm ait: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

2. Jam vero modus tractandi ſæpe obſcurus eſt propter has cauſas. Primo, quia in Scriptura multæ ſunt locutiones figuratæ. Sunt enim frequenter tropi, ſchemata, hyperbolæ, metaphoræ, allegoriæ, parabolæ, quibus, tanquam involucris, multæ veritates occultantur, quæ lectori non ſtatim innoteſcunt. Auget hanc obſcuritatem, quod aliquando unum, idemque vocabulum nunc proprie, nunc figurate uſurpetur in eadem ſententia: v. g. Joann. 4. 13. *Qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum:* Ubi bibere, & ſitire, in priori parte ſententiæ ſumitur corporaliter; in poſteriori ſpiritualiter. Item in eodem cap. v. 35. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ jam ſunt ad meſſem.* Hic etiam nomen meſſis primo proprie, deinde figurate accipitur. Item cap. 9. 39. *Et dixit JESUS: In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* Prior pars intelligitur de viſu corporali; poſterior de ſpirituali. Item 2. Corinth. 5. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Ubi pec-

peccatum priori loco ſumitur proprie pro peccato; poſteriori figurate pro hoſtia, quæ offertur pro peccato. Nam ſenſus eſt, Deum voluiſſe, ut Chriſtus, qui non peccaverat, eſſet hoſtia pro peccato totius humani generis. Vide Auguſtinum lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 10.

3. Secundo, Non ſolum occurrunt figuræ in vocibus, & dictionibus, ut jam oſtendi, ſed etiam in rebus ipſis. Nam una res ſæpe eſt figurata, vel typus alterius rei per illam ſignificatæ. Quo pacto Agnus paſchalis fuit figura Chriſti; mare rubrum, Baptiſmi; Manna, Euchariſtiæ; Mons Sion, Eccleſiæ. Et ſic de cæteris. Hinc triplex oritur obſcuritas.

4. Prima, quia non ſtatim conſtat, quæ res, & cujus rei figura ſit: v. g. Non conſtaret, Agar ancillam Abrahæ fuiſſe figuram Synagogæ, & Saram uxorem Abrahæ fuiſſe figuram Eccleſiæ, niſi Apoſtolus ex peculiari inſtinctu Spiritus Sancti id explicaſſet, (ad Galatas 4. 24.) Similiter non conſtaret, Virgam vigilantem, quam vidit Jeremias, ſignificaſſe celerem executionem divinæ ſententiæ contra Judæos, & Gentiles, (Jerem. 1. 11.) Et ollam ſuccenſam fuiſſe typum Adventus Nabuchodonoſoris, (Jerem. 1. 13.) Et per Jeremiam prohibitum ducere uxorem præfiguratam fuiſſe imminentem Judææ vaſtitatem, (Jerem. 16. 2.) Et per calicem furoris Domini, potentiam, & furorem Regis Babyloniæ, (Jerem. 25. 15.) Et per lumbare computreſcens, interitum populi in captivitate, (Jerem. 13. 7.) Et per laguncul am implendam vino, habitatores Jeruſalem inebriandos vino furoris Domini, (Jerem. 13. 12.) Et per duos calathos ficuum optimarum, & peſſimarum, duo genera hominum, quorum alii felices erant, qui tranſmigrabant cum Rege, alii miſeri, qui remanebant Jeroſolymis, (Jerem. 24. 2.) Et per lutum in manu figuli, populum Judæorum in manu Dei, (Jerem. 18. 6.) Et per catenas, & vincula Jeremiæ, captivitatem variarum gentium, (Jerem. 27. 2.) Et per confractionem lagunculæ teſteæ, confractionem populi, & Civitatis Jeruſalem, (Jerem. 19. 10) Et per quatuor beſtias, quatuor regna, ſeu Imperia, (Dan. 7. 3.) Et per Arietem, regem Medorum, ac Perſarum: Per Hircum, regem Græcorum (Dan. 8. 20.) Hæc, inquam, & ſimilia non conſtarent, niſi ſigillatim a Deo eſſent explicata: Et poſtquam explicata ſunt, vix adhuc intelliguntur ſine interprete.

5. Altera, quia una res aliquando eſt figura rerum diverſarum, etiam repugnantium. Sic Jonas fuit typus Chriſti, Matth 12. 40. *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.*

bus. Item Jonas fuit typus populi Judæorum, qui Chriſto erant contrarii. Nam ſicut Jonas dolebat de pœnitentia Ninivitarum, (Jonæ 41.) ita Judæi poſtea doluerunt de vocatione gentium. (Auguſtinus Ep. 49. qu. 6.) Quod dixi de Jona, dicendum quoque eſt de diluvio, de petra, de ſimilibus. Nam diluvium, ex una parte, fuit figura baptiſmi fidelium: ex altera, ſupplicii infidelium. (Auguſtinus epiſt. 99. ad Evodium) Et petra, qui Chriſtus eſt, fuit pereuntibus lapis offenſionis, & ſcandali; credentibus vero, in caput anguli. (1. Petri 2. 8. & Rom. 9. 33.)

6. Poſtrema, quia aliquando fit, ut res aliqua, quæ eſt figura alterius, repræſentet illam in uno, & omnino diſſimilis ſit in alio. Quo pacto fœmina fornicaria, quam Oſeas Propheta juſſus eſt accipere in uxorem, fuit typus ſynagogæ: quam quidem in eo repræſentabat, quod ſicut ipſa commiſerat fornicationem carnalem; ita Synagoga ſpiritualem, quæ in cultu idolorum conſiſtit. At in eo diſcrepabat, quod ipſa, poſtquam Oſeæ nupſerat, non rediit ad carnalem fornicationem; ut multi probabiliter putant: Synagoga vero, poſtquam Deo fuerat reconciliata, iterum in idololatriam lapſa eſt.

7. Tertio, Sæpe in Scriptura occurrunt apparentes contradictiones, quæ Lectori magnam pariunt difficultatem. Aliquas ex iis recenſebo. Dicit Moyſes, Deum creaſſe cœlum, & terram ſex diebus, & ſeptimo die acquieviſſe, Gen. 1. & 2. At contra Eccleſiaſticus c. 18. 1. dicit: *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Item Moyſes refert filios Iſrael in Ægypto fuiſſe annis quadringentis, Gen. 15. 13. Quod etiam repetit Stephanus, Actor. 7. 6. At contra, Apoſtolus ait fuiſſe annis quadringentis, & triginta, Galat. 3. 17. Item, Gen. 32. 30. dicit Jacob Patriarcha: *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*. At contra, Exod. 20. 5. dicitur: *Ego ſum Dominus Deus tuus, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem*. At contra, Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris*. Item, Exod. 20. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*. At contra, Luc. 14. 26. *Qui non odit patrem ſuum, & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Item Deut. 6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen illius jurabis*. At contra, Matth. 5. 34. *Ego autem dico vobis, non jurate omnino*. Item, 1. Reg. 15, 11. *Pænitet me, quod conſtituerim Saul regem*. At contra Rom. 11. 29. *Sine pænitentia ſunt dona, & vocatio Dei*. Item, 3. Reg. 8. 9. *In arca non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb*. At contra, Hebr. 9. 4. *In Arca erat urna habens manna: & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti*. Item Pſal. 1. 5. *Non reſurgent impii in judicio*.

At

At contra, 1. Corinth. 15. 51. *Omnes quidem reſurgemus; ſed non omnes immutabimur.* Item, Pſ. 61. 12. *Semel locutus eſt Deus.* At contra, Hebr. 11. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Item, Pſal. 115. 2. *Omnis homo mendax.* At contra, Apoc. 14. 5. *In ore eorum non eſt inventum mendacium.* Item, Prov. 6. 6. *Vade ad formicam, o piger, & diſce ſapientiam, quæ parat in æſtate cibum ſuum, & congregat in meſſe, quod comedat.* At contra, Matth. 6. 34. *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.* Item, Prov. 22. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* At contra, 20. 18. *In præceptis Patrum veſtrorum nolite incedere, nec judicia eorum cuſtodiatis.* Item, Prov. 26. 4. *Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis.* At contra ibidem: *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Item, Sapient. 1. 13. *Deus mortem non fecit.* At contra, Eccleſ. 11. 14. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas a Deo ſunt.* Item, Sapient. 11. 25. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* At contra, Rom. 9. 13. *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Item, Eccleſ. 10. 15. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* At contra, 1. Timoth. 6. 10. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Item, Eccleſ. 12. 6. *Benefac humili, & non dederis impio: Prohibe, panes illi dari.* At contra, Lucæ 6. 30. *Omni petenti te tribue.* Item, Eccleſ. 24. 28. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* At contra, Joan. 4. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Item, Jonæ 3. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* At contra, Jonæ 4. 11. *Ego parcam Ninive civitati magnæ.* Item, Matth. 10. 8. *Gratis accepiſtis, gratis date.* At contra, Luc. 10. 7. *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Item, Matth. 10. 10. *Nihil tuleritis in via, non peram, neque calceamenta, neque virgam.* At contra, Marci 6. 8. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum.* Item, Matth. 27. 1. *Poſt dies ſex aſſumpſit JESUS Petrum, & Jacobum, & Joannem.* At contra, Luc. 9. 28. *Factum eſt autem poſt hæc verba, fere dies octo, & aſſumpſit Petrum, &c.* Item, Matth. 18. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* At contra, 1. Timoth. 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.* Item, Marci 10. 19. *Nemo bonus, niſi unus Deus.* At contra, Luc. 6. 45. *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum.* Item, Marci 16. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* At contra, Matth. 10. 5. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, ſed ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.* Item, Luc. 22. 28. *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentatio-*

tationibus meis. At contra Matth. 26.31. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me*. Item Joan. 5. 31. *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum*. At contra. Joan. 8. 14. *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum*. Item, Joan. 5. 34. *Ego teſtimonium ab homine non accipio*. At contra, Joan. 15. 27. *Et vos teſtimonium perhibetis de me*. Item, Joan. 6. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. At contra, ibidem. *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam*. Item, Joan. 15. 15. *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. At contra, Joan. 16. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere*. Item, Joan. 20. 1. *Maria Magdalena venit ad monumentum, cum adhuc tenebræ eſſent*. At contra, Marci 16.2. *Venit ad monumentum orto jam Sole*. Item, Rom. 2. 25. *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves*. At contra, Galat. 5. 2. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Item, Rom. 3. 28. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus*. At contra, Jacob. 2. 20. *Fides ſine operibus mortua eſt*. Et ibidem. *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum*. Item, Roman. 9. 19. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* At contra, Actor. 7. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut & Patres veſtri*. Item, Rom. 11. 34. *Quis cognovit ſenſum Domini?* At contra, 1. Corinth. 2. 16. *Nos autem ſenſum Chriſti habemus*. Item, 1. Corinth. 13. 3. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. At contra, Luc. 11. 41. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. Item, Galat. 1. 10. *An quæro hominibus placere? ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*. At contra, 1. Corinth. 10. 33. *Sine offenſione eſtote, ſicut & ego per omnia omnibus placeo*. Item, Galat. 6. 2. *Alter alterius onera portate*. At contra, ibidem verſ. 5. *Unuſquiſque onus ſuum portabit*. Item, 1. Timot. 6. 16. *Deus inhabitat lucem inacceſſibilem*. At contra, Pſalm. 33. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini*. Item, 1. Joan. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. At contra, 1. Joan. 3. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*.

8. Hæ, & ſimiles apparentes contradictiones, quæ paſſim in Scriptura occurrunt, ſæpe remorantur Lectorem, & negotium faceſſunt etiam viris doctiſſimis. Teſtantur hoc antiqui Patres, qui in hujuſmodi contradictionibus conciliandis multum operæ poſuerunt, ut Auguſtinus in libris de conſenſu Euangeliſtarum, & alii præterea, qui Scripturam interpretati ſunt. Quorum labores ſi ad nos non perveniſſent, in magnis adhuc tenebris verſaremur.

9. Quarto. Verba Scripturæ ſæpe efficiunt ambiguum ſenſum ex defectu diſtinctionis. Nam aliquando, ubi diſtinctione opus eſt, nulla adhibetur diſtinctio. Quod fit in his fere caſibus. 1. Quando agitur de Deo. 2. Quando de Chriſto. 3. Quando de Adventu Chriſti. 4. Quando de Eccleſia. Nam in Deo ſpectari poteſt vel unitas eſſentiæ, vel trinitas perſonarum. In Chriſto, vel humana natura, vel divina. Adventus Chriſti duplex eſt: prior in nativitate; poſterior in die judicii. Eccleſia ſimiliter, vel militans eſt in terra, vel triumphans in cœlo. Cum ergo Scriptura loquitur vel de Deo, vel de Chriſto, vel de Adventu Chriſti, vel de Eccleſia, ſæpe dubium, & obſcurum eſt, quo ſenſu de illis loquatur: An ſcilicet de Deo, quatenus eſt unus in eſſentia, an quatenus eſt trinus in perſonis? An de Chriſto, qua Deus, an qua homo eſt? an de primo ipſius Adventu, an de ſecundo? An de Eccleſia militante, an de triumphante? De ſingulis dabo exemplum.

10. De Deo loquitur Scriptura, Matth. 6. 9. *Pater noſter, qui es in cœlis*. Dubium eſt, an loquatur de Deo quoad unitatem eſſentiæ, an quoad diſtinctionem perſonarum? Vel ut proponunt Scholaſtici, an nomen Patris ſumatur ibi eſſentialiter, quatenus eſt commune tribus perſonis? an perſonaliter, quatenus convenit ſoli perſonæ primæ? In utramque partem Authores ſunt. Veriſimilius tamen eſt, ſumi eſſentialiter. Quod ex verbis illis Chriſti colligi poteſt Joan. 20. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*. Ubi utroque modo ſumitur. Nam Pater Chriſti, quoad æternam generationem, eſt prima perſona divina, quatenus diſtinguitur a Filio, & Spiritu Sancto. Noſter autem Pater, quoad creationem, gubernationem, & adoptionem, eſt tota Trinitas, quatenus eſt unus Deus. Itaque cum ait, *Aſcendo ad Patrem meum*, loquitur de ſola perſona prima. Cum addit, *Et Patrem veſtrum*, loquitur de tribus perſonis, quatenus ſunt unum in eſſentia.

11. De Chriſto fit mentio, Coloſſ. 1. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, primogenitus ex mortuis, &c.* Hic etiam dubium eſt, an hæc intelligi debeant de Chriſto ſecundum divinitatem, an ſecundum humanitatem? Multi volunt, aliqua priori, alia poſteriori modo intelligi oportere. Quibus aſſentior. Nam Chriſtus ſecundum divinitatem eſt imago Dei Patris. Et per ipſum, ac in ipſo creata ſunt omnia. At ſecundum humanitatem eſt caput Eccleſiæ, & primogenitus ex mortuis. Utroque ſenſu poteſt dici *primogenitus omnis creaturæ*, juxta varias Interpretum explicationes, ut videre eſt in commentario illius loci.

12. De

12. De Adventu Chriſti ſermo eſt, Hebr. 1. 6. *Et, cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei*. Et hic quæſtio eſt, an ſermo ſit de primo Adventu, qui factus eſt in nativitate? an de ſecundo, qui fiet in die judicii? ſi ſpectemus particulam, *iterum*, videtur eſſe ſermo de ſecundo: ſi alias circumſtantias, de primò. Videantur Interpretes.

13. De Eccleſia ſcribit Apoſtolus ad Galat. 4. 26. *Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis, quia multi filii deſertæ, magis quam ejus, quæ habet virum*. At difficultas eſt, an loquatur de Eccleſia militante, an de triumphante: quæ difficultas habet etiam alibi locum, ut Hebr. 12. 22. *Acceſſiſtis ad montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem, & Eccleſiam primitivorum*. Et Epheſ. 5. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam*.

Ad hoc genus obſcuritatis poteſt etiam revocari, quod quæ in Scriptura dicuntur de Chriſto, aliquando intelligantur de capite Eccleſiæ, quod eſt Chriſtus: aliquando de corpore, ſeu membris Eccleſiæ, quæ ſunt fideles: aliquando de utroque, ut notat Auguſtinus lib. 3. de doct. Chriſti, cap. 3. De capite Eccleſiæ intelligitur illud Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: Ubi Chriſtus, tanquam caput Eccleſiæ, promittit Corpori, & membris illius perpetuam ſuam aſſiſtentiam, protectionem, & gubernationem.

14. De corpore, ſeu membris Eccleſiæ intelligitur illud, Actor. 9. 4. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Non enim Saulus perſequebatur perſonam Chriſti, (quia Chriſtus jam erat in cœlo, ubi eum perſequi non poterat) ſed diſcipulos Chriſti, qui erant membra Eccleſiæ.

De utroque intelligitur illud Iſaiæ 61. 10. *Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdedit me, quaſi Sponſum decoratum corona, & quaſi Sponſam ornatam monilibus ſuis*. Ubi Chriſtus nominatur Sponſus, & Sponſa, id eſt, caput, & corpus. Et Pſalm. 2. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Quod in capite olim impletum eſt, & nunc quotidie impletur in membris.

15. Quinto. Sæpe in Scripturis, ubi minime putamus, ſubito fit tranſitus de ſenſu litterali ad myſticum, de carnalibus ad ſpiritualia, de temporalibus ad æterna, de Regibus Iſrael ad

Regem Chriſtum: & e contrario. Hoc maxime fit in Pſalmis, & Prophetis, ut videre eſt cap. 7. Iſaiæ, ubi ab Hiſtoria duorum Regum (quorum alter erat Raſin Rex Syriæ, alter Phacee Rex Iſrael) ſtatim fit tranſitus ad Beatam Virginem. *Ecce*, inquit, *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et cap. 14. ubi a Rege Babylonis fit tranſitus ad Luciferum: Et Pſalm. 71. ubi a Salomone fit tranſitus ad Chriſtum: *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* Et Joan. 6. ubi a panibus hordeaceis fit tranſitus ad panem Euchariſticum, ſeu ſacramentalem. Et alibi ſæpe. Vide D. Hieronymum lib. 5. in Iſaiam cap. 16. & noſtrum Riberam in cap. 1. Oſeæ, v. 34.

16. Sexto, Sæpe in Hiſtoriis Scripturæ non ſervatur ordo rerum geſtarum: & ſæpe ſupputatio annorum non apparet liquida. Denique ſæpe citantur libri, qui quidem ſi extarent, multum lucis adferrent Lectori: ſed quia non extant, relinquunt ambiguum, & ſuſpenſum. Cujuſmodi libri ſunt hi: Liber bellorum Domini, Numer. 21. 14. Liber Juſtorum, Joſue 10. 13. Liber verborum dierum Salomonis, 3. Reg. 11. 41. Liber ſermonum dierum Regum Juda, & Regum Iſrael, 3. Reg. 14. & deinceps. Liber Samuelis videntis de rebus a David geſtis, 1. Paralip. 29. 29. Liber Nathan Prophetæ de iiſdem rebus. Ibidem. Volumen Gad videntis, ibidem. Liber Nathan Prophetæ de rebus a Salomone geſtis, 2. Paralipomen. 9. 29. Liber Ahiæ Silonitis de iiſdem. Ibidem. Viſio Addo Videntis, contra Jeroboam filium Nabat, ibidem. Hiſtoria Regum Iſrael, conſcripta a Jehu, filio Hanani. 2. Paralipom. 20. 34. Hiſtoria Oziæ Regis conſcripta ab Iſaia filio Amos, 2. Paralipom. 26. 22. Sermones Hozai de rebus Manaſſe, 2. Paralipom. 33. 19. Lamentatio Jeremiæ in funere Joſiæ Regis, 2. Paralipom. 35. 25. Volumen Jeremiæ de everſione urbis, & captivitate populi, Jerem. 36. 6. Liber. Jeremiæ de vaſtatione Babylonis, Jerem. 51. 60. Liber dierum Sacerdotii Joannis Hircani, 1. Machabæor. 16. 24. Deſcriptiones Jeremiæ Prophetæ, 2. Machab. 2. 1. Liber Henoch, in Epiſtola Judæ Apoſtoli.

17. Præter has cauſas obſcuritatis ſunt plures aliæ, quas obiter attingam. 1. Quod aliquando connectantur ſententiæ, inter quas vel connexio non eſt, vel non apparet. 2. Quod ſæpe occurrant Hebraiſmi, qui a paucis intelligi poſſint. 3. Quod ſæpe non videatur apte reſponderi ad quæſtionem propoſitam. 4. Quod ſæpe verba ambigua ſint, ut ægre diſcerni queat, quo ſenſu accipi debeant. Ut 1. Corinth. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si*

quis

quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur. Et uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

18. Hic locus plane difficillimus eſt. 1. Quia non ſatis conſtat, quid intelligendum ſit per aurum, argentum, fœnum, ſtipulam. 2. Quid per diem Domini. 3. Quid per ignem. 4. Quid ſit ardere, & detrimentum pati. Denique quid ſit, ſalvum fieri quaſi per ignem. Unde Auguſtinus in libro de fide, & operibus cap. 15. diſerte ſcribit, hunc eſſe unum ex iis, de quibus loquitur Petrus in poſteriori Epiſtola ca. 3. 16. cum ait: *In Epiſtolis Pauli quædam eſſe difficilia intellectu.*

19. Æque obſcurum eſt illud 1. Corinth. 15. 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Non enim facile eſt explicare, quid hoc loco ſignificet, *Baptizari*. Item quid, *pro mortuis baptizari*. De qua re exiſtunt ſex diverſæ opiniones apud Cardinalem Bellarminum lib. 1. de Purgatorio, cap. 4.

20. Similiter illud Hebr. 6. 4. *Impoſſibile enim eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, &c. & prolapſi ſunt, rurſum renovari ad pœnitentiam*. Quæ verba obſcuriſſima ſunt, & ex illis male intellectis orta eſt hæreſis Novatianorum, (tempore Cypriani) qui dicebant, lapſis non eſſe dandam pœnitentiam, nec veniam; ideoque Catharos, ideſt puros, ac mundos ſe appellabant.

21. Atque hæc ſufficiant de cauſis, ex quibus oritur obſcuritas Scripturæ, quoad verum, ac legitimum ipſius ſenſum. Nunc merito quæri poteſt, cur Deus voluerit Scripturam eſſe obſcuram? vel, Cur Scriptura, quæ alioqui ex parte rerum, ac myſteriorum, quæ tractat, valde obſcura eſt, adhuc obſcurior facta ſit ex modo tractandi, Deo ſic volente, ac diſponente? Cur non potius eodem volente, ac diſponente factum ſit, ut myſteria, quæ ipſa per ſe obſcura ſunt, tam clare proponerentur, ut ab omnibus intelligi poſſent? Variæ ſunt rationes. Ex iis aliquas attingam.

22. Prima ratio. Deus ſicut in aliis rebus, ita etiam in Eccleſia voluit ſervari ordinem, ut alii docerent, alii diſcerent. At hic ordo non ſervaretur, ſi Scriptura eſſet tam clara, ut ab omnibus intelligi, & explanari poſſet. Quo ſpectat illud Epheſ. 4. 11. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummatio-nem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, id eſt Eccleſiæ. Et 1. Cor. 12. 29. *Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* quaſi dicat: minime: Aliorum eſt docere, & interpretari; aliorum diſcere, & auſcultare. Quod ibidem pulcra declaratur ſimilitudine, quæ ab humano corpore ſumpta eſt. Nam ſicut in humano corpore multa ſunt membra, & non omnia eundem actum exercent; ita in Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti, multi ſunt fideles, & non omnes eandem a Deo gratiam, & operationem habent. Nam uni datur ſermo ſapientiæ, alteri operatio virtutum, alii diſcretio ſpirituum, alii interpretatio ſermonum. Et, ut alibi loquitur idem Apoſtol. Rom. 12. 3. *Unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*. Unde ibidem addit: *Dico omnibus, qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quam oportet ſapere*. Quod perinde eſt, ac ſi dicat: Sicut oculi non uſurpant ſibi officium audiendi, nec aures, videndi; nec brachia, ambulandi; nec pedes, comedendi; quia hoc illis a natura conceſſum non eſt: Ita in Eccleſia non omnes debent uſurpare officium docendi, nec omnes Scripturam interpretandi, nec omnes miracula operandi, quia hoc eſſet plus ſapere, quam oportet ſapere; ſed quiſque facit, aut facere debet, quod ipſi a Deo in diviſione gratiarum datum eſt.

23. Contra hunc ordinem, ac divinam ordinationem peccant adverſarii, qui omnibus, etiam laicis, ac mulierculis permittunt libertatem legendi, & interpretandi Scripturam, cum ad hoc officium a Deo minime vocati, ac proinde nec idonei ſint. Et eo res jam rediit, ut nullus ſit fere caupo, aut ſartor, chirurgus apud Lutheranos, & Calviniſtas, qui non putet, ſuo marte ſcripturam intelligere, aut interpretari ſe poſſe: ideoque alterius ope, vel inſtructione non indigere. Audiant illud Apoſt. 1. Cor. 12. 21. *Non poteſt oculus dicere manui; opera tua non indigeo: Aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarii*.

24. Audiant & illud 1. Timoth. 2. 11. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio*. Et 1. Corinth. 14. 34. *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*. Quare hoc? Ut ſervetur ordo a Deo in Eccleſia conſtitutus. *Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* Non. *Sed diviſiones gratiarum ſunt*. Unde mulierculæ, quæ multa garriunt de ſcripturis, & ſuam ſententiam in controverſiis fidei interponere non erubeſcunt, ſtultiſſime ſibi arrogant, quod non ha-

habent. In qua re imitantur ſuam Hevam, quæ in paradiſo non potuit tacere, ſed tacente viro cœpit diſputare cum ſerpente, a quo ſtatim victa, & decepta eſt (1. Tim. 2. 14.) Atque ipſa deinde ſuum virum decepit (Geneſ. 3. 6.) Multæ hoc tempore ſunt filiæ Hevæ, quæ idem faciunt.

25. Secunda ratio. Si Scriptura eſſet facilis, non tantum intelligeretur a fidelibus, qui ſunt in Eccleſia, ſed etiam ab infidelibus, qui ſunt extra Eccleſiam: Et ſic paulatim majeſtas, & authoritas ipſius labefactaretur. Hoc ſenſu accipi poteſt illud Matth. 7. 6. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis*, ut interpretatur D. Thomas in 1. p. q. 1. art. 9. ad 2. & Auguſtinus (vel quiſquis author ille ſit) hom. 7. in Apocalypſim.

26. Tertia. Si Scriptura eſſet facilis, & perſpicua, non ſolum apud infideles, ſed etiam apud Chriſtianos eſſet in minori æſtimatione, quam par eſt. Imo non paucis eſſet occaſio ſuperbiæ, & arrogantiæ. Nam ſi viderent omnia, quæ de altiſſimis myſteriis diſputantur, plana, & obvia ſibi eſſe, ſine dubio magni ſe facerent, & ſuo ingenio, ac induſtria putarent omnia comprehendere ſe poſſe. Nunc contra fit. Vident tantam eſſe Scripturæ obſcuritatem, ut ſuis viribus ſuperare eam non poſſint, ideoque & aliorum inſtructione indigere ſe ſentiunt, & ad Deum ſerio confugiunt, ut ipſorum mentem illuminet, & myſteriorum arcana patefaciat. Hoc fecit David, Pſal. 118. 18. *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*. Et ibidem v. 34. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Et infr. v. 135. *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas*. Et merito, quia Scripturæ ſenſus non poteſt haberi, niſi abeo, qui Scripturæ author eſt: Author Scripturæ eſt Spiritus ſanctus, & ideo Scriptura vocatur Verbum Dei: Ergo non niſi a Spiritu Sancto poteſt haberi illius ſenſus: quo ſpectat illud 2. Petr. 1. 20. *Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*. Cauſa additur: *non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. Atque hinc fit, ut homines elati, ac ſuperbi, qui ſuo judicio prudentes ſunt, & proprio ingenio multum tribuunt, non aſſequantur legitimum Scripturæ ſenſum, quia Deus *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Et hoc eſt, quod ait Chriſtus, Matth. 11. 25. *Confiteor tibi, Pater, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Et Apoſtolus Roman. 1. 22. *Dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt*. Hactenus de obſcuritate Scripturæ. Nunc ſequitur, quod ultimo loco poſuimus.

QUÆSTIO VI.

An Lutherani, & Calviniſtæ habeant veram Scripturam?

1. NOn habent. Quod ex dictis ſic probo. Tria potiſſimum ſpectari debent in Scriptura, 1. Canon, ſeu Catalogus librorum ſcripturæ. 2. Verſio, ſeu editio. 3. Senſus, & interpretatio. At Lutherani, & Calviniſtæ nec habent authenticum Canonem, nec authenticam verſionem, nec authenticam interpretationem: Ergo non habent authenticam Scripturam. Minor propoſitio, quoad ſingulas partes, facile demonſtrari poteſt.

2. Primo. Non habent authenticum Canonem; quia nec Canon Lutheranorum, nec Canon Calviniſtarum (qui inter ſe diſſident) fuit unquam ab Eccleſia approbatus. Nam a tempore Innocentii primi, ſemper in Eccleſia viguit Canon Catholicorum, qui in Concilio Tridentino conſignatus eſt. Ante tempora Innocentii, non reperies vel duos Authores, qui in omnibus vel Lutheranorum, vel Calviniſtarum Canonem amplexi ſint.

3. Secundo. Non habent authenticam verſionem. Multas quidem habent, ut ſupra dixi, ſed novas, ſuſpectas, & ab ipſis etiam damnatas. Lutheri verſionem carpunt Tigurini, Oſiandrini, Bucerus, Munſterus, Lutherus ipſe. Nam Tigurini multis ſannis illam excipiunt, ut conqueritur Stolzius in defenſione Lutheri. Oſiandrini objiciunt illi dolum, & falſitatem: Bucerus, manifeſtos, & non paucos lapſus: Munſterus, multorum verſuum omiſſionem. Denique Lutherus ipſe poſt viginti annos faſſus eſt, ſe crebrius erraſſe, eo quod Rabbinorum gloſſis nimium crediſſet, ut teſtatur Cochlæus in actis Lutheri, Lindanus in Dubitantio, & alii.

4. Verſionem Bezæ damnavit Caſtalio in Præfatione ad Anglam, Samuel Hubertus in lib. de ultimæ turbæ clangoribus, Hugo Bruchthonus, & quis non? Viciſſim verſionem Caſtalionis reprehendit Beza in ſuis annotationibus, tanquam falſam, ineptam, imperitam, audacem, blaſphemam, vitioſam, ridiculam, execrandam, erroneam, impiam, perverſam. Et in reſponſione ad defenſionem Caſtalionis de eadem ſic loquitur: *Translationem novi Teſtamenti, tum latinam, tum gallicam, a Sebaſtiano Caſtalione iſtic ſcriptam, & excuſam, optimo jure reprehenſam fuiſſe in meis annotationibus, non ſolum ut indoctam, ſed etiam ut multis locis impiam, & a Sancti Spiritus ſententia diſcrepantem, vobis, ut exiſtimo, non conſtabat, cum edendæ ſuæ defenſionis poteſtatem illi faceretis: ſed nunc tandem, ut ſpero, conſpicue intelligetis.*

5. Mun-

5. Munſteri verſionem perſtringunt Tigurini, & Pelicanus in ſuis Præfationibus. Denique cum Tigurinorum Biblia a typographo oblata eſſent Luthero, hoc reſponſum ab eo accepit: *Ne poſthac mihi aliquid mittas, quod a Miniſtris Tigurinæ Eccleſiæ profectum ſit. Nullum enim cum eis poſthac commercium habere, nec eorum libros recipere, aut legere volo: quandoquidem ipſi jam damnati ſunt, & alios quoque miſeros homines ſecum ad inferos abducunt, &c.* Ita refet Hoſpinianus Calviniſta in Hiſtoria Sacramentaria anno 1544.

6. Tertio. Non habent authenticam Scripturæ interpretationem, nec habere poſſunt, niſi a nobis accipiant. Priorem partem paucis exemplis declarabo Legimus Iſajæ 41. *Bene, aut male, ſi poteſtis, facite*. Hoc Lutherus interpretatur de libero hominis arbitrio, & inde probat hominem non amplius habere liberum arbitrium, ſed per peccatum primi parentis amiſiſſe. Nova, & abſurda interpretatio. Nam Iſajas non loquitur de hominibus, ſed de idolis gentium. Et ſicut David irridet idola gentium, Pſ. 113. 4. cum ait: *Simulacra gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum: Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: nares habent, & non odorabunt*: Sic Iſaias exprobrat illis imbecillitatem, quod cum Dii habeantur a ſtultis hominibus, non poſſint tamen bene, aut male facere, id eſt, non poſſint cultoribus ſuis prodeſſe, nec contemptoribus nocere.

7. Item legimus Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Hoc Calvinus non ſerio, ſed ironice a Chriſto dictum eſſe interpretatur, ut ſenſus ſit; Ne ſerves mandata, quia illorum obſervatio nec prodeſt, nec poſſibilis eſt. Impium dogma. Quamquam Calvinus tam impius eſt, ut fidenter aſſerat, Chriſtum in omnibus fere rebus, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, ironice nobiſcum agere, & contra mentem loqui. Sic enim ſcribit lib. Inſt. c. 24. §. 1. *Ecce vocem ad eos dirigit, ſed ut magis obſurdeſcant: Lumen accendit, ſed ut reddantur cæciores: doctrinam profert, ſed ut magis obſtupeſcant: remedium adhibet, ſed ne ſanentur*. Sane, ſi ita eſt, quis credat illi dicenti, & invitanti: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*? Quis non ſtatim excipiat? Tu quidem vocem ad me dirigis, ſed ut magis obſurdeſcam: lumen accendis, ſed ut fiam cæcior: doctrinam profers, ſed ut magis obſtupeſcam: remedium offers, ſed ne ſanus efficiar. Quid ergo te audiam?

8. Item legimus Matth. 26. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti*. Lutherani ſic interpretantur: Hoc vinum eſt meus ſanguis. Calviniſtæ plerique ſic: Hoc vinum ſignificat meum ſanguinem. Pleſ-

Pleſſæus lib. 4. de Euchariſtia, cap. 2. pag. 600. ſic; Hæc eſt acerba illa mors, & paſſio, quam paulo poſt ſuſtinebo. Quæ hæc licentia, & perverſitas eſt?

9. Item legimus Act. 2. 27. *Non derelinques animam meam in inferno*. Beza ſic explicat: Non derelinques cadaver meum in ſepulchro. Quæ hæc metamorphoſis eſt? Ex anima fit cadaver, ex inferno ſepulchrum. Vix ſimilem invenies in Ovidio. Sed quid non facit deſperatio? Non potuit alio modo argumentum eludere Catholicorum, quo ipſi probant Chriſtum ſecundum animam deſcendiſſe ad inferos.

10. Item legimus Heb. 13. 4. *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus: fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus*. Planus ſenſus eſt: Honorate connubium in omnibus ſuis partibus, ita ut in nulla re illud violetis, & præſertim, ut torus veſter ſit immaculatus, quia adulteria a Deo punientur. At Calvinus, & Beza in ſuis annotationibus aliter explicant, hoc ſenſu: Matrimonium eſt honoratum, & licitum in omnibus, id eſt, inter quoſvis homines, ſeu inter cujuſvis ordinis homines. Nimirum, ut hinc probent, etiam inter Monachos, & Moniales honoratum, & licitum eſſe matrimonium. An etiam inter fratres, & ſorores?

11. Hæc pauca exempla (ut ſexcenta alia omittam, de quibus in progreſſu) manifeſte convincunt, Adverſarios non habere legitimum ſcripturæ ſenſum, ſed novum, inauditum, & omnibus bonis authoribus repugnantem. Nunc addo, quod in poſteriori parte aſſerui, non poſſe illos habere legitimum ſenſum, ac interpretationem, niſi a nobis accipiant. Quod dupliciter oſtendo. Primò, quia donum interpretandi Scripturam non datur, niſi in Catholica Chriſti Eccleſia, quæ toto orbe diffuſa eſt. 1. Corinth. 12. 27. At Lutherani, & Calviniſtæ non ſunt in Catholica Chriſti Eccleſia, quæ toto orbe diffuſa eſt, ſed ab ea ſegregati hærent in angulo Europæ, ſicut olim Donatiſtæ in angulo Africæ. Secundo, in illa tantum Eccleſia reperitur hoc donum interpretationis, ubi reperitur donum miraculorum, ut conſtat ex Apoſtolo ibidem. At in Eccleſia Lutherana, aut Calviniana non reperitur donum miraculorum, ut manifeſtum eſt: ergo nec donum interpretationis.

Repeto nunc ſyllogiſmum, quem poſui. Illi non habent veram, & legitimam ſcripturam, qui non habent authenticum ſcripturæ Canonem, verſionem, interpretationem: Hanc Lutherani, & Calviniſtæ non habent. Ergo veram, & legitimam ſcripturam non habent. Ex quo ulterius infero, eos ex ſcriptura diſputare; aut ad ſcripturam provocare non poſſe. Vel, ſi omnino velint,

ſint, hoc, vel ſimili modo compellendos eſſe: Unde vos, o boni viri, codicem Bibliorum accepiſtis? Non aliunde, quam a Catholicis. At quare eundem, quem accepiſtis, non retinetis? Cur Canonem Catholicorum, qui ab Innocentio, Auguſtino, Gelaſio, & tota Eccleſia receptus eſt, repudiatis? Cur novum confingitis, quem Eccleſia nunquam pro legitimo agnovit? cur antiquam, & uſitatam editionem rejicitis? Cur tot novas, & inter ſe pugnantes verſiones ſubſtituitis? Cur ſenſum Scripturæ falſa interpretatione depravatis? Certe ſi ex Scriptura diſputare vultis, ex noſtra diſputate, quia veſtram non admittimus. Noſtra legitima, & antiqua eſt, veſtra ſpuria, & novitia: Noſtra unica, & ſibi conſtans, veſtra varia, multiplex, inſtabilis.

CAPUT II.

De Traditionibus.

1. Celebris quæſtio eſt, an præter Scripturam admittenda ſit aliqua Traditio, quæ parem cum Scriptura authoritatem habeat? Vel, ut aliqui proponunt, an præter Verbum Dei ſcriptum ſit aliquod Verbum Dei non ſcriptum, ſed traditum? Adverſarii paſſim negant, Catholici affirmant. Ut res melius intelligatur, procedam hoc ordine. Primo dicam de Traditionibus veteris Teſtamenti. Secundo de Traditionibus novi Teſtamenti. Tertio oſtendam errorem, diſſenſiones, & mendacia adverſariorum. Quarto diluam eorum objectiones.

De Traditionibus veteris Teſtamenti.

2. Judæi præter Scripturam habebant etiam Traditiones. Et quidem duplices. Nam aliæ erant Phariſæorum, quas Chriſtus in Euangelio reprehendit; aliæ Moſaicæ, quæ erant laudabiles, & ad ſalutem neceſſariæ. Traditiones prioris generis erant hæ: *Prima*, quod ante ſumptionem cibi lavandæ eſſent manus, Matth. 15. 1. *Secunda*, quod etiam inter comedendum illa lotio ſæpius eſſet repetenda, Marci 7. 3. *Tertia*, quod venientes e foro non deberent cibos capere, niſi loti eſſent, Marci 7. 4. *Quarta*, quod cum peccatoribus non eſſet ſumendus cibus, Matth. 9. 11. *Quinta*, quod ne quidem permittendum eſſet, ut quis a peccatoribus tangeretur, Lucæ 7. 39. *Sexta*, quod in Sabbato non liceret ægros ſanare, Lucæ 6. 7. *Septima*, quod famelici non poſſent ſpicas vellere, & comedere in Sabbato, Matth. 12. 1. *Octava*, quod fre-

frequenter eſſet jejunandum, & orandum, Luc. 5. 33. *Nona*, quod omnium rerum, etiam minimarum, decimæ offerendæ eſſent Deo, Matth. 23. 23. *Decima*, quod qui juraret per templum, aut altare, non eſſet reus criminis; qui autem juraret per aurum templi, vel per oblationes, quæ in altari fiebant, eſſet reus, Matth. 23. *Undecima*, quod filii non tenerentur reipſa parentes ſuos honorare, aut illis benefacere: ſed quod abunde ſufficeret, munus aliquod Deo offerre. Matth. 15. 3.

3. Hæ fuerunt præcipuæ Traditiones Phariſæorum, quantum ex Euangelio licet colligere. Et quanquam aliquæ earum eſſent bonæ ex ſuo genere, aliæ malæ, aliæ indifferentes, vel inutiles: Phariſæi tamen propter omnes reprehendebantur a Chriſto, ob has cauſas: Primo, quia ipſi ex earum obſervatione quærebant inanem gloriam, & opinionem ſanctitatis apud homines, cum nihil minus, quam Sancti eſſent, Matth. 23. 25. *Omnia vero opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus*. Hinc paſſim in Euangelio vocantur hypocritæ, & ſepulchra dealbata.

4. Secundo, quia ex quarundam obſervatione ſectabantur etiam opes, ac divitias, præſertim ex longis orationibus, quas in eum finem recitabant, Matth. 23. 14. *Væ vobis, Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes*. Et Marci 12. 40. *Cavete a Scribis, qui devorant domos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis*. Ubi comedere, ſeu devorare domos viduarum, nihil aliud eſt, quam ſpoliare, ſeu exhaurire. Nam Viduæ veniebant ad Phariſæos tanquam ad homines ſanctos, (quippe qui ſanctitatem ſimulabant) & eorum orationes pretio emebant.

5. Tertio, quia ſuperſtitioſe minutiora quædam ſervabant, & alia majora negligebant, ut paulo ante dictum eſt. Dabant enim decimas rerum etiam viliſſimarum; & interim negligebant judicium, & miſericordiam in judicandis cauſis, quæ ad ipſos deferebantur. Et hoc ſenſu accipi poteſt illud Matth. 23. 24. *Excolantes culicem, Camelum autem glutientes*.

6. Traditiones poſterioris generis (de quibus potiſſimum hic agimus) erant tres præcipuæ. Prima, quod omnes, & ſinguli libri, qui in Canone Judæorum conſignabantur, eſſent vere divini, & a Deo inſpirati. Hoc fide credebant Judæi, & tamen nuſquam in veteri teſtamento ſcriptum eſt. Secunda, quod fæmellæ haberent aliquod remedium contra peccatum originale, non minus, quam maſculi; qualecunq; tandem fuerit illud remedium. Nec hoc ullibi in veteri Teſtamento ſcriptum eſt. Tertia, quod cruenta ipſorum ſacrificia ſignificaverint mortem Chriſti. Hoc enim erat dogma fidei, nec tamen in veteri Teſtamento ſcriptum eſt.

7. Duas

7. Duas poſteriores Traditiones ſic explico. Judæi fide credebant, fæmellas concipi in peccato originali, non minus, quam maſculos. Nihil certius. Ergo fide credebant illas ſalvari non poſſe niſi per aliquod remedium a Deo inſtitutum. Debebant autem ſcire in particulari, quod, & quale eſſet hoc remedium; alioqui omnes fæmellæ periiſſent ſine remedio. At nuſquam ſcriptum eſt in veteri Teſtamento, quod, & quale fuerit hoc remedium in particulari. Ergo per ſolam Traditionem id ſciebant. Hæc autem traditio erat ad ſalutem neceſſaria, quia ſine remedio non poterant ſalvari fæmellæ: qualecunque tandem fuerit illud remedium, ſive fides parentum, ſive aliquid aliud.

8. Similiter fide credebant, quædam cruenta ſacrificia a Deo inſtituta eſſe pro expiatione peccatorum. Vel ergo putabant ejuſmodi ſacrificia per ſe, & propria virtute expiare peccata; vel virtute mortis, & paſſionis Chriſti, quæ per illa ſacrificia ſignificabatur. Si prius putabant, erant hæretici: ſi poſterius, erant fideles. Sed unde habebant hanc fidem, & firmam perſuaſionem? Non ex ſcriptura, quia nuſquam in veteri Teſtamento id ſcriptum eſt. Ergo ex Traditione. Hæc autem Traditio erat neceſſaria ad ſalutem: Non quod neceſſe fuerit, ſingulos de populo credere, futuram Chriſti mortem per cruenta ſacrificia præfigurari: ſed quod neceſſe fuerit aliquos id credere, præſertim Sacerdotes, & Doctores, quibus incumbebat cura docendi, & inſtruendi alios. Alioqui tota ſynagoga, in hoc quidem puncto, quod ſane erat graviſſimum, fuiſſet ſine fide. Quod abſurdum eſt. Vide D. Thomam in 2. 2.

9. Hinc ſequitur Judæos habuiſſe quædam per Scripturam, quædam per Traditionem. Magis tamen uſi ſunt Traditione, quam Scriptura, non ſolum in iis rebus, quæ habebantur per ſolam Traditionem, ſed etiam in iis, quæ erant ſcripta. Quod patet ex ſequentibus teſtimoniis: Exod. 8. *Narrabis filio tuo in die illo dicens: Hoc eſt, quod fecit mihi Dominus, quando egreſſus ſum de Ægypto. Et erit quaſi ſignum in manu tua.* Et Deut. 32. 7. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas, interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi.* Et Jud. 6. 13. *Ubi ſunt mirabilia ejus, quæ narraverunt Patres noſtri, atque dixerunt, De Ægypto eduxit nos Dominus?* Et Pſal. 43. *Deus, auribus noſtris audivimus: Patres noſtri annunciaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Et Pſalm. 77. 5. *Quanta mandavit Patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis; ut cognoſcat generatio altera. Filii, qui naſcentur, & exurgent, narrabunt filiis ſuis.*

10. Ex

10. Ex his teſtimoniis duo colliguntur. Primo, quod Traditio fuerit Judæis a Deo mandata, ſeu præcepta. Secundo, quod multa ex iis, quæ jubebantur docere, vel diſcere per Traditionem, aperte habebantur in Scriptura, & tamen non remittebantur ad Scripturam, ſed ad Traditionem. Cujus rei duplex eſt ratio. Una, quia eo tempore ſcriptura nondum erat redacta in formam integri voluminis, ſed diſperſa in variis chartis, & annalibus, ut commode ab unoquoque legi non poſſet. Primus, qui eam redegit in formam voluminis, fuit Eſdras poſt captivitatem Babylonicam. Altera, quia liber Deuteronomii, qui erat præcipuus inter libros V. T. non habebatur paſſim a populo, ſed unum exemplar a Rege, alterum a Sacerdotibus cuſtodiebatur in arca Domini, qui ſeptimo quoque anno (nempe anno remiſſionis) jubebantur illud populo prælegere. Deuteron. 31. 9. Et hi ipſi Sacerdotes fuerunt tam negligentes in eo cuſtodiendo, ut longo tempore amiſſum fuerit, & tandem ab Helcia Pontifice tempore Joſiæ Regis inventum, ac populo prælectum (4. Regum 22. 8.) Unde neceſſe eſt, populum in pleriſque uſum fuiſſe Traditione, de qua in præcedentibus dictum eſt.

De Traditionibus novi Teſtamenti.

11. De his tria dicturus ſum. 1. generatim extare aliquas Traditiones Divinas, & Apoſtolicas, quæ parem cum Scriptura authoritatem habeant. Secundo, ſpeciatim aliquas earum ad fidem, alias ad mores, & externos ritus pertinere. Tertio, præter has, eſſe alias, non quidem Apoſtolicas, ſed Eccleſiaſticas, quæ tametſi parem authoritatem non habeant, merito tamen a Chriſtianis ſervandæ ſint. Hæc ſingula ſeorſim per totidem concluſiones explicabo.

12. Prima Concluſio. Generatim loquendo extant quædam traditiones Apoſtolicæ, quæ expreſſe in ſcriptura non habentur, ſed tamen parem cum ſcriptura authoritatem habent. Ita Concilium Trid. ſeſſ. 4. Et colligitur ex illo 2. Theſ. 2. 14. *Itaque, fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*. In quem locum Chryſoſtomus ita ſcribit: *Hinc patet, quod non omnia per Epiſtolam tradiderit, ſed multa etiam ſine literis. Eadem vero fide digna ſunt tam illa, quam iſta*. Et Epiphanius hæreſi 61. *Oportet autem & Traditione uti. Non enim omnia a divina ſcriptura poſſunt accipi. Quapropter aliqua in ſcriptis, aliqua in Traditione Sancti Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apoſtolus: Sicut tradidi vobis*. Et Baſilius in lib. de Spiritu Sancto c. 27. *Dogmata, quæ in*

Eccle-

Eccleſia ſervantur, & prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum Traditione in myſterio ad nos delata recipimus. Quæ utraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem ſaltem Eccleſiaſticorum jurium experientiam habet. Et Damaſc. lib. 4. cap. 17. *Plurima Apoſtoli ſine ſcripto tradiderunt.* Alios etiam Patres paulo poſt citabo.

13. Quæres, quomodo Traditio poſſit habere parem vim, & authoritatem cum Scriptura? Reſpondeo. Sicut mandatum Principis eandem vim, & authoritatem habet apud ſubditos, ſive ſcripto, ſive viva voce proferatur, ſic etiam verbum Dei, ſive ſcriptum, ſive traditum. At, inquies, Traditio Apoſtolica, de qua agimus, non eſt verbum Dei. Omnino eſt. Nam ſicut doctrina Apoſtolorum, quæ in illorum ſcriptis continetur, propterea vocatur verbum Dei, quia a Deo inſpirata eſt: ſic etiam de doctrina Apoſtolorum, quæ viva tantum voce tradita eſt ſine ſcripto, ſtatuendum eſt. Quod ſic clarius oſtendo. Sicut doctrina Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, Pauli, Petri, Jacobi, & Judæ, quæ in Euangeliis, & Epiſtolis conſcripta eſt, vocatur verbum Dei, quia Deus eam inſpiravit: ſic etiam doctrina Andreæ, Philippi, Bartholomæi, Matthiæ, & Barnabæ, quam ipſi viva voce prædicarunt, debet vocari Verbum Dei, quia Deus ſimiliter eam inſpiravit. Nec minor fides his Apoſtolis, qui non ſcripſerunt, quam illis, qui ſcripſerunt, adhibenda eſt.

14. Secunda Concluſio. Speciatim loquendo, ſunt certæ quædam Traditiones Apoſtolicæ de dogmatibus fidei; quædam de moribus, ſeu ritibus externis. Prior pars probatur, quia ſunt tria principia fidei maxime neceſſaria, quæ non habentur ex Scriptura, ſed ex Traditione. Primum eſt, quod tota Scriptura veteris, ac novi Teſtamenti ſimul ſumpta ſit verbum Dei. Alterum, quod tota illa Scriptura, præſertim in iis, quæ ad fidem, & ſalutem neceſſaria ſunt, maneat nobis ſalva, & incorrupta. Tertium, quod habeamus verum, ac legitimum illius ſenſum. Si admittimus hæc principia fidei, neceſſario admittimus Traditionem, per quam illa accepimus. Si non admittimus, vana eſt noſtra Fides.

15. Præter hæc tria ſunt alia, quæ etiam per Traditionem habentur. Primum, quod Symbolum Fidei ſit vere Canonicum, & Apoſtolicum. De quo Baſilius loc. cit. *Omitto cætera, ipſam fidei profeſſionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, e quibus Scripturis habemus?* quaſi dicat: Non habemus

bemus

bemus ex Scriptura, ſed ex Traditione. Hoc enim conatur probare, multa eſſe dogmata, quæ credimus, non quia ſcripta ſunt, ſed quia ab Apoſtolis tradita.

16. Secundum, quod Spiritus Sanctus procedat a Patre, & Filio. Hoc quidem conſtat ex Symbolo, in quo dicitur: *Qui a Patre, Filioq; procedit*; ſed in Scriptura aperte non habetur. Legimus quidem expreſſe in Script., quod procedat a Patre (Joan. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum Veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.*) Sed non legimus expreſſe, quod procedat a Filio. Et tamen articulus fidei eſt, ab utroq; procedere. Habemus igitur hoc per Traditionem.

17. Tertium, quod articulus verus ſit: *Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus: Spiritus Sanctus a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Qui etiam articulus expreſſe habetur per Traditionem ex ſymbolo Athanaſii, ſed in Scriptura quoad ſingulas particulas demonſtrari non poteſt. Et tamen ad ſalutem neceſſarius eſt, ut ait Athanaſius in fine Symboli. *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.*

18. Quartum, quod infantes ſint baptizandi. Origenes in cap. 7. Epiſtolæ ad Rom. *Eccleſia ab Apoſtolis Traditionem accepit, etiam parvulis Baptiſmum dare.* Et Aug. l. 10. de Geneſi ad litteram c. 23. *Conſuetudo Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet Traditio.*

19. Quintum, quod baptizati ab hæreticis non ſint rebaptizandi contra errorem Cypriani. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſm. contra Donatiſtas cap. 7. *Quam conſuetudinem* (ſcilicet non repetendi Baptiſmum) *credo ex Apoſtolica Traditione venientem.* Et lib. 5. c. 25. *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apoſtolorum Traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt.*

20. Sextum, quod in Baptiſmo pronunciari debeat hæc forma verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & niſi pronuntietur, Baptiſmus non ſit validus. Hoc etiam admittunt adverſarii; nec tamen aliunde, quam ex Traditione, & perpetua Eccleſiæ praxi probari poteſt.

21. Septimum, quod certus, ac determinatus ſit Sacramentorum numerus in novo Teſtamento. Hoc tam Catholici, quam Adverſarii credunt. Hoc intereſt, quod Catholici credunt illum numerum eſſe ſeptenarium; plerique Lutherani ternarium; multi Calviniſtæ binarium: at hic certus numerus, quiſquis tandem ſit, in Scriptura definitus, aut expreſſus non eſt. Catholici faten-

fatentur, ſe ex Traditione, & declaratione Eccleſiæ habere ſuum ſeptenarium. Adverſarii videant, unde habeant ſuum binarium, aut ternarium. Certe ex Scriptura non habent. Vide infra cap. 5. §. 53.

22. Octavum, quod B. Maria Mater Chriſti ſemper manſerit Virgo etiam poſt partum, contra damnatam Helvidii hæreſin. Vide Hieronymum contra Helvidium, & Auguſtinum lib. de Hæreſibus cap. 84. ubi ſic ait: *Helvidiani exorti ab Helvidio ita Virginitati Mariæ contradicunt, ut eam poſt Chriſtum alios etiam filios de viro ſuo Joſeph peperiſſe contendant. Sed mirum, ni iſtos, prætermiſſo Helvidii nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellavit.*

23. Dices. Aliqua ex his punctis probari poſſunt ex Scriptura; ut verbi gratia, quod infantes ſint baptizandi. Hoc enim probari poteſt ex illo Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Similiter quod in Baptiſmo pronunciari debeant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* manifeſte colligitur ex illo Matth. 28. 16. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Denique quod Spiritus S. procedat etiam a Filio, convinci poteſt ex verbis ſupra citatis: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis.* Nam Filius non mittit Spiritum Sanctum per imperium, aut conſilium, ſed per proceſſionem.

24. Reſp. aliqua poſſunt probari ex Scriptura, quando conſtat de vero, & legitimo Scripturæ ſenſu. At ſæpe non conſtat, quis ſit verus, & legitimus ſenſus, niſi ex Traditione & praxi Eccleſiæ. v. g. Si conſtaret hæc verba: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, non habere alium ſenſum, quam hunc; Niſi quis baptizatus fuerit Baptiſmo aquæ: jam optime ſequeretur, etiam infantes indigere Baptiſmo. At hoc non conſtat, niſi ex Traditione. Nec Calvinus, qui negat illum ſenſum eſſe iſtius loci, poteſt a Catholicis, aut Lutheranis confutari ex ſola Scriptura, ſed ex eo ſolum, quod ſenſus ille a majoribus noſtris per continuam Traditionem ad nos pervenerit.

25. Eodem modo ſi conſtaret, Chriſtum, cum dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, præcepiſſe Apoſtolis, ut pronunciarent hæc verba: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, jam res eſſet ſalva. At hoc non conſtat ex nudis Scripturæ verbis. Nam ſicut Chriſtus dixit: *Baptizate eos in nomine Patris*; ita alibi dixit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et ſimiliter Apoſtol. 1. Corinth. 10. 31. *Sive manducatis, ſive bibitis, omnia in gloriam*

Dei facite. Et tamen neceſſe non eſt, ut is, qui petit aliquid a Patre in nomine Chriſti, pronunciet hæc verba: *Ego hoc, vel illud peto in nomine Chriſti*: neque ut is, qui comedit, aut bibit, pronunciet hæc verba: *Ego comedo, & bibo in gloriam Dei*: ſed ſatis eſt, interna mente id cogitare. Quod ergo in primo caſu de Baptiſmo neceſſaria ſit prolatio verborum, non item in his duobus, hoc ſolum habemus ex uſu Eccleſiæ, qui per Traditionem Apoſtolicam ad nos pervenit.

26. Denique, ſi ex verbis Scripturæ conſtaret, miſſionem Spiritus Sancti a Filio ſignificare proceſſionem ad intra, res ſalva eſſet. At Græca Eccleſia negat, aſſerens, ſignificare miſſionem externam ad nos homines per donorum largitionem. Quod ſic explicant: Filius dat nobis Fidem, Spem, Charitatem, & alia dona ſupernaturalia, quæ dicuntur dona Spiritus Sancti; ac proinde, quando dat hujuſmodi dona, cenſetur dare, ſeu mittere Spiritum Sanctum ad nos, cui iſta dona per accommodationem tribuuntur. Quod vero Latini rectius ſentiant, quam Græci, conſtat ex definitione Conciliorum, quæ ſenſum Scripturæ juxta Traditionem Apoſtolicam interpretata ſunt.

27. Et hæc ſufficiant pro priori parte concluſionis. Poſterior poteſt etiam variis exemplis confirmari. Nam multi ſunt ritus Eccleſiaſtici, qui ab Apoſtolis per ſolam Traditionem accepti ſunt. Ac potiſſimum hi. Primus, ut exorciſmus, & aliæ ceremoniæ adhibeantur in Baptiſmo (Tertullianus in libro de Corona militis, cap. 3. & Baſilius in lib. de Spiritu S. c. 27.) Secundus, ut trina merſio fiat in Baptiſmo, (Baſilius ibidem) Tertius, ut Chriſma ſingulis annis renovetur, (Fabius Papa, & Martyr epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientis) Quartus, ut aqua vino miſceatur in calice Euchariſtico. (Cypr. lib. 2, ep. 3.) Quintus, ut Euchariſtia ſumatur a jejunis. (Aug. ep. 118. Tertullianus ſupra) Sextus, ut ſignum Crucis formetur in fronte. (Baſilius loco citato) Septimus, ut ad orientem verſi precemur. (Idem) Octavus, ut aqua benedicatur, (Idem) De his, & ſimilibus recte uſurpari poteſt illud Tertulliani, lib. citato, ca. 4. *Harum, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, Conſuetudo confirmatrix, & Fides obſervatrix*.

28. Tertia Concluſio. Præter ſupradictas Traditiones, quæ ab Apoſtolis ad nos pervenerunt, ſunt aliæ quædam Eccleſiaſticæ, quæ poſt tempora Apoſtolorum a Prælatis Eccleſiæ introductæ ſunt: & tametſi parem cum Apoſtolicis authoritatem non habeant, merito tamen a Chriſtianis ſervari debent. De utriſque loquitur Auguſtinus Epiſt. 118. cum ait: *Illa autem, quæ non ſcripta,*

ſed

ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata, atque ſtatuta retineri; ſicut quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cælum anniverſaria ſolemnitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervatur ab univerſa, quocunque ſe diffundit, Eccleſia. Nam per illam particulam, *Vel ab ipſis Apoſtolis*, intelligit Traditiones Apoſtolicas: Et per illam, *Vel plenariis Conciliis*, intelligit Eccleſiaſticas. De quibus ſubdit: *Inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, diſputare, an faciendum ſit, quod tota per orbem frequentat Eccleſia.*

29. Atque hæc eſt Catholicorum ſententia de Traditionibus, tam Apoſtolicis, quam Eccleſiaſticis, quæ ex Apoſtoli, & ſanctorum Patrum authoritate confirmata eſt. Videamus nunc, quid ſentiant Adverſarii, ut poſtea conſtet ex collatione utriuſque partis, utri potius adhærendum ſit.

Adverſariorum Sententia.

30. Adverſarii paſſim rejiciunt Traditiones, & nihil, niſi quod in Scriptura veteris, ac novi Teſtamenti continetur, volunt admittere. Peccant tamen quadrupliciter. 1. Quia in hac re imitantur antiquos hæreticos. 2. Ipſi inter ſe diſſentiunt. 3. Multa falſo, ac mendaciter affingunt Catholicis. 4. Ineptiſſime ex quibuſdam Scripturæ locis argumentantur contra Traditiones. Hæc ſigillatim demonſtranda ſunt.

31. Primo igitur, ſicut Catholici in aſſerendis Traditionibus ſequuntur communem conſenſum antiquorum Patrum, ſic adverſarii in iiſdem rejiciendis ſequuntur communem conſenſum antiquorum hæreticorum. Nam etiam antiqui hæretici provocabant ad Scripturam,& Traditiones reſpuebant: Ac potiſſimum hi.

32. Primo Arriani, qui diſputantes de Divinitate Chriſti nihil volebant admittere, niſi Scripturam. Unde Maximinus Arrianorum Epiſcopus, diſputaturus cum Auguſtino dicebat: *Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt, ut audiamus. Hæ vero voces, quæ extra Scripturam ſunt, nullo caſu a nobis ſuſcipiuntur.* Refert Auguſtinus lib. 1. contra Maximinum, in principio.

33. Secundo Macedoniani, & Eunominiani, qui nolebant admittere hanc loquutionem: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, eo quod non haberetur in Scriptura. De quibus Baſilius in lib. de Spiritu ſancto, c.25. circa finem: *At non deſinunt iſti ſurſum deorſum jactare, Dei cum ſancto Spiritu glorificationem carere*

teſtimonio, carere Scriptura. Et initio cap. 29. *Sane contra id, quod dicunt, præpoſitionem*, cum, *carere teſtimonio, nec in ſcripturis exſtare, illud dicimus: Si nihil aliud eſt acceptum abſque ſcripturis, ne hoc quidem recipiatur: Sin plurima arcana circa Scripturam recepta ſunt nobis, cum aliis plurimis & hoc recipiamus. Arbitror autem Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis Traditionibus adhærere*.

34. Tertio, Eutyches, qui negans in Chriſto duas naturas dicebat: *Ego a ſacris Scripturis non didici de duabus naturis*. Cui reſpondit Mamas Presbyter: *Neque de Homuſion a Sanctis Scripturis edocti ſumus*. Ita habetur in generali Concilio Chalcedonenſi, Act. I. ubi Actio quinta Conſtantinopolitani Concilii relicta eſt.

35. Quarto, Pelagiani, qui dicebant: *Credamus igitur, quod legimus; & quod non legimus, nefas credamus aſtruere: quod de cunctis etiam dixiſſe ſufficiat*. Ut refert Auguſtinus in lib. de natura, & gratia, c. 39.

36. His, & ſimilibus hæreticis olim ab Eccleſia damnatis ſimiles ſunt noſtri Lutherani, & Calviniſtæ, qui eodem, quo illi, ſpiritu afflati, repudiant Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas Traditiones, & ad ſolam Scripturam contentioſe provocant; quam tamen, ut ſupra dixi, reſectis aliquot partibus, mutilarunt, & novis verſionibus, ac interpretationibus corruperunt.

Diſſenſio.

37. Sed neque inter ſe conſentiunt. Nam aliqui, ſine ulla exceptione, rejiciunt omnes omnino Traditiones, ſive ad fidem, ſive ad externum Dei cultum pertinentes. Et nihil aliud volunt eſſe credendum, aut faciendum, quam quod in Scriptura credendum, aut faciendum præcipitur. Ita Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 8. n. 8. *Eſto*, inquit, *hoc firmum axioma, non aliud habendum Dei verbum, cui detur in Eccleſia locus, quam quod lege primum, ac prophetis, deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur: nec alium eſſe rite docendi in Eccleſia modum, niſi ex ejus verbi præſcripto, & norma*. Et in libro de neceſſitate reformandæ Eccleſiæ: *Deus non modo irritum habet, quidquid colendi ſui ſtudio præter mandatum ſuum ſuſcipimus, ſed palam quoque abominatur*. Et in Epiſt. 87. ad protectorem Angliæ: *Cum de legitima reformatione agitur, ad ipſum purum Dei verbum redeundum nobis eſt*. Et ſimiliter Calviniſtæ in ſynodo Ultrajectina, in prologo ſuarum ordinationum, n. 2. *Obſtringimus nos*, inquiunt, *in forma juramenti, & obligationis, quod in hac provincia non aliam velimus amplecti, &*

ſequi

Digitized by Google

ſequi doctrinam, regulam, menſuram, & amuſſim fidei, & vitæ Chriſtianæ, quam ſolum verbum Dei, quod in libris veteris, ac novi Teſtamenti expreſſum eſt.

38. Alii quaſdam ſaltem admittunt Traditiones, ut Kemnitius in Examine Concilii Tridentini ſeſſ. 4. in ſecundo genere Traditionum, ubi ait: *Hanc traditionem, qua nobis in manum dantur Sacræ Scripturæ libri, reverenter accepimus.* Et in 5. genere: *Affirmant Origenes, & Auguſtinus Baptiſmum parvulorum eſſe Traditionem Apoſtolicam. Hoc recipimus.* Et in 7. genere: *Apoſtolos igitur ritus quoſdam ordinaſſe, & tradidiſſe Eccleſiis, ex ſcriptis eorum certe conſtat. Et veriſimile eſt, quoſdam etiam alios externos ritus, qui in ſcriptura annotati non ſunt, ab Apoſtolis traditos eſſe.* Et infra: *Tales ritus merito amamus, & retinemus, quales ſunt confeſſio fidei, abrenuntiatio Satanæ, & alii ritus in actione Baptiſmi.*

39. Alii denique utuntur diſtinctione. Ajunt admitti poſſe Traditiones de rebus adiaphoris, ſeu indifferentibus, non autem de rebus ad ſalutem neceſſariis. Nam in his ſufficienter nobis proſpectum eſſe per ſcripturam, quippe quæ perfecte tradat ea omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ita ut Traditione minime ſit opus. Sed qui hoc dicunt, augent diſſenſionem, & manifeſte repugnant Luthero, & Kemnitio. Nam Kemnitius fatetur, Lutheranos reverenter accipere Traditionem illam, qua nobis in manus datur ſacra Scriptura. At Scriptura Sacra ſecundum ipſos ad ſalutem neceſſaria eſt: Ergo admittunt aliquam Traditionem de re ad ſalutem neceſſaria.

40. Similiter Lutherus docet, infantes non juſtificari per Baptiſmum, ſed per actualem fidem, quæ ipſis infunditur vi exorciſmi, ante Baptiſmum, & ſine hac fide non poſſe eos ſalvari, aut Baptiſmum ſuſcipere. Unde ſequitur, ſalutem infantium, ex ſententia Lutheri, pendere ab actuali ipſorum fide, & fidem ab Exorciſmo, & conſequenter Exorciſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem infantium. Exorciſmus autem habetur ex Traditione, non ex Scriptura, ut conſtat: Ergo ſecundum Lutherum admittenda eſt aliqua Traditio de re ad ſalutem neceſſaria. Verba Lutheri citabo ſuo loco, lib. 2. cap. 2.

Mendacia.

41. Videamus nunc, quid falſo nobis affingant adverſarii. Ac primo, ut invidiam nobis concilient, ajunt nos docere, ſcripturam ſine Traditionibus humanis inſufficientem eſſe, ac imperfectam. Falſum eſt. Non docemus hoc de Traditionibus humanis. Diſtinguimus

enim duplices Traditiones cum Auguſtino, ut dixi: alteras Apoſtolicas, quæ parem cum Scriptura authoritatem habent: Alteras Eccleſiaſticas, quæ tantam authoritatem non habent. Dicimus ergo Scripturam per ſe non ſufficere, niſi accedant Traditiones Apoſtolicæ, quæ non cenſentur humanæ, ſed divinæ. Ratio duplex eſt. Prior, quia ſcriptura non ſufficit, niſi conſtet de legitimo illius ſenſu. At ſæpe non conſtat niſi ex Apoſtolica Traditione, ut ſupra dictum eſt. Poſterior, quia multa creduntur a Chriſtianis, quæ non habentur ex ſcriptura, ſed ex Apoſtolica Traditione. Exempla jam ante allata ſunt.

42. Secundo ajunt, nos docere, quod per Traditiones humanas mereamur gratiam juſtificationis, & remiſſionem peccatorum: & quod hujuſmodi Traditiones agnoſcamus pro noſtro Mediatore, & Juſtificatore. Ita Philippus Melanchton in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, art. 15. de Traditionibus humanis. Hoc etiam falſum eſt, quia aperte docemus, nullo modo nos mereri juſtificationem, aut remiſſionem peccatorum, ſed eam gratis nobis conferri per merita Chriſti, ut patet ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. ubi ſic habet: *Gratis autem juſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur.*

43. Tertio ajunt, nos docere, quod omnes noſtræ Traditiones ſint Apoſtolicæ. Ita Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 8. §. 19. *Romanenſes*, inquit, *Magiſtri extorquere volunt, ut nulla ſit apud eos ceremoniola, quæ non Apoſtolica cenſeatur*. Et hoc falſum. Agnoſcimus enim, ut ſæpe dixi, duplices Traditiones: Alteras, ab Apoſtolis acceptas: Alteras, poſt tempora Apoſtolorum a Prælatis Eccleſiæ introductas. Deinde, pugnat hæc Calvini calumnia cum Melanchtone. Nam Melanchton omnes noſtras Traditiones vocat humanas, Calvinus omnes Apoſtolicas. Neutrum concedimus. Vide alia Kemnitii mendacia apud Cardinalem Bellarmin. lib. 4. De verbo Dei c. 3. Reliquum eſt, ut diluantur objectiones adverſariorum, quibus conantur Traditiones ſubvertere.

Prima objectio.

44. Prima ſumitur ex illo Deut. 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Hinc colligunt Adverſarii, omnes Traditiones repudiandas eſſe, & Catholicos peccare, qui illas admittunt. Quare? quia nihil ad verbum Dei ſcriptum ad-

addendum eſt. Ineptiſſime, Primo, quia dum volunt oppugnare Catholicos, oppugnat ipſos Apoſtolos, a quibus Traditiones accepimus: Et nominatim Paulum, qui dixit, *Tenete Traditiones, quas accepiſtis*. Oppugnant Auguſtinum, & alios Patres, qui Traditiones amplexi ſunt. Oppugnant ſeipſos, quia & ipſi, ut loquitur Kemnitius, Traditionem de Scriptura, de Exorciſmo, & plures alias reverenter accipiunt. Si ergo Catholici peccant admittendo Traditiones, peccant etiam Apoſtoli, Patres, Lutherani ipſi. Aut ſi hi innocentes ſunt, cur illi damnantur?

45. Deinde, non intelligunt ſenſum allati teſtimonii ex Deuteronomio. Senſus colligitur ex ipſo contextu, qui ſic habet: *Et nunc Iſrael audi præcepta, & judicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea vivas, & ingrediens poſſideas terram, quam Dominus Deus Patrum veſtrorum daturus eſt vobis. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis*. Quaſi dicat: Ego do vobis præcepta ceremonialia, & judicialia, quæ debetis integre, & perfecte ſervare. Hoc enim ſignificat illa phraſis: *Non addetis, nec auferetis*. Quod quidem aliis verbis, ſed tamen eodem ſenſu explicatur alibi, cum dicitur: *Non declinabis ab eis, vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram*. Ut Deut. 17. 20. *Diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias ejus, neque declinet in partem dextram, vel ſiniſtram*. Et c. 28. 14. *Si audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & non declinaveris ab eis, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram*, &c. Et Joſ. 1. 7. *Confortare, & eſto robuſtus valde, ut cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes ſervus meus: nec declines ab ea ad dextram, vel ad ſiniſtram*.

46. Igitur hæc tria idem valent. 1. Integre, & perfecte ſervare præcepta Moſaica. 2. Non declinare ab eis vel ad dextram, vel ad ſiniſtram. 3. Nihil in eorum obſervatione vel addere, vel detrahere. Quod non ſic intelligendum eſt, quaſi non liceret addere nova præcepta, (alioqui non licuiſſet addere præcepta Euangelica de fide Trinitatis, de Baptiſmo, de Euchariſtia) ſed quod præcepta Moſaica in ſui obſervatione non ſint corrumpenda vel additione, vel detractione, ſed integre cuſtodienda. v. g. Erat præceptum Moſaicum: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, & die octavo circumcidetur infantulus* (Levit. 12. 12.) Ad hoc præceptum non licebat aliquid addere, vel auferre, ideſt, non licebat, nec ante, nec poſt diem octavum, circumcidere infantulum: Nec immunditia matris poterat paucioribus, vel pluribus diebus durare

quam ſeptem. Eadem eſt ratio de aliis præceptis; ut videbimus in ſequenti objectione.

47. Hinc patet, teſtimonium Deuteronomii, quod tantopere urgent adverſarii, nihil ad rem facere; Niſi velint ſic argumentari: Judæi debebant perfecte, & integre ſervare præcepta Moſaica: Ergo Chriſtiani non debent admittere Traditiones Apoſtolicas, ſed ſola ſcriptura eſſe contenti. Quæ ſane conſequentia abſurda, & ridicula eſt, ut omnes vident. Ut tamen res fiat clarior, quæro ab adverſariis, an ipſi putent hoc teſtimonium pertinere ad ſolos Judæos, an etiam ad Chriſtianos? ſi pertinet ad ſolos Judæos, cur adducitur contra Chriſtianos? Aut cur volunt Lutherani, & Calviniſtæ, ut nos ad illud ſervandum obligemur? Si etiam pertinet ad Chriſtianos, cur adverſarii non ſervant præcepta Moſaica? cur non circumcidunt ſe? cur alias ceremonias legales intermittunt? Cur denique, ſicut contra nos urgent illam particulam, *Non addetis*, non ſimiliter contra ſe urgent alteram, *non auferetis*? Hic hærent.

Secunda objectio.

48. Secunda ſumitur ex illo Deut. 12. 32. *Quod tibi præcipio, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Hinc iterum colligunt adverſarii, omnes Traditiones, & præcepta humana eſſe irrita, & contemnenda. Quare? quia hoc tantum faciendum eſt; quod Deus præcepit: Ergo quod homines præcipiunt, faciendum non eſt. Non minus inepte, quam ſupra. Primo, quia ſi omnia præcepta humana ſunt irrita, & contemnenda, quid dicemus de Judæis, qui accurate ſervarunt præceptum de feſto Encæniorum, quod non erat divinum, ſed humanum? Quid de Rechabitis, qui accuratiſſime ſervarunt præceptum parentis ſui Jonadab de perpetua abſtinentia a vino? (Jerem. 35. 6.) Quid de Apoſtolis, qui in Concilio Jeroſolymitano præceperunt abſtinentiam a ſanguine, & ſuffocato? (Act. 5. 29.) Quid de Paulo, qui diſtinguit inter ſua, & Chriſti præcepta? (1. Cor. 7. 12.) Quid de Magiſtratibus, qui fingunt mandata humana ad conſervandam pacem, & juſtitiam in Republica? Quid denique de ipſis Adverſariis, qui in Synodis, & conventiculis ſuis condunt leges, & ſtatuta Eccleſiaſtica, quæ ab omnibus obſervari volunt?

49. Secundo, ſenſus illius loci non eſt ille, quem fingunt Adverſarii, ſed longe alius. Nam ſicut in præcedenti teſtimonio agebatur generatim de præceptis Moſaicis integre obſervandis; ita hic agitur ſpeciatim de uno præcepto ceremoniali, nempe

de

de præcepto ſacrificii integre obſervando. Textus ſic habet: *Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus gentes, ad quas ingredieris poſſidendas, & poſſederis eas, atque habitaveris in terra earum, cave, ne imiteris eas, & requiras ceremonias earum, dicens; ſicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas averſatur Dominus, fecerunt Diis ſuis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni. Quæ præcipio tibi, hæc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.*

50. Senſus eſt: Quando veneris in terram Palæſtinam, ad quam tendis, & obtuleris Domino Deo tuo ſacrificium, non imitaberis gentiles, qui falſis Diis offerunt ſuos filios, & filias per ignem; ſed hoc tantum offeres, quod ego tibi præcipio: Nempe ex animalibus, oves, capras, hædos, boves, vitulos, columbas, paſſeres, turtures: Ex fructibus terræ, panem, ſimilam, ſalem, thus, manipulum ſpicarum virentium, & triticum: Ex liquoribus, ſanguinem, vinum, oleum, aquam. *Hoc tantum facito*, ideſt, offerto Domino. *Nec addas quidquam* ex ſacrificiis gentilium, *Nec minuas ex eis*, quæ jam enumerata ſunt.

51. Quid hinc concludent Adverſarii? Non video; niſi ſic inferant: Judæi debebant ea tantum offerre in ſacrificium, quæ a Deo erant determinata: Ergo Chriſtiani non debent ſervare præcepta humana, ſive civilia, ſive Eccleſiaſtica. *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?*

Tertia objectio.

52. Tertia ſumitur ex illo Galat. 18. *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*: Et infra: *Si quis evangelizaverit vobis præter id, quod accepiſtis, anathema ſit*. Ergo, inquiunt adverſarii, præter Evangelium non licet admittere Traditiones. Reſpondeo 1. Hæc objectio retorqueri poteſt in adverſarios, hoc modo: Si quis evangelizaverit vobis præter id, quod Apoſtolus evangelizavit, anathema ſit: Adverſarii evangelizant aliquid præter id, quod Apoſtolus evangelizavit, quia oppugnant Traditiones, contra id, quod Apoſtolus dixit, *Tenete Traditiones*, Ergo anathema ſit.

53. Reſpondeo, ex ſcopo Apoſtoli æſtimandum eſt, an damnentur hoc loco Traditiones, nec ne. Scopus Apoſtoli eſt hic: Galatæ docti erant a Paulo, ceremonias legis Moſaicæ abrogatas eſſe, & neminem poſſe per hujuſmodi ceremonias juſtificari,

ſed per fidem in Chriſtum. (cap. 2. 16.) Ab hac doctrina fuerunt poſtea abducti per quoſdam falſos Apoſtolos, qui docebant, eos non poſſe ſalvari per fidem in Chriſtum, niſi ſimul circunciderentur, & alias ceremonias Moſaicas obſervarent. (cap. 1. 6. & c. 3. 1. & cap. 4. 9. & cap. 5. 1.) Contra hujuſmodi falſos Apoſtolos agit Paulus, cum ait: *Si quis euangelizaverit vobis præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* q. d. Accepiſtis a me, hominem juſtificari per fidem in Chriſtum, non autem per obſervantiam legis Moſaicæ. Si quis aliter vos inſtruit, anathema ſit.

54. At hinc non ſequitur, Traditiones Apoſtolicas eſſe rejiciendas, ſed potius conſervandas, quia non ſunt præter, aut contra id, quod Paulus euangelizavit Galatis de juſtificatione, ſed potius ſunt id, quod ipſe Theſſalonicenſibus euangelizavit, cum dixit: *Tenete Traditiones, quas didiciſtis.*

Quarta objectio.

55. Quarta ſumitur ex illo Apoc. 22. 18. *Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ libri hujus: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Ergo non licet apponere Traditiones. Reſp. Hoc teſtimonium condemnat Lutheranos, qui non ſolum diminuunt de verbis libri Prophetiæ hujus, ſed totum librum ſuſpectum habent, nec eum pro canonico, ſed pro apocrypho agnoſcunt. Non tamen condemnat traditiones, quia non prohibet, ne præter Prophetiam Apocalypticam admittatur aliquid aliud, (alioqui non liceret addere Prophetias Iſaiæ, Jer., & aliorum Prophetarum veteris Teſtamenti, nec item Euangelia, Epiſtolas, Symbolum fidei) ſed ſolum prohibet, ne verba Prophetiæ Apocalypticæ ab aliquo depraventur. Quod duobus modis fieri poſſe inſinuat: Primo, additione; ut ſi quis apponat aliquid ad Prophetiam Apocalypticam, quaſi pars illius ſit, quæ revera pars non eſt. Secundo, diminutione; ut ſi aliquid detrahat, quaſi ad illam non pertineat, quod revera ad eam pertinet. Neutrum faciunt Catholici.

56. Exemplo rem declarabo. Prædicit Joannes cap. 11. fore aliquando, ut veniant duo Prophetæ, amicti ſaccis, qui prophetabunt diebus 1260. & habebunt poteſtatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem convertendi aquas in ſanguinem, &c. Ad hanc prophetiam nihil addunt Catholici, quod ad eam non pertineat, ſed derelinquunt integram, ſicut a Joanne perſcripta eſt. At contra faciunt adverſarii, qui di-

dicunt hos duos Prophetas fuiſſe Lutherum, & Calvinum. Nam qui hoc dicunt, neceſſario diminuunt de verbis Prophetiæ hujus, cum conſtet Lutherum, & Calvinum non fuiſſe amictos ſaccis, nec habuiſſe poteſtatem claudendi cœlum. Et quæ ibidem ſequuntur.

Quinta Objectio.

57. Quinta ſumitur ex illo 2. Tim. 3. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Ex quo loco dupliciter argumentantur adverſarii. Aliqui ſic: Omnis Scriptura eſt utilis ad docendum, & arguendum: Ergo ſupervacaneæ ſunt Traditiones. Perinde ac ſi dicas: Omnibus cibus eſt utilis ad nutriendum: Ergo ſupervacaneus eſt potus. Vel, omnis eleemoſyna eſt utilis ad ſalutem (Luc. 11. 41. & Dan. 4. 24.) Ergo ſupervacanea oratio, ſupervacanea ſacramenta. Miſeret me illorum hominum.

58. Alii ſic. Omnis Scriptura eſt utilis, id eſt ſufficiens: Ergo ſupervacaneæ Traditiones. Sed quæ hæc interpretatio eſt? An idem ſunt, utilem eſſe, & ſufficientem eſſe? Si idem ſunt, jam illud 1. Tim. 4. 8. *Pietas ad omnia utilis eſt*, licebit ſic interpretari: Pietas ad omnia ſufficiens eſt: Ergo reliqua omnia ſupervacanea ſunt. Et ſimiliter illud 2. Tim. 4. 11. *Marcum aſſume, & adduc tecum: Eſt enim mihi utilis ad miniſterium*, id eſt, ſufficiens: Ergo Timotheus, Titus, Oneſimus, & alii ſupervacanei ſunt. Quis non videt, ſi hæc licentia interpretandi Scripturam ſemel admittatur, totam corrumpi, & adulterari poſſe?

59. Sed ut clarius res ipſa percipiatur, textus Apoſtoli conſiderandus eſt. Igitur Apoſtolus in citato capite hortatur Timotheum Epiſcopum, ut ſuos ſubditos inſtruat in fide, & bonis operibus, & redarguat adverſarios, qui corrupti mente, & reprobi circa fidem, reſiſtunt veritati. Et ut oſtendat eum id poſſe præſtare, ſubdit: *Tu vero permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens a quo didiceris: Et quia ab infantia tua ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis enim Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum*, & cætera. Ubi per ſacras literas, quas ait Timotheum ab infantia noviſſe, intelligit ſcripturam veteris teſtamenti. Nam eo tempore, quo Timotheus erat infans, nondum extabat Scriptura novi Teſtamenti.

60. Apoſtolus ergo in illo textu argumentatur. Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendos ſubditos, & redarguen-

guendos adverſarios: At Scriptura veteris Teſtamenti, quam ab infantia didiciſti, eſt divinitus inſpirata: Ergo eſt utilis ad docendos ſubditos, & redarguendos adverſarios. Cum ergò cognitione illius Scripturæ inſtructus ſis, magnum ex ea præſidium habes ad præſtandum, quod dixi.

61. Ex eodem principio licebit ſic concludere. Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, & arguendum: At Scriptura novi Teſtamenti eſt divinitus inſpirata: Ergo eſt utilis ad docendum, & arguendum. Qui ergo cognitione hujus Scripturæ inſtructus eſt, magnum ex ea præſidium habet ad utrumque præſtandum.

62. Porro ex utroque diſcurſu patet, has tres propoſitiones veras eſſe, ſecundum Apoſtolum. 1. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, & arguendum. 2. Scriptura veteris Teſtamenti utilis eſt ad docendum, & arguendum. 3. Scriptura novi Teſtamenti utilis eſt ad docendum, & arguendum. Sicut ergo non ſequitur: Scriptura veteris Teſtamenti utilis eſt: Ergo Scriptura novi Teſtamenti eſt ſupervacanea: Nec contra Scriptura novi Teſtamenti eſt utilis: Ergo Scriptura veteris Teſtamenti eſt ſupervacanea: Sic etiam non ſequitur: Utraque Scriptura eſt utilis: Ergo Traditio eſt ſupervacanea. Alioqui ſupervacaneum eſſet, quod dicit Apoſtolus, *Tenete Traditiones.*

Sexta objectio.

63. Sexta ſumitur ex illo Matth. 15. 6. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram.* Et Coloſſ. 2. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum Traditionem hominum.* Et 1. Petr. 1. 18. *Redempti eſtis de vana veſtra converſatione Paternæ Traditionis.* Hinc colligunt adverſarii, omnes Traditiones a Chriſto, & Apoſtolis damnatas eſſe. At non rectè. Nam Chriſtus, & Apoſtoli ſolum loquuntur, vel de Traditionibus Judæorum, quibus Phariſæi male utebantur, ut ſupra explicatum eſt: Vel de Traditionibus Gentilium, quæ fidei Chriſtianæ repugnabant: At tales non ſunt, quas hoc loco nos defendimus. Nos defendimus divinas, & Apoſtolicas, quæ ſuprà enumeratæ ſunt.

64. Atque hæ ſunt præcipuæ objectiones adverſariorum contra authoritatem Traditionum Apoſtolicarum. Aliæ ſi quæ ſunt, in capite de Judice controverſiarum diſcutientur. Ibi enim adducam teſtimonia Scripturæ, quibus ipſi conantur probare, ſolam Scripturam, ſecluſis Traditionibus, eſſe normam, regu-

regulam, & judicem controverſiarum, in negotio fidei, ac religionis.

CAPUT III.

DE ECCLESIA.

TRia diſputari ſolent inter nos, & adverſarios. 1. An Eccleſia Chriſti, quæ in terris eſt, ſit viſibilis, & conſpicua? 2. An ſit infallibilis, ita ut in fide errare non poſſit? 3. Quænam ſit vera Chriſti Eccleſia, quæ in fide errare non poteſt? An Catholica, ſeu Romana, quod nos aſſerimus? An Lutherana, vel Calviniana, quod adverſarii contendunt? Deciſio harum quæſtionum petenda eſt ex his concluſionibus. 1. Eccleſia Chriſti eſt viſibilis, & conſpicua. 2. Hæc viſibilis Eccleſia eſt Una, Sancta, Catholica, Apoſtolica, Sponſa Chriſti, Domus Dei, Columna, & firmamentum veritatis. 3. Extra hanc viſibilem Eccleſiam nemo poteſt ſalvari. 4. Hæc viſibilis Eccleſia non poteſt deficere, vel errare in fide. 5. Eccleſia Romana, ſeu Pontificia toto orbe diſperſa eſt viſibilis Eccleſia Chriſti, de qua hactenus dictum eſt. 6. Eccleſia Lutherana, aut Calviniana non eſt vera Chriſti Eccleſia, de qua dictum eſt. Has concluſiones ſigillatim explicabo.

CONCLUSIO PRIMA.

Eccleſia Chriſti, quam Militantem vocamus, viſibilis, & conſpicua eſt.

1 HAnc concedunt præcipui adverſarii, præſertim Calvinus lib. 4. inſt. c. 1. §. 2. ubi ex profeſſo diſputat de Eccleſia viſibili, & Philippus Melanchton in Examine ordinandorum, titulo de Eccleſia, ubi ſic ait: *Eccleſia viſibilis in hac vita eſt cœtus viſibilis amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, & recte utentium Sacramentis: in quo cœtu filius Dei efficax eſt, & multos regenerat ad vitam æternam.*

2. Et res certa eſt. Primo, quia illa Eccleſia neceſſario viſibilis eſt, in qua Epiſcopi, & Paſtores viſibiliter debent gubernare ſuos ſubditos, viſibiliter docere, hortari, Sacramenta adminiſtrare, peccantes corrigere, contumaces ab aliorum communione ſeparare: Et viciſſim, ubi ſubditi debent agnoſcere ſuos paſtores, eorum monitis obtemperare, inſtructionem, & Sacra-

men-

menta ab eis percipere. At hæc omnia fiunt in vera Chriſti Eccleſia. Ergo vera Chriſti Eccleſia neceſſario viſibilis eſt. Minor patet ex Scriptura, Matth. 18. 17. *Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Et Actor. 20. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Et Hebr. 13. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et alibi.

3. Secundo. Illa Eccleſia neceſſario eſt viſibilis, in qua publice indicuntur, & celebrantur Concilia, ſanciuntur canones, dirimuntur controverſiæ de fide, ac religione. Hæc omnia fiunt in vera Chriſti Eccleſia. Nam Apoſtoli indixerunt Concilium Hieroſolymitanum, in quo hæc conſtitutio facta eſt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato.* (Actor. 15. 28.) Et poſt tempora Apoſtolorum celebrata ſunt Concilia generalia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, quæ etiam ab adverſariis tanquam legitima admittuntur.

4. Tertio, Chriſtus in Euangelio comparat Eccleſiam ſuam ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: & comparat convivio nuptiali, ad quod boni, & mali vocati ſunt: comparat decem Virginibus, quarum quinque prudentes ſunt, quinque fatuæ: comparat ovili, in quo recipiuntur oves, & hædi. Hæc non poſſunt intelligi, niſi de Eccleſia viſibili. Nam adverſarii, qui agnoſcunt duas Eccleſias, unam viſibilem, alteram inviſibilem, ſic eas inter ſe diſtinguunt, quod in hac ſoli ſint prædeſtinati, in illa boni, & mali permixti. At in Eccleſia, de qua Chriſtus loquitur in ſupradictis parabolis, ſunt boni, & mali permixti. Ergo loquitur de Eccleſia viſibili. Loquitur autem de vera Eccleſia. Vera igitur Eccleſia viſibilis eſt.

5. Quarto. Idem a Propheta prædictum eſt, Pſal. 18. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, id eſt, ut ibidem explicat Auguſtinus, *In manifeſtatione poſuit Eccleſiam ſuam, non in occulto.* Et Epiſt. 166. ad Donatiſtas: *Ipſa eſt Eccleſia in ſole poſita, id eſt, in manifeſtatione omnibus nota uſque ad terminos terræ.* Eodem ſpectat illud Chriſti, Matth. 5. 15. *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Ubi per Civitatem, quæ abſcondi non poteſt, & per lucernam, quæ omnibus lucet, intelligitur Eccleſia Chriſti. Unde idem Auguſtinus in libro de unitate Eccleſiæ, cap. 16. *Non eſt*, inquit,

oper-

Digitized by Google

operta Eccleſia, quia non eſt ſub medio, ſed ſupra candelabrum. Et de illa dictum eſt: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. Sed Donatiſtis velut operta eſt, qui audiunt tam lucida, & manifeſta teſtimonia, quæ illam toto orbe demonſtrant, & malunt clauſis oculis offendere in montem, quam in eum aſcendere. Et epiſt. 170. ad Severinum: *Facile tibi eſt attendere, & videre civitatem ſupra montem conſtitutam.*

6. Quinto, idem conſtat ex ſymbolo fidei, ubi ſic dicimus: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*. Quod de viſibili Eccleſia intelligendum eſſe, non ſolum docent Catholici, ſed etiam multi ex adverſariis, præſertim Calvinus l. 4. c. 1. §. 2. Melanchton loco ſupra citato. Itaque dari Eccleſiam viſibilem, eſt articulus fidei, ſecundum adverſarios. Et recte. Nam licet externis oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus conflata eſt Eccleſia viſibilis; tamen quod in ea multitudine ſit vera doctrina Chriſti, & Apoſtolorum, hoc non videmus, ſed credimus. Unde viſibilis Eccleſia partim cadit ſub externos oculos; partim ſub internam fidem. Externis oculis videmus homines, qui in Eccleſia ſunt; interna fide credimus, veram Chriſti doctrinam apud eos tradi, & conſervari.

7. Hinc ſolvitur vulgare illud ſophiſma. Quod fide credimus, non eſt viſibile: Eccleſiam fide credimus: Ergo Eccleſia non eſt viſibilis. Nam major propoſitio ſic debet intelligi. Quod fide credimus, non eſt viſibile, ex ea parte, qua ſub fidem cadit: tametſi poſſit eſſe viſibile ex alia parte, qua ſub fidem non cadit. Hujus rei varia extant exempla. Apoſtoli in Chriſto videbant humanitatem, credebant divinitatem. In Baptiſmo videmus externam aquam, & ablutionem; credimus internam vim regenerandi, & peccata abluendi. In codice Bibliorum videmus chartam, ſcripturam, codicem ipſum; credimus, quod in eo continetur, eſſe Verbum Dei. Idem dico de Eccleſia. Eſt aliquid in ea, quod credimus; eſt aliquid, quod videmus. Credimus veram eſſe doctrinam, quæ in Eccleſia traditur; Videmus homines, externos ritus, & ſacramenta, quæ in Eccleſia ſunt.

8. Accedit conſenſus Patrum. Omnes, qui hac de re ex profeſſo ſcribunt, Eccleſiam viſibilem eſſe affirmant. Auguſtinus, (ut omittam teſtimonia ipſius ſupra citata) ep. 166. ad Donatiſtas ſic habet: *In ſcripturis didicimus Chriſtum: in ſcripturis didicimus Eccleſiam. Has ſcripturas communiter habemus: quare non in eis Chriſtum, & Eccleſiam communiter retinemus?* Et poſt multa: *Ecce ſcripturæ communes: Ecce ubi novimus Chriſtum, ubi novimus Eccleſiam. Si Chriſtum ipſum tenetis, ipſam Eccleſiam*

quare

quare non tenetis? ſi in ipſum Chriſtum, quem legitis, & non videtis, tamen propter ſcripturarum veritatem creditis, quare Eccleſiam negatis, quam & legitis, & videtis?

9. Et ne longus ſim enumerandis aliis Patribus, omnes illi ſupponunt Eccleſiam eſſe viſibilem, qui recenſent ordine ſucceſſores Petri in gubernatione Eccleſiæ; ut Irenæus, Optatus, Auguſtinus, Epiphanius, & Euſebius Cæſarienſis. Omnes item, qui fatentur ex Euangelio, bonos, & malos in Eccleſia permixtos eſſe: Qui agnoſcunt poteſtatem ſolvendi, ligandi, excommunicandi, quæ niſi in Eccleſia viſibili exerceri non poteſt. Denique qui aſſerunt Eccleſiam ſine prædicatione Euangelii, & Sacramentorum adminiſtratione conſiſtere non poſſe. Nec puto quemquam eſſe, qui hæc neget, ſi intelligat.

10. Conabor tamen clarius explicare. Ac primum quæro, an Reſpublica Veneta, vel civitas Viennenſis in Auſtria ſit viſibilis? nec ne? Omnes, opinor, viſibilem eſſe concedent. At eadem eſt ratio de Eccleſia. Quod ſic oſtendo. Tria ſpectari poſſunt in Eccleſia. 1. Multitudo, ſeu collectio eorum hominum, qui ſunt in Eccleſia. 2. Externum regimen, quo Prælati Eccleſiæ gubernant ſuos ſubditos, docendo, hortando, judicando, puniendo, ſacramenta adminiſtrando. 3. Interna fides, & charitas, qua inter ſe uniuntur. Eadem ſpectari poſſunt in Republica Veneta, vel civitate Viennenſi. 1. Multitudo, ſeu collectio eorum hominum, qui in Republica, vel civitate ſunt. 2. Externum regimen, quo Magiſtratus politicus gubernat ſuos ſubditos. 3. Interna affectio, qua inter ſe uniuntur. Duo priora tam in Eccleſia, quam in Republica, vel civitate ſunt viſibilia. Tertium utrobique eſt inviſibile. Sicut enim externis oculis non poſſum videre, an Chriſtiani, qui in Eccleſia ſunt, habeant internam fidem, & charitatem, ſed propter externam fidei profeſſionem id credo: ſic etiam res ſe habet in Republica, vel civitate. Video cives, qui in ea ſunt: video externam politiam, & gubernationem; ſed non video internum affectum, quem quiſque habet, aut habere debet. Si ergo, eo non obſtante, nihilominus civitas, vel Reſpublica vere dicitur eſſe viſibilis, cur idem de Eccleſia dici non poſſit? Nihil certius. Hinc facile diluuntur cavillationes, quas objici ſolent. Non ponam, quia neceſſe non eſt.

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

Hæc viſibilis Eccleſia eſt Una, Sancta, Catholica, Apoſtolica, Sponſa Chriſti, Domus Dei, Columna, & firmamentum veritatis.

11. HAnc etiam admittit Calvinus loc. cit. Et merito. Nam Scripturæ, Symbola Fidei, & Patres paſſim ita docent. Dicitur autem Eccleſia *Una*, propter unionem, & conſenſum eorum, qui in Eccleſia ſunt. Omnes enim unam, eamdemque fidem profitentur, juxta illud Apoſtoli Epheſ. 4. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma.* Et qui recedunt ab hac fidei unitate, proprie Sectarii, & Hæretici appellantur. Itaque ad eam conſervandam ſæpe hortatur nos idem Apoſtolus, præſertim Rom. 16. 17. *Rogo vos Fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis.* Et 1. Corint. 1. 10. *Obſecro vos, fratres, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Et Heb. 13. 9. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.*

12. Dicitur *Sancta*, ob has cauſas. Primo, quia nemo in eam ingreditur, niſi per baptiſmum ablutus & ſanctificatus, 1. Cor. 6. 11. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti, & ſanctificati eſtis.* Secundo, quia omnia ipſius inſtituta, ceremoniæ, ſacramenta, & doctrina ad ſanctitatem ordinantur. Eo enim ſpectant, ut vel ſancti efficiamur, vel in ſanctitate creſcamus, & conſervemur. Tertio, quia extra illam nulla poteſt eſſe ſanctitas. Quarto, quia Chriſtus, qui eſt Caput, & Sponſus Eccleſiæ, *eſt ſanctus ſanctorum.* Addit Calvin. l. 4. inſtit. c. 3. §. 17. vocari ſanctam, *quia quotidie proficit in ſanctitate, & ad metam ſanctitatis aſpirat.* Nec obſtat, quod multi mali ſint in Eccleſia. Poteſt nihilominus vocari ſancta, tum propter rationes allatas, tum etiam quia multi in ea ſancti ſunt.

13. Dicitur *Catholica*, ſeu *univerſalis*, tribus de cauſis. Primo, ratione loci, quia per univerſum orbem diffuſa eſt. Marc. 16. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Secundo, ratione temporis, quia ſemper durabit, Dan. 2. 44. *Suſcitabit Dominus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Tertio, ratione hominum ſalvandorum, quia quotquot ſalvantur, in viſibili Eccleſia ſalvantur, & nullus extra eam ſalvari poteſt (infra concluſione ſequenti.) Hinc patet diſcrimen inter Eccleſiam Chriſti, & Synagogam Judæorum. Hæc enim nullo iſtorum modorum fuit Catholica, ſeu univerſalis. Non primo,

mo, quia non fuit diffuſa per totum orbem, ſed per ſolam Palæſtinam. Nec ſecundo, quia non duravit, niſi certo tempore, nempe uſque ad mortem Chriſti. Nec tertio, quia poterant ſalvari homines extra Synagogam, ut Ninivitæ, & alii.

14. Dicitur *Apoſtolica*, primo, quia in Apoſtolis initium habuit. Secundo, quia ab Apoſtolis per orbem terrarum propagata eſt, Rom. 10. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum*. Tertio, quia ſequitur doctrinam Apoſtolorum, ad Galat. 1. 8. *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*. Denique, quia retinet ſucceſſionem Epiſcoporum ab Apoſtolis. Vide Tertullianum libro de Præſcriptionibus adverſus hæreticos, cap. 20. & duobus ſequentibus.

15. Dicitur *Sponſa Chriſti*, quia Chriſtus indiſſolubili vinculo eam ſibi conjunxit, Oſeæ 2. 19. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*. Et Epheſ. 5. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*. Habet autem hæc Sponſa tria privilegia. 1. Quod ſit fœcunda. 2. Quod ſemper Virgo. 3. Quod ex latere Sponſi progenita. Quæ tria ſimul ſumpta nulli unquam Sponſæ obtigerunt. Beata Maria, Joſephi Sponſa, fuit quidem fœcunda, & ſemper Virgo: non tamen e latere ſui ſponſi progenita. Heva, e contrario, fuit ex latere Adami procreata, & fœcunda: non tamen ſemper Virgo. At Eccleſia Chriſti Sponſa omnia ſimul nacta eſt. Ac primo, quod fœcunda ſit, patet ex illo Galat. 4. 31. *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ*. Quod Virgo, ex illo 2. Corinth. 11. 2. *Deſpondi vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*. Quod ex latere Chriſti, colligunt plerique ex illo Joan. 19. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & aqua*. Quomodo autem intelligendum ſit, dicam cap. 4.

16. Dicitur *Domus Dei*, quia tametſi Deus ubique ſit, ut ipſemet fatetur apud Jerem. c. 23. 24. *Cælum, & terram ego impleo*: tamen peculiari modo habitat in Eccleſia, tanquam in domo ſua, propter ſpecialem aſſiſtentiam & gubernationem, ut 4. concluſione explicandum eſt. Hanc domum ipſe ſibi ædificavit ſupra firmam petram, ut nunquam ruitura ſit. (Matth. 16. 18.) In hac habet diſpenſatorem familiæ ſuæ, (Luc. 12. 42.) in hac generat filios per Baptiſmum, inſtruit per prædicationem Euangelii, nutrit per Euchariſtiam, ſanat per Pœnitentiam, & Extremam unctionem. In hac habet vaſa omnis generis aurea, & argentea, lignea, & fictilia (2. Timoth. 2. 20.) In hac celebrat convivium nuptiale. (Matth. 22. 2.) Deniq; extra hanc neminem ſalvum eſſe vult, ut paulo poſt videbimus.

17. Di-

17. Dicitur *& columna, & firmamentum veritatis*, quia eſt columna firma, & ſtabilis, quæ a veritate deflectere non poteſt, & ſua firmitate, ac ſtabilitate ſuſtentat ſuos filios, ne a veritate aberrent. Adverſarii paulo aliter explicant. Ajunt Eccleſiam dici columnam, & firmamentum veritatis: vel *quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, quam in Eccleſia*, ut voluit Beza in commentario: vel quia *Eccleſia eſt fida cuſtos veritatis Dei*, ut interpretatur Calvinus libro 4. Inſtit. cap. 1. §. 19. Vel ut loquitur in commentario, *quia veritatem præconio ſuo celebrat, quia puram, & ſinceram retinet, quia ad poſteros tranſmittit*: vel denique, ut loquitur in cap. 43. Iſaiæ v. 10. *Quia veritatem tuetur, & propagat, ut a poſteris in omne ævum colatur*. Hæc omnia ſervient nobis pro quarta concluſione.

CONCLUSIO TERTIA.

Extra hanc viſibilem Eccleſiam nemo poteſt ſalvari.

18 ITa paſſim docent Patres. Auguſt. l. de unitate Eccleſiæ c. 19. *Ad ipſam vero ſalutem*, inquit, *ad vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum: Habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia*. Et Epiſt. 10. ad Bonifacium Comitem, ſub finem. *Eccleſia Catholica ſola eſt corpus Chriſti, cujus ille caput eſt, Salvator corporis ſui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus*. Et paulo poſt: *Non habent itaque Spiritum Sanctum, qui ſunt extra Eccleſiam*. Et Epiſt. 125. ad Donatiſtas. *Quiſquis ergo ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod a Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*. Et S. Gregorius lib. 14. Moralium, cap. 2. *Sancta univerſalis Eccleſia prædicat, ſalvari veraciter, niſi intra ſe, non poſſe: aſſerens, quod omnes, qui extra ipſam ſunt, minime ſalvantur*.

19. Conſentiunt adverſarii. Calvinus lib. 4. c. 1. §. 4. *Verum*, inquit, *quia non de viſibili Eccleſia diſſerere propoſitum eſt, diſcamus vel uno Matris elogio, quam utilis ſit nobis ejus cognitio, imo neceſſaria, quando non alius eſt in vitam ingreſſus, niſi nos ipſa concipiat in utero, niſi pariat, niſi alat ſuis uberibus, denique ſub cuſtodia, & gubernatione ſua nos tueatur, donec exuti carne mortali ſimiles erimus Angelis*. Et paulo poſt: *Extra ejus gremium nulla eſt ſperanda peccatorum remiſſio, nulla ſalus*. Et rurſum §. 12. *Tria*, inquit, *hic*

nobis obſervanda ſunt. Primum, quantalibet ſanctitate polleant filii Dei, hac tamen conditione ſemper eſſe, quamdiu in mortali corpore habitant, ut ſine peccatorum remiſſione conſiſtere nequeant coram Deo. Deinde hoc beneficium ſic eſſe Eccleſiæ proprium, ut non aliter eo fruamur, quam ſi permaneamus in illius communione. Tertio per Eccleſiæ Miniſtros, & Paſtores nobis diſpenſari, vel Euangelii prædicatione, vel Sacramentorum adminiſtratione.

20. Et Philippus Melanchton in examine ordinandorum, titulo de Eccleſia: *Non loquimur*, inquit, *de Eccleſia, ut de Idea Platonica, ſed monſtramus Eccleſiam, juxta dictum: Dic Eccleſiæ. Hic neceſſe eſt intelligi viſibilem Eccleſiam.* Et mox quærit, An neceſſe ſit, ſingulos homines ſalvandos fieri cives hujus Eccleſiæ viſibilis? Et reſpondet his verbis: *Prorſus neceſſe eſt.*

21. Ejus rei variæ aſſignantur cauſæ ab Auguſtino ſer. 181. de temp. Prima, quia in ſola Eccleſia immolatur hoſtia Redemptionis. Altera, in ſola vinea laborantes mercedem denarii accipiunt. Tertia, omnes, qui extra arcam Noe fuerunt, diluvio extincti ſunt. Quarta, membrum, quod non manet in corpore, vitam habere non poteſt. Quinta, ramus præciſus ab arbore non poteſt germinare. Sexta, rivus a fonte ſeparatus areſcit. Alii hanc addunt: Chriſtus eſt Sponſus Eccleſiæ: At Chriſtus non eſt adulter, nec generat filios ex adultera: Ergo non generat filios niſi ex Sponſa ſua Eccleſia. Nemo ergo filius Chriſti eſt, niſi Matrem agnoſcat Eccleſiam. Huc ſpectat Cyprianus in libro de unitate Eccleſiæ, cum ait: *Non habet Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem.* Et Auguſtinus lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 13. *Si quis abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus eſt a numero filiorum. Nec habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.*

22. Eodem pertinet vaticinium Iſaiæ cap. 60. 11. *Aperientur portæ tuæ jugiter, die, ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim, & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.* Quibus verbis duo prædicit: Unum, quod Eccleſia Chriſti futura ſit viſibilis, quæ pateat omnibus gentibus, ſi velint intrare. Alterum, quod omnes ſint perituri, qui eam ingreſſi non fuerint.

CONCLUSIO QUARTA.

Hæc viſibilis Eccleſia non poteſt deficere, vel errare in fide.

23. HÆc concluſio non debet intelligi de aliqua parte Eccleſiæ, ſed de tota Eccleſia. Nam certum eſt aliquam Eccleſiæ partem, id eſt, aliquos Chriſtianos errare poſſe, & reipſa erraſſe. Erravit Arrius, negans Chriſti Divinitatem. Erravit Macedonius, negans Spiritus ſancti Divinitatem. Erravit Neſtorius aſſerens duas in Chriſto perſonas. Erravit Eutyches, & Dioſcorus aſſerentes unam in Chriſto naturam. Errarunt Pelagiani, negantes peccatum originale, & neceſſitatem gratiæ. Errarunt Donatiſtæ, & alii plures. Qui omnes propter ſuos errores ab Eccleſia damnati, & tanquam putrida membra, abſciſſi ſunt.

24. At quæſtio eſt, an tota Eccleſia Chriſti, ſeu tota multitudo Chriſtianorum, quatenus ex paſtoribus, & ovibus conflata eſt, poſſit errare in aliquo puncto, vel articulo fidei? Vel, ut clarius dicam, an Chriſtus, qui Eccleſiam ſuam gubernat, permiſſurus ſit, ut ipſa tota, quatenus toto orbe diffuſa eſt, publice profiteatur aliquod dogma, quod ſit contra fidem, vel Euangelium? Hic a nobis diſſentiunt Adverſarii. Ajunt totam Eccleſiam viſibilem, quæ primis quingentis annis habuit veram fidem, & religionem, poſtea erraſſe, & multis ſæculis, uſque ad tempora Lutheri, in errore perſtitiſſe. Vel, ut alii loquuntur, totam periiſſe, & defeciſſe, non quod perierint, & defecerint homines, ex quibus conflata eſt Eccleſia viſibilis, ſed quod defecerit eorum fides, & ſincera religio. Ita paſſim Lutherani, & Calviniſtæ.

25. Sed manifeſte refelluntur ex conceſſis. Primo, quia ipſi concedunt eſſe articulum fidei, dari Eccleſiam Chriſti viſibilem, quæ ſancta, & Catholica ſit: & hoc ſenſu interpretantur illud, quod in Symbolo profitemur, *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*, ut ſupra oſtenſum eſt. At Articuli fidei ſemper ſunt veri, nunquam falſi: Ergo ſemper verum eſt, dari Eccleſiam Chriſti viſibilem, quæ ſancta, & Catholica ſit. Ergo falſum eſt, totam Chriſti Eccleſiam viſibilem poſt primos quingentos annos defeciſſe, & multis ſæculis nullam fuiſſe viſibilem Chriſti Eccleſiam. Nam ſi ita eſſet, non licuiſſet tunc dicere: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*.

26. Secundo, concedunt etiam adverſarii, Eccleſiam viſibilem eſſe Sponſam Chriſti, ut concluſione ſecunda dictum eſt. Hinc formo duplex argumentum: Unum ex parte Sponſi, qui indiſſolubili vinculo conjunxit ſibi Eccleſiam viſibilem, tanquam

ſponſam perpetuam, ut explicat Apoſtolus Epheſ. 5. 31. & prædictum eſt ab Oſea c. 2. 19. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*. Ergo nunquam ab ea ſeparari poteſt. Alterum ex parte Sponſæ, quæ ad perpetuam ſubjectionem, & fidem conjugalem obligavit ſe ſuo Sponſo, ut inſinuat idem Apoſtolus, cum ait: *Sicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis ſubditæ ſint in omnibus*. Quaſi dicat, Eccleſia eſt norma, ſeu exemplar ſubjectionis, & fidelitatis, cui mulieres conformare ſe debent. At non eſſet norma fidelitatis, ſi poſt aliquos annos deficeret a ſuo Sponſo, & fieret adultera. Unde Cyprianus lib. de unitate eccleſiæ: *Adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica*.

27. Tertio. Eccleſia viſibilis eſt Domus Dei, de qua Chriſtus in Euangelio Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Ubi duo promittit. Primo, quod velit Eccleſiam ſuam ædificare ſuper petram. Secundo, quod portæ inferi non ſint eam expugnaturæ. In utroque alludit ad id, quod Matth. 7. 24. dixerat, ſapientem architectum eſſe, qui ædificat domum ſuper petram: ſtultum qui ſuper arenam. Cauſam addit, quia quando oritur aliqua vehemens tempeſtas, mox corruit illa, quæ ſuper arenam; non altera, quæ ſuper petram fundata eſt. Chriſtus ergo voluit imitari ſapientem architectum, & ædificare Eccleſiam ſuam ſuper terram, ut nulla ventorum, aut imbrium vi poſſit diſturbari. Hinc patet, eos magnam injuriam irrogare Chriſto, qui aſſerunt, Eccleſiam ab ipſo ædificatam poſſe deficere, & reipſa defeciſſe. Nam inde ſequitur, non ſuper petram, ſed ſuper arenam fuiſſe ædificatam: ac proinde Chriſtum fuiſſe ſtultum, non ſapientem architectum, imo fuiſſe mendacem; quod promiſerit ſe ſuper petram ædificaturum, & non fecerit: quod dixerit portas inferi non prævalituras, & prævaluerint. Hoc argumento uſi ſunt plerique Patres, ut poſtea videbimus.

28. Quarto, Eccleſia viſibilis dicitur *columna, & firmamentum veritatis*, triplici ſenſu, ut ſupra dixi. Primo, quia eſt columna firma, & ſtabilis, quæ a veritate deflectere non poteſt, ut explicant Catholici. Secundo, quia eſt fida cuſtos veritatis, eamq; puram, & ſinceram ad poſteros tranſmittit, ut vult Calvinus. Tertio, quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, niſi in Eccleſia, ut interpretatur Beza. Hinc ſumo triplex argumentum. 1. Si Eccleſia viſibilis eſt columna firma, & ſtabilis, quæ a veritate deflectere non poteſt, certum eſt, non poſſe errare in fide. 2. Si eſt fida cuſtos veritatis, nunquam ſua culpa amittit veritatem: aut ſi illam amittit, non eſt fida illius cuſtos. 3. Si veritas non alibi habi-

habitat, quam in Eccleſia viſibili: ergo vel ſuperioribus ſæculis non habitavit veritas in hoc mundo, vel ſi habitavit, non alibi, quam in Eccleſia viſibili habitavit. Neceſſe ergo eſt, fuiſſe Eccleſiam viſibilem.

29. Quinto, Nemo poteſt ſalvari extra Eccleſiam viſibilem, ut cum Catholicis diſerte fatetur Calvinus. At ſemper aliqui ſalvantur: ergo ſemper durat Eccleſia viſibilis. Falſum ergo eſt, Eccleſiam viſibilem multis ſæculis non extitiſſe. Nam ſi non extitiſſet multis ſæculis, nemo fuiſſet ſalvatus. Periiſſent igitur omnes majores noſtri, quotquot ante Lutherum per aliquot ſæcula toto orbe vixerunt. Quis hoc credat?

30. Atque hæc argumenta ſumpta ſunt ex conceſſione Adverſariorum. Accedunt alia ex Scripturis. Primum ex Iſaia, qui capite 54. nihil aliud, quam de Eccleſiæ Chriſti fœcunditate, amplitudine, firmitate, perpetuitate, & victoria contra hæreticos, & alios hoſtes vaticinatur. Ac inter cætera ſic eam alloquitur in perſona Dei v. 4. *Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces*. Confunderetur autem, & erubeſceret, ſi erraret in fide. Et v. 10. *Montes commovebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non movebitur*; i. e. etiamſi montes de loco ſuo moverentur, & colles contremiſcerent, non tamen miſericordia mea recedet a te, & fœdus pacis meæ, quod tecum inii, fixum, & irrevocabile manſurum eſt. Et v. 11. *Ecce ego ſternam per orbem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos*, ideſt, ego ita fundabo, & ſtabiliam te, ut tempeſtate convelli non poſſis; ita muniam te portis, & propugnaculis, ut futura ſis inexpugnabilis. Et v. 17. *Omne vas, quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi in judicio condemnabis*, ideſt, Omnes adverſarii, quos Diabolus contra te excitabit, non habebunt ſucceſſum, & omnes hæreticos, qui tibi reſiſtent in cauſa fidei, ac religionis, de errore convictos condemnabis. Quod etiam factum eſt hactenus.

31. Secundum ex verbis Chriſti, (quæ plane conſpirant cum verbis Iſajæ) Matth. 16. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Quæ jam explicata ſunt. Sed audiamus Auguſt. lib. 1. de ſymbolo ad Catechumenos, cap. 6. ubi ait: *Ipſa eſt Eccleſia Sancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa. Ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua. Portæ inferorum non vincent eam*. Ubi manifeſte loquitur

de Eccleſia viſibili, ex qua exeunt hæretici. Non enim exeunt ex inviſibili, in qua ſoli prædeſtinati ſunt, quia in ea nunquam fuerunt. Igitur ex ſententia Auguſtini Eccleſia viſibilis eſt Una, Vera, Sancta, Catholica, quæ a portis inferorum vinci, aut expugnari non poteſt.

33. Tertium ſimiliter ex verbis Chriſti, Matth. 28. 19. *Euntes in mundum univerſum docete omnes gentes*, &c. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*, quaſi dicat: Ego mitto vos in univerſum orbem, ut apud Ethnicos prædicetis Euangelium, & Sacramenta adminiſtretis. Occurrent quidem multa pericula, & adverſitates, quia Diabolus, qui ubique habet ſuos cultores, & idololatras, crudeliſſime vos perſequetur: ſed forti eſtote animo. Ego non deſeram vos. Adero vobis, & ſucceſſoribus veſtris, uſque ad finem mundi. Ego, inquam, adero, qui nuper dixi: *Non relinquam vos orphanos*. (Joan. 14. 18.) Ego, qui dixi: *Confidite, ego vici mundum*, (Joan. 16. 33.) Ego, contra quem *Princeps hujus mundi non habet quicquam*. (Joan. 14. 30.) Ego, cui Pater promiſit, *Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. (Pſalm. 109. 2.)

34. Hoc etiam teſtimonio utitur Auguſtinus Conc. 2. in Pſ. 101. contra Donatiſtas, ubi introducit Eccleſiam ita loquentem cum Chriſto: *Quid eſt, quod neſcio, qui recedentes a me murmurant contra me? Quid eſt, quod perditi me periiſſe contendunt? Certe enim hoc dicunt, quia fui, & non ſum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Quamdiu ero in iſto ſæculo? Annuncia mihi propter illos, qui dicunt: Fuit, & jam non eſt: apoſtatavit, & periit Eccleſia de omnibus gentibus. Et annuntiavit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Hic adverte, quomodo Auguſtinus per latera Donatiſtarum confodiat Lutheranos, & Calviniſtas, qui etiam dicunt, quod illi dicebant: *Eccleſia Catholica jam non eſt, ſed fuit: apoſtatavit, & periit*. Contra quos ſimiliter licebit exclamare: Quid eſt, quod neſcio, qui recedentes a me murmurant contra me? Quid eſt, quod perditi me periiſſe contendunt? Nonne tu Domine dixiſti, *Ecce ego tecum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi?* Certe non dixiſti: Ecce tecum ſum quingentis annis, & poſtea per aliquot ſæcula te deſeram, uſque ad tempora Lutheri, & Calvini; ſed diſerte, *omnibus diebus uſque ad finem mundi*.

35. Denique, omnia argumenta, quibus olim Auguſtinus, & alii Patres contra Donatiſtas uſi ſunt, valent etiam contra Lutheranos, & Calviniſtas. Et quidem potiori jure. Ut hoc melius intelligatur, prius explicandum, quid olim Donatiſtæ docuerint

de

de Eccleſia, quid nunc Lutherani, & Calviniſtæ doceant. Donatiſtæ docuerunt, Eccleſiam Catholicam, quæ antea toto orbe fuerat diſperſa, poſtea toto orbe periiſſe, propter crimen Cæciliani Epiſcopi, & ſolum remanſiſſe in ea parte Africæ, quæ Donato adhærebat, ut teſtatur Auguſtinus in lib. de hæreſ. c. 69.

36. Idem fere docent Lutherani, & Calviniſtæ. Nam primo aſſerunt, Eccleſiam Catholicam, quæ primis quingentis annis toto orbe fuerat diffuſa, poſtea propter crimina Pontificis (quem Antichriſtum vocant) toto orbe periiſſe. Secundo, ita penitus periiſſe, ut nuſquam, nec in Europa, nec in Aſia, nec in Africa, ſalva, & incolumis permanſerit, ſed ubique adultera, & apoſtatica fuerit deprehenſa. Tertio, poſtea nihilominus in ea parte Europæ, quæ Luthero adhærebat, revixiſſe. In primo, & tertio puncto ſimiles ſunt Donatiſtis. In ſecundo, deteriores. Igitur, quidquid Auguſtinus, & alii Patres contra Donatiſtas olim ſcripſerunt, id vel pari, vel potiori ratione contra Lutheranos, & Calviniſtas ſcripſiſſe putandi ſunt.

37. Cum ergo Eccleſia Chriſti, ut hactenus oſtenſum eſt, non poſſit deficere, vel errare in fide, propter peculiarem Spiritus ſancti aſſiſtentiam, quam Chriſtus illi promiſit: magna omnino debet eſſe ejus authoritas in negotio fidei, ac religionis. Hanc authoritatem ſæpe commendat Auguſt. ut lib. contra Epiſt. Manichæi, cap. 5. cum ait: *Ego vero Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas*. Et lib. de utilitate credendi ad Honoratum, c. 17. *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus, dubitemus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel ſummæ profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ*. Notent hoc adverſarii.

38. Porro in Eccleſiæ authoritate fundatur communis hæc regula, quam Catholici perpetuo urgent: *Nemo poteſt errare in fide, & religione, qui ſentit, quod tota Eccleſia ſentit*. Vel, quod idem eſt, Unuſquiſque tuto, ac ſecure poteſt id amplecti, aut reſpuere, quod tota Eccleſia amplectitur, aut reſpuit. Hanc regulam ubique tenuit Auguſtinus, & ex ea definivit hæc puncta. Primo, orandum eſſe pro mortuis, (lib. de cura pro mortuis c. 1.) Secundo, Parvulos eſſe baptizandos, (Epiſt. 28. ad Hieronymum.) Tertio, Parvulis prodeſſe fidem eorum, a quibus ad Baptiſmum offeruntur (lib. 3. de libero arbitrio, c. 23.) Quarto, Hæreticos non eſſe rebaptizandos, (lib. 1. contra Creſconium Gram-

Grammaticum c. 33.) Quinto, librum Matthæi Euangeliſtæ Canonicum eſſe, non librum Manichæi, qui illi contrarius eſt (lib. 28. contra Fauſtum cap. 2.) Sexto, Hæreticis, & Schiſmaticis non eſſe præciſam ſpem ſalutis, ſi reſipiſcant, (lib. inchoatæ expoſitionis Epiſt. ad Rom. poſt medium.)

39. Denique, ut ſemel dicam omnia, in omnibus ſequendum eſſe judicium Eccleſiæ. Epiſtola 118. ad Januarium cap. 5. *Ad hæc*, inquit, *ita reſpondeo; ſi divinæ ſcripturæ præſcribit Authoritas; non ſit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus; ut jam non quomodo faciendum, ſed quomodo ſacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similiter etiam, ſi quid horum tota per orbem frequentet Eccleſia. Nam & hinc, quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.*

40. Hæc Auguſtinus. Et quamvis aliqua ex ſupradictis punctis, quæ ex ipſo allata ſunt, ſoleant probari ex Traditione Apoſtolica, ut c. 2. *§. 6.* & ſequentibus oſtenſum eſt, hoc tamen non obſtat, quominus poſſint etiam probari ex authoritate Eccleſiæ; præſertim cum ex praxi, judicio, & authoritate Eccleſiæ debeamus cognoſcere, quænam ſint Traditiones Apoſtolicæ, & quæ non ſint.

41. Nos cum Auguſtino eandem regulam amplectimur, & ex ea ſpeciatim deducimus, eos non errare, qui defendunt Purgatorium, ſacrificium Miſſæ, Invocationem ſanctorum, Exorciſmum, & ſimilia, quæ conſenſu totius Eccleſiæ, antequam Lutherus, & Calvinus naſcerentur, recepta, & approbata ſunt. Adverſarii ſi hanc regulam reſpuunt, nihil certi habere poſſunt in rebus fidei, ac religionis, ut in Epit. hujus capitis demonſtrabo. Nunc videamus, quid ipſi objiciant contra ea, quæ hactenus dicta ſunt.

PRIMA OBJECTIO.

42. PRimo ſic objiciunt: Synagoga Judæorum ſæpe defecit a fide: Ergo etiam Eccleſia poteſt deficere; cum ſit par ratio. Antecedens probatur, quia primo defecit tempore Moyſis, quando Aaron cum toto populo adoravit vitulum. Exodi 12. 4. Secundo tempore Heliæ, quando nullus manſit fidelis, niſi ſolus Helias: ut ipſemet conqueritur, 3. Reg. 19. 4. *Derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Tertio, tempore Iſaiæ, & Jeremiæ, quando omnes receſſerunt a Deo. Iſaiæ 1. 7. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit.* Et Jer. 2. 13. *Duo mala fecit populus*

meus:

mens: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Et 2. Paral. 15. 3. *Tranſibunt multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque Sacerdote, Doctore, & abſque lege.* Quarto tempore Chriſti, quando tota Synagoga cum omnibus ceremoniis ſuis expiravit.

43. Reſpondeo, quidquid ſit de antecedente, de quo paulo poſt, neganda eſt conſequentia. Non enim ſequitur: Synagoga defecit: Ergo Eccleſia deficiet. Primo, quia Eccleſia habet promiſſionem de ſua firmitate, ac ſtabilitate, quam Synagoga non habuit. Non enim de Synagoga, ſed de Eccleſia dictum eſt: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Secundo. Eccleſia eſt libera, Synagoga fuit ancilla. Et illa deſignatur per Saram, quæ fuit uxor Abrahæ; hæc per Agar, quæ fuit ancilla. (Gal. 4. 24.) At Agar fuit dimiſſa, & repudiata, non item Sara. Ergo ſimiliter Synagoga debuit repudiari, non item Eccleſia. Tertio. Eccleſia eſt Catholica, ſeu univerſalis, non ſolum ratione loci, ſed etiam ratione hominum ſalvandorum. Quotquot enim ſalvantur, in Eccleſia ſalvantur: & extra illam ſalvari nemo poteſt. Igitur, ſi deficeret tota Eccleſia, nullus omnino ſalvaretur. At ſynagoga non erat Catholica, ſeu univerſalis, quia extra illam poterant homines ſalvari, ut Ninivitæ, & alii. Tametſi ergo defeciſſet tota ſynagoga, adhuc tamen potuiſſent homines ſalvari.

44. Hæc de conſequentia. In probatione antecedentis multa aſſumuntur, quæ examinanda ſunt. Primum eſt, ſynagogam tempore Moyſis, in adorando vitulo, a fide defeciſſe. Falſum eſt. Non defecit tota ſynagoga, ſed pars ejus. Non enim defecit Moyſes, nec Levitæ, & Sacerdotes, ut patet ex illo 32. 36. *Videns ergo Moyſes populum, ait: Si quis eſt Domini, jungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filii Levi. Erant autem filii Levi viginti duo millia*; ut habetur Num. 3. 39.

45. Alterum eſt, Synagogam tempore Heliæ, Iſajæ, & Jeremiæ defeciſſe a fide. Hic opus eſt diſtinctione. Nam eo tempore duo regna pertinebant ad ſynagogam: alterum Juda, quod conſtabat duabus, alterum Iſrael, quod conſtabat decem tribubus. Hoc poſterius ſtatim a principio, ſub primo Rege Jeroboam, defecit a vera fide, & publice cœpit idola adorare. (3. Reg. 12. 18.) Et in eo ſtatu permanſit uſque ad Captivitatem, juxta illud 4. Reg. 17. 22. *Ambulaverunt filii Iſrael in univerſis peccatis Hieroboam, quæ fecerat, & non receſſerunt ab eis, uſquequo Dominus auferret Iſrael a facie ſua in Aſſyrios.* Nihilominus ſemper aliqui fuerunt in illo regno, qui abſtinerent ab idololatria, & verum Deum agnoſcerent, etiam tempore Heliæ. Nam cum ipſe

puta-

putaret ſe ſolum relictum eſſe, audivit reſponſum a Deo, 3. Reg. 19. 18. *Dereliqui mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.*

46. In regno Juda aliter res ſe habuit. Nam aliqui Reges fuerunt boni, & cultores veri Dei; ut Aſa, Joſaphat, Azarias, Joathan, Ezechias, & Joſias, ſub quibus vera religio vel reſtaurata, vel conſervata eſt. Alii mali, & idololatræ, ut Achaz, Manaſſes, Amon. Alii denique non quidem idololatræ, ſed tamen mali. Semper tamen in templo Salomonis videtur manſiſſe uſus ſacrificiorum ſecundum legem Moſaicam uſq; ad Captivitatem Babylonicam, ut colligitur ex illis verbis 2. Machab. 1. 19. *Cum in Perſidem ducerentur Patres noſtri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte abſconderunt in valle, ubi erat puteus altus, & ſiccus.* Loquitur de igne celitus a Deo miſſo, quo utebantur Sacerdotes in quotidianis ſacrificiis. (Lev. 9. & 10) Igitur ignis ille fuit conſervatus in templo uſque ad illud tempus, quo Judæi in Perſidem captivi abducebantur.

47. Tertium eſt, ſynagogam tempore Chriſti defeciſſe. Hoc verum eſt: Non quod tunc defecerit a vera fide, quam antea profitebatur, ſed quia tunc repudiata eſt cum ſuis ceremoniis, & ſacrificiis, & in ejus locum ſucceſſit Eccleſia Chriſti. At non ſequitur, hanc ſimiliter repudiandam. Imo contrarium ſequitur. Primo, quia, ut ante dixi, Synagogam repræſentabat Ancilla Abrahæ, quæ fuit repudiata: Eccleſiam vero uxor Abrahæ, quæ non fuit repudiata. Secundo, ſynagoga propterea fuit repudiata, quod neque perfecta eſſet, neq; ſufficiens ad ſalutem, juxta illud Hebr. 7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Et hoc ſenſu ceremoniæ, & ſacramenta ſynagogæ vocantur ab Apoſtolo *infirma, & egena elementa*, Gal. 4. 9. At Eccleſia Chriſti eſt perfecta, & ſufficiens ad ſalutem, quia ſacramenta ipſius, quæ a Chriſto inſtituta ſunt, habent vim juſtificandi, & tollendi peccata. Unde Auguſtinus in Pſ. 73. *Sacramenta*, inquit, *novi teſtamenti dant ſalutem: ſacramenta veteris Teſtamenti promiſerunt Salvatorem.* Tertio, ſynagoga continebat umbram futurorum. (Hebr. 10. 1.) Eccleſia continet lucem, quæ eſt Chriſtus. (Joan. 1. 9.) At umbra neceſſario deficit, accedente luce. Debuit igitur ceſſare ſynagoga cum ſacrificiis Moſaicis, quando venit Eccleſia cum Chriſto. Quarto ſynagoga erat inſtituta pro ſervis, Eccleſia pro filiis. At ſervi accipiunt temporalem mercedem a ſuis Dominis, & ſic dimittuntur: filii autem ſuccedent in perpetuam hæreditatem. Quod inſinuat Apoſtolus ad Galat. 4. 30. *Ejice ancillam, & filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.*

Se-

Secunda objectio.

48. Secundo ſic objiciunt. Eccleſia deficiet a fide tempore Antichriſti, ut prædixit Apoſt. 2. Theſſ. 2. 3. *Niſi venerit diſceſſio primum*, (id eſt, defectio a fide,) *& revelatus fuerit homo peccati*, id eſt, Antichriſtus, &c. At jam pridem revelatus eſt Antichriſtus, quem conſtat eſſe Pontificem Romanum: Ergo jam pridem Eccleſia defecit a fide. Reſpondeo. Minor aperte falſa eſt. Major dupliciter poteſt intelligi. Primo, de defectione omnium fidelium. Secundo, de defectione aliquorum. Priori modo falſa eſt, non ſolum ex noſtra, ſed etiam adverſariorum ſententia. Nam ipſi dicunt, Antichriſtum jam veniſſe, & tamen negant omnes fideles defeciſſe a fide; alioquin faterentur ſe quoque defeciſſe, cum & ipſi ſuo judicio fideles ſint. Poſteriori modo vera eſt, quia aliqui fideles deficient a fide tempore Antichriſti. Quod tamen mirum non eſt. Nam a tempore Apoſtolorum ſingulis ætatibus aliqui defecerunt, ut Nicolaitæ, Marcioniſtæ, Novatiani, Arriani, Donatiſtæ, Pelagiani, Severiani, Iconomachi, Cathari, Vualdenſes, Anabaptiſtæ, & plures alii.

49. An vero Apoſtolus, qui adducitur ad probationem majoris, loquatur de defectione a fide, certum non eſt. Multi putant, illum loqui de defectione ab Imperio Romano, ut D. Hieronym. epiſt. 151. ad Algaſiam, q. 11. *Niſi*, inquit, *venerit diſceſſio primum, græce dicitur Apoſtaſia, ut omnes gentes, quæ Romano Imperio ſubjacent, recedant ab eo: Et niſi Romanum Imperium fuerit antea deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet, qui ideo venturus eſt, ut Antichriſtum deſtruat*. Idem ſentiunt Tertullianus lib. de reſurrect. carn. c. 24. & multi in Commentario illius loci. Sed quidquid ſit de ſenſu verborum Apoſtoli, certum eſt non totam Eccleſiam, ſed aliquos de Eccleſia defecturos a fide tempore Antichriſti; quod non eſt contra nos.

Tertia objectio.

50. Tertio objiciunt illud Dan. 9. 27. *Deficiet hoſtia, & ſacrificium*. Quod interpretantur de defectione Eccleſiæ. Reſpondeo: Extant clariſſima teſtimonia in contrarium, quæ hactenus citata ſunt. Cur unum illud ex Daniele, quod obſcurum eſt, his omnibus anteponunt? Nimirum in hac re imitantur Donatiſtas, qui, ut oſtenderent Eccleſiam in ſola Africa remanſiſſe, citabant illud Cant. 1. 6. *Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie*. Unde ſic ra-

ratiocinabantur. Eccleſia cubat in meridie: Ergo Eccleſia cubat in Africa. Extra Africam ergo non eſt. Quos refellit Auguſtinus in lib. de unitate Eccleſiæ, cap. 19. hoc potiſſimum argumento: Multa ſunt clara Scripturæ teſtimonia, quæ docent Eccleſiam toto orbe diffuſam eſſe: Ergo male faciunt Donatiſtæ, cum ex uno obſcuro teſtimonio conantur probare Eccleſiam eſſe in Africa.

51. Verba Auguſtini ſunt hæc: *Scrutamini Scripturas Canonicas, & eruite aliquid manifeſtum, quo demonſtretis Eccleſiam in ſola Africa remanſiſſe, &c. Aliquid proferte, quod non egeat interprete, nec unde convincamini, quod de alia re dictum ſit, & vos illud ad veſtrum ſenſum detorquere conemini. Videtis enim nunc illud unicum, quod proferre conſueviſtis, ubi paſcis, ubi cubas in meridie, quemadmodum excuſſis omnibus ejuſdem loci verbis longe aliud indicat, quam vos putatis. Et ſi hoc ſonaret, quod vultis, Maximinianiſtæ vos in eo vincerent. Magis enim meridies Provincia Byzantium, Tripolis, ubi illi ſunt, quam in Numidia, ubi vos præpolletis. Ita ipſi poſſunt germanius, & diſtinctius gloriari de meridie, ut eos excludere ab hac ſententia non poſſitis, niſi in illis verbis verum ſenſum, & Catholicum teneatis. Aliquid ergo proferte, quod non contra vos verius interpretetur, ſed quod interprete omnino non egeat: Sicut non eget interprete*, Terra tua orbis terrarum, &c. *Sicut non eget interprete*, Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, &c. *Sicut non eget interprete*, Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in tota Judæa, & Samaria, & uſque in totam terram, &c.

52. Simili modo refellendi ſunt noſtri Adverſarii. Scrutentur Scripturas Canonicas, & eruant aliquid manifeſtum, quo demonſtrent, Eccleſiam a fide defeciſſe. Aliquid proferant, quod non egeat interprete. Sicut non eget interprete, *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Sicut non eget interprete, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Sicut non eget interprete, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Sicut non eget interprete, *Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis*. Et quæ ſimilia ſunt. Nam illud, quod proferunt ex Daniele, *Deficiet hoſtia, & ſacrificium*, nihil ipſis patrocinatur, niſi ipſi ſint interpretes. Nam alii non interpretantur de defectione Eccleſiæ Chriſtianæ, ut ipſi; ſed de defectione Synagogæ Judæorum. Ex eo autem, quod Synagoga defecerit, non ſequitur, Eccleſiam quoque defeciſſe, aut defecturam eſſe. Imo contrarium, ut ſupra oſtendi.

Quar-

Quarta objectio.

53. Quarto ſic objiciunt. Eccleſia comparatur Lunæ, ut patet ex Scriptura, & Patribus: At Luna aliquando deficit. Ergo etiam Eccleſia aliquando deficit. Reſp. Hic iterum apparet eos, qui hoc objiciunt, degeneres eſſe filios Eccleſiæ. Habent clara, & aperta teſtimonia pro innocentia, & integritate ſuæ Matris, ut jam oſtenſum eſt. Cur ſine cauſa quærunt occaſionem calumniandi? Cur quæ a Scriptura, & Patribus optimo ſenſu dicta ſunt, ſiniſtre interpretantur? Eſto ſane: Eccleſia ſit ſimilis Lunæ, ſed in quo illi ſimilis eſt? An in eo, quod ſicut Luna ſæpe deficit, ſic etiam Eccleſia ſæpe deficiat? Hoc dicunt, qui oderunt Eccleſiam. In quo ergo? In his potiſſimum.

54. Primo, ſicut Luna in principio menſis exigua eſt, ac deinde paulatim creſcit, donec plena, & perfecta ſit: ita Eccleſia in principio ſui ortus exiguum terræ locum occupabat; at poſtea ita crevit, ut tandem toto terrarum orbe diffunderetur. Sic Auguſtinus in Pſalmum 103. circa illum verſiculum: *Fecit Lunam in tempora*, ubi ait: *Intelligimus ſpiritualiter Eccleſiam creſcentem de minimo, &c. Quando obſcura erat Eccleſia, quando nondum apparebat, &c. Modo quam cæcus eſt, qui plena Luna errat.*

55. Secundo, ſicut Luna accipit lumen corporale a Sole, ita Eccleſia accipit lumen fidei, ac ſanctitatis a Chriſto. Sic idem Auguſt. in Pſ. 10. *Luna*, inquit, *intelligitur Eccleſia, quod ſuum lumen non habeat, ſed ab unigenito Dei Filio, qui multis locis in ſanctis Scripturis allegorice Sol appellatus eſt, illuſtratur.* Et Philo Epiſcopus Carpathius in Cantica Canticorum: *Lunæ comparatur Eccleſia, propterea quod quidquid habet divini luminis, id a juſtitiæ Sole illo immobili, atque Divino accipit.*

56. Tertio, ſicut Luna mutationi obnoxia eſt, ita etiam Eccleſia in hac vita. Nam aliquando fruitur pace, aliquando patitur perſecutiones; nunquam tamen deficit. Sic Ambroſ. l. 4. Hexam. c. 2. *Eccleſia tempora habet perſecutionis, & pacis. Nam videtur ſicut luna deficere, ſed non deficit. Obumbrari poteſt, deficere non poteſt.*

57. In his ergo conſiſtit ſimilitudo inter Lunam, & Eccleſiam; non item in defectione. Nam Eccleſia nunquam deficit in fide: ſemper firma, ſtabilis, ac immobilis eſt. Et ex hac parte non Lunam, ſed terram imitatur, juxta illud Gregorii magni in Pſal. 5. Pœnitentialem: *Eccleſia dicta eſt terra, quia in ſoliditate fidei, perpetua firmitate, immobiliter perſeverat.*

58. Mi-

58. Miror vero adverſarios, cur hanc unam ſimilitudinem allegent in præjudicium Eccleſiæ, cum ſint multæ aliæ, quæ in favorem, & commendationem illius allegari poterant. Nam in Scripturis, & Patribus, Eccleſia non ſolum Luna per allegoriam vocata eſt, ſed etiam Sol, Hortus concluſus, Fons ſignatus, Paradiſus, Columba ſpecioſa, Civitas Dei, Terra viventium, Mulier amicta ſole, Regina in veſtitu deaurato. Quæ omnia honorifica ſunt. Si eſſent boni Eccleſiæ filii, merito hos titulos ſuæ Matri tribuerent, & ab omni calumniandi ſtudio abſtinerent. Nunc quia ſecus faciunt, inter eos computari debent, de quibus ſcriptum eſt, Iſaiæ 12. *Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me.*

CONCLUSIO QUINTA.

Eccleſia Romana, ſeu Pontificia eſt vera Chriſti Eccleſia, de qua hactenus dictum eſt.

59. Nota, Eccleſiam Romanam dupliciter ſumi poſſe. 1. Pro illa Eccleſia particulari, quæ olim Romæ fuit, & nunc eſt. 2. Pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe diſperſi, adhærebant olim Romano Pontifici, & nunc etiam adhærent. Et hoc poſteriori ſenſu habet varia nomina. 1. Dicitur Catholica, ſeu univerſalis, quia toto orbe diffuſa. 2. Pontificia, quia Pontifici ſubjecta. 3. Romana, a nobiliori ſui parte.

60. Igitur in hac concluſione loquimur de Romana Eccleſia poſteriori modo ſumpta, & aſſerimus eam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, cujus proprietates hactenus explicatæ ſunt. Quod ſic oſtendo. Viſibilis Chriſti Eccleſia non poteſt deficere, aut errare in fide, ut probatum eſt: Ergo a tempore Apoſtolorum ad nos uſque ſemper manſit viſibilis Chriſti Eccleſia ſine ulla interruptione, aut errore: At nulla alia viſibilis præter Romanam, ſeu Pontificiam manſit ſine ulla interruptione, aut errore. Ergo ſola Romana, ſeu Pontificia eſt viſibilis Chriſti Eccleſia. Minorem probo inductione: quia Judaica abrogata, & repudiata eſt per mortem Chriſti, Turcica, ſeu Mahometanica non ſemper fuit. Calviniana, & Lutherana, quam reformatam vocant, nova eſt. Cœpit enim cum ipſa reformatione, (a qua nomen habet) quæ a Luthero, & Calvino, ut ipſorum aſſeclæ dicunt, facta eſt. Sola Pontificia hucuſque perſeveravit.

61. Quid hic reſpondebunt Adverſarii? An putant aliam præ-

præter Pontificiam, viſibiliter, & ſine errore ſemper extitiſſe? Si putant, dicant, obſecro, quæ illa ſit? quo nomine appelletur? quas mundi partes occupaverit, & adhuc occupet? quos Paſtores, & Epiſcopos habuerit, & adhuc habeat? Qui Reges, & Imperatores illi adhæſerint, & adhuc adhæreant? Qui hæretici ab illa damnati; quæ Academiæ confirmatæ? quæ templa, & monaſteria erecta? Hic non evadent, ſat ſcio.

62. Non deſunt tamen, qui oppreſſi hoc argumento fingant Eccleſiam quandam in cunis jacentem, ac vagientem, quæ nec fari poſſit, nec fidem profiteri. Ajunt enim, Eccleſiam Chriſti aliquot ſæculis tam fuiſſe corruptam, ac vitiatam, ut nulli in ea fuerint veri fideles, niſi infantes baptizati. Et ſine dubio intelligunt Eccleſiam Romanam, ſeu Pontificiam, quam putant ſuperioribus ſæculis penitus defeciſſe, niſi quod ſoli infantes legitime in ea baptizati, tanquam vera ipſius membra, permanſerint. Miſerum perfugium, & ipſis adverſariis pernicioſum. Nam ipſi paſſim docent, duas eſſe notas Eccleſiæ, nempe ſinceram prædicationem Euangelii, & legitimam ſacramentorum adminiſtrationem, ex quibus vera Chriſti Eccleſia dignoſci debeat, & ſine quibus conſiſtere non poſſit; ut videre eſt in confeſſione Auguſtana, art. 7. & in Apolog. ejuſdem, & in Calvino lib. 4. Inſt. cap. 1. §. 9. 10. & 11. At hæ duæ notæ non conveniunt Eccleſiæ, in qua ſoli infantes baptizati ſunt; quia ſoli infantes nec poſſunt ſincere prædicare Euangelium, nec legitime adminiſtrare Sacramenta; Ergo Eccleſia, in qua ſoli infantes ſunt, non eſt vera Chriſti Eccleſia.

63. Alii habent aliud effugium. Ajunt, ſemper in Eccleſia fuiſſe unum, aut alterum cordatum virum, qui Papæ contradixerit, cujuſmodi diverſis temporibus fuerunt Joannes Vvicleph, Joannes Huſſ, Lutherus, Calvinus. Æque inepte. Nam primo, dicant mihi, quis fuerit ille unus, vel qui duo cordati viri, qui ante Vviclephum per ſingula ſuperiora ſæcula Papæ contradixerint? Si neſciunt, quare temere affirmant? Si ſciunt, edicant eorum nomina, locum habitationis, & cæteras circumſtantias. Non poterunt. Secundo, Eccleſia Chriſti non eſt deterioris conditionis, quam fuerit Synagoga Judæorum, cum Eccleſia ſit Domina, Synagoga ancilla: (ad Galatas 4. 22.) At Synagoga nunquam fuit tam deſerta, ut duo tantum viri in ea reperirentur; imo tempore Heliæ, cum putabatur deſertiſſima, ſeptem millia virorum in ea reperta ſunt (Rom. 9. 4.) Cur ergo adverſarii fingunt, Eccleſiam Chriſti fuiſſe aliquando tam deſertam, ut duo tantum viri in ea reperti fuerint? Quod manifeſte

repugnat Scripturæ, quæ apud Iſaiam teſtatur, Eccleſiam Chriſti multo fœcundiorem, & ampliorem fore, quam fuerit Synagoga. (Iſaiæ 54. 1.) Tertio, Donatiſtæ plus tribuebant Eccleſiæ, quam hi faciunt. Nam illi, tametſi dicerent, Eccleſiam toto orbe periiſſe, & in ſola Africa remanſiſſe; non tamen auſi ſunt aſſerere, quod hi aſſerunt, remanſiſſe aliquando in duobus tantum viris, qui Papæ contradixerint. Si ergo illi, qui melius ſentiebant de Eccleſia, quam hi noſtri adverſarii ſentiunt, nihilominus ab Auguſtino, & aliis Patribus damnati ſunt, tanquam hæretici; quid de his noſtris fieri oportere exiſtimandum eſt?

CONCLUSIO SEXTA.

Eccleſia Lutheranorum, & Calviniſtarum, quam ipſi Reformatam vocant, non eſt vera Chriſti Eccleſia.

64. PRobatur primo ex dictis, quia una tantum eſt Chriſti Eccleſia: Si ergo Romana, & Pontificia, in qua nos ſumus, eſt vera Chriſti Eccleſia, certe reformata, in qua Adverſarii ſunt, vera Chriſti Eccleſia eſſe non poteſt. Alioqui, cum hæc ab illa diſſideat, eſſent duæ Chriſti Eccleſiæ inter ſe diverſæ, ac diſcrepantes, quod eſt abſurdum.

65. Secundo. Vera Eccleſia eſt Sponſa Chriſti: At reformata Eccleſia non eſt Sponſa Chriſti: Ergo non eſt vera Eccleſia. Major ſuperius probata eſt. Minorem probo ex principiis adverſariorum, quæ ſunt hæc tria. 1. Romanam Eccleſiam primis quingentis annis, aut circiter, fuiſſe veram, & legitimam Chriſti Sponſam. 2. Tandem poſt illud tempus cœpiſſe paulatim proſtitui, & corrumpi; ac eo tandem deveniſſe, ut tempore Lutheri publica meretrix, & adultera deprehenſa ſit, ideoque a Chriſto repudiata. 3. In ejus locum ſucceſſiſſe Eccleſiam Reformatam, in qua Lutherani, & Calviniſtæ ſunt. At hinc ſequuntur multa abſurda. Primo, omnia falſa eſſe, quæ de perpetua, & indiſſolubili conjunctione Chriſti cum Eccleſia a Prophetis, & Apoſtolis prædicta ſunt. Secundo, nullum ex hac parte diſcrimen eſſe inter Eccleſiam Chriſti, & Synagogam Judæorum. Utramque enim propter adulterium fuiſſe repudiatam. Tertio, Chriſtum aliquot ſæculis non habuiſſe Sponſam, ſed adulteram. Quarto, ex hac adultera natos eſſe Lutherum, & Calvinum. Itaque ſpurios eſſe, non legitimos Eccleſiæ filios. Quinto,

to, Eccleſiam reformatam eſſe illorum novercam, non matrem. Videant ipſi, an hæc vera ſint.

66. Nos certe aliter ſentimus de noſtra matre. Non duas, ſed unam agnoſcimus; non adulteram, ſed caſtam; non repudiatam, ſed ſponſo ſuo unice charam, & perpetuo illi adhærentem. Nobiſcum ſentiunt, quotquot veri, & genuini Eccleſiæ filii ſunt. Ac in primis D. Auguſtinus ſerm. 12. de tempore (qui eſt ſermo 8. de Natali Domini) ubi de Chriſto, & ejus Sponſa ſic habet: *Hic eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum, ſanctæ filius Mariæ, ſanctæ ſponſus Eccleſiæ, quam ſuæ genitrici ſimilem reddidit. Nam & nobis eam Matrem fecit, & Virginem ſibi cuſtodivit. Ad hanc quippe dicit Apoſtolus: Aptavi vos uni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto. De qua rurſus dicit: Matrem noſtram, non ancillam, ſed liberam, cujus multi filii, & ſicut Mariæ, perpetua virginitas, & incorrupta fœcunditas.* Et ſerm. 50. de verbis Domini: *Chriſtus Eccleſiæ conceſſit in ſpiritu, quod mater ejus habet in corpore, ut & Mater, & Virgo ſit.* Et rurſum ſerm. 119. de tempore: *Virgo eſt Eccleſia. Dicturus es mihi forte; Si Virgo eſt, quomodo parit filios? Reſpondeo: Et Virgo eſt, & parit. Mariam imitatur, quæ Dominum peperit. Nunquid non Virgo Sancta Maria & peperit, & Virgo permanſit? Sic & Eccleſia & parit, & Virgo eſt.*

67. Ex quibus Auguſtini verbis tria colligo. Primo, Eccleſiam eſſe noſtram Matrem. Secundo, eſſe ſimul Virginem, caſtam, incorruptam, non ad breve tempus, ſed perpetuo. Tertio, in utroque ſimilem eſſe Mariæ Dei genitrici, quæ & ipſa Mater, & nihilominus ſemper Virgo, & incorrupta fuit. Hinc ſumo duplex argumentum contra adverſarios. Unum, ſicut olim habiti ſunt hæretici, qui dicebant Beatam Mariam non ſemper manſiſſe Virginem, ita nunc habendi hæretici, qui dicunt Eccleſiam non ſemper manſiſſe Virginem. Eſt enim eadem ratio utriuſque, ſecundum Auguſtinum. Alterum, ideo Eccleſia dicitur Mater, quia nos gignit in Spiritu: Ideo Virgo, quia ſervat incorruptam fidem. At ſemper manet Virgo ſecundum Auguſtinum; Ergo ſemper ſervat incorruptam fidem. Faceſſant igitur, qui illam meretricem, adulteram, idololatricam contumelioſe appellant, &c.

68. Tertio, in vera Chriſti Eccleſia viget donum miraculorum: At in Eccleſia Reformata, in qua Lutherani, & Calviniſtæ ſunt, non viget donum miraculorum: Ergo non eſt vera Chriſti Eccleſia. Major patet ex Apoſtolo 1. Corinth. 12. ubi confert Eccleſiam Chriſti cum humano corpore. Nam ſicut in huma-

no corpore ſunt multa membra, quæ habent diverſa officia, & actiones: ita in Eccleſia ſunt multi fideles, qui habent diverſa dona a Deo conceſſa. Nam alius habet donum miraculorum, alius interpretationis ſcripturæ, alius aliud. Rurſum, ſicut membra abſciſſa ab humano corpore non poſſunt exercere ullam functionem humani corporis: (nam oculus erutus non poteſt videre, nec auris abſciſſa poteſt audire: & ſic deinceps) ita homines abſciſſi ab Eccleſia non poſſunt habere donum miraculorum, quod ſoli Eccleſiæ datum eſt. Minor probatur, quia nullum unquam miraculum a Lutheranis, aut Calviniſtis patratum eſt: Ut veriſſime de illis ſcripſerit Eraſmus in Diatribe de lib. arb. *Nullum eorum adhuc extitiſſe, qui vel equum claudum ſanare potuerit.* Et tamen ſi verum eſſet, quod ipſi clamant, noſtram Eccleſiam hactenus erraſſe, ac ſe a Deo ſpecialiter vocatos eſſe ad eam reformandam, maxime fuiſſet neceſſarium, hanc ipſorum vocationem vel uno ſaltem miraculo confirmari. Quod nunquam factum.

69. Quarto: Vera Chriſti Eccleſia non poteſt errare in fide, cum ſit *columna, & firmamentum veritatis*. Eccleſia Reformata poteſt errare in fide. Ergo non eſt vera Chriſti Eccleſia. Major fuſe probata eſt ſuperius. Minorem coguntur Adverſarii concedere. Ajunt enim, ut ſæpe dictum eſt, totam Chriſti Eccleſiam errare poſſe: Et Pontificiam, quæ olim fuit vera Chriſti Eccleſia, de facto erraſſe. Ex quo ſequitur, totam quoque ipſorum Eccleſiam errare poſſe, ideoq; neminem apud eos ſecurum, aut tutum eſſe de ſua fide. Vel enim ſequuntur Eccleſiam ſuam, vel ab ea diſſentiunt. Si illam ſequuntur, nihil certi habent, ſi ipſa errare poteſt. Si ab ea diſſentiunt, magis perplexi ſunt; quia ſi tota ipſorum Eccleſia errare poteſt, multo magis ſinguli ipſorum poſſunt.

70. Quod magis confirmo ex duobus principiis, quæ ipſi ſtatuunt. Unum eſt, Pontificiam Eccleſiam non ſubito, ſed ſenſim defeciſſe a fide, ac tandem omni fide abjecta, adulteram factam eſſe. Alterum, defectionem illam initio fuiſſe latentem, & occultam, adeo ut nec locus, nec tempus, nec aliæ circumſtantiæ illius certo deſignari potuerint. Tandem tamen poſt aliquot ſæcula a Luthero, & Calvino publice fuiſſe notatam, & deprehenſam. Ex utroque ſic concludo: Quod contigit Eccleſiæ Pontificiæ, poteſt etiam contingere Eccleſiæ Reformatæ: At Pontificia, ut Adverſarii dicunt, ſenſim, latenter, & occulte defecit a fide, nobis non advertentibus. Ergo etiam Reformata poteſt ſenſim, latenter, & occulte deficere, ipſis non advertentibus. Quid ſi ergo jam defecerit, & ipſi non adverterint? Imo

quo-

quomodo poſſunt advertere, ſi defectio latens, & occulta eſt? Manent ergo incerti de ſua fide, & Eccleſia.

71. Hic plane conſtricti ſunt, nec video, quid poſſint reſpondere. Nam, quod aliqui dicunt Eccleſiam non poſſe errare, vel deficere a fide, quamdiu ſequitur verbum Dei, fruſtra eſt. Primo, quia argumentum, quod jam poſui, repetam hoc modo: Quidquid contigit Eccleſiæ Pontificiæ, poteſt etiam contingere Eccleſiæ Reformatæ. At Pontificia, ut ipſi volunt, ſenſim, latenter, & occulte deſeruit verbum Dei, nobis non advertentibus. Ergo etiam Reformata poteſt ſenſim, latenter, & occulte deſerere verbum Dei, ipſis non advertentibus. Quid ſi ergo jam deſeruerit, & ipſi non adverterint? Nunquam elabentur ex hoc labyrintho, ſemper manebunt dubii, & incerti de ſua fide, niſi nobiſcum aſſerant, totam Eccleſiam errare, aut deficere non poſſe.

72. Deinde, unde conſtabit Adverſariis, an noſtra, vel ipſorum Eccleſia ſequatur verbum Dei, nec ne? Nos noſtram defendimus, illi ſuam. Quis dirimet hanc litem? Deſignent ipſi infallibilem Judicem, qui ſententiam ferat. Non poſſunt. Vel enim deſignabunt ipſum verbum Dei, vel Eccleſiam, vel ſingulos, qui ſunt in Eccleſia, vel aliquos ex illis. At primo, ſi deſignent verbum Dei, nos vicimus. Nam verbum Dei expreſſe aſſerit, Eccleſiam eſſe columnam veritatis, quam nullæ inferorum vires everſuræ ſint. Idem nos aſſerimus. Si ergo, hoc judice, cauſa definienda eſt, victoria noſtra eſt. Si autem deſignent Eccleſiam, contra ſe faciunt. Vel enim ſententia Eccleſiæ infallibilis eſt, vel falli poteſt. Si infallibilis eſt, errant ipſi, qui dicunt, errare poſſe. Si falli poteſt, iterum errant, quia cum debeant aſſignare Judicem infallibilem, deſignant Eccleſiam, quam ajunt falli, & errare poſſe. Denique, ſi deſignent vel ſingulos, vel aliquos eorum, qui in Eccleſia ſunt, magis deſipiunt. Si enim tota Eccleſia errare poteſt, quanto magis ſinguli, qui in Eccleſia ſunt, errare poſſunt?

73. Forte dicturi ſunt, duplicem eſſe Eccleſiam: unam viſibilem, in qua boni, & mali permixti; alteram inviſibilem, in qua ſoli prædeſtinati ſunt. Totam viſibilem errare poſſe: non item inviſibilem. Sed hoc etiam fruſtra: imo qui hoc dicunt, ſecum ipſi pugnant. Nam omnes prædeſtinati, quos ajunt eſſe in Eccleſia inviſibili, ſunt etiam in Eccleſia viſibili; ergo ſi tota viſibilis errare poteſt, omnes etiam prædeſtinati errare poſſunt: Aut, ſi hi non poſſunt, nec tota Eccleſia viſibilis poteſt. Quod autem prædeſtinati omnes ſint in Eccleſia viſibili, ne Adverſarii

quidem negare poſſunt. Et ratio manifeſta eſt, quia nullus ſalvatur extra Eccleſiam viſibilem, ut concluſione 3. ex illorum conceſſione probatum eſt: At omnes prædeſtinati ſalvantur; Ergo nullus prædeſtinatus eſt extra Eccleſiam viſibilem.

74. Ex dictis colligo duplex dilemma in adverſarios. Unum eſt: Vel tota Eccleſia viſibilis erravit in fide ante ortum Lutheri, vel non erravit; ſi tota erravit; omnes, & ſingulos Chriſtianos erraſſe neceſſe eſt, etiam prædeſtinatos: Nulla igitur tunc erat fides in terris: Unde igitur Lutherus eam accepit? ſi non erravit, cur Adverſarii fingunt erraſſe? cur eam, ut errantem, deſerunt?

75. Alterum: Vel tota Eccleſia reformata, in qua Lutherani, & Calviniſtæ ſunt, poteſt errare in fide, ipſis non advertentibus, vel non poteſt: Si non poteſt, quomodo Pontificia potuit? Si poteſt, quid ſi jam erret, & ipſi non advertant? Repeto, quod ſupra dixi, ſemper dubios, ac incertos fore, quamdiu ſentiunt Eccleſiam errare poſſe. Deponant hunc errorem, & id ſentiant de matre Eccleſia, quod majores noſtri ſenſerunt. Sic futurum eſt, ut amplius non errent.

EPILOGUS HUJUS CAPITIS

De Eccleſia.

76. EX iis, quæ hoc Capite dicta ſunt, magnam conſolationem, & ſecuritatem percipiunt Catholici in negotio fidei, ac religionis, Adverſarii e contrario confuſionem, & diffidentiam. Nam Catholici cum Auguſtino, ut ſupra dixi, ſequuntur hanc certam, ac fixam regulam: *Tota Eccleſia viſibilis non poteſt errare in fide.* Ex qua tria inferunt. 1. Romanam Eccleſiam, quam Adverſarii concedunt primis trecentis, aut quandringentis annis fuiſſe veram Chriſti Eccleſiam, hactenus non erraſſe in fide. 2. Tutos ac ſecuros ſe eſſe in fide, quamdiu publice profitentur id, quod Romana Eccleſia toto orbe diffuſa publice profitetur. 3. Se in defenſione Romanæ Eccleſiæ ſimiles eſſe probis filiis, qui Matri ſuæ honorem deferunt, & ſubſidium præſtant.

77. Adverſarii tenent contrariam hanc regulam: *Tota Eccleſia poteſt errare in fide, & de facto erravit.* Ex qua ſimiliter tria infero. 1. Totam ipſorum Eccleſiam errare poſſe. 2. Neminem apud eos ſecurum eſſe de fide. 3. Omnem eorum conatum, quo contendunt Romanam Eccleſiam erraſſe, & adulteram factam eſſe, eo ſpectare, ut fateantur ſe eſſe ſpurios, & adulterinos. Nam illi

illi ſpurii, & adulterini ſunt, qui naſcuntur ex matre adultera: At Lutherus, Calvinus, & ſimiles Miniſtri nati ſunt ex Eccleſia Romana, ſeu Pontificia: Ergo ſi illa Eccleſia tunc fuit adultera, neceſſe eſt ipſos ex adultera natos eſſe. Quis ergo illorum parens eſt? Hoc viderint eorum nepotes, qui nunc ſunt, &c.

CAPUT IV.

De Capite Eccleſiæ.

1. PEr Caput Eccleſiæ nihil aliud intelligimus, quam Principem, Primatem, Gubernatorem, Paſtorem Eccleſiæ. De hoc Capite ſic ſentiunt Catholici. 1. Chriſtum, cum eſſet in hac vita, fuiſſe viſibile Caput Eccleſiæ. 2. Poſt Aſcenſionem Chriſti Petrum fuiſſe ejus Vicarium in eadem Eccleſia viſibiliter gubernanda. 3. Romanum Pontificem Succeſſorem Petri in eadem gubernatione. Itaque & Chriſtum fuiſſe viſibile Caput Eccleſiæ & ſimiliter Petrum fuiſſe, & nunc Pontificem eſſe. Loquor autem de Capite viſibili, quia Chriſtus poſt Aſcenſionem eſt Caput inviſibile, ut paulo poſt explicabo. De hoc ergo triplici Capite multa dixi in libris de Republica Eccleſiaſtica contra Marcum Antonium, quæ hic compendio repetam.

De Chriſto ſupremo Eccleſiæ Capite, ſeu Monarcha.

2. Certum eſt, Chriſtum eſſe Caput, ſeu Monarcham Eccleſiæ. Hoc enim diſerte docet Apoſtolus, Epheſ. 1. 22. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus: Et ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Et cap. 4. 15. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus.* Et cap. 5. 23. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Caput Eccleſiæ.* Et Coloſſ. 1. 18. *Et ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ.*

3. In hoc puncto ſentiunt nobiſcum Adverſarii. Aliqui tamen diſſentiunt in his. 1. Quando Chriſtus cœperit eſſe caput Eccleſiæ? 2. An ſit Caput viſibile, an tantum inviſibile? 3. An ſolus Chriſtus ſit Caput Eccleſiæ? Marcus Antonius, novus Apoſtata, ſic ſtatuit: 1. Chriſtum non fuiſſe Caput Eccleſiæ in hac vita, ſed cœpiſſe eſſe Caput illius poſt Aſcenſionem, quia tunc primum Eccleſia ab Apoſtolis ædificata eſt. 2. Chriſtum eſſe Caput inviſibile tantum, non viſibile. 3. Nec aliud eſſe Caput Eccleſiæ, præter Chriſtum, neque viſibile, neque

inviſibile. Quæ omnia falſa ſunt, ut patebit ex ſequentibus Concluſionibus.

4. Prima Concluſio. Chriſtus in hac vita exiſtens fundavit, ſeu ædificavit ſuam Eccleſiam: Et Apoſtoli eandem poſt Chriſti Aſcenſionem auxerunt, & propagarunt. Prior pars probatur. 1. Quia Chriſtus in hac vita inſtituit miniſtros Eccleſiæ, nempe duodecim Apoſtolos, & ſeptuaginta duos diſcipulos, quorum hi Presbyteri fuerunt, illi Epiſcopi. 2. In hac vita inſtituit nova ſacramenta. 3. Inſtituit novum Sacerdotium, & Sacrificium. 4. Sancivit novas leges Euangelicas. 5. Condidit novum Teſtamentum, cujus ipſe mediator eſt. 6. Hæc omnia perfecit, & confirmavit per mortem in cruce, cum dixit: *Conſummatum eſt*. Deinde poſt reſurrectionem, cum hinc diſceſſurus eſſet, dixit Apoſtolis ſuis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Et Petro ſeorſim: *Paſce oves meas*. Quid amplius requiri poterat ad fundandam, & ædificandam Eccleſiam?

5. Tria objicit M. Antonius. Primo illud Pſalm. 2. 8. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: Nimirum poſtquam *adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Quibus verbis promittitur Chriſto Eccleſia poſt mortem, & paſſionem. Quo etiam pertinet illud Iſaiæ 53. 11. *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit ſemen longævum*, ideſt Eccleſiam ſuam, ut interpretatur Antonius. Reſpondeo: Aliud eſt Eccleſiam fundari, & ædificari, aliud augeri, & propagari, ut initio dixi. Fundata, & ædificata eſt ante Aſcenſionem Chriſti, quando Miniſtri illius ordinati, Sacramenta inſtituta, & leges ſancitæ ſunt. Aucta, & propagata poſt Aſcenſionem Chriſti, quando per orbem diffuſa eſt, & gentiles ad illam admiſſi ſunt. Et hoc ſignificatur illis verbis; *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Simile fuit de Synagoga. Nam illa quidem fundata, & ædificata eſt prope montem Sinai, quando Sacramenta, & Sacrificia Moſaica inſtituta, quando Lex data, & Teſtamentum effuſione ſanguinis confirmatum eſt: Aucta vero, & dilatata poſt ingreſſum in terram promiſſionis, quando per Judæam, Samariam, & Galilæam fuit diſperſa, & quotidie plures in eam admiſſi, &c.

6. Quod objicitur ex Iſaia, ſic legendum eſt: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum*, ideſt: Si Chriſtus fuerit mortuus pro peccato humani generis, videbit multos filios, quos ſibi tam ex Judæis, quam ex gentibus per

meritum ſuæ paſſionis, & mortis acquiſiturus eſt. Quod etiam ſignificatur verbis ſequentibus, ubi Deus Pater de Chriſto loquens, ait: *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt*. Neque hinc ſequitur, Eccleſiam Chriſti poſt Aſcenſionem ab Apoſtolis fundatam eſſe. Solum ſequitur, Eccleſiam Sponſam Chriſti, quæ ab ipſo fundata eſt, ſucceſſu temporis habituram multos filios; qui cum antea fuiſſent ſpolia Dæmonum, poſtea liberandi eſſent ab illa ſervitute, & cum Chriſto regnaturi. (Vide Luc. 11. 12.)

7. Secundo objicit, paſſim dici a Theologis, Eccleſiam de latere Chriſti fluxiſſe, ideſt poſt paſſionem Chriſti fuiſſe inchoatam. Reſpondeo: Antonio probandum eſt, poſt Aſcenſionem Chriſti fuiſſe inchoatam. Hoc inde non probat, ſed contrarium. Deinde male interpretatur ſententiam Theologorum. Nam illi nihil aliud dicunt, quam Eccleſiam Chriſti non proprie, ſed ſymbolice, & meritorie fluxiſſe, vel formatam eſſe ex latere Chriſti. Symbolice quidem, quia ex latere Chriſti fluxerunt aqua, & ſanguis, quæ erant ſigna, vel ſymbola ſignificantia Baptiſmum, & Euchariſtiam, præcipua Eccleſiæ Sacramenta. Meritorie vero, quia Sacramenta Baptiſmi, & Euchariſtiæ omnem ſuam vim habent ex merito paſſionis, & mortis Chriſti. Ita Cyrillus libro duodecimo in Joannem, capite decimonono. Chryſoſtomus homilia octogeſimaquarta in Joannem. Cornelius a Lapide in Commentario, capite quinto ad Epheſios, verſu vigeſimo: & alii.

8. Tertio objicit, Chriſtum non dixiſſe: *Super hanc Petram ædifico*, ſed *ædificabo Eccleſiam meam*, quod poſt Aſcenſionem fecit per Apoſtolos, ut ait Antonius. Reſpondeo: Iterum ſibi contradicit. Nam paulo ante dicebat, id factum eſſe in morte Chriſti, quando ſanguis, & aqua fluxerunt de ejus latere: Nunc dicit factum eſſe poſt Aſcenſionem. At ego dico, tunc factum eſſe, quando Chriſtus ordinavit Sacerdotes, inſtituit Sacramenta, ſancivit Leges, condidit Teſtamentum, obtulit Sacrificium.

9. Ad majorem explicationem tria tempora diſtinguenda ſunt. Primum ante mortem Chriſti. Tunc ſimul viguit Synagoga vetus, & Eccleſia nova: Simul Baptiſmus, & Circumciſio: Simul Lex, & Euangelium. Alterum in morte Chriſti. Tunc exſpiravit Synagoga cum ſuis ceremoniis, & ſacrificiis: Tunc *velum templi ſciſſum eſt in duas partes*: Tunc Lex Moſaica abrogata eſt. (Hoc docet Auguſtinus Epiſt. 19. ad Hieronymum, & Hie-

& Hieronymus ipſe Epiſtola ad Auguſtinum, quæ eſt undecima inter Epiſtolas Auguſtini, & Divus Thomas in 1. 2. quæſt. 103. art. 3. ad 2. & alii paſſim) Tertium poſt mortem Chriſti. Tunc Synagoga ſepulta eſt. Tunc ceremoniæ, & ſacrificia Moſaica, quæ jam erant mortua, cœperunt fœtere: vel, ut Theologi loquuntur, cœperunt eſſe mortifera. An autem id factum ſit ſtatim, & immediate poſt mortem Chriſti, an vero poſt ſolemnem Euangelii promulgationem in die Pentecoſtes, vetus controverſia eſt. Hieronymus tenet priorem partem: Auguſtinus poſteriorem. Itaque ſecundum Auguſtinum a tempore mortis Chriſti uſque ad diem Pentecoſtes erant quidem mortua ſacrificia Moſaica, ideſt erant abrogata; non erant utilia ad ſalutem, non habebant vim, & energiam, quam ante habuerant: Sed tamen nondum erant mortifera, ideſt nondum afferebant mortem ſpiritualem; adhuc poterant uſurpari ſine peccato mortali. At poſt promulgatum Euangelium cœperunt mortiferum fœtorem exhalare, & qui ea tunc uſurpaſſet, mortali peccato ſe obſtrinxiſſet.

10. Maneat igitur certum, Eccleſiam a Chriſto ædificatam eſſe in hac vita. Sed tamen obiter notandum eſt, ſucceſſive, & non unico quaſi inſtanti ædificatam eſſe. Nam primo electi ſunt Apoſtoli, & Diſcipuli, (Matth. 4. verſ. 18.) deinde Baptiſmus præceptus eſt, Joan. 3. verſ. 5. *Amen, amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum Dei*. Poſtea idem Baptiſmus uſurpatus, Joan. 4. verſ. 2. *Ut autem cognovit JESUS, quia audiverunt Phariſæi, quod JESUS plures Diſcipulos facit, & baptizat, quàm Joannes (quamquam JESUS non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus) reliquit Judæam.* Tandem in ultima Cœna Sacramentum, & ſacrificium Euchariſticum inſtitutum, & Apoſtoli Sacerdotes ordinati ſunt. Denique cruentum novi Teſtamenti ſacrificium in ara crucis oblatum eſt: quo peracto, expirarunt omnia ſacrificia Moſaica; quia non erant niſi umbræ cruenti ſacrificii crucis. Umbram autem, præſente lumine, ceſſare neceſſe eſt. Poſtremo poſt reſurrectionem Chriſti poteſtas abſolvendi a peccatis data eſt omnibus Apoſtolis, & Petrus totius Eccleſiæ Paſtor conſtitutus eſt loco Chriſti. (Joannis vigeſimoprimo, verſu decimoſeptimo) Quæ autem poſtea contigerunt, pertinent ad alteram partem aſſertionis meæ, quæ jam ſequitur. Igitur

11. Altera pars concluſionis meæ eſt, Eccleſiam Chriſti, quæ ab ipſo Chriſto fundata eſt, poſtea ab Apoſtolis auctam, & propagatam eſſe. Quod etiam ſucceſſive factum eſt tribus modis.

modis. Primo, quia Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum ſolemniter promulgarunt Euangelium in Jeruſalem, Actor. 2. verſ. 17. Deinde, admiſerunt gentiles ad fidem, & Eccleſiam Chriſti, Actor. 10. 34. Deinde poſt multos annos, facta diviſione, diſperſi ſunt per orbem terrarum, ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam, Pſal. 18. 5. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Et quod tunc factum eſt, etiam nunc fit. Nam & hoc tempore multi Apoſtolorum imitatores mittuntur in Indiam, Japoniam, & alias Provincias, ut Eccleſia Chriſti nova ſemper acceſſione augeatur, & propagetur.

12. Ex dictis conſtat, in Eccleſiam Chriſti primo quidem admiſſos eſſe Apoſtolos, Diſcipulos, & alios plures ex populo Judæorum, vivente adhuc Chriſto in terris: Deinde etiam gentiles acceſſiſſe poſt Aſcenſionem Chriſti, & acceſſuros uſque in finem mundi. Et hoc conſtat ex Euangelio, ubi Chriſtus ait, Joan. 10. v. 14. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ*. Ergo jam tunc habebat oves in ſuo ovili, id eſt, in Eccleſia, nempe converſos ex populo Judæorum. Nam de illis dicebat: *Cognoſcunt me meæ*. Quod de gentilibus intelligi non poteſt. Illi enim non cognoſcebant Chriſtum eo tempore, id eſt, non credebant in Chriſtum; non erant in ovili Chriſti; non erant in Eccleſia. Erant tamen acceſſuri, quia mox ſequitur: *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere*. q. d. Gentiles non ſunt in meo ovili, ſed in ovili falſorum Deorum. Ex quo tamen eos adducam in meum ovile, per prædicationem Apoſtolorum. Et tunc erit unum ovile Judæorum, & Gentilium, & unus utrorumque Paſtor.

13. Secunda Concluſio. Chriſtus in hac vita exiſtens fuit viſibile Caput Eccleſiæ. Quod fuerit Caput, ſic probo. Chriſtus in hac vita exiſtens fundavit Eccleſiam, ut oſtenſum eſt: ergo in hac vita cœpit eſſe illius Caput; alioqui Eccleſia fuiſſet ſine capite, ſine Rectore, ſine Præſide, quod eſt abſurdum. Quod autem fuerit Caput viſibile, dupliciter probo. 1. Quia viſibiliter Eccleſiam ædificavit, inſtituendo nova Sacramenta, ordinando novos Miniſtros, & Sacerdotes, ſanciendo novas leges, offerendo novum ſacrificium in ara crucis. 2. Quia eandem viſibiliter gubernavit, docendo, monendo, increpando, corrigendo.

14. Objicit M. Antonius illud Apoſtoli, Epheſ. 1. v. 20. *Suſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dextram ſuam in cæleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem. Et omnia ſubjecit*

cit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. Unde concludit, Chriſtum factum eſſe Caput Eccleſiæ, poſtquam conſtitutus eſt ad dextram Patris. Reſpondeo: Aliud eſt, eſſe Caput Eccleſiæ; aliud agnoſci, & honorari ab omnibus, tanquam Caput Eccleſiæ. Chriſtus in hac vita fuit Caput Eccleſiæ; ſed poſt aſcenſionem ab omnibus agnitus, & honoratus eſt, tanquam Caput Eccleſiæ. Nam antea, cum verſaretur in hac vita mortali, tametſi revera eſſet caput, & fundator Eccleſiæ, habebatur tamen abjectus, & comtemptibilis, ut ipſemet fatetur per Prophetam, Pſalm. 21. verſ. 7. *Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* At in ipſa Aſcenſione cœpit exaltari, & glorioſus apparere, & ab omnibus, tanquam Filius Dei, adorari. Tunc dictum eſt, Pſalm. 23. 7. *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Nimirum qui dixit: *Ego vici mundum.*

15. Habemus ſimile exemplum ex eodem Apoſtoli teſtimonio. Nam Chriſtus ante aſcenſionem ſedebat ad dextram Patris, id eſt, habebat æqualem cum Patre potentiam, gloriam, & majeſtatem (ut explicant Athanaſius, Baſilius, Cyrillus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, & alii apud Bellarminum lib. 3. de Chriſto, cap. 15.) Et tamen Scriptura non aliter videtur loqui, quam ſi primum poſt aſcenſionem cœpiſſet ſedere ad dextram Patris. Quare hoc? Quia in hac vita mortali latebat Chriſti potentia, gloria, & majeſtas, & ſub humana carne, tanquam ſub vili pallio, occultabatur. At per reſurrectionem, & aſcenſionem cœpit fieri manifeſta, non ſolum apud homines in terra, qui videbant illum ad cœlum aſcendentem, (Actor. 19.) ſed etiam apud Angelos in cœlo, qui venerabundi, & gratulabundi illum ad ſe venientem excipiebant. (Iſaiæ 63. verſ. 1. & Philipp. 2. verſ. 9.)

16. Tertia Concluſio. Chriſtus in cœlo nunc exiſtens adhuc manet caput Eccleſiæ, non quidem viſibile, ſed inviſibile. Ratio eſt, quia per ſe non amplius gubernat Eccleſiam viſibili modo, ſicut antea fecerat, ſed tantum inviſibili. Nota. Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ, non proprie, ſed metaphorice, ſumpta ſimilitudine a capite humano. Sunt autem duo modi, quibus humanum caput gubernat reliqua membra. Unus per internum influxum, qui in eo conſiſtit, quod ex capite, tanquam ex fonte, ſeu principio derivantur ſpiritus ſenſitivi in reliqua membra. Unde fit, ut reliqua membra poſſint vitam conſervare, & ſuas fun-

functiones exercere. Alter per externam directionem, quæ in eo conſiſtit, quod caput per intellectum, voluntatem, viſum, auditum, & alios ſenſus, qui in eo vigent, dirigat reliqua membra in externis actionibus, ne aberrent: quo pacto per intellectum, & voluntatem dirigit manus, ne quid illicitum committant; Et per viſum dirigit pedes, ne in foveam incidant; & ſic deinceps.

17. Chriſtus in hac vita imitatus eſt utrumque gubernandi modum. Gubernavit enim Eccleſiam dupliciter. Primo, per internum influxum gratiæ, ſecundo, per externam directionem. At nunc in cœlo exiſtens, per ſe quidem gubernat Eccleſiam priori modo, nempe quoad internum influxum gratiæ: non tamen per ſe, ſed per Vicarium poſteriori modo, nempe quoad externam directionem.

18. Quæres, Quomodo Chriſtus dicitur gubernare Eccleſiam per internum influxum gratiæ? Reſpondeo. Chriſtus poteſt dupliciter conſiderari. 1. Quatenus eſt Deus. 2. Quatenus eſt homo. Utroque modo gubernat Eccleſiam per influxum gratiæ, ſed diverſa ratione. Nam quatenus eſt Deus, per ſe phyſice, & effective producit gratiam: quatenus homo, per ſe moraliter, & meritorie illam confert. Prior modus conferendi eſt illi communis cum Patre, & Spiritu Sancto: poſterior eſt illi proprius.

19. Quarta concluſio. Præter Chriſtum, qui nunc in cœlo eſt, debet eſſe aliquod viſibile Caput Eccleſiæ in terris, qui loco Chriſti viſibiliter gubernet Eccleſiam. Non loquor jam ſpeciatim de Petro, vel Pontifice, de quibus poſtea; ſed generatim aſſero debere eſſe aliquod viſibile Caput Eccleſiæ in terris, loco Chriſti abſentis: non quidem quoad internum influxum gratiæ, ſed quoad externam directionem, & gubernationem: Sicut in abſentia Regis ſolet aliquis conſtitui in regno, qui vicem illius ſuppleat in externa politia, præſertim ſi Rex longo tempore abſuturus eſt. Hoc probo tribus rationibus.

20. Prima ſumitur ex analogia Veteris, ac novi Teſtamenti, hoc modo: Synagoga Moſaica fuit umbra ſeu typus Eccleſiæ Chriſti. At Synagoga ſemper fuit gubernata ab uno viſibili Capite, nempe a Pontifice, cui reliqui omnes erant ſubjecti, ut patet ex libris Exodi, Levitici, & Deuteronomii; Ergo etiam Eccleſia ſemper debet gubernari ab uno viſibili Capite. Sequela patet, quia gubernari ab uno capite, perfectius eſt, quam gubernari a multis. Si ergo Synagoga, quæ fuit imperfectior, quam eſt Eccleſia, ſemper gubernata fuit ab uno Capite, majo-

majori ratione debet Eccleſia gubernari ab uno Capite.

21. Dices. Analogia in eo conſiſtit, quod ſicut Synagoga habuit unum Caput, nempe Pontificem, ita Eccleſia habeat unum Caput, nempe Chriſtum. Reſpondeo: Duplex analogia aſſignanda eſt: una, quoad internum influxum gratiæ: altera, quoad externam gubernationem. Prior in eo conſiſtit, quod ſicut Chriſtus per ſua merita prævisa contulit Synagogæ internam gratiam; ita per ſua merita jam exhibita multò abundantiorem gloriam conferat Eccleſiæ. Poſterior in eo, quod ſicut Moyſes Mediator veteris Teſtamenti fuit primum Caput viſibile Synagogæ, quoad externum regimen; ita Chriſtus, mediator novi Teſtamenti, fuerit primum Caput viſibile Eccleſiæ in externo regimine. Rurſum, ſicut poſt mortem Moyſis ſemper perſeveravit viſibile regimen Synagogæ; ita poſt Aſcenſionem Chriſti ſemper perſeveret viſibile regimen Eccleſiæ.

22. Ex utraque Analogia colliguntur hæc. 1. Inviſibile Caput Synagogæ, & Eccleſiæ, quoad internum influxum gratiæ, eſſe idem, nempe Chriſtum. 2. Viſibile Caput Synagogæ, & Eccleſiæ, quoad externam gubernationem, eſſe diverſum. Nam viſibile Caput Synagogæ ab initio fuit Moyſes, cui poſtea ſucceſſerunt Pontifices legales. Viſibile autem Caput Eccleſiæ ab initio fuit Chriſtus, cujus locum poſtea ſupplevit Petrus, & ejus ſucceſſores. 3. Moyſen fuiſſe figuram Chriſti quoad externam gubernationem. Nam ſicut Moyſes fuit Legislator, Mediator, & Princeps in veteri Teſtamento; ita Chriſtus in novo. 4. Pontifices veteris Teſtamenti fuiſſe typum, ſeu figuram Pontificum novi Teſtamenti. Nam ſicut illi in externo regimine præſidebant toti populo Judæorum; ita hi toti populo Chriſtianorum.

23. Secunda ratio ſumitur ex iis Scripturæ teſtimoniis, ubi Eccleſia comparatur cum exercitu bene ordinato. Cant. 6. 3. *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora, ſicut Jeruſalem; terribilis, ut caſtrorum acies ordinata*. Item cum regno, Dan. 2. 44. *Suſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur*. Item cum ovili, Joan. 10. 16. *Fiet unum ovile, & unus Paſtor*. Item cum domo, 1. Timoth. 3. 15. *Ut ſcias, quomodo oporteat te in Domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi*. Item cum humano corpore, 1. Cor. 12. *Sicut corpus unum eſt, & multa habet membra: ita & Chriſtus*. Si ita eſt, neceſſario ſequitur, ſicut exercitus bene ordinatus regitur ab uno Imperatore; regnum ab uno Rege; ovile ab uno paſtore; domus ab uno Patrefamilias; corpus humanum ab uno capite; ita etiam Eccle-

Eccleſiam gubernari ab uno rectore. Nec ſatis eſt, ſi dicas hunc unum Rectorem eſſe Chriſtum. Chriſtus quidem Rector eſt quoad internum influxum gratiæ, etiamſi abſens. Sed non poteſt eſſe quoad externam gubernationem, quando abſens eſt. Igitur alius debet eſſe illius loco. Quod patet ex metaphoris jam allatis. Nam ſicut in exercitu, quando procedit contra hoſtem, neceſſario debet adeſſe unus ſupremus Dux, aut in ejus abſentia aliquis illius Vicarius, qui omnia dirigat, & cui omnes reliqui obediant; ſic etiam ſervata proportione fieri debet in Eccleſia. Alioqui non erit unitas, ſed diviſio, ſchiſma, & diſſenſio.

24. Exemplo rem declarabo. Sint in uno exercitu duo, vel tres Imperatores cum pari poteſtate: quorum unus decernat pugnandum eſſe cum hoſte; alter quieſcendum; tertius, fugiendum; quid putas facturos milites? Alii cum hoc, alii cum alio conſpirabunt. Tolletur unitas, orietur ſchiſma, exercitus diſſipabitur. Applico. Sint in Eccleſia Chriſti, quæ unica eſt, plures Epiſcopi cum pari poteſtate, qui nullum in terra ſuperiorem agnoſcant. Unus eorum decernat, Eccleſiaſticos non obligari ad cœlibatum; alius contrarium ſtatuat; tertius in dubio relinquat: quid Clerici inferiores, qui Epiſcopis ſubjecti ſunt? Diſtrahentur in varias ſectas, & diſſidia. Quis rediget illos ad unitatem, ſi non eſt unus aliquis ſuperior, cui omnes teneantur obtemperare?

25. Tertia ratio ſumitur ex inſtitutione Chriſti, hoc modo. Primum regimen, quod Chriſtus in Eccleſia inſtituit, fuit viſibile, & Monarchicum, quoad externam gubernationem. Nam ipſemet Chriſtus, ut ſupra oſtenſum eſt, tanquam ſupremum Caput, & Monarcha, viſibiliter ſuam Eccleſiam fundavit, & gubernavit. Vel ergo poſt aſcenſionem Chriſti manſit viſibile, & Monarchicum regimen, vel mutatum eſt. Si manſit, neceſſe eſt, Eccleſiam poſt Chriſti aſcenſionem ſemper gubernatam fuiſſe ab uno viſibili Capite, ſeu Monarcha, quod nos contendimus. Si mutatum eſt, plane ſequitur, Eccleſiam ipſam mutatam eſſe, nec eandem nunc eſſe, quæ olim fuit. Sicut enim quælibet Reſpublica cenſetur mutari, teſte Philoſopho, quando modus, ſeu forma gubernandi mutatur; ſic etiam de Eccleſia ſtatuendum eſt: Atqui abſurdum eſt dicere, Eccleſiam Chriſti mutatam eſſe: Ergo abſurdum & illud, ex quo hoc ſequitur.

26. Multa objicit Marcus Antonius. Primo illud Rom. 12. 5. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius mem-*

membra. Ubi Apoſtolus (ut ille argumentatur) nullum aliud caput agnoſcit, niſi Chriſtum; Et inter membra corporis non minus includit Petrum, quam alios fideles. Imo omnes fideles vult eſſe membra non ſolum reſpectu Chriſti, ſed etiam reſpectu ipſorum inter ſe. Quod probat ex illis verbis: *Singuli autem alter alterius membra*. Igitur & Petrus, & Pontifex ſunt membra corporis Eccleſiæ, non ſolum ſi conferantur cum Chriſto, ſed etiam ſi conferantur cum aliis fidelibus. Non ſunt ergo Caput Eccleſiæ. Reſpondeo. Apoſtolus diſerte ibi loquitur de Chriſto, quatenus eſt Caput Eccleſiæ per internum influxum donorum gratiæ; Et ſic verum eſt, omnes fideles, etiam Petrum, & Pontificem eſſe membra, non caput. Omnes enim accipiunt gratiam a Chriſto tanquam a capite; nullus a Petro, vel Pontifice. Si autem ſermo ſit de Chriſto, quatenus eſt caput Eccleſiæ per externam gubernationem, tunc non ſolum ipſe, ſed etiam Petrus eſt caput; ille quidem primarium, & propria virtute, hic vero ſecundarium, & virtute ab illo participata.

27. Dices, ergo Eccleſia erit biceps, quia habebit duo capita. Reſpondeo: Nihil hic novum. Nam & Regnum Angliæ poſſet hoc ſenſu eſſe biceps, ſi Rex peregre proficiſcens relinqueret domi Vicarium, qui tantiſper Regnum adminiſtraret. Et de facto Regnum Luſitaniæ biceps eſt, quia Regem abſentem habet, & Proregem præſentem: utrumque, ut caput in externo regimine, ſed alterum alteri ſubordinatum. Idem dico de Eccleſia. Biceps eſt, quia habet duo capita, primarium, & ſecundarium. Accipite aliud exemplum ex Apoſtolo, Epheſ. 5. verſ. 23. *Vir*, inquit, *caput eſt mulieris*. At mulier, præter virum, qui caput ipſius eſt, habet etiam naturale caput in ſuo corpore. Igitur biceps eſt. Et ipſemet M. Antonius, contra quem diſputo, tria habet capita; unum in ſuo corpore, naturale; alterum in directione ſpirituali, Chriſtum; tertium in directione politica, Regem Angliæ. Nec ullum horum negare audet. Triplex igitur eſt. Non miraris?

28. Secundo objicit. Sicut caput, & reliqua membra hominis conſtituunt unum corpus integrum naturale, ita Chriſtus, & Eccleſia conſtituunt unum integrum corpus myſticum, quod conflatum eſt ex capite, & membris. (1. Corinth. 12.) Ergo omnes, præter Chriſtum, qui caput eſt, ſunt membra corporis Eccleſiæ. Ergo nullus, præter Chriſtum, eſt caput Eccleſiæ. Reſpondeo: Hæc objectio ſolvitur eodem modo, quo prior. Nam caput poteſt dupliciter conferri cum membris.

Pri-

Primo, quoad internum influxum, qui procedit a capite in reliqua membra. Et ſic unius corporis unum eſt caput. Secundo, quoad externum regimen; Et ſic unius corporis poſſunt eſſe duo capita. Quo pacto corpus mulieris habet unum caput, a quo recipit influxum ſpirituum ſenſitivorum: habet duo, a quibus regitur in externis actionibus. Nam & a proprio capite naturali, & a viro, qui caput ipſius morale eſt, gubernatur. Idem eſt de Eccleſia. Habet unum caput quoad influxum gratiæ: habet duo quoad externam gubernationem, quorum unum ſupplet vices alterius. Et priori modo ſolus Chriſtus eſt Caput, reliqui omnes ſunt membra: poſteriori non ſolum Chriſtus, ſed etiam Petrus eſt Caput, qui tamen priori modo erat membrum, & non Caput.

29. Quando ergo objicitur ex Apoſtolo, quod Chriſtus, & Eccleſia conſtituant unum integrum corpus myſticum, quod ex capite, & membris conflatum eſt; hoc intelligi debet priori ſenſu. Nam Apoſtolus loco citato diſerte loquitur de Chriſto, quatenus eſt Caput Eccleſiæ quoad internam diviſionem donorum gratiæ, ut in textu patet. Et ſic concedo, ut jam ante conceſſi, omnes, præter Chriſtum, eſſe membra Eccleſiæ: Et nullum, præter Chriſtum, eſſe caput Eccleſiæ. Quod ſi ſimilem objectionem faciat M. Antonius de Chriſto, quatenus eſt Caput Eccleſiæ per externam gubernationem, primo quidem ſe ipſum oppugnabit, qui negat Chriſtum eſſe ejuſmodi caput. Deinde facillime diſſolvetur objectio ex noſtra parte. Nam Chriſtus cum ſuo Vicario erit Caput; reliqui omnes membra. Sicut ſit in Regno Luſitaniæ, Rex cum ſuo Prorege eſt Caput regni, alii membra.

30. Tertio objicit. Patres non agnoſcunt, ut caput Eccleſiæ, niſi Chriſtum, ut Auguſt. lib. de unitate Eccleſiæ, cap. 3. & Tract. 108. in Joannem, & lib. de Paſtoribus cap. 13. Gregorius in Pſalm. 5. Pœnitentialem, & lib. 4. epiſt. 38. & Chryſoſt. hom. 11. Epiſt. ad Epheſ. Et probatur ex illo Epheſ. 4. 15. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt Caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Reſpondeo: Eadem eſt ſolutio. Nam Apoſtolus loquitur de Capite Eccleſiæ, quod internam gratiam influit in alia membra: Et tale caput eſt ſolum Chriſtus. Idem docent Patres ab illo citati. Non negant tamen, quin præter Chriſtum ſit aliud Caput viſibile, quod in externo regimine gubernat Eccleſiam. Imo expreſſe affirmant, ut paulo poſt videbimus.

31. Quarto objicit. Chriſtus eſt Sacerdos in æternum, ut paſſim docet Scriptura. (Pſalm. 19. 4. & Hebr. 7. 17.) Quid ergo neceſſe eſt, inquit, dare illi Vicarium, vel ſucceſſorem in terris? Cur ſummum hic Pontificem quærimus, ſi Chriſtus Sacerdos, & Pontifex noſter ſempiternum habet Sacerdotium, & Pontificatum ſempiternum? Reſpondeo: Si ex eo præciſe, quod Chriſtus dicatur Sacerdos in æternum, contendit probare Antonius, nullum eſſe Pontificem, niſi Chriſtum, poterit ſimiliter probare, nullum eſſe Sacerdotem, niſi Chriſtum. Ubi ergo Antonii Sacerdotium? ubi illius Epiſcopatus? ſed ad rem. Apoſtolus loco citato oſtendit, Chriſtum, qui eſt Sacerdos, & Pontifex novi Teſtamenti, dupliciter differre a Sacerdote, & Pontifice veteris Teſtamenti. 1. Quia Pontifex veteris Teſtamenti erat mortalis. 2. Quando moriebatur, indigebat ſucceſſore. Chriſtus, quia non moritur, non indiget ſucceſſore. Neque nos Catholici, ut Adverſarius invidioſe fingit, damus illi ſucceſſorem, ſed Vicarium, & Miniſtrum. Quæ duo valde diſtinguuntur. Nam ſucceſſor ſuccedit cum pari poteſtate; ut ſucceſſor Regis in regno, ſucceſſor Imperatoris in Imperio, ſucceſſor Aaronis in Sacerdotio legali. Nemo autem ſuccedit Chriſto cum pari poteſtate: At Vicarius, aut Miniſter non habet parem poteſtatem cum eo, cujus Vicarius, aut Miniſter eſt, ſed delegatam. Sicut ergo non pugnat, Chriſtum habere Sacerdotes, tanquam Miniſtros, in oblatione Sacrificii Euchariſtiæ; ita non pugnat, habere Miniſtros, & Vicarios in externa Eccleſiæ gubernatione. Inter hos Miniſtros unus ſupremus eſt, qui dicitur Pontifex. Quid hic mali eſt? Nihil penitus.

32. Hæc generatim dicta ſunt de capite Eccleſiæ. Ex quibus conſtat, Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ, tam viſibile, quam inviſibile. Viſibile quidem, quia vel per ſe, vel per Vicarium ſuum viſibiliter gubernat Eccleſiam. Inviſibile, quia per internum influxum fidei, ſpei, charitatis, & aliorum donorum ſpiritualium inviſibiliter vivificat, & vegetat membra Eccleſiæ. Deinceps ſpeciatim quærendum eſt, An Petrus fuerit viſibile caput Eccleſiæ præ aliis Apoſtolis?

DE PETRO CHRISTI VICARIO,
ſeu de Primatu Petri.

33. HÆc tria pro eodem uſurpari apud nos ſolent. 1. Petrus eſt viſibile Caput totius Eccleſiæ loco Chriſti. 2. Petrus eſt Vicarius Chriſti in regimine totius Eccleſiæ. 3. Petrus habet

habet primatum totius Eccleſiæ. Nihil eorum admittunt adverſarii. Et quidem Marcus Antonius ſic ſtatuit. 1. Nullum eſſe Caput Eccleſiæ, præter Chriſtum. 2. Spiritum ſanctum proprie eſſe Vicarium Chriſti in regimine Eccleſiæ, non Petrum. Quod etiam docet Rex Angliæ in monitoria præfatione. 3. Petrum non habere primatum Eccleſiæ, ſeu primatum Eccleſiaſticæ poteſtatis, & juriſdictionis, quem nos illi tribuimus. 4. Habere tamen primatum ætatis, vocationis, & charitatis reſpectu aliorum Apoſtolorum. Primum punctum jam refutatum eſt, & clare demonſtratum, aliud caput viſibile præter Chriſtum admitti oportere. Reliqua tria hic refutanda ſunt.

34. Prima concluſio. Spiritus ſanctus non eſt proprie Vicarius Chriſti in regimine Eccleſiæ. Ratio, quia Vicarius, proprie loquendo, minor, ſeu inferior eſt eo, cujus eſt Vicarius. Qui ergo aſſerit, Spiritum ſanctum proprie eſſe Vicarium Chriſti, conſequenter debet aſſerere, Spiritum ſanctum eſſe minorem Chriſto. Hæc autem eſt hæreſis Macedoniana. Porro, quod Vicarius, proprie loquendo, minor ſit eo, cujus eſt Vicarius, certum eſt ex communi hominum uſu, & conceptu, non ſolum apud Catholicos, ſed etiam apud adverſarios. Nam quando Calvinus ait, Chriſtum eſſe Vicarium Dei Patris, Calviniſtæ hoc interpretantur de Chriſto ſecundum humanitatem, non autem ſecundum Divinitatem: ne cogantur concedere, Chriſtum ſecundum Divinitatem minorem eſſe Patre, quæ eſt hæreſis Arriana. Supponunt ergo, Vicarium, proprie loquendo, minorem eſſe eo, cujus eſt Vicarius. Quod & Marcus Antonius expreſſe ſupponit lib. 4. cap. 1. num. 4. Ubi citat teſtimonia quorundam Patrum, qui Pontificem appellant Vicarium Petri. Et inde concludit, Pontificem Petro inferiorem eſſe. Vel ergo bene concludit, vel male. Si male, nihil efficit. Si bene, ſupponit Vicarium minorem eſſe eo, cujus Vicarius eſt; & conſequenter ſi Spiritus Sanctus proprie eſt Vicarius Chriſti, minorem eſſe Chriſto. Hic non poteſt evadere, niſi ſe ipſum neget.

35. Addam duo dilemmata: Unum, Vel Spiritus Sanctus proprie eſt Vicarius Chriſti ſecundum humanitatem, vel ſecundum Divinitatem. Si prius, ſequitur Spiritum Sanctum minorem eſſe Chriſto homine: Et ſimiliter, Deum eſſe Vicarium hominis; quod eſt plane abſurdum. Si poſterius, ſequitur Chriſtum ſecundum Divinitatem, & non ſecundum humanitatem eſſe Caput Eccleſiæ, quod eſt æque abſurdum. Eſt enim Caput ſecundum eam naturam, ſecundum quam meritus eſt exaltari, & Caput Eccleſiæ agnoſci, ut ſupra dictum eſt: At meritus eſt exaltari ſecundum hu-

manitatem. Ergo ſecundum humanitatem eſt Caput Eccleſiæ. Unde Auguſtinus l. 1. de Trinit. cap. 12. ait: *Chriſtus ſecundum formam Dei, primogenitus omnis creaturæ: ſecundum formam ſervi, Caput Corporis Eccleſiæ.*

36. Alterum: Vel Spiritus Sanctus proprie eſt Vicarius Chriſti in externo, & viſibili regimine Eccleſiæ, vel interno, & inviſibili. Non prius, quia non gubernat Eccleſiam per ſe viſibiliter, ſicut Chriſtus in hac vita gubernavit. Nec poſterius, quia internum Regimen Eccleſiæ conſiſtit in interno influxu donorum gratiæ. Hunc autem influxum præſtat Chriſtus, vel meritorie, quatenus eſt homo: vel phyſice, & effective, quatenus eſt Deus, ut ſupra §. 18. dictum eſt. At Spiritus Sanctus neutro modo poteſt eſſe ipſius Vicarius. Non priori, quia non meretur nobis gratiam. Imo, cum purus Deus ſit, mereri non poteſt. Nec poſteriori, quia tametſi effective producat gratiam, tamen illa productio eſt communis tribus perſonis, juxta axioma Theologorum: *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa*. Ergo nulla cauſa eſt, cur in tali productione Spiritus S. ſit potius Vicarius Filii, quam Pater, aut Filius ſit Vicarius Spiritus Sancti.

37. Quod ſic clarius explico. Productio donorum gratiæ non procedit a Patre, quatenus Pater eſt; nec a Filio, quatenus Filius eſt; nec a Spiritu Sancto, quatenus Spiritus Sanctus eſt, ſed procedit a Patre, Filio, & Spiritu Sancto, quatenus ſunt unus Deus. Itaque non ſunt tria principia illius productionis, ſed unum. At unum principium, qua tale, non poteſt dici proprie Vicarius ſui ipſius. Ergo nec Spiritus Sanctus, quatenus eſt Deus, poteſt proprie dici Vicarius Chriſti, quatenus ille ſimiliter eſt Deus. Nam uterque eſt unus, & idem Deus.

38. Objicit Antonius illud Joan. 14. verſ. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Et cap. 16. verſ. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Hinc infert, Spiritum Sanctum miſſum, ut eſſet loco Chriſti, ſeu, ut eſſet Vicarius Chriſti. Reſp. Non recte hoc infertur. Miſſus quidem eſt, ut doceret Apoſtolos; non tamen, ut proprie eſſet Chriſti Vicarius. Hoc ſatis clare paulo ante oſtenſum eſt. Et ille ipſe, ut ſolet eſſe inconſtans, idem fatetur lib. 1. cap. 1. n. 16. ubi de Chriſto in cœlo jam exiſtente ſic ſcribit: *Omnia munera capitis, & regis obit per ſe perfectiſſime*. Certe, ſi omnia per ſe obit, non obit per Vicarium. Ecce in quantas anguſtias ſe conjicit.

39. Forte urgebit Antonius particulam illam, *in nomine meo*, id

id eſt, ut ſit Vicarius meus. Reſpondeo. Varia eſt explicatio illius particulæ. Prima: Pater mittet Spiritum Sanctum in nomine meo, id eſt, in gloriam nominis mei. Ita Theophyl. in illum locum. Et colligitur ex illo Joan. 16. verſ. 14. *Ille* (Spiritus Sanctus) *me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Altera, in nomine meo, id eſt propter meritum meum. Ita Toletus annot. 26. in cap. 14. Joannis: Quo ſenſu etiam dictum eſt Joan. 14. verſ. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*. Tertia, in nomine meo, ideſt ad opus, vel negotium meum perficiendum. Ita Toletus ibidem. Duæ priores explicationes nihil illum juvant. Circa tertiam notandum eſt, Chriſtum multa per externam vocem dixiſſe Apoſtolis de ſua paſſione, morte, reſurrectione, & aliis myſteriis, quæ ipſi tunc non intelligebant. (Lucæ 18. verſ. 34. & alibi) At poſtea, quando per internam vocem Spiritus Sancti illuſtrati ſunt, cœperunt intelligere, & toti mundo promulgare. Et hoc eſt, quod ait Chriſtus: *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*. Græce eſt: Quæcunque dixi vobis. Senſus eſt: Quæ a me externa voce dicta ſunt, & a vobis non intellecta, intelligetis ex interna ſuggeſtione Spiritus Sancti, qui a Patre mittendus eſt *in nomine meo*, ideſt ad perficiendam doctrinam, quam ex me audiſtis. At hinc non ſequitur, Spiritum Sanctum proprie eſſe Vicarium Chriſti; (non enim eſt minor Chriſto) ſed perfectiori modo docuiſſe Apoſtolos per internam ſuggeſtionem, quæ ipſi audierant a Chriſto per externam vocem.

40. Secunda Concluſio. Primatus Petri non conſiſtit in eo, quod fuerit primus ætate, vocatione, & charitate inter omnes Apoſtolos, ut fingit Antonius. Primo, quia incertum eſt, an fuerit ætate ſenior, quam alii. Nam multi putant, Andream fuiſſe ſeniorem, ut Epiphanius hæreſi 51. Baronius tom. 1. Annalium, anno 31. §. 23. Lorinus in cap. 1. Actor. §. 13. Serrarius in Tractatu de Apoſtolis, & plures alii. Ille quidem citat pro ſe Caſſianum, & Chryſoſtomnm, ſed eos citando non efficit rem certam, quam ego incertam dixi. Quod ipſemet fatetur his verbis: *Quis enim diem Nativitatis horum duorum fratrum notatum vidit? Quis interrogavit eorum parentes?* Recte. Si ergo incertum eſt, etiam Adverſario adſtipulante, an Petrus fuerit ſenior ætate, quam Andreas, certe primatus ætatis, quem ille Petro tribuit, certus eſſe non poteſt. Et æque promptum erit mihi aſſerere, Andream fuiſſe ſeniorem, quam illi, Petrum fuiſſe ſeniorem. Unde ſequitur, illum in arena, non in petra primatum Petri ædificare, ac proin-

de non prudentem, ſed ſtultum architectum eſſe. (Matth. 7. 22.)

41. Denique falſum eſt, Petrum fuiſſe vocatum ante omnes alios Apoſtolos. Poteſt enim triplex vocatio diſtingui. Prima, qua Andreas, Petrus, Philippus, & Nathanael, non quidem proprie vocati, ſed tamen admiſſi ſunt ad Chriſtum, tanquam familiares auditores: non eo animo, ut cum ipſo conſtanter manerent; ſed viſuri, ubi habitaret, & quid diceret. Et in hac vocatione, ſeu potius admiſſione Andreas præceſſit Petrum, ut expreſſe habetur Joan. 1. verſ. 41. Altera, qua proprie vocati ſunt a Chriſto, tanquam Diſcipuli cum illo permanſuri. Et ſic Petrus, & Andreas ſimul, ſeu eodem momento vocati ſunt; Et poſt illos Jacobus, & Joannes ſimul, ut patet Matthæi 4. verſ. 18. Tertia, qua proprie vocati ſunt, tanquam Apoſtoli: Vel quod idem eſt, qua ex numero Diſcipulorum electi ſunt ad Apoſtolatum, tanquam ad altiorem gradum. Sic omnes duodecim ſimul, ſeu eodem tempore electi ſunt. Luc. 6. verſ. 13.

42. Denique incertum eſt apud bonos Authores, an Petrus habuerit primatum charitatis præ aliis Apoſtolis. Nam Divus Thomas in 1. parte, quæſt. 20. art. 4. ad 3. proponit hanc quæſtionem, An Chriſtus plus dilexerit Petrum, quam Joannem? Item, An Petrus plus dilexerit Chriſtum, quam Joannes? Et pro ſua modeſtia non audet definire. Affert quidem varias Authorum opiniones: Quorum alii aſſerunt quod Petrus plus dilexerit Chriſtum in membris: ideoque illi Eccleſia commiſſa ſit: Joannes plus dilexerit Chriſtum in ſeipſo; & ideo Mater Chriſti ipſi commendata ſit. Alii, quod Petrus plus dilexerit Chriſtum quantum ad fervorem, & promptitudinem; Joannes vero plus quoad familiaritatem: Alii, quod incertum ſit, uter plus dilexerit illum amore charitatis. Quid ipſe? *Præſumptuoſum*, inquit, *videtur hoc dijudicare, quia, ut dicitur* (Proverb. 16. verſ. 2.) *Spirituum ponderator eſt Dominus, & non alius.*

43. Sed eſto; Petrus plus dilexerit Chriſtum, quam Joannes, quod non nego: An ideo ſequitur, Primatum Petri, quem Scriptura, & Patres illi tribuunt, in illa dilectionis eminentia conſiſtere? Hoc probari non poteſt. At ego contrarium probabo, conſiſtere in prærogativa poteſtatis, & juriſdictionis. Sit ergo

44. Tertia Concluſio. Petrus habuit primatum poteſtatis, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ præ aliis omnibus, ſeu, quod idem eſt, fuit Vicarius Chriſti, Caput Eccleſiæ, paſtor ovium Chriſti. Probatur primo ex verbis Chriſti, *Paſce oves meas*, quæ fuſe a me explicata ſunt lib. 2. de Republ. Eccleſiaſtica, cap. 3. Secundo ex Patribus, qui tam clare, diſerte, & rotunde loquuntur de pri-

primatu Petri, ut clarius, diſertius, & rotundius loqui non poſſint. Nam aliqui expreſſe vocant illum *Vicarium Chriſti*, ut Ambroſius ad cap. 24. Lucæ, Anſelmus ad cap. 16. Matthæi, Bernardus lib. 2. de Conſideratione ad Eugenium, Genadius Scholarius de Primatu Papæ, Sect. 2.

Alii *Caput Eccleſiæ*, ut Hieronymus in Pſal. 13. Chryſoſtomus hom. 11. in Matthæum, Philo Carpatius in Cantica.

Alii *Caput fidelium, & Paſtorem gregis Dominici*, ut Auguſtinus (vel quiſquis auctor eſt) in lib. quæſtionum veteris, ac novi Teſtamenti, quæſt. 75.

Alii *Caput omnium Apoſtolorum*, ut Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem cap. 64.

Alii *Principem Apoſtolorum*, ut Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 2. & 11. Baſilius in Proœmio præceptionum latius diſputatarum, Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum.

Alii *Paſtorem paſtorum*, ut Eucherius Lugdunenſis in vigilia S. Petri, Bernard. lib. 2. de conſideratione ad Eugenium.

Alii *Coryphæum Apoſtolorum*, ut Dorotheus Tyrius in ſynopſi, Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 142. Andreas Cæſarienſis ad cap. 13. Apocalypſis.

Alii *Verticem Apoſtolorum*, ut Origenes homil. 2. in diverſos locos novi Teſtamenti, Chryſoſtomus in Homil. in Petrum Apoſtolum, & Heliam Prophetam.

Alii *Apicem Apoſtolorum*, ut Cyrillus Alexandrinus, lib. 14. theſauri, cap. 2.

Alii *Anteſignanum Apoſtolorum*, ut Iſidorus Peluſiota lib. 2. ep. 88.

Alii *Petram, & Crepidinem Eccleſiæ Catholicæ, & rectæ fidei fundamentum*, ut Synodus Chalcedonenſis, Act. 3.

Alii *Principem Eccleſiæ Chriſtianorum*, ut Ephrem Syrus ſerm. de transfiguratione Domini.

Alii *Ducem Diſcipulorum Chriſti*, ut Epiphan. hæreſi 51.

45. Tertio, idem probatur ex prærogativis Petri. Variæ enim ſunt prærogativæ, ſeu privilegia illius, ex quibus colligitur primatus, & eminentia ejus ſuper alios Apoſtolos: Non quod unaquæq; prærogativa per ſe ſufficiens ſit ad aſtruendum primatum; ſed quod omnes ſimul ſumptæ id faciant. Sunt autem hæ præcipue. 1. Quod Chriſtus ſoli Petro, inter omnes Apoſtolos, proprium nomen mutaverit. 2. Quod quando in Euangelio recenſentur nomina Apoſtolorum, ſemper primo loco ponatur Petrus. 3. Quod Scriptura loquatur de Petro, tanquam de Principe, de aliis

Apoſtolis, tanquam de ſubditis. 4. Quod Petrus ſæpe loquatur nomine omnium Apoſtolorum, tanquam illorum anteſignanus. 5. Quod inter omnes Apoſtolos ſoli Petro facta ſit prima revelatio divinitatis Chriſti. 6. Quod ſoli Petro inter Apoſtolos promiſſa ſit ſtabilitas fidei, & cathedræ. 7. Quod Chriſtus pro ſolo Petro, & ſeipſo voluerit tributum ſolvi in Capharnaum. 8. Quod poſt reſurrectionem inter omnes Apoſtolos ſoli Petro primum apparuerit. 9. Quod Petrus ſua authoritate vocaverit alios ad electionem novi Apoſtoli in locum Judæ proditoris. 10. Quod primus promulgaverit Judæis Euangelium poſt acceptum Spiritum ſanctum. 11. Quod primum miraculum apud Judæos fecerit, in confirmationem Euangelii. 12. Quod etiam primus prædicaverit gentibus Euangelium; & quod ipſi ſoli oblata ſit viſio cœleſtis de vocatione gentium. 13. Quod primus in Concilio Hieroſolymitano ſententiam dixerit.

46. Nota: quædam ex his prærogativis præceſſerunt primatum Petri; quædam ſecutæ ſunt. Priores vel erant ſigna futuri primatus, vel diſpoſitiones præviæ, vel promiſſiones ad eundem obtinendum. Reliquæ ſunt effectus, & quaſi exercitia primatus jam obtenti. Unde apparet, M. Antonium priores non recte oppugnare ex eo, quod ex ſingulis ſeorſim ſumptis non poſſit evidenter convinci primatus. Non neceſſe id eſt. Sufficit, ſi vel ſingulæ, vel omnes ſimul ſumptæ ſint quædam ſigna, vel diſpoſitiones ad futurum primatum. Dabo ſimile exemplum. Quando Rex, vel Imperator vult alicui dare ſupremam Aulæ præfecturam, non ſolet reipſa dare, niſi prius illum præ aliis habuerit commendatum, tum in familiari converſatione, tum in officiis Regni, vel Imperii, tum in legationibus, & ſimilibus prærogativis. Quare hoc? Quia per hujuſmodi præambula partim vult illum diſponere ad ſupremam præfecturam; partim ſignificare, ſe illum præ aliis magni facere, & ad ſupremam dignitatem promovere velle; ne ſi ſubito, & quaſi ex abrupto id faciat, videatur temere, ſine conſilio, & cum invidia aliorum facere. Sic fecit Chriſtus. Voluit Petro dare ſupremam Eccleſiæ præfecturam; ſed non voluit ſine præviis ſignis, & diſpoſitionibus, ut in ſimili jam explicatum eſt.

47. Multa objicit Marcus Antonius, quæ fuſe a me refutata ſunt libro ſecundo de Republica Eccleſiaſtica, capite ſeptimo. Nunc breviter refellam, non omnia, ſed præcipua. Primo ergo ſic objicit. Chriſtus ſuam Eccleſiam æque commendavit omnibus Apoſtolis, & non magis Petro, quam aliis. Omnibus enim dixit: *Sicut me miſit Pater, & ego vos mitto.* Item, *Euntes docete omnes gentes.*

Quod

Quod autem æque omnibus, ex eo colligit, quia omnes æque docuit, & inſtruxit: omnibus æque miſit Spiritum Sanctum in die Pentecoſtes. Hanc æqualitatem agnoſcit Cyprianus in Tractatu de ſimplicitate Prælatorum, ſeu de unitate Eccleſiæ, ubi ſic habet: *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur.*

48. Reſpondeo: Prior pars argumenti vera eſt, quod Chriſtus commendaverit ſuam Eccleſiam omnibus Apoſtolis: Poſterior falſa eſt, quod omnibus æque commendaverit. Nam ſoli Petro dixit: *Paſce oves meas*. Igitur Paſtura omnium ovium ſoli Petro, non aliis commendata eſt: De quo ſupra. Nec valet hæc conſequentia: Omnes æque inſtructi ſunt, & æque Spiritum Sanctum acceperunt: ergo unus non habet majorem juriſdictionem, quam alius. Nam aliud eſt loqui de doctrina, & ſanctitate; aliud de juriſdictione. Non omnes, qui pares ſunt in doctrina, & ſanctitate, ſunt etiam pares in juriſdictione. Alioqui Rex in Regno, ſi non haberet majorem doctrinam, & ſanctitatem, quam ſubditi, non haberet etiam majorem juriſdictionem. Et Epiſcopus, ſi haberet Sacellanum pari doctrina, & ſanctitate, non eſſet illo ſuperior quoad juriſdictionem. Quæ omnia abſurda ſunt. Et ratio a priori eſt, quia juriſdictio per ſe non pendet a majori doctrina, & ſanctitate.

49. Cyprianus idem docet de Petro, quod nos docemus. Primo, omnes Apoſtolos, antequam Petrus totius Eccleſiæ præfectus conſtitueretur per illa verba, *Paſce oves meas*, fuiſſe inter ſe æquales in honore, & poteſtate. Secundo, eundem Petrum, poſtquam præfecturam Eccleſiæ accepit, fuiſſe majorem reliquis in honore, & poteſtate. Cur autem Petrus conſtitutus ſit Præfectus, ſeu Caput omnium, hanc reddit rationem: *Ut exordium ab unitate proficiſceretur*: Et, *Eccleſia una monſtraretur*. Vel clarius: ut hoc modo caverentur ſchiſmata, quæ facile oriri ſolent inter æquales; & ſervaretur pax, & unitas in Eccleſia, quæ facilius ſervatur, quando eſt unum Caput, a quo omnes dependent. Hanc eſſe mentem Cypriani ſatis fuſe ex ipſius verbis oſtendi, libro ſecundo de republica Eccleſiaſtica, c. 2. §. 4. & ſeq.

50. Secundo objicit M. Antonius, Petrum nunquam exercuiſſe Primatum, quod tripliciter probat. Primo, quia non ſolus Petrus, ſed alii etiam Apoſtoli inſtituerunt primos Diaconos, (Actor. 6. 2.) Secundo, quia Apoſtoli miſerunt Petrum, & Joannem in Samariam: ergo Petrus non erat ſupra Apoſtolos, ſed ad illorum arbitrium mittebatur. (Actor. 8. 15.) Tertio, quia

Pau-

Paulus, & Barnabas detulerunt quæſtiones de circumciſione non ad ſolum Petrum, ſed ad omnes Apoſtolos, ac Seniores. Debuiſſent autem ad ſolum Petrum deferre, ſi ille fuiſſet ſupremus Rector Eccleſiæ, & Judex controverſiarum.

51. Reſpondeo: Hæc omnia deſumpſit Antonius ex Lutheranis, & Calviniſtis. Sed cur diſſimulat alia multa, quæ Petrus geſſit in ſuo Primatu? Solus ſua authoritate convocavit omnes Diſcipulos ad electionem novi Apoſtoli. Primus promulgavit Euangelium Hieroſolymæ. Primus item prædicavit gentibus Euangelium. Primus ſententiam dixit in Concilio Hieroſolymitano. Hæc omnia Adverſarius omittit. Quæ autem objicit, nullius ponderis ſunt. Ad ſingula ſic reſpondeo.

52. Ad 1. non valet hæc conſequentia: Omnes Apoſtoli inſtituerunt primos Diaconos, & non ſolus Petrus: ergo Petrus non habebat Primatum. Sicut neque hæc: Omnes Principes Angliæ ſanxerunt legem de juramento fidelitatis, & non ſolus Rex. Ergo Rex non habet Primatum. Neque item hæc: Omnes Epiſcopi Dalmatiæ fecerunt hunc, aut illum actum juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & non ſolus M. Antonius: Ergo Marcus Antonius non fuit Primas Dalmatiæ. Non enim neceſſe eſt, ſolum Regem in ſuo Regno, ſolum Imperatorem in ſuo Imperio, ſolum Archiepiſcopum in ſua Provincia exercere quoſvis actus juriſdictionis, & poteſtatis ſine aliorum ope, & auxilio. Multo minus valet hæc conſequentia: Petrus in illo actu, quo conſtituebantur primi Diaconi, non exercuit Primatum Eccleſiaſticum; ergo nunquam exercuit. Et tamen mirifice ſibi placet Adverſarius in his, & ſimilibus ſuis argutiis. Quanquam non argutiæ, ſed ſtupiditates ſunt.

53. Ad 2. Triplex poteſt eſſe miſſio. Prima ex Imperio. Sic Rex, aut Princeps, aut Dominus mittit ſubditum, aut ſervum. Secunda ex conſenſu. Sic Deus Pater mittit Filium in hunc mundum; & Filius Spiritum Sanctum. Tertia ex conſilio, & directione. Sic Conſiliarii mittunt Regem ad bellum. Igitur Petrus miſſus eſt, non ex imperio, ſed ex conſenſu, & conſilio Apoſtolorum: ex qua miſſione non ſequitur, Petrum vel æqualem, vel inferiorem Apoſtolis fuiſſe. Nam ſuperior poteſt hoc modo mitti ab inferioribus.

54. Ad 3. Hæc illatio nulla eſt: Quæſtio de circumciſione non fuit delata ad ſolum Petrum, ſed ad concilium Apoſtolorum, & Seniorum: ergo Petrus non habebat Primatum Eccleſiæ. An non plurimæ controverſiæ civiles deferuntur ad Parlamentum Pariſienſe? An non plurimæ ad Senatum regium in Anglia? Nec
ideo

ideo ſequitur, Regem Galliæ, aut Angliæ non habere Primatum in ſuo Regno. Dicam, quod res eſt: Sicut in Regno Angliæ poſſunt controverſiæ civiles deferri vel ad ſolum Regem, vel ad Senatum Regis, præſente Rege: ſic etiam in Eccleſia poſſunt controverſiæ Eccleſiaſticæ deferri vel ad ipſum Pontificem, vel ad Concilium, cui præeſt Pontifex. Sicut ergo non deſtruitur authoritas Concilii per hoc præciſe, quod aliqua controverſia deferatur ad ſolum Pontificem: ita viciſſim non deſtruitur authoritas Pontificis per hoc, quod aliqua controverſia deferatur ad Concilium, cui præeſt Pontifex, & non ad ſolum Pontificem. Res clara eſt. Sed cur illa controverſia de Circumciſione potius fuit delata ad Concilium, quam ad ſolum Petrum? Facilis reſponſio. Ut deciſio fieret cum majori partium ſatisfactione. Nam partes litigantes facilius acquieſcunt, quando conſtat, controverſiam ex communi Eccleſiæ conſenſu deciſam eſſe.

55. Tertio objicit M. Antonius, Paulum in faciem reſtitiſſe Petro, *quia reprehenſibilis erat*: ac proinde Petrum non fuiſſe Caput Eccleſiæ: alioqui Paulus fuiſſet procax, & arrogans, quod Eccleſiæ capiti auſus eſſet reſiſtere. Hoc argumentum fuſe proſequitur, adductis multorum Patrum teſtimoniis ad confirmandum Petri errorem, & juſtam Pauli objurgationem. Reſpondeo: non opus eſt tot teſtimoniis. Fatemur, Petrum erraſſe; non quidem in aliquo fidei articulo, in quo errare non poterat, juxta illam Chriſti promiſſionem: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua*: ſed in facto; quia incaute ſimulabat Judaiſmum cum aliquo ſcandalo, & offenſione gentilium. Fatemur etiam, Paulum aperte illi reſtitiſſe, quia merito judicabat ejuſmodi ſimulationem non eſſe tolerandam, eo quod eſſet ſcandaloſa. At conſequentiæ, quas hinc nectit Adverſarius, non valent. Non enim ſequitur: Petrus fuit a Paulo reprehenſus: ergo non habuit primatum Eccleſiæ. Sicut in ſimili non ſequitur: David fuit reprehenſus a Joab: (2.Reg.19.5.) ergo non habuit Primatum Regni. Imo multi Patres ex hac ipſa Petri reprehenſione docent, ſuperiores poſſe corrigi ab inferioribus, quando fit cum debita humilitate, & charitate, ut Auguſtinus ep. 19. ad Hieronymum, Cyprianus epiſt. ad Quirinum de Hæreticis rebaptizandis, Gregorius homil. 18. in Ezechielem, D. Thomas in 2. 2. q. 33. art. 4. ad 2.

56. Similiter non ſequitur, Paulum fuiſſe arrogantem, & procacem, quod auſus ſit capiti Eccleſiæ in faciem reſiſtere; quia fecit hoc bono zelo ad tollendum ſcandalum, quod ortum erat ex incauta Petri ſimulatione. Sicut nec Joab cenſetur fuiſſe procax,

& ar-

& arrogans, quod auſus ſit ſuum Regem ob ipſius peccatum arguere, & objurgare. Et aliunde conſtabat Paulo, Petrum propter modeſtiam, & humilitatem, qua erat præditus, non ægre laturum fraternam correptionem, quam ſciebat ex bona intentione provenire.

57. De hoc Petri, & Pauli facto ſic ſcribit Auguſtinus loco citato: *Ipſe Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, ſancta, ac benigna pietate humilitatis accepit. Atque ita rarius, ac ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi forte recti tramitem reliquiſſent, etiam a poſterioribus corrigi, quam Paulus; quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Euangelica veritate, ſalva fraterna charitate, reſiſtere*. Et certe Paulus non tantum ſuo exemplo, ſed etiam ſcripto docuit, ſuperiores aliquando moneri, & corrigi poſſe ab inferioribus, ſervata ſemper debita charitate, ac ſubjectione. Sic enim ſcribit ad Coloſſenſes capite quarto, verſu decimo ſeptimo: *Dicite Archippo: vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas*. Erat Archippus ille Coloſſenſium Epiſcopus, ſucceſſor Epaphræ, qui tunc captivus Romæ tenebatur in vinculis, ut ſcripſit idem Paulus in Epiſtola ad Philemonem verſ. 23. *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu*. Si ergo Paulus mandat Coloſſenſibus, ut moneant Epiſcopum ſui officii; quid eſt, ſi alii quoque ſubditi poſſunt aliquando ſuos Prælatos vel monere, vel reprehendere, ſi neceſſe ſit?

58. Et recta ratio hoc dictat. Nam laudabile eſt, opera miſericordiæ, ſive corporalia, ſive ſpiritualia, ſervato debito modo, ac ordine, præſtare indigentibus: At peccantes corrigere, eſt opus miſericordiæ ſpirituale: Ergo laudabile eſt, ſervato debito modo, ac ordine, hoc opus præſtare indigentibus. At non minus Prælati, quam ſubditi poſſunt indigere correptione; & ſæpe magis, quia ſunt in altiori, & periculoſiori loco, ut recte notat Auguſtinus in Regula ad ſervos Dei, circa finem, cum ait: *Non ſolum veſtri, ſed etiam Prælatorum miſeremini; quia inter vos quanto loco ſuperiore, tanto in periculo majore verſantur*.

59. Hoc argumentum pulchre explicat D. Thomas in 2.2. quæſtion. 33. art. 4. in hunc fere modum: Duplex eſt correctio: Una Juſtitiæ: quæ fit per inflictionem legitimæ pœnæ: Altera charitatis, quæ fit per fraternam correctionem. Prior convenit ſolis Prælatis, reſpectu ſubditorum; quia requirit juriſdictionem, quæ in ſolis Prælatis eſt. Poſterior convenit tam ſubditis, quam Prælatis; quia eſt actus charitatis, quæ ad omnes proximos, ſi-

ve Prælatos, ſive ſubditos, ſe extendit. Tenemur enim omnes ex charitate diligere; ac proinde omnes peccantes corripere, ſervatis iis circumſtantiis, quas charitas exigit. Non exigit autem charitas, ut eadem libertate, & authoritate corripiamus Prælatos, qua ſubditos: ſed exigit, ut Prælatos cum reverentia, & ſubjectione; ſubditos cum manſuetudine, & patientia, quantum fieri poteſt, objurgemus.

DE ROMANO PONTIFICE PETRI SUCCESSORE, ſeu de Primatu Romani Pontificis.

60. ADverſarii negant Primatum Romani Pontificis: Catholici aſſerunt: Et hæc tria pro eodem uſurpant. 1. Pontifex eſt ſucceſſor Petri. 2. Pontifex eſt Caput Eccleſiæ. 3. Pontifex habet Primatum Eccleſiæ. Hæc aſſertio variis modis probari poteſt. Primo ex Patribus, qui ſcripſerunt de ſucceſſione Pontificum. Optatus Milevitanus libro ſecundo contra Parmenianum: *Petro ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, &c.* Auguſtinus Epiſt. 165. ad Generoſum: *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius, & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus, &c.* Et Philippus Presbyter in Concilio Epheſino, Tomo ſecundo, capite decimoſexto: *Nulli dubium, imo ſæculis omnibus notum eſt, ſanctum Petrum Apoſtolorum Principem, & Caput, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, per ſucceſſores ſuos hucuſque ſemper vivere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe. Hujus itaque ordinarius Succeſſor Papa Cæleſtinus nos ad hanc Synodum miſit.* Omitto reliquos omnes, qui vel Chronica, vel Martyrologia, vel vitas Pontificum conſcripſerunt. Omnes incipiunt a Petro, & Pontifices faciunt Petri ſucceſſores.

61. Secundo probatur ex principiis jam poſitis. Primum eſt, Chriſtum in hac vita fuiſſe viſibile Caput Eccleſiæ in externa gubernatione, ſicut vir eſt caput mulieris. Alterum, hanc gubernandi formam non eſſe mutatam poſt Aſcenſionem Chriſti; ac proinde etiam nunc opus eſſe viſibili Capite Eccleſiæ in externa gubernatione. Tertium, hoc Caput non aliud fuiſſe poſt Chriſtum, quam Petrum, cui dictum eſt: *Paſce oves meas.* Cum ergo poſt mortem Petri non ſit facta mutatio in regimine Eccle-

Eccleſiæ, neceſſe eſt Petro ſucceſſiſſe aliquem, qui eodem modo, quo Petrus, Eccleſiam gubernaret. Nec alius aſſignari poteſt, quam Pontifex.

62. Tertio probatur ex Titulis, quos Patres tribuunt Pontifici. Primus titulus eſt: *Caput univerſalis Eccleſiæ*. Qui titulus habetur in Epiſtola Paſchaſini Epiſcopi, & aliorum de damnatione Dioſcori, Tomo ſecundo Concil. in fine Concilii Chalcedonenſis, ubi leguntur hæc verba: *Unde ſanctiſſimus, & beatiſſimus Papa, Caput univerſalis Eccleſiæ, Leo, per nos, ut Legatos ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & cæleſtis Regni janitor nuncupatur, Epiſcopali eum dignitate nudavit*. Secundus eſt: *Papa univerſalis Eccleſiæ*. Quo utuntur Athanaſius, & Epiſcopi Ægypti in Epiſtola ad Marcum Papam (ſi modo Athanaſio adſcribenda ſit illa Epiſtola) *Domino*, inquiunt, *ſancto, & Apoſtolici culminis venerando Marco, ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedis, atque univerſalis Eccleſiæ Papæ, Athanaſius, & univerſi Ægyptiorum Epiſcopi ſalutem*. Cui ſimilis eſt hic titulus; *Paſtor, & cuſtos ovilis Chriſti*. Quo utuntur Ambroſius, Caſſianus, & cæteri Epiſcopi in epiſtola ad Siricium Papam; quæ eſt epiſtola 81. inter Epiſtolas Ambroſii. Item hic; *Cuſtos vineæ Salvatoris*. Quo utitur Concilium Chalcedonenſe in citata relatione ad Leonem Papam, cum ait: *Et poſt hæc omnia inſuper, & contra ipſum, cui vineæ cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, ideſt, contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem*. Tertius titulus eſt: *Summus Pontifex, ſummus Papa, ſummus Sacerdos, Princeps Sacerdotum, Summus omnium Præſulum Pontifex*. Quem illi tribuunt Bernardus in ſuis epiſtolis ad Romanos Pontifices, Hieronymus in præfatione Euangeliorum ad Damaſum, Sexta Synodus Act. 18. in ſermone acclamatorio, Valentinus in epiſtola ad Theodoſium, quæ habetur Tomo primo Conciliorum, & Stephanus Archiepiſcopus Carthaginienſis in epiſtola ad Damaſum Papam, quam ſcripſit nomine trium Conciliorum Africæ, in qua ſic legimus: *Beatiſſimo Domino, & Apoſtolico culmine ſublimato Damaſo Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici*.

63. Quarto probatur ex privilegiis Pontificis. Primum eſt, quod omnes Epiſcopi totius orbis, qui in judiciis eccleſiaſticis ſentiunt ſe gravari ab Epiſcopis, aut Synodis Provincialibus, poſſunt confugere ad Romanum Pontificem, tanquam ad judicem ſuperiorem, cui reliqui etiam Epiſcopi ſubjecti eſſe debeant, & a cujus ſententia non liceat ulterius provocare. Hoc patet ex

Con-

Concilio Sardicenſi, capite quarto juxta ſecundam editionem: *Hoſius Epiſcopus dixit: Quod ſi aliquis Epiſcopus judicatus fuerit in aliqua cauſa, & putet ſe bonam cauſam habere, ut iterum judicium renovetur, ſi vobis placet, ſancti Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Epiſcopis, qui in propinquo morantur, Romano Epiſcopo. Et ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem cauſam, ut ea non refricentur, quæ acta ſunt, quæ decreverit Romanus Epiſcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, ſtatuatur. Synodus reſpondit,* Placet. Et c. 5. ejuſdem ſecundæ editionis: *Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis commorantur locis, & proclamaverit agendum ſibi negotium in Urbe Roma, alter Epiſcopus in eadem Cathedra (poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus) omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata.*

64. Hi duo Canones magnam habent authoritatem in Eccleſia, quia Concilium Sardicenſe, in quo conditi ſunt, ſemper ab Eccleſia fuit receptum. De quo Sulpitius lib. 2. Hiſtor. ſcribit, *ex toto orbe fuiſſe convocatum.* Et Socrates lib. 2. cap. 16. appellat Concilium Generale. Interfuerunt enim Legati Julii Primi Pontificis; & præterea ex toto terrarum orbe plus quam trecenti Epiſcopi, nominatim ex Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia, Africa, Ægypto, Syria, Thracia, Pannonia, & aliis Provinciis, ut refert Athanaſius in Apologia ſecunda, circa initium.

65. De iiſdem Canonibus ſic ſcribit Gelaſius Papa in epiſt. ad Fauſtum: *Ipſi ſunt canones, qui appellationem totius Eccleſiæ ad hujus Sedis examen voluerunt deferri. Ab ipſa vero nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt.* Et in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ: *Ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: Ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus.* Habentur hæ epiſtolæ in tom. 2. Concil. inter Decreta Gelaſii Papæ primi.

66. Dices: Hoc privilegium appellationis Eccleſiaſtico tantum jure conceſſum eſt, non divino. Reſpondeo: Non ita eſt. Nam antequam Eccleſiaſtico jure ſtatutum eſſet in ſupradicto Concilio Sardicenſi, Epiſcopos poſſe appellare ad Pontificem, jam uſu recepta erat hujuſmodi appellatio, ut variis exemplis demonſtrat Cardinalis Bellarminus, lib. 2. de Pontif. c. 21. circa finem. Unde etiam Leo Papa epiſt. 87. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis in Gallia fatetur, antiquam eſſe conſuetudinem ap-

appellandi ad Pontificem. Sic enim ſcribit: *Veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam ſedem, pro ſui reverentia, a veſtræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam, & pro diverſarum (quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat) appellatione cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia.*

67. Porro hæc conſuetudo, quæ poſteà per canones Concilii Sardicenſis fuit confirmata, non aliunde, quam ex Apoſtolica Traditione, & auctoritate orta eſt, ut colligitur ex Theodoreto in Epiſtola ad Rhenanum Presbyterum, ubi ſic ait: *Nudarunt me Sacerdotio, ejiciuntque ex civitatibus, nec ſenectutem reveriti; neque canitiem in religione, & pietate nutritam. Quamobrem deprecor te, ut ſanctiſſimo Epiſcopo (Leoni Papæ) ſuadeas, ut Apoſtolica auctoritate utatur, jubeatque ad veſtrum Concilium adire. Tenet enim ſancta iſta Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum. Quare quæ ab iſto veſtro tribunali proficiſcentur, qualiacumque erunt, judicii veſtri integritate confiſi amplectemur.* Ubi clare ſignificat, Pontificem non ſolo jure Eccleſiaſtico, ſed authoritate Apoſtolica ſupremum eſſe Judicem in judiciis Eccleſiaſticis, ac proinde ad illum appellari poſſe. Et rationem addit, quia Pontifex Romanus gubernat omnes Eccleſias totius mundi. Ergo ab omnibus Eccleſiis totius mundi poteſt ad ipſum fieri appellatio. Eodem ſenſu ſcribit in epiſtola ad Leonem Papam: *Ego*, inquit, *ſuffragium ſedis Apoſtolicæ expecto, & ſupplex oro, atque obſecro Sanctitatem Veſtram, ut ea me tribunal veſtrum juſtum, ac rectum appellantem defendat, ac protegat, &c. Veſtram ſententiam expecto. Quod ſi ſententiæ eorum, qui me condemnaverunt, acquieſcere juſſeritis, acquieſcam.*

68. Secundum privilegium eſt, quod omnes Chriſtiani, quando oriuntur diſſenſiones in fide, debeant adhærere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex, & ſedes Apoſtolica, ſi non velint errare. Hoc tradunt antiqui Patres. Irenæus lib. 3. contra hæreſes c. 3. rationem reddens, cur potius deſcribat ſucceſſionem Epiſcoporum Eccleſiæ Romanæ, quam aliarum Eccleſiarum particularium, ſic ſcribit: *Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt omnes, qui ſunt undique fideles; in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.*

Et D. Hieronymus epiſtola 8. ad Demetriadem, cap. 9. *Et quia vereor, imo rumore cognovi, in quibuſdam adhuc vivere, & pullulare venenata plantaria: illud te pio charitatis affectu præ-*

præmonendam puto, ut Sancti Innocentii, qui Apoſtolicæ Cathedræ ſucceſſor eſt, teneas fidem: nec peregrinam, quantumvis tibi prudens, callidaque videaris, doctrinam recipias. Ubi etiam inſinuat rationem, cur Pontifici in fide adhærendum ſit, quia nimirum Pontifex eſt ſucceſſor Petri Apoſtoli. At Petro, & ſucceſſoribus illius dictum eſt: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Et Baſilius Magnus in Epiſtola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum. *Revera dignum eſt illa excellentiſſima voce, quæ te beatum prædicavit, quod pietati tuæ donatum a Domino eſt, ſcilicet, ut quod adulterinum eſt, a legitimo, ac puro diſcernas, ac fidem Patrum ſine ſubtractione ulla prædices.* Alludit ad illud, quod Petro dictum eſt: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Quod etiam Pontifici Petri ſucceſſori dictum eſſe interpretatur. Et recte. Nam ſicut ad illam fidei quæſtionem, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Petrus ex peculiari Dei revelatione reſpondit: *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*: Ita ad ſimiles fidei quæſtiones ſucceſſor Petri ex peculiari Dei aſſiſtentia debet reſpondere. Et Cyrillus Alexandrinus in Epiſt. ad Cœleſtinum Papam: *Quoniam vero Deus hiſce in rebus prudentiam exigit, longaque Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut iſtiuſmodi ſanctitati tuæ communicentur, non poſſum equidem id, quod apertum eſt, ad pietatem tuam non perſcribere.* Et paulo poſt: *Quamvis hæc ita ſe habeant, non prius tamen Neſtorii Communionem confidenter deſerere auſi fuimus, quam hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic ſentias, declarare: quo liquido nobis conſtet, num communicare cum Neſtorio nos oporteat, an vero libere ei renunciare, neminem cum eo communicare, qui ejuſmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, ac ſuper hac re ſententia non modo piiſſimis, Deoque devotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, ſed totius quoque Orientis Antiſtitibus perſpicue per litteras exponi debet.* Hic apparet, totam Eccleſiam Orientalem tanti feciſſe Romanum Pontificem, ut in rebus fidei nihil, niſi ex ipſius deciſione, ſtatuendum eſſe exiſtimaret.

Et Maximinianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Epiſt. ad Orientales: *Omnes fines terræ, qui Dominum ſincere receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in poteſtatem Romanorum Pontificum, tanquam in ſolem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipiunt. Nec immerito, quia Petrus legitur primo perfectam fidem eſſe confeſſus, Domino revelante,*

cum dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Et infra: *Hunc enim de cæteris mortalibus ex terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedram Magiſterii principaliter poſſidendam tenere, perpetuo privilegii jure conceſſit: ut quiſquis divinum aliquid, aut profundum noſſe deſiderat; ad hujus præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat*. Nota, *perpetuo privilegii jure*.

Et Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium Pontificem, cap. 1. *Hæc autem, quæ duabus Epiſtolis eorum reſpondeo, ad tuam potiſſimum dirigere ſanctitatem, non tam diſcenda, quam examinanda, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui*. Verba clara ſunt. Similia habent Theodoretus in epiſt. ad Leonem Papam, Sozomenus lib. 6. Hiſt. cap. 22. & alii paſſim.

69. Tertium privilegium eſt, quod nihil grave in Eccleſia univerſali, niſi conſulto prius, ac conſentiente Pontifice, poſſit tractari, decerni, ac definiri. Hoc quidem concedunt aliqui ex adverſariis, ſed non eo ſenſu, quo nos. Nam nos dicimus, hujuſmodi decreta, vel deciſiones, quæ fiunt pro tota Eccleſia, non habere vim, ac robur, niſi accedat conſenſus Pontificis. Adverſarii aſſerunt, habere quidem robur ſine conſenſu Pontificis, ſed tamen plus roboris ex conſenſu illius accedere. Nobiſcum ſentiunt antiqui Patres. Socrates lib. 2. Hiſtoriæ cap. 5. *Nec Julius Romæ Epiſcopus in Concilio adfuit, neque quemquam, qui ejus locum ſuppleret, eo miſit, cum utique Eccleſiaſticus Canon jubeat, non oportere abſque Romani Pontificis ſententia Decreta Eccleſiis ſancire*. Loquitur de Concilio Antiocheno, quod contra Athanaſium celebratum eſt; ſed ſine robore, & authoritate, quia defuit conſenſus Pontificis.

Et Sozomenus l. 3. c. 7. *Athanaſius fugiens Alexandria, Romam adventavit: Eodem tempore Paulus etiam Conſtantinopolitanus Epiſcopus forte illo acceſſit, & Marcellus quoq; Epiſcopus Ancyræ, & Aſclepas Gazæ Epiſcopus; qui cum doctrinæ Arrianæ adverſaretur, in crimen vocatus eſt ab Arrianis quibuſdam, quod altare everterit, & fuerit propterea abdicatus. Cujus locum in Eccleſia Gazæ adminiſtranda obtinuit Quintinianus; itemq; Lucius Epiſcopus Adrianopolis, ab alijs accuſatus, ſua, quam regebat, Eccleſia ſpoliatus, Romæ ætatem degit. Quorum criminationes cum Epiſcopus Romanus intellexiſſet, & omnes fidei Concilii Nicæni conſentientes reperiſſet, in communionem recepit. At cum propter ſedis dignitatem, cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit, ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, eoſque incuſavit, quod inconſulto de hiſce viris judicaſſent, Eccleſiaſque perturbaſſent*.

Et

Et Theodoretus lib. 2. Hiſtor. cap. 22. *Numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debet; præſertim cum formula compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cujus ſententia præ cæteris omnibus expectanda erat, &c.*

Et Concilium Chalcedonenſe act. 1. ſtatim ab initio poſt recenſita nomina eorum, qui interfuerunt: *Paſchaſinus vero Reverendiſſimus Epiſcopus, & Vicarius Sedis Apoſtolicæ, cum in medio una cum his Viris Reverendiſſimis collegis ſuis ſtetiſſet, dixit: Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri, Papæ urbis Romæ, quæ eſt Caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt ejus Apoſtolatus, ut Dioſcorus Alexandrinorum Epiſcopus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur. Quod nos obſervare neceſſe eſt.* Et infra: *Quia tum perſonam judicandi non haberet, præſumpſit, & ſynodum auſus eſt facere ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.* Et Act. 16. in Relatione quintæ Synodi ad Leonem Papam paulo poſt medium: *Hæc ſunt, quæ tecum, qui ſpiritu præſens eras, effecimus. Indicamus vero, quia & alia quædam pro rerum ipſarum ordinata quiete, & propter Eccleſiaſticorum ſtatutorum firmitatem definimus, ſcientes, quia & veſtra ſanctitas eadem probatura, & confirmatura eſt.* Et circa finem: *Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora judicium; & ſicut nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam; ſic & ſummitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Hic petunt Patres Concilii, ut quæ ipſi communi conſenſu in Concilio generali ſtatuerant, a Pontifice confirmentur, & robur accipiant.

Et Anaſtaſius Hieroſolymitanus Patriarcha in ep. ad Felicem Papam: *Fuit ſemper Apoſtolicæ Sedis veſtræ licentia, injuſte damnatos, vel excommunicatos poteſtatis ſuæ auctoritate reſtituere, & ſua omnia iis reddere, & eos, qui eos condemnarunt, aut excommunicarunt, Apoſtolico punire privilegio; ſicut etiam noſtris, & anterioribus novimus factum temporibus, &c. Antiquis regulis ſancitum eſt, ut quicquid, quamvis in remotis provinciis, ſuper eorum querelis, aut excuſationibus ageretur, non prius tractandum, vel accipiendum eſſet, quam ad notitiam almæ ſedis veſtræ eſſet deductum, ut hujus auctoritate, juxta quod fuiſſet faciendum, infirmaretur, aut firmaretur.*

Et Auguſtinus cum aliis Epiſcopis Concilii Carthaginienſis epiſt. 90. ad Innocentium Papam: *Hoc itaque geſtum, Domine frater ſancte, charitati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur authoritas, pro tuen-*

da ſalute multorum, & quorundam perverſitate etiam corrigenda.

Et Ambroſ. epiſt. 78. ad Theophilum Alexandrinum, (ubi agit de componenda diſcordia, quæ erat inter Evagrium, & Flavianum) *Sane*, inquit, *referendum arbitramur ad Reverendum fratrem noſtrum Romanæ ſacerdotem Eccleſiæ*. Et ibidem: *Ut nos quoque, cum id geſtum eſſe cognovimus, quod Eccleſia Romana comprobaverit, læti hujuſmodi fructum examinis adipiſcamur.*

Et Proſper in chronicis: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum ſeptemdecim Epiſcoporum, ad Pontificem Zoſimum ſynodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

70. Accedit efficaciſſima ratio: quia Pontifex habet curam, & gubernationem totius Eccleſiæ, ut ſupra dixi, ſicut Rex totius regni, aut Imperator totius Imperii, quiſque in ſuo genere: At nemo poteſt facere efficax Decretum pro toto Regno, aut Imperio, niſi conſentiente Rege, aut Imperatore: Ergo ſimiliter nemo poteſt facere efficax Decretum pro tota Eccleſia, niſi conſentiente Pontifice. Hæc tamen duo diſtinguenda ſunt. Primo, facere efficax Decretum pro tota Eccleſia. Hoc nemo poteſt ſine expreſſo conſenſu Pontificis. Secundo, facere efficax decretum pro hac, aut illa Eccleſia particulari: Hoc poteſt Epiſcopus hujus, aut illius Eccleſiæ particularis ſine expreſſo conſenſu Pontificis, modo decretum in ſe bonum ſit, & Pontifex rationabiliter non repugnet.

71. Quartum privilegium eſt, quod Pontifex poſſit ſancire leges Eccleſiaſticas, quæ obligent univerſam Eccleſiam. Hoc ſequitur ex dictis: quia cum ſit Caput Eccleſiæ, ſicut Rex eſt Caput Regni, & Imperator Imperii, non minus poteſt ſancire leges pro tota Eccleſia, quam Rex pro toto Regno, aut Imperator pro toto Imperio.

72. Hoc magis explicabo ex tribus generalibus principiis. Unum eſt, quod Prælati Eccleſiæ habeant poteſtatem regendi ſubditos; & quod ſubditi jure divino teneantur eis obedire. Patet ex Scripturis, Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit. Et qui vos ſpernit, me ſpernit*. Et Matth. 18. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*. Et Act. 20. 28. *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Et Hebr. 13. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis*. Et ratio eſt, quia ſi ſubditi non tenerentur obedire, jam non eſſent ſubditi.

73. Alterum eſt, quod Prælati Eccleſiæ non tantum habeant poteſtatem regendi ſubditos, ſed etiam coercendi, puniendi, ſi non obediant, ut paſſim docet Apoſtolus, 1. Cor. 4. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* Et 2. Cor. 13. 10. *Hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem, quam Dominus mihi dedit*. Et hac poteſtate frequenter uſus eſt. Primo, quando excommunicavit Corinthium inceſtuoſum. Secundo, quando reprehendit Corinthios, quod judicio contenderent apud infideles. Tertio, quando Hymenæum, & Alexandrum, propter hæreſim, tradidit Satanæ. Quarto, quando Theſſalonicenſibus ſcripſit: *Si quis non obedit verbo noſtro, per Epiſtolam hunc notate, & non commiſceamini illi.*

74. Tertium ſequitur ex prædictis, quod Prælati Eccleſiæ habent etiam poteſtatem condendi novas leges, obligantes in conſcientia. Ratio eſt, quia habent poteſtatem regendi, & puniendi ſubditos, & ſubditi tenentur illis obedire: Ergo habent poteſtatem condendi leges, ſecundum quas poſſint regere, & punire ſubditos, & in quibus ſubditi teneantur illis obedire.

75. Dicet forte aliquis cum Calvino, id non ſequi. Nam ſatis eſſe, ſi poſſint eos regere, & punire ſecundum leges divinas. Nec requiri, ut regant, & puniant eos ſecundum leges humanas. Reſpondeo: Poteſtas Prælatorum latius ſe extendit, quam ad ea, quæ ſunt juris divini. Primo, quia teſtimonia Scripturæ, quæ allata ſunt, non adſtringuntur ad ſolum jus divinum. Secundo, quia Apoſtoli multa præceperunt ſubditis, quæ non erant juris divini. Nam in Concilio Hieroſolymitano prohibuerunt ſanguinem ſuffocatum, & immolata, quæ tunc temporis non erant prohibita jure divino. Jus enim veteris Teſtamenti erat abrogatum: nec ullum aliud extabat jus divinum, quo illa prohiberentur. Similiter D. Paulus legem ſtatuit de bigamis ad Epiſcopatum non admittendis, 1. Tim. 3. 2. & alibi, præſertim 1. Cor. 7. 10. diſtinguit ſua præcepta a præceptis Chriſti. Denique legantur Canones Apoſtolorum, Concilia generalia, Decreta Pontificum, in quibus ſunt multæ leges Eccleſiaſticæ de iis, quæ jure divino in particulari determinata non ſunt.

76. Multa objicit M. Antonius contra primatum Pontificis, quæ lib. 3. de Repub. Chriſtiana cap. 5. a me diſcuſſa ſunt. Præcipua objectio ſumpta eſt ex dictis Pelagii, & Gregorii Pontificum, qui acerrime oppugnarunt titulum Oecumenici, ſeu univerſalis

Patriarchæ, quo utebatur Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & conſequenter oppugnarunt primatum Eccleſiæ. Verba Pelagii ſunt hæc: *Nullus Patriarcharum hoc tam profano vocabulo unquam utatur, quia ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Quæ verba referuntur apud Gratianum diſt. 19. cap. Nullus. Verba Gregorii ſunt hæc: (lib. 4. Epiſt. 32. ad Mauritium) *Quis eſt iſte, qui contra ſtatuta Euangelica, contra Canonum decreta, novum ſibi uſurpare nomen præſumit?* Et infra: *Sed abſit a cordibus Chriſtianorum nomen iſtud blaſphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno ſibi dementer arrogatur.* Et lib. 6. epiſt. 30. *Ego fidenter dico, quia quiſquis ſe Univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit.*

77. Reſpondeo: M. Antonius non intelligit citatos Patres. Reprehendunt illi Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quod titulum univerſalis Patriarchæ, vel Sacerdotis faſtuoſe ſibi arrogaverit. Ut autem conſtet, quo ſenſu id fecerit, notandum eſt, hæc duo diſtingui, quæ M. Antonius confundit. Primo, dici *Univerſalem Epiſcopum in Eccleſia*. Secundo, dici *Epiſcopum univerſalis Eccleſiæ*. Prior titulus reprehenditur in Joanne, poſterior Romano Pontifici conceditur. Et citati Patres priorem aſſerunt eſſe profanum, blaſphemum, & Antichriſtianum: poſteriorem non item. Eſt autem hoc diſcrimen inter utrumque titulum. Qui dicit ſe eſſe univerſalem Epiſcopum, vel Sacerdotem, inſinuat ſe ſolum eſſe Epiſcopum, & aliis omnibus derogat nomen, & honorem Epiſcopalem. Et hoc feciſſe Joannem, teſtatur Gregorius, partim locis citatis, partim l. 4. epiſt. 34. cum ait: *Triſte valde eſt, ut patienter feratur, quatenus deſpectis omnibus prædictus frater, & coepiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus*. Et ep. 36. ad Eulogium: *Si unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur*. Et lib. 7. epiſt. 69. ad Euſebium: *Nam ſi unus, ut putat, univerſalis eſt, reſtat, ut vos Epiſcopi non ſitis*. Qui autem dicit ſe eſſe Epiſcopum, vel Paſtorem univerſalis Eccleſiæ, non ſignificat ſe eſſe ſolum Epiſcopum, vel Paſtorem, ſed ſe habere generalem curam, & gubernationem totius Eccleſiæ, licet alii Epiſcopi habeant ſpecialem curam, & gubernationem Eccleſiarum particularium. Et hoc ſenſu Pontifex ſolet vocari Epiſcopus, & Paſtor univerſalis Eccleſiæ. Quod etiam fatetur Gregorius. Nam l. 6. ep. 32. ait: *Petro omnium Apoſtolorum Principi totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt*. Item: *Cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus commit-*

mittitur, & tamen univerſalis Apoſtolus non vocatur.

Hinc apparet, Pelagium, & Gregorium fruſtra a M. Antonio adductos eſſe contra nos. At merito contra ipſum adduci poſſunt. Nam Gregorius, ut jam dixi, agnoſcit Petro totius Eccleſiæ curam, & principatum commiſſum eſſe, quod M. Antonius negat. Similiter Pelagius loco citato ſic habet: *Relatum eſt ad Apoſtolicam ſedem, Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum Univerſalem ſe ſcribere, vosque ex hac ſua præſumptione ad Synodum convocare generalem; cum generalem Synodum convocandi authoritas Apoſtolicæ ſedi B. Petri ſingulari privilegio ſit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica authoritate non fuerit fulta.* Et infra: *Sciat Joannes, niſi errorem ſuum cito correxerit, nobis excommunicandum fore.* Quibus verbis fatetur hæc tria. 1. Authoritatem convocandi generalem Synodum, ſingulari privilegio, traditam eſſe Apoſtolicæ Sedi. 2. Nullam Synodum ratam eſſe, quæ Apoſtolica authoritate non ſit firmata. 3. Pontificem poſſe excommunicare Epiſcopos Orientales. Quæ omnia valent contra M. Antonium. Nec debet excipere ſuſpectos eſſe Pelagium, & Gregorium in hac cauſa. 1. Quia ipſe utitur eorum authoritate. 2. Quia vocat eos Pontifices ſanctos, ut ipſorum teſtimonium plus ponderis habere videatur.

78. Ex dictis facile ſolvuntur argumenta M. Antonii, quæ ex Pelagio, & Gregorio adducit contra Primatum Pontificis. Percurram obiter. Primum eſt: Qui ſe dicit univerſalem Epiſcopum, reliquis omnibus Epiſcopis aufert nomen, honorem, & dignitatem Epiſcopalem; At Pontifex hoc facit: Ergo, &c. Reſpondeo: Major vera eſt eo ſenſu, quo Joannes vocabat ſe univerſalem Epiſcopum. Minor falſa eſt, quia Pontifex vocat quidem ſe Epiſcopum univerſalis Eccleſiæ, non tamen Epiſcopum univerſalem, eo ſenſu, quo Joannes.

79. Secundum: Luciferianum eſt, velle unum Epiſcopum ſe efferre ſuper alios Epiſcopos, qui ſunt aſtra cœli. Reſpondeo: Lucifer voluit ſe efferre ſupra aſtra cœli ex mera ſuperbia, non autem ex Dei ordinatione. Luciferum imitatus eſt Joannes Conſtantinopolitanus. At Pontifex Romanus, Petri ſucceſſor, id non facit. Imitatur Petrum, cui totius Eccleſiæ cura erat demandata; & ideo totius Eccleſiæ paſtorem, & Epiſcopum merito ſe vocat, non ex ſuperbia, ſed ex Chriſti ordinatione.

80. Tertium: Schiſma aperit, & inducit, qui ſe vocat univerſalem. Reſpondeo. Joannes inducebat Schiſma, quia cum

Pontifex Romanus eſſet Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ, cui omnes tenebantur obedire, ipſe ſe ſubduxit ab obedientia, & vocavit ſe univerſalem Patriarcham: & ſic dividebat unitatem Capitis in Eccleſia. Hoc non facit Pontifex. Quærit conſervare unitatem Capitis, non in varia Schiſmata diſtrahere.

81. Quartum: Solus Chriſtus eſt Eccleſiæ Caput univerſale, & omnes Epiſcopi ſunt Chriſti membra. Reſpondeo. Solus Chriſtus eſt caput Eccleſiæ quoad internum influxum, non quoad externam gubernationem. In priori officio Capitis non admittit Vicarium; in poſteriori admittit. Hoc ſupra explicatum eſt.

82. Quintum: Neque Petrus, neque ullus Apoſtolus, aut ſanctus Epiſcopus vocavit ſe unquam univerſalem. Reſpondeo. Si de nomine agitur, verum eſt; ſi de re ipſa, falſum. Nam Petrus reipſa exercuit officium Paſtoris, reſpectu totius Eccleſiæ: quod etiam fecerunt ſucceſſores Petri: Et tametſi non vocaverint ſe univerſales: vocati ſunt tamen Epiſcopi, ſeu Paſtores univerſalis Eccleſiæ.

83. Sextum: Proprium eſt præcurſoris Antichriſti ſuperbiendo ſe cæteris anteponere. Reſpondeo, Verum eſt; Pontifex hoc non facit. Non enim ex ſuperbia, ſed ex divina inſtitutione cæteris ſe anteponit. Sicut in veteri Teſtamento faciebat Moyſes, & reliqui ſummi Pontifices. Sicut etiam in Regno Angliæ facit Rex, & in Imperio Imperator: Uterque enim legitimo jure electionis præfert ſe aliis. In quo diſſimiles ſunt Joanni Conſtantinopolitano, qui ex ſuperbia, non ex Dei ordinatione ſe cæteris anteponebat.

CA-

CAPUT V.

De Judice Controverſiarum.

1. INter Chriſtianos, ut quotidiana docet experientia, ſolent oriri variæ controverſiæ de fide, & religione. Quæſtio eſt, quis debeat eſſe Judex in hujuſmodi controverſiis decidendis? Adverſarii docent, ſolam Scripturam eſſe: Et ex ea ſola, ſecluſis Traditionibus, & authoritate Eccleſiæ, controverſias omnes finiri, ac decidi poſſe. Quod probant

2. Primo, quia Deus in veteri teſtamento remittit Judæos ad ſolam ſcripturam, tanquam ad judicem, Iſajæ 8. 20. *Ad legem, & teſtimonium*. Idem facit Chriſtus in novo, Joan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas*. Et hoc fecerunt Beroenſes, de quibus ſcriptum eſt Act. 17. 11. *Quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent*. Secundo, Deus mandat, ut nihil addatur ad ſcripturam, Deut. 42. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*. Et Chriſtus damnat omnes Traditiones, & ſola Scriptura vult nos eſſe contentos, Matth. 16. 6. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram*. Tertio, Apoſtolus ait, Scripturam per ſe ſufficere, 2. Timoth. 3. 15. *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, & arguendum, ad corripiendum, &c.* Hoc argumentum, ſicut & præcedens, ſolutum eſt cap. 2. de Traditionibus. De primo, & reliquis, quæ afferri ſolent, aut poſſunt, poſtea videbimus in ſolutione objectionum.

3. Catholici diſtinguunt inter Judicem, & Normam. Judicem vocant, qui fert ſententiam inter partes litigantes: Normam, ſecundum quam fertur ſententia a Judice. Poſita hac diſtinctione, tria docent. 1. Eccleſiam eſſe Judicem Controverſiarum. 2. Normam, quam ſequitur Eccleſia in ferenda ſententia, non eſſe ſolam ſcripturam, ſed ſcripturam, & Traditionem ſimul. 3. Eccleſiam, juxta hanc normam, dupliciter ſententiam pronunciare poſſe: vel per Pontificem, qui eſt Paſtor Eccleſiæ, vel per Concilia a Pontifice approbata, quæ repræſentant Eccleſiam: Et utroque modo ſententiam eſſe infallibilem.

4. Ad hanc ſententiam confirmandam, & priorem refellendam, utar ſex argumentis, quibus clare demonſtrabo, ſolam ſcripturam controverſiarum Judicem eſſe non poſſe. Primum ſumetur ex officio Judicis, quod Scripturæ non competit. Secundum ex parte ipſius Scripturæ, in qua duo ſpectanda ſunt, Littera, & ſenſus: *Littera occidit*, teſte Apoſt. Senſus ſæpe obſcurus eſt, ut alio

alio Judice, ac interprete opus ſit. Tertium ex parte controverſiarum, de quarum Judice quæſtio eſt. Nam aliquæ controverſiæ ſunt, quæ ex Scriptura dirimi non poſſunt, cum nulla de iis in Scriptura fiat mentio. Quartum ex uſu, & praxi veteris Teſtamenti, ubi non Scriptura, ſed Pontifex pro Judice agnoſcebatur: Quintum ex ſimili uſu, & praxi novi Teſtamenti. Sextum ex analogia Judicis controverſiarum civilium, & politicarum. Nam Judex ejuſmodi controverſiarum non eſt Lex ſcripta, ſed Princeps, aut Conſiſtorium Principis. Deinde ſolvam objectiones.

SOLAM SCRIPTURAM NON ESSE JUDICEM.

Primum Argumentum ex Officio Judicis.

5. PRimum Argumentum, quod ſumitur ex officio Judicis, ſic propono: Qui eſt Judex inter duos litigantes, debet ita pronuntiare ſententiam, ut uterque litigantium clare intelligat, quænam ſit ſententia Judicis: Et alter eorum fateatur, illam pro ſe, alter contra ſe latam eſſe. Alioqui, niſi id fiat, non ceſſabunt a lite, ſed uterque ſuam cauſam proſequetur: At ſcriptura non poteſt hoc præſtare: Ergo ſcriptura non poteſt eſſe Judex Controverſiarum. Major per ſe clara eſt. Minorem probo, quia Lutherani, & Calviniſtæ multis jam annis litigant de his punctis. 1. De Baptiſmo parvulorum. 2. De reali præſentia Chriſti in Euchariſtia. 3. De prædeſtinatione. 4. De perſona Chriſti. 5. De exorciſmo. Et tamen Scriptura, quam volunt eſſe Judicem, non poteſt dirimere, aut finire has ipſas controverſias. Nec hactenus auditum eſt ita pronunciaſſe ſententiam, ut vel Lutherani, vel Calviniſtæ faſſi ſint, contra ſe pronunciatam eſſe. Hoc conſtat ex eventu. Nam utrique pergunt in ſtudio, & ardore litigandi: quod ſine dubio non facerent, ſi putarent ſententiam clare ſemel eſſe latam. Tunc enim vel ultro ceſſarent a ſuſcepta contentione, & ſententiæ acquieſcerent: Vel certe ſi exiſtimarent injuſte ſecum actum eſſe, ad alium Judicem provocarent. Neutrum fit.

6. Ut magis appareat vis hujus argumenti, duo conſideranda ſunt. Unum, quod tam Lutherani, quam Calviniſtæ palam fateantur, ſe non alium Judicem, quam ſolam Scripturam agnoſcere: Et hanc ipſam Scripturam eſſe claram, perſpicuam, & ad omnes controverſias ſopiendas per ſe ſufficientem: nec ullam

fal-

falſitatem ſubeſſe illi poſſe. Alterum, quod nihilominus utrique nihil aliud efficiant litigando apud hunc Judicem, quam ut quotidie creſcant eorum lites, & ipſi erga ſe mutuo infeſtiores evadant. Ex quibus alterutrum ſequi neceſſe eſt: Vel Scripturam hactenus non pronuntiaſſe claram, perſpicuam, & ſufficientem ſententiam: Vel certe, ſi pronunciavit, Lutheranos, & Calviniſtas pervicaces eſſe, qui claræ, perſpicuæ, & ſufficienti ſententiæ non volunt acquieſcere. Alterutrum ipſi eligant.

SECUNDUM ARGUMENTUM ex parte Scripturæ.

7. IN Scriptura duo ſpectanda ſunt, Littera, & ſenſus, ſicut in homine corpus, & anima. De illis, ut aliqui interpretantur, locutus eſt Apoſt. 2. Cor. 3. verſ. 6. cum ait: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Quaſi dicat: Si ſequaris verum Scripturæ ſenſum, qui eſt quaſi ſpiritus, & anima vivificans, proderit tibi ad ſalutem. Si autem neglecto vero, ac legitimo ſenſu, hæreas tantum in externa littera, & contendas illum eſſe ſenſum, quem externa littera præ ſe fert, ſæpe errabis. Quam interpretationem ſequitur Auguſtinus ſer. 70. de Tempore: *Frequenter*, inquit, *admonui charitatem veſtram, fratres dilectiſſimi, ut his lectionibus, quæ diebus iſtis in Eccleſia recitantur, non hoc tantum attendere debeamus, quod ex littera ſonare cognoſcimus, ſed, remoto velamine litteræ, vivificantem ſpiritum fideliter requiramus. Sic enim dicit Apoſtolus: Litera occidit, ſpiritus autem vivificat. Denique infelices Judæi, & plus infelices hæretici, qui dum ſolum litteræ aſpiciunt ſonum, quaſi corpus ſine anima, ita ſine vivificante ſpiritu mortui remanſerunt.* Similia habet lib. 3. de doctrina Chriſti, cap. 5.

8. Hoc poſito, duo probanda ſunt. Unum eſt, quod Scriptura, ſi litteram ſpectes, non poſſit eſſe Judex controverſiarum. Alterum, quod neque ſi ſenſum ſpectes, poſſit eſſe Judex. Priorem partem ſic probo. Ille non poteſt eſſe infallibilis Judex controverſiarum, qui ducit hominem in errorem, & hæreſim: At Scriptura, ſi nudam illius litteram ſpectemus, ducit hominem in errorem, & hæreſim: Ergo non poteſt eſſe infallibilis Judex controverſiarum. Major per ſe nota eſt, quia propterea quærimus infallibilem Judicem, ne erremus: Ergo qui ducit nos in errorem, non eſt infallibilis Judex. Major patet ex Apoſtolo, quia Scriptura ſecundum litteram occidit, ideſt in lapſum, & errorem ducit.

9. Sic

9. Sic olim occidit Judæos, qui omnia, quæ in Moyſe, & Prophetis prædicta erant de Chriſto, intelligebant ſecundum externam litteram, & ſenſum interius latentem non percipiebant. Et hoc eſt, quod ait Apoſtolus 2. Corinth. 3. 15. *Uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*, ideſt, adhuc Judæi non intelligunt Moyſem, quem quotidie legunt, quia non penetrant internum ipſius ſenſum, ſed externa littera contenti ſunt. Vel clarius: Non agnoſcunt Chriſtum, qui in Moyſe ſub externis ceremoniis, ac ſacrificiis, tanquam ſub velamine, occultatus eſt. Adhuc hærent in ſolo velamine, & non conſiderant, quid ſub illo lateat reconditum.

10. Quod etiam objicit illis Chriſtus, Jo. 5. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere. Et illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. q. d. Si vultis certo cognoſcere, me eſſe Meſſiam a Deo promiſſum, de quo Moyſes, & Prophetæ ſcripſerunt, non tantum debetis legere ſcripturas quoad externam litteram, ſed multo magis ſcrutari internum ſenſum, & ſpiritum, qui ſub externa littera, quaſi ſub umbra, aut figura, deliteſcit. Hoc hactenus non feciſtis. Tametſi enim perſuaſum vobis ſit, in ſcripturis ſitam eſſe vitam æternam, tamen neſcitis, in qua parte ſita ſit. Non eſt ſita in externa littera, in externis ceremoniis, & figuris, ut vos putatis, ſed in ſpiritu, & ſenſu, in myſterio. Ibi me quærite, & invenietis.

11. Nec ſolos Judæos, ſed etiam Hæreticos littera occidit. Nam multi in ſuis erroribus propterea perierunt, quod relicto ſcripturæ ſenſu, quem ſequitur ſancta, & Catholica Eccleſia, alium ſenſum ſecundum externam litteram amplexi ſunt: quod aliquot exemplis obiter demonſtrabo.

12. Sabelliani dicebant, non eſſe tres perſonas divinas, ſed unam tantum, quæ tamen haberet tria nomina, propter diverſa officia, ſeu operationes. Eandem enim perſonam vocari Patrem, Filium, & Spiritum S. ſed diverſo reſpectu; Patrem, quatenus eſt author omnium creaturarum; Filium, quatenus aſſumpſit humanam naturam ex Virgine; Spiritum S., quatenus ſanctificat nos per ſuam gratiam. Ex eorum ſententia ſequebatur, Patrem eſſe mortuum, & paſſum. Nam ſi una tantum eſt perſona, quæ dicitur Pater, Filius, & Spiritus S., ſane ſi illa perſona mortua, & paſſa eſt, neceſſe eſt Patrem mortuum, & paſſum eſſe. Hinc (teſte Auguſt. in lib. de hæreſibus, c. 41.) *Patripaſſiani* appellati ſunt. Unde hic tantus error? Ex littera occidente. Nam ſecundum externam litteram intelligebant illud Joan. 10. 30. *Ego, & Pater unum ſumus*; Ex quo inferebant, Patrem, & Filium (& conſequenter

Spi-

Spiritum ſanctum) eſſe unum quoad perſonam: cum tamen ſecundum ſenſum Eccleſiæ ſint unum quoad eſſentiam, & duo quoad perſonam.

13. Arriani dicebant, Chriſtum non eſſe Deum, ſed inferiorem Deo. Unde hoc? quia relicto ſenſu Eccleſiæ, ſecundum litteram explicabant verba Chriſti, Joan. 14. 28. *Pater major me eſt*, id eſt, abſolute major. At Eccleſiæ ſenſus eſt, Chriſtum ſecundum humanitatem eſſe minorem Deo Patre; ſecundum divinitatem, æqualem. Et priori modo intelligendum eſſe illud: *Pater major me eſt*: poſteriori illud; *Ego, & Pater unum ſumus*: Et ſic optime cohærere. Vide Athanaſium oratione ſecunda contra Arrianos. Hilarium lib. 5. & 11. de Trinitate. Auguſtinum l. 3. contra Maximum, cap. 24. & 25. & libro de Trinitate, cap. 7.

14. Macedoniani negabant Spiritum Sanctum eſſe Deum. Ex quo principio? Ex littera occidente. Nam ſecundum litteram accipiebant illud Apoſt. 1. Cor. 2. 10. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*. Unde ſic concludebant. Qui ſcrutatur, quærit; qui quærit, dubitat; qui dubitat, ignorat; qui ignorat, Deus non eſt: Ergo Spiritus S. non eſt Deus. At Eccleſia locum ſic interpretatur: *Spiritus omnia ſcrutatur*, id eſt, omnia penetrat, & comprehendit. Quo ſenſu dicitur etiam Deus Pater omnia ſcrutari. 1. Paralip. 28. 9. *Omnium corda ſcrutatur Deus*. Et Pſalm. 7. 10. *Scrutans corda, & renes Deus*. Et Jerem. 17. 10. *Ego Dominus ſcrutans corda*. Vide Theodoretum, Theophylactum, D. Thomam, & alios, in commentario illius loci.

15. Manichæi aſſerebant, vetus Teſtamentum novo contrarium eſſe. Quare? quia rem totam æſtimabant ſecundum externam litteram; quam ſi ſpectes, alterum alteri videtur repugnare. Nam vetus dicit: *Deum creaſſe omnia*. (Gen. 1. 1.) Novum dicit, *Verbum creaſſe omnia*. (Joan. 1. 3.) Rurſum vetus dicit, hominem factum eſſe ad imaginem Dei. (Gen. 1. 27.) Novum dicit, hominem eſſe ex Diabolo, (Joan. 8. 44.) Item, vetus dicit, Deum die ſeptimo quieviſſe ab omni opere. (Gen. 2. 2.) Novum dicit, *Deum uſque modo operari*. (Joan. 5. 17.) Contra hos agit Divus Auguſtinus in libro contra Adimantum Manichæi diſcipulum, & ex ſenſu Catholicæ Eccleſiæ conciliat inter ſe loca, quæ ſecundum litteram videntur ſibi adverſari. Non enim repugnat, Deum feciſſe omnia; & tamen feciſſe per Verbum, veluti per ſuam artem, ſeu ideam. Nec repugnat, hominem factum eſſe ad imaginem Dei, quoad naturam; & tamen eſſe ex Diabolo, quoad malitiam. Denique non repugnat, Deum quieviſſe die ſeptimo ab opere creationis mundi; & ta-

men ſemper operari in gubernando, & conſervando mundo.

16. Pelagiani negant peccatum originale, aſſerentes peccatum Adami nocuiſſe ipſi ſoli, non autem poſteris. Ex quo fundamento? Ex littera occidente, quia ſcriptum eſt Ezechiel. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem Patris*. At ſenſus illius loci, ſecundum mentem Eccleſiæ Catholicæ, hic eſt: *Filius*, qui non eſt particeps peccati Patris, *non portabit iniquitatem Patris*: Si autem particeps eſt, portabit. (Vide Auguſtinum in lib. poſt collocat. cap. 7.) Nunc autem conſtat, poſteros fuiſſe participes peccati primi parentis, juxta illud Rom. 5. 12. *In quo omnes peccaverunt*. Sed quomodo omnes peccaverunt in Adamo? Hoc alibi explicandum eſt. Hic obiter dico, omnes in eo peccaſſe, quia Deus iniit pactum cum Adamo, tanquam cum Capite, & communi radice, ſeu principio totius poſteritatis, ut, ſi ipſe ſervaret præceptum de non guſtando fructu prohibito, tam ipſe, quam poſteri manerent in paradiſo: ſi non ſervaret, tam ipſe, quam poſteri eſſent rei, ac veluti tranſgreſſores ex paradiſo ejicerentur. Quod & factum eſt.

17. Fuerunt etiam antiquiores hæretici, qui negabant carnis reſurrectionem, quia ſcriptum eſt Joan. 6. 63. *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam*. Ex quo loco ſecundum externam litteram intellecto ſic argumentabantur. Quorſum caro, ſi nihil prodeſt, eſſet reſurrectura? (refert Tertullianus in libro de reſurrectione carnis, cap. 37.) Ex eodem loco Calviniſtæ faciunt hanc ſimilem conſequentiam. Quorſum Chriſtus daret nobis ſuam carnem in ſacramento Euchariſtiæ, ſi nihil prodeſt? utrique decepti ſunt ex litera occidente. Alioqui liceret etiam concludere hoc modo: Si caro non prodeſt quicquam, cur Chriſtus eam aſſumpſit? Cur Verbum caro factum eſt? Cur pro nobis cruci eam affixit? Vide Maldonatum in cap. 6. Joan.

18. Atque hæc ſufficiant de priori parte argumenti, in qua tum auctoritate Apoſtoli, tum variis exemplis demonſtratum eſt, Scripturam, ſi litteram externam ſpectemus, non poſſe eſſe infallibilem Judicem controverſiarum, quia littera occidit, & varios errores, ac hæreſes parit.

19. Altera pars eſt: Nec Scripturam, ſi ſenſum ſpectemus, poſſe eſſe Judicem. Quam ſic probo. Scriptura, quoad verum, & legitimum ſenſum, ſæpe eſt obſcura, & difficilis intellectu; ac proinde ſæpe oritur controverſia de vero, & legitimo ipſius ſenſu. Omnis autem controverſia requirit aliquem Judicem. Debet ergo aliquis eſſe Judex, qui definiat, hunc eſſe legitimum ſenſum, illum non eſſe. At hic Judex non poteſt eſſe

ipſa

ipſa Scriptura, de cujus mente, & ſententia controverſia movetur: Ergo aliquis alius diſtinctus a Scriptura.

20. In hoc diſcurſu ſunt tria præcipua. Primum eſt, Scripturam, quoad ſenſum, ſæpe eſſe obſcuram, & difficilem intellectu. Hoc probatum eſt c. 1. q. 6. & ſequentibus. Alterum, ex hac obſcuritate neceſſario naſci multas controverſias. Hoc non indiget alia probatione, quam quotidiana experientia. Conſtat enim, omnibus ſæculis, a tempore Apoſtolorum ad nos uſque, ſemper ortas fuiſſe aliquas controverſias de legitimo Scripturæ ſenſu. Et ut taceam de iis, quæ tempore Arrii, Macedonii, Donati, & aliorum veterum hæreticorum excitatæ ſunt, certe noſtro hoc tempore prope infinitæ occurrunt, de quibus in progreſſu videbimus. Tertium eſt, Judicem harum controverſiarum non poſſe eſſe Scripturam. Quod probo duplici argumento.

21. Primum ſumitur ex dictis, in hunc modum: Judex debet clare pronuntiare ſententiam, ut ab utraque parte litigante intelligi poſſit: alioqui fruſtra illam pronunciaret: At Scriptura, quando ſenſus ipſius obſcurus eſt, non poteſt clare pronunciare ſententiam, ut ab utraque parte litigante intelligi poſſit. Si enim in tali caſu clare pronuntiaret ſententiam, jam ſenſus ipſius non eſſet obſcurus, ſed clarus, quod eſt contra ſuppoſitionem! Ergo in tali caſu non poteſt eſſe Judex.

22. Dices: Tametſi ſenſus Scripturæ in uno loco aliquando obſcurus ſit, tamen in alio poteſt eſſe clarus; ac proinde Scriptura per illum locum, qui clarus eſt, poteſt ferre ſententiam de alio, qui obſcurus eſt. Reſpondeo. Hoc quidem obtendunt Adverſarii, ſed fruſtra. Nam primo, ſi ita eſt, cur ipſi per hanc viam non finiunt controverſias, quas inter ſe habent? Cur, inquam, Lutherani, & Calviniſtæ, cum altercantur de aliquo Scripturæ loco, qui obſcurus eſt, non recurrunt ad alium, qui clarus eſt? Aut, ſi id faciunt, cur nullus altercandi apud illos eſt finis? Hic hærent.

23. Deinde aliud eſt, verba Scripturæ eſſe clara: aliud, ſenſum Scripturæ eſſe clarum. Nam claritas verborum pendet ex cognitione Grammaticæ; claritas autem ſenſus ex intentione, & conſilio Spiritus S. At ſæpe fit, ut aliquis habeat ſufficientem cognitionem Grammaticæ, & tamen neſciat intentionem Spiritus S. Ergo in tali caſu verba Scripturæ poterunt eſſe clara; non tamen ſenſus verborum, qui a Spiritu Sancto intenditur, erit clarus.

24. Hoc oſtendam in exemplo. Verba Chriſti in Euangelio ſunt hæc: *Hoc eſt corpus meum*; *Hic eſt ſanguis meus*. Quæ verba, ſi nativam illorum ſignificationem ſpectes, ſunt clara, & perſpicua;

tua, & ab omnibus non modo Chriſtianis, ſed etiam Judæis, Turcis, & Ethnicis intelligi poſſunt. At de ſenſu illorum, qui a Spiritu S. intentus eſt, infinitæ prope apud Chriſtianos controverſiæ ſunt.

25. Simile eſt de illis verbis apud Joannem: *Maria Magdalena venit ad monumentum, cum adhuc tenebræ eſſent*. Itemque de illis apud Marcum: *Venit ad monumentum, orto jam ſole*. Quid clarius, & rotundius dici potuit? Et tamen, quia priora videntur pugnare cum poſterioribus, merito dubitari ſolet, quis germanus illorum ſenſus ſit, & quomodo conciliari inter ſe poſſint, ac debeant.

26. Addo, non raro etiam fieri, ut idem locus Scripturæ, quem una pars litigantium putat clarum, & perſpicuum eſſe, ab altera cenſeatur eſſe obſcurus, ac intricatus. Quid in tali caſu facto opus eſt? Aut quis Judex adhibendus? Scriptura certe pro Judice adhiberi non poteſt. Nam de illius ſenſu ac ſententia controverſia eſt: cum alii claram, alii obſcuram eſſe contendant: & ab aliis in hanc, ab aliis in illam partem diſtrahatur. Quid ergo conſilii? ſine dubio alius Judex quærendus eſt. Verbi gratia

27. Lis inter nos, & Calviniſtas eſt de vero, ac locali deſcenſu Chriſti ad inferos, quem illi negant, nos aſtruimus. Et utimur duplici teſtimonio. Altero ex Symbolo fidei: *Deſcendit ad inferos*; Altero ex cap. 2. Act. v. 27. *Non derelinques animam meam in inferno*. Utrumque dicimus clarum, & perſpicuum eſſe. Calviniſtæ de utroque negant: & obſcuriſſima ſua interpretatione utrumque faciunt obſcuriſſimum. Ac prius quidem interpretantur hoc ſenſu: *Deſcendit ad inferos*, ideſt, pertulit in cruce diros cruciatus damnati, ac perditi hominis, ut coactus fuerit urgente anguſtia exclamare: *Deus meus, ut quid dereliquiſti me*? (vide infra lib. 3. cap. 2.) Poſterius autem hoc ſenſu: *Non derelinques animam meam in inferno*, ideſt, Non derelinques cadaver meum in ſepulchro. (ita Beza in commentario illius loci.)

28. Quid hic agendum? Aut quem Judicem compellabimus? Si Scripturam conſulimus, nihil aliud ipſa dicet, quam quod antea dixit. Nullum jota, nullum apicem additura eſt. De eo autem, quod antea dixit, controverſia eſt: Ergo per id, quod antea dixit, controverſia finiri non poteſt. Si ergo poſt ortam controverſiam Scriptura nihil novi dicit, ſed manet in antiquis terminis, certe per illam finiri lis non poteſt, ſed neceſſe eſt, vel alium Judicem adire, vel alteram partem litigantem ſponte cedere, vel denique utramque in lite perſeverare.

29. Poſterius argumentum. Multa ſunt teſtimonia Scripturæ, quo-

quorum verus, ac legitimus ſenſus haberi non poteſt, niſi ex traditione, & authoritate Eccleſiæ, ut probatum eſt cap. 2. Ergo ſi oriatur controverſia circa ejuſmodi teſtimonia, ſola Scriptura non poteſt eſſe Judex, ſed neceſſe eſt confugere ad traditionem, & authoritatem Eccleſiæ. Verbi gratia, Chriſtus dicit Matth. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Senſus verus, & legitimus eſt, quod in baptiſmo pronunciari debeant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Et quod baptiſmus ſine tali verborum pronunciatione non ſit validus. In hoc conſentiunt nobiſcum Adverſarii. At ſi aliquis negaret hunc eſſe ſenſum, & contenderet non opus eſſe pronunciare hæc verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ſed omnino ſufficere, ſi quis inter baptizandum habeat internam voluntatem, & intentionem baptizandi in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, quomodo illum confutaremus? An ex ſolis Scripturæ verbis? Nihil minus. Nam illa verba, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* non dicunt vocalem Trinitatis invocationem adhiberi oportere. Unde ergo conſtat oportere? Ex praxi, & Traditione Eccleſiæ. Si hanc reſpuis, non habebis ullum præſidium contra Adverſarium, qui negaret vocalem prolationem neceſſariam eſſe.

30. Aliud exemplum. Chriſtus dicit Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Hic locus, ſecundum verum, ac legitimum ſenſum, intelligitur de neceſſitate baptiſmi aquæ, ut nobiſcum fatentur Lutherani. At Calviniſtæ hoc negant. Quomodo ergo refelli poterunt a Lutheranis? Non certe ex verbis citatis. Nam tametſi nominetur ibi aqua, non tamen additur expreſſe, quod debeat intelligi vera aqua. Nam & alibi nominatur ignis, ut Luc. 3. 16. *Ipſe vos baptizabit in ſpiritu, & igne*, & tamen non intelligitur verus ignis. Unde ergo conſtabit, in priori loco veram aquam intelligi oportere? aut unde Lutherani contra Calviniſtas id probabunt? Non aliunde, quam ex praxi, & Traditione Eccleſiæ.

31. Aliud. Chriſtus in ultima Cœna non ſolum inſtituit Euchariſtiam, ſed etiam lotionem pedum adhibuit. Et quidem in inſtitutione Euchariſtiæ dixit: *Comedite, & Bibite*; in lotione autem pedum: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*. Hic adverſarii dicunt, priora verba continere præceptum; poſteriora non item: Ac proinde fideles divino præcepto obligari ad ſumendum Euchariſtiam ſub utraque ſpecie; non tamen ad lotionem pedum. Nunc quæro unde hoc ipſis conſtet? aut quo prætextu exiſtiment ſe teneri quidem ad ſumptionem utriuſque ſpeciei, ſed tamen

liberos eſſe a lotione pedum? Non poſſunt prætexere Scripturæ verba. Nam illa contrarium potius præ ſe ferunt. Hæc enim, *comedite, & bibite*, non plus videntur ſignificare, quam ſi Paterfamilias dicat ſuis hoſpitibus: *Comedite, bibite, læti eſtote*. At ſi Paterfamilias ita loqueretur, non cenſeretur illos velle ſub præcepto obligare. Cum ergo Chriſtus eodem modo locutus ſit, unde conſtabit, eum voluiſſe novo præcepto obligare omnes fideles ad utramque ſpeciem? Hæc autem verba, *Vos debetis alter alterius lavare pedes*, videntur ſignificare præceptum, non minus, quam ſi Dominus dicat ſervo: Tu debes menſam parare. Unde igitur ſciunt ſe his verbis non obligari ad lavandos pedes, cum tamen hæc verba obligationem præ ſe ferant? Ex ſola praxi, & Traditione Eccleſiæ. Nam Eccleſia nunquam uſurpavit hanc lotionem, tanquam neceſſariam; quod tamen feciſſet, ſi divino præcepto putaſſet ſe ad illam obligari.

32. Omitto ſimilia exempla, quæ paſſim occurrunt. Et ex dictis concludo in hunc modum: Scriptura poteſt dupliciter ſpectari 1. Quoad externam litteram. 2. Quoad internum ſenſum, qui a Spiritu Sancto intentus eſt: Neutro modo poteſt eſſe Judex controverſiarum. Non priori, quia externa littera ſæpe ducit nos ad errorem. Nec poſteriori, quia ſenſus Scripturæ ſæpe obſcurus, & ambiguus eſt, ita ut opus ſit alio Judice, qui definiat hũc eſſe legitimum, & a Spiritu Sancto intentum, illum non eſſe. Atque hæc ſufficiant de ſecundo argumento, quod ex parte Scripturæ ſumptum eſt.

TERTIUM ARGUMENTUM
Ex parte Controverſiarum.

33. HOc Argumentum ſic propono: Multæ ſunt controverſiæ circa fidem, & religionem, quarum vel nulla ſit mentio in Scriptura, vel certe non ſufficiens ad hoc, ut Scriptura de illis ſententiam ferre poſſit. Ergo in iis dirimendis alius Judex quærendus eſt. Ejuſmodi autem controverſiæ ſunt hæ.

34. Prima. An Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum ſint canonici, & divini, nec ne? Negant Lutherani, & Calviniſtæ. Nos affirmamus. At quis erit Judex, qui litem hanc dirimat? Scriptura eſſe non poteſt. Nec Lutherani, & Calviniſtæ, quod bene notandum eſt, ad Scripturam provocant, ſed ad Canonem, & Traditionem Judæorum. Ajunt libros iſtos in Canone Hebræorum, qui extat apud Hieronymum, non reperiri; ideoque pro Canonicis, ac Divinis haberi non poſſe. Fatentur igitur, alium in hac cauſa Judicem, quam Scripturam, eſſe oportere. E

quem

quem illum? Traditionem Judæorum. Mira res! Pluris Judæos, quam Chriſtianos faciunt: Et cum ipſi Chriſtiani eſſe velint, Chriſti, & Apoſtolorum Traditionibus infeſtiſſimi ſunt, & Judæorum Traditionem in pretio habent. Cur non dicunt cum Auguſtino libro decimo octavo de civitate Dei, cap. 36. *Machabæorum libros non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet?*

35. Secunda. Quot ſint Sacramenta novæ legis? Adverſarii dicunt eſſe duo; Baptiſmum, & Euchariſtiam: Catholici, ſeptem. Quid autem Scriptura? Nihil de hoc numero definit: ac proinde Judex in hac controverſia eſſe non poteſt. Unde ergo Catholici habent ſeptenarium, ſi ex Scriptura non habent? ex Traditione, & conſenſu Eccleſiæ. Unde Adverſarii binarium? hoc ipſi viderint. Certe ex Scriptura non habent, Aut ſi putant ſe habere, ſpeciatim præſtent hæc tria: Primo, oſtendant ex Scriptura, nomen Sacramenti tribui Baptiſmo, & Euchariſtiæ: non item Confirmationi, Ordini, Pœnitentiæ, Matrimonio, Extremæ Unctioni. Secundo, ex eadem Scriptura definiant Sacramentum. Tertio, demonſtrent definitionem convenire Baptiſmo, & Euchariſtiæ, non autem reliquis. Hæc ſi præſtiterint, ſalva res eſt. At nunquam præſtabunt.

36. Ac primo, ubi invenient locum Scripturæ, in quo nomen *Sacramenti* tribuitur Baptiſmo, & Euchariſtiæ? Nuſquam. At ego inveniam ubi tribuitur Matrimonio. Sic enim ſcribit Apoſtolus, Epheſ. 5.31. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Quaſi dicat: Quod homo relinquat parentes ſuos, & adhæreat uxori, hoc eſt magnum Sacramentum; quia eſt ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, id eſt, repræſentat conjugium Chriſti, & Eccleſiæ.

37. Secundo, ubi invenient definitionem Sacramenti in Scriptura? Lutherus quidem in libro de Captivitate Babylonica, cap. ultimo, ſic definit: *Sacramentum eſt promiſſio ſigno externo annexa.* Melanchton in Apologia confeſſionis Auguſtanæ, art. 13. ſic: *Sacramentum eſt ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita eſt promiſſio gratiæ*, id eſt, gratuitæ reconciliationis, ſeu remiſſionis peccatorum, ut ipſe explicat in locis communibus, Tit. de numero Sacramentorum. Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 14. §. 1. ſic: *Sacramentum eſt ſymbolum externum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſionem conſcientiis noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem.* At hæ definitiones non habentur in Scriptura; imo nec inter ſe conveniunt, ut clare oſtendam cap. 11.

38. Tertio, quidquid ſit de definitionibus jam allatis, quas adverſarii commenti ſunt; quomodo ex Scriptura poterunt demonſtrare, eas convenire Baptiſmo, & Euchariſtiæ? Non video. Experiamur tamen. Una definitio eſt hæc: *Sacramentum eſt ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita eſt promiſſio remiſſionis peccatorum.* Probent adverſarii ex Scriptura, hanc definitionem convenire Euchariſtiæ. Probent, inquam, ex Scriptura, Euchariſtiam habere annexam promiſſionem remiſſionis peccatorum: Vel, quod idem eſt, Deum in Scriptura promittere nobis remiſſionem peccatorum, ſi ad hoc Sacramentum accedamus. Nunquam poterunt. Non enim hoc Sacramentum a Deo inſtitutum eſt, ut homini remittat peccata, vel ut ex impio, & peccatore faciat juſtum, & ſanctum; ſed ut juſtitiam, & ſanctitatem, quæ in illo eſt, foveat, conſervet, & augeat. Imo tantum abeſt, ut remittat peccata, ut etiam obſit peccatori, ſi cum conſcientia peccati accedat. Hinc Apoſtolus 1. Cor. 11. 28. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.* Et Chriſtus in ultima cœna non voluit Apoſtolis porrigere Euchariſtiam, niſi præmiſſa pedum lotione. Nimirum ut ſignificaret, neminem, niſi lotum, purum, & immaculatum a culpa mortali ad menſam Chriſti admittendum eſſe. Et ratio ſumitur ex ipſa natura hujus Sacramenti. Quid enim aliud eſt Euchariſtia, quam cibus, & potus ſpiritualis, quo anima reficitur, & vegetatur? Jo. 6. 56. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus,* &c. Sicut ergo cibus, & potus corporalis non prodeſt corpori mortuo, ſed vitam habenti: ſic etiam, ſervata proportione, de Euchariſtia dicendum eſt. Vide infra cap. 11. §. 16.

39. Tertia controverſia. An Exorciſmus, & aliæ ceremoniæ in Eccleſia Catholica uſitatæ, poſſint adhiberi in baptiſmo? Lutherani eas admittunt, Calviniſtæ rejiciunt. Neutri tamen ex Scriptura ſuam ſententiam poſſunt confirmare. Non quidem Lutherani, quia Scriptura nuſquam dicit, ejuſmodi ceremonias uſurpandas, ſed ex ſola Traditione Eccleſiæ id habemus. De qua ſcribit Auguſtinus lib. 2. de nuptiis, & concupiſcent. cap. 29. *Antiquiſſima,* inquit, *Eccleſiæ Traditione exorcizantur, & exſufflantur parvuli, ut in Regnum Chriſti a poteſtate tenebrarum transferantur.* Nec Calviniſtæ, niſi forte hoc modo: Nullæ ceremoniæ uſurpandæ ſunt in Eccleſia, niſi de quibus extat expreſſum mandatum in Scriptura: At nullum extat mandatum de ceremoniis, quas Catholici uſurpant in baptiſmo: Ergo tales ceremoniæ non ſunt uſurpandæ. Sed major propoſitio & falſa, & ipſis Calviniſtis contraria eſt. Nam Calviniſtæ uſurpant multas ceremonias in Baptiſmo, de quibus

bus

bus nullum extat mandatum in Scriptura. Cujuſmodi ſunt hæ. 1. Ut infans in Eccleſia coram univerſo populo baptizetur; idque vel die Dominico, vel aliquo alio, quo populus ad concionem venire ſolitus eſt. 2. Ut illi, qui afferunt infantem ad Baptiſmum, interrogentur, an ſpondeant, ſe infantem, cum adoleverit, in fide, & moribus inſtructuros. 3. Ut nomen imponatur infanti baptizando. 4. Ut formula Baptiſmi recitetur lingua patria. 5. Ut recitetur Symbolum, Oratio Dominica, & aliæ preces. Has ceremonias præſcribit Calvinus in libello De formula Sacramentorum miniſtrandorum. At ubi, obſecro, de his extat mandatum in Scriptura? Nuſquam: Vel igitur condemnet has ceremonias neceſſe eſt, vel fateatur, non omnes damnandas eſſe, quæ in Scriptura mandatum non habent.

40. Quarta Controverſia. An infantes accipiant actualem fidem in Baptiſmo, an vero in Exorciſmo? Hæc controverſia verſatur inter Lutheranos. Et quidem Lutherus diſerte docet, eos credere vi Exorciſmi. At Philippus, Kemnitius, & alii, vi Baptiſmi. Quis erit Judex in hac lite? Si Scriptura eſt, quare non finit litem? De hac re ex profeſſo agendum eſt Lib. 2. cap. 2.

41. Quinta Controverſia. An baptizati ab hæreticis ſint rebaptizandi? Affirmavit olim Cyprianus Epiſcopus Carthaginienſis, cum quibuſdam aliis. Negabat Auguſtinus cum reliquis. Sed nec hi, nec illi poterant ex ſola Scriptura hanc litem decidere. Nam Auguſtinus, qui veriorem partem amplectebatur, non aliunde, quam ex Apoſtolica Traditione, & praxi Eccleſiæ ſe tuebatur. Sic ſcribit lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. *Quam conſuetudinem* (ſcilicet non repetendi Baptiſmum) *credo ex Apoſtolica Traditione venientem.* Et lib. 5. c. 23. *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apoſtolorum Traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt.* Huic conſuetudini ceſſit Cyprianus, quia videbat ſe omni præſidio Scripturæ deſtitutum eſſe.

42. Sunt & aliæ ſimiles controverſiæ, quæ ex ſola ſcriptura decidi non poſſunt, ſed alio Judice opus habent. Eas obiter inſinuabo. Sunt autem hæ. 1. An Baptiſmus una merſione, an trina conferri debeat? 2. An Chriſtiani loco Sabbati debeant colere diem Dominicum? 3. An B. Maria manſerit Virgo poſt partum? 4. An Petrus Apoſtolus fuerit Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus? 5. An Symbolum Fidei ſit vere Canonicum, & Apoſtolicum? 6. An in veteri Teſtamento fuerit aliquod externum remedium pro fœminis contra peccatum originale? &c.

QUARTUM ARGUMENTUM ex uſu, & praxi veteris Teſtamenti, ubi non Scriptura, ſed Pontifex pro Judice agnoſcebatur.

43. CErtum eſt, in veteri Teſtamento omnes controverſias legales, quæ erant majoris momenti, a ſummo Sacerdote, ſeu Pontifice, tanquam a ſupremo in terris Judice, non autem a ſcriptura dirimi, ac definiri potuiſſe. Hoc teſtatur Joſephus lib. 2. contra Apionem, cum ait: *Pontifex ante alios Sacerdotes Deo ſacrificat, leges cuſtodit, dijudicat controverſias, convictos delicti punit: cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius.*

44. Et manifeſte colligitur ex illo Deut. 17. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram: & Judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.*

45. Circa hunc locum aliqua notanda ſunt. Primum eſt, quod variæ fuerint controverſiæ in populo Judæorum. Hic quidem duæ ſpeciatim recenſentur: una de ſanguine, altera de lepra. Alibi tamen ſummatim inſinuantur quatuor genera, ut 2. Paralip. 19. 10. *Ubicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus.* Nam aliquæ, ut ibi interpretatur Lyranus, oriebantur ex lege Decalogi: aliæ ex mandatis moralibus, quæ ſunt extra legem Decalogi: aliæ ex præceptis ceremonialibus ad divinum cultum ſpectantibus: aliæ denique ex præceptis judicialibus, quæ ad externam pacem, & juſtitiam conſervandam erant accommodata.

46. Alterum eſt, quod in ſingulis civitatibus conſtituti fuerint inferiores Judices, qui ex officio debebant hujuſmodi controverſias dirimere, ut habetur Deut. 16. 18. *Judices, & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas tribus tuas, ut judicent populum juſto judicio, nec in alteram partem declinent.* Et 2. Paral. 19. 5. *Conſtituit judices terræ in cunctis civitatibus Judæ munitis per ſingula loca.*

47. Tertium eſt, quod quando inferiores Judices non poterant inter

inter ſe convenire, nec controverſias ad ſe delatas propter peculiarem aliquam difficultatem dirimere, neceſſe fuerit confugere Hieroſolymam ad ſuperiores Judices, quibus, tanquam ſupremus Judex, præſidebat Pontifex: Et illius ſententiæ ſub pœna mortis oportebat acquieſcere. Hoc patet ex verbis paulo ante citatis: *Si difficile, & ambiguum apud te* (ideſt, in Civitate tua, in qua habitas) *judicium eſſe perſpexeris, &c.*

48. Hinc colligimus, duplex apud Judæos fuiſſe tribunal, & Concilium; unum majus, alterum minus. Inter ea fuit multiplex diſcrimen. Primo, quia majus tantum erat in Jeruſalem: minus in ſingulis Civitatibus. Secundo, in majori dijudicabantur majores controverſiæ; in minori faciliores. Tertio, in majori præſidebat Pontifex; non item in minori. Quarto, a minori licebat appellare ad majus; non contra a majori ad minus. Quinto, in majori erant ſeptuaginta perſonæ præter Pontificem, in minori viginti tres. Sexto, majus vocabatur *Sanedrin*, vel *Synedrion*, vel *Concilium ſeniorum*: minus non item. De majori ſæpe fit mentio in Euangelio, ut Marci 14. 55. & Lucæ 9. 22. & Actor. 4. 5. Videantur Interpretes.

49. Utrumque Concilium habuit ſuam originem ſub Moyſe. Et minus quidem inſtitutum ex conſilio Jethro, majus vero ex mandato Dei. Occaſio minoris inſtituendi deſcribitur Exodi 18. 13. his verbis: *Altera autem die ſedit Moyſes, ut judicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi a mane uſque ad veſperam. Quod cum vidiſſet cognatus ejus, ait: Quid eſt hoc, quod facis in plebe? Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane uſque ad veſperam? Cui reſpondit Moyſes: Venit ad me populus quærens ſententiam Dei: Cumque acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me, ut judicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges ejus. At ille: Non bonam, inquit, rem facis: ſtulto labore conſumeris & tu, & populus iſte, qui tecum eſt. Ultra vires tuas eſt negotium: ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea, atque conſilia, & erit Deus tecum. Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent populum omni tempore. Quidquid autem majus fuerit, referant ad te; & ipſi minora tantummodo judicent: levius que ſit tibi, partito in alios onere. Quibus auditis, Moyſes fecit omnia, quæ ille ſuggeſſerat: Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicabant plebem omni tempore. Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes.*

50. De majoris Concilii inſtitutione ſic legimus, Num. 11. 16. *Et dixit Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod Senes populi ſint, ac Magiſtri: & duces eos ad oſtium Tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, ut deſcendam, & loquar tibi: Et auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Et infra verſ. 24. *Venit ergo Moyſes, & narravit populo verba Domini, congregans ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos ſtare fecit circa Tabernaculum. Deſcenditque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de ſpiritu, qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris. Cumque requieviſſet in eis ſpiritus, prophetaverunt, nec ultra ceſſaverunt.*

51. Porro, cum utrumque concilium progreſſu temporis pene collapſum eſſet, iterum reſtitutum, & renovatum fuit a Joſaphat Rege Juda, ut habetur 2. Paralip. 19. 4. his verbis: *Habitavit ergo Joſaphat in Jeruſalem: rurſumque egreſſus eſt ad populum de Berſabee uſque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum Deum patrum ſuorum. Conſtituitque Judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per ſingula loca: Et præcipiens Judicibus, videte, ait, quid facietis: non enim hominis exercetis Judicium, ſed Domini: Et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.* Hæc omnia intelliguntur de minori concilio. Jam ſequitur de majori: *In Jeruſalem quoque conſtituit Levitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, ut judicium, & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus. Præcepitque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis, inter cognationem, & cognationem, ubicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos, & ſuper fratres veſtros. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Ubi vides Pontificem fuiſſe Præſidem, ſeu Caput Conciliiſeniorum.

52. Igitur, ut verbo repetam, quæ dicta ſunt, ſub Moyſe in deſerto res ita geſta eſt. Primo, ſolus Moyſes, (qui erat Pontifex extraordinarius) judicabat omnes omnino controverſias, quæ in populo oriebantur. Deinde, ut hoc onere nonnihil ſublevaretur, additi ſunt illi Tribuni, Centuriones, Quinquagenarii, & Decani, qui minores cauſas judicarent, & graviores ad illum remitterent. Denique ad majus ſolatium ſeptuaginta ſeniores electi ſunt, qui etiam in cauſis gravioribus illi aſſiſterent.

Poſt

Poſt mortem Moyſis, cum jam filii Iſrael veniſſent in terram promiſſionis, duplex Tribunal, ac judicium conſtitutum eſt: unum Hieroſolymis, pro cauſis difficilioribus: alterum in ſingulis civitatibus, pro facilioribus. Hoc poſterius reſpondebat Concilio Tribunorum, ac Decanorum: illud prius Concilio ſeptuaginta ſeniorum.

53. Hoc addi poteſt, aliter in deſerto ſub Moyſe, aliter in terra promiſſionis ſub aliis Pontificibus actum eſſe. Et quidem duplici diſcrimine; altero ex parte Pontificis; altero ex parte concilii ſeniorum. Nam Pontifex poſt ingreſſum in terram promiſſionis dirimebat controverſias ex lege ſcripta. At Moyſes, præſertim antequam lex integre ſcripta eſſet, multa dirimebat ex viva Dei voce, & oraculo. Cujuſmodi ſunt illæ tres. Prima, quid faciendum eſſet cum iis, qui propter immunditiam legalem non poterant cum aliis celebrare Paſcha (Numer. *9. 6.*) Secunda, qua pœna deberet affici, qui inventus erat colligere ligna in die Sabbati (Numer. 15. 32.) Tertia, an filiæ Salphaad poſſent habere hæreditatem inter cognatos Patris ſui? (Numer. 27. 1.) De his controverſiis nihil tunc erat ſcriptum in lege. Igitur Moyſes viva voce conſuluit Deum, & accepto reſponſo voluntatem Dei executus eſt. At nunc primum hæc omnia in legem ſcriptam relata ſunt.

54. Ex parte Concilii ſeniorum erat hoc diſcrimen. Septuaginta Seniores, qui a Moyſe electi ſunt, acceperunt Spiritum prophetiæ in ipſa electione: (Num. 11. 25.) De aliis, qui poſtea in illorum locum, per intervalla temporum ſubrogati ſunt, non conſtat accepiſſe. Hoc tamen credibile eſt, ſingulari Dei aſſiſtentia uſos eſſe, quoties de rebus difficilioribus conſultandum eſſet: Et maxime hanc aſſiſtentiam Pontifici, qui omnibus præſidebat, ſpeciatim conceſſam fuiſſe, quando ſupremi Judicis officio in ferenda ſententia fungebatur. De qua re aliquid paulo poſt.

55. Dices. Hæc omnia procedunt de controverſiis legalibus, in quibus Pontifex erat ſupremus Judex, ut bene probatum eſt, non autem de controverſiis fidei, in quibus ſola Scriptura erat Judex. Reſpondeo: Hoc ſine fundamento dicitur. Nam omnes controverſiæ, ſive eſſent de fide, ſive de aliis rebus, vocabantur legales duplici de cauſa. Primo, quia oriebantur ex lege ipſa non ſatis bene intellecta. Secundo, quia per veram legis interpretationem erant dirimendæ. (Deuter. 17. 10.) Omnes porro ſine ulla exceptione pertinebant ad Pontificem, tanquam ad ſupremum Judicem, etiam illæ, quæ erant de fide, & religione. Hoc mani-

nife-

nifeſte conſtat ex illis verbis paulo ante citatis: *Amarias, Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.* At controverſiæ de fide, & religione maxime ad Deum pertinent: Ergo Pontifex in illis controverſiis præſidebat. Quid autem eſt præſidere in controverſiis, niſi judicem agere? Item ex verbis præcedentibus: *Ubicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus.* Omnes hæ quæſtiones deferebantur ad Pontificem: Et præter has non erant ullæ aliæ. ergo nulla erat exempta a jurisdictione Pontificis.

56. Et confirmatur exemplo. Nam inter controverſias fidei, (de quibus maxime nunc agimus) erat una præcipua de Meſſia. At hæc ipſa, quando dubitatum fuit tempore Herodis, *An Meſſias jam natus eſſet*, deferebatur ad Concilium Sacerdotum, in quo Pontifex præſidebat, ut patet ex Evangelio, Matth. 2.3. *Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam; Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael.* Ubi tria notanda ſunt. Primo, quod Rex Herodes, & totus Hebræorum populus dubitaverit de loco, in quo Meſſias eſſet naſciturus. Secundo, quod hanc dubitationem non auſi fuerint ipſi per ſe diſcutere, ſed detulerint illam ad ordinarium Concilium Sacerdotum. Tertio, quod Sacerdotes, ut ſatisfacerent officio ſuo, diſſolverint hanc dubitationem ex Scriptura, tanquam ex norma, & regula, cui ſe conformabant.

57. Porro, quod Scriptura ipſa per ſe nec fuerit, nec potuerit eſſe Judex hujuſmodi controverſiarum, facile probari poteſt. Nam ſcriptura, quæ tunc extabat, præſertim primis aliquot ſæculis, non erat fere alia, quam lex Moſaica, ſeu volumen fœderis, ac Deuteronomii. De hoc autem volumine tria ſunt certa: Primo, primarium ipſius exemplar, quod Autographum vocant, fuiſſe conſcriptum a Moyſe, & a Sacerdotibus poſitum in arca fœderis Domini, ibique aſſervatum, ut eſſet authenticum inſtrumentum, ex quo certo, ac legitime conſtare poſſet, quænam eſſet Dei voluntas, & diſpoſitio. (Deuter. 31.24.) Secundo, interpretationem illius, in re dubia, commiſſam fuiſſe Sacerdotibus, ac potiſſimum ſummo Sacerdoti, ſeu Pontifici. (Deuter. 17. v. 8. & Aggæi 2. 12. & Malachiæ 2. 7.) Tertio, hoc ipſum exemplar authenticum, ſemel tantum in ſeptennio, quando erat annus remiſſionis, debuiſſe a Sacerdotibus prælegi

uni-

univerſo populo in ſolemnitate Tabernaculorum. (Deut.31. 10.)

58. Hinc ſequitur primo, populum non habuiſſe primarium & authenticum exemplar legis Moſaicæ, ſed ſolos Sacerdotes. Si ergo extra ſolemnitatem Tabernaculorum, quocunque alio tempore ſeptennii orta fuiſſet aliqua controverſia legalis, populus non potuiſſet conſulere authenticum exemplar, quod non habebat, ſed debuiſſet adire Sacerdotem, & ab eo, tanquam ordinario Judice, petere ſententiam definitivam. Secundo ſequitur, etiamſi populus habuiſſet exemplar, non tamen potuiſſe ex eo controverſiam ullam dirimere. Non enim populi, ſed Sacerdotis, & maxime Pontificis erat legem Moſaicam, ex qua naſcebantur controverſiæ, interpretari.

59. Sed quæres, quare interpretatio legis, & conſequenter deciſio controverſiarum legalium pertinuerit potius ad Pontificem, quam ad alios. Ratio dubitandi eſt, quia poterat fieri, ut non minus alii eſſent periti in lege, quam Pontifex: imo etiam magis. Reſpondeo: Si ſpectemus induſtriam humanam, certum eſt, non minus alios, quam Pontificem, potuiſſe legem intelligere, & interpretari. Si autem ſpectemus aſſiſtentiam Spiritus ſancti, quæ ſane potiſſimum in hoc negotio ſpectanda eſt, ea Pontifici potius, quam aliis, fuit communicata. Exemplum habemus in Moyſe. Nam Deus conceſſit illi majorem aſſiſtentiam, quam ſeptuaginta ſenioribus, qui illi in hoc officio ſubſerviebant. Hoc colligitur ex illo Num.11.17. *Dixit Dominus ad Moyſen: Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi.* Ubi per Spiritum intelligi debet aliquod donum gratiæ, quod requiritur in iis, qui recte volunt alios gubernare, & eorum controverſias dirimere. Eſt ergo hic ſenſus: *Auferam de ſpiritu tuo, & tradam eis*, id eſt, dabo illis donum gratiæ, ſed infra illud donum, quod tu habes. Tibi qui ſupremus Judex es, plus dari oportuit, quam illis, qui tibi ſubjecti ſunt.

60. Quæres 2. An Pontifex in deciſione controverſiarum fuerit Judex infallibilis? Reſpondeo: Omnino fuit infallibilis. Quod tripliciter probo. Primo ex diſcrimine, quod erat inter ſummum Pontificem, & alios inferiores Judices. Nam quando oriebatur aliqua controverſia difficilior, in cujus deciſione inferiores Judices vel diſſentiebant, vel veritatem attingere non poterant; volebat Deus, ut partes litigantes deferrent eam ad Pontificem, in ſuperiori Concilio præſidentem, cum hac promiſſione, quod ab eo accepturi eſſent *judicii veritatem*. (Deuter. 17.9.) At ſi Pontifex in tali caſu fuiſſet fallibilis, non accepiſſent ab eo Judicii veritatem, nec promiſſio Dei fuiſſet impleta:

ta: Ergo dicendum eſt, in tali caſu falli non potuiſſe.

61. Secundo, ex mandato Dei. Nam Deus ſub pœna mortis mandabat omnibus, ut acquieſcerent ſententiæ Pontificis. (Deut. 17. 12.) At certum eſt, non mandaſſe, ut acquieſcerent ſententiæ falſæ, præſertim in negotio fidei, ac religionis: Ergo certum eſt, ſententiam Pontificis, præſertim in negotio fidei, ac religionis, non potuiſſe eſſe falſam, ſed ex peculiari Dei aſſiſtentia infallibilem.

62. Tertio, ex parte litigantium. Nam ſi Pontifex, quando publice in Concilio pronunciabat ſententiam, potuiſſet falli, vel a legitimo Scripturæ ſenſu aberrare, nunquam litigantes, qui illum conſulebant, fuiſſent ſecuri. Cur ergo ſub pœna capitis tenebantur ſequi illius deciſionem? Cur altera pars, cum tanto onere, debebat ſubjacere ſententiæ contra ſe latæ, quam poterant ſuſpicari falſam, & iniquam eſſe? Denique cur totus populus in negotio religionis jubebatur id ſequi, quod Pontifex judicabat ſequi oportere, ſi Pontifex errare poterat?

63. At objiciunt adverſarii; Pontificem etiam cum toto Concilio ſæpe erraſſe in negotio religionis. Quod probant variis exemplis. Primo, quia Aaron Pontifex fuit author idololatriæ, quando propoſuit populo vitulum adorandum. (Exod. 32. verſ. 4.) Secundo, quia Urias contra legem Dei extruxit novum altare in templo ad formam altaris Damaſceni, & in eo ſacrificia obtulit. (4. Reg. 16. verſ. 19.) Tertio, quia tempore Iſaiæ omnes ſpeculatores populi erant cæci. (Iſaiæ 56. v. 10.) Quarto, quia tempore Jeremiæ, *a Propheta uſque ad Sacerdotem omnes loquebantur mendacium.* (Jerem. 6. verſ. 13.) Quinto, quia idem Jeremias, propter Verbum Domini, publico Decreto omnium Sacerdotum, & Prophetarum fuit condemnatus ad mortem. (Jerem. 26. verſ. 11.) Sexto, quia Chriſtus a Pontificibus, Scribis, & ſenioribus populi, in publico Concilio morti adjudicatus eſt.

64. Reſp. Adverſarii ſuo more hic agunt. Omnia volunt probare ex Scripturis, & nihil probant. Hoc evidenter oſtendo in exemplis jam allatis. Primo, quia Aaron nec erat Pontifex, quando vitulum ex auro conflavit, nec fuit author idololatriæ. Nihil ergo juvat hoc exemplum. Quod non fuerit Pontifex, certum eſt. Nam a Moyſe conſecratus eſt in Pontificem anno ſecundo egreſſionis ex Ægypto, prima die menſis primi, quando Tabernaculum fuit erectum. (Exodi 40. 55.) At vitulus jam antea conflatus erat, cum adhuc Moyſes erat in monte Sinai cum Deo, & acceptis ab eo tabulis lapideis, jubebatur conſtruere Tabernaculum per Beſeleel filium Uri. (Exodi 31. & 32. v. 1.)

Simi-

Similiter, quod populus fuerit author idololatriæ, non autem Aaron, diſerte habetur Exod. 32. verſ. 1. *Videns populus, quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus adverſus Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.*

65. Secundo. Urias non erravit tanquam Judex, & Præſes Concilii in dirimendis Controverſiis legalibus, ſed extra Concilium erravit in facto, volens ſatisfacere mandato Regis Achaz, quod non negamus. Itaque nec hoc exemplum ad rem facit. Non enim eſt quæſtio inter nos, An Pontifex nulla in re potuerit errare, aut peccare? Potuit certe in multis, non minus, quam alii. Sed quæſtio eſt, An in ſententia publice ferenda circa controverſias legales potuerit errare, vel falſam ſententiam dicere? Non potuit. Nec Urias hoc modo erravit.

66. Tertio, Iſaias per ſpeculatores, quos ait cæcos eſſe, non intelligit Pontifices ſui temporis, ut putant Adverſarii, ſed Scribas, & Phariſæos, qui erant futuri tempore Apoſtolorum, quando Jeruſalem erat vaſtanda a Romanis ſub Veſpaſiano Imperatore, ut interpretatur S. Hieronymus. Et patet ex ipſo contextu, qui ſic habet: *Ait Dominus Deus, qui congregat diſperſos Iſrael: Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus. Omnes beſtiæ agri venite ad devorandum, univerſæ beſtiæ ſaltus. Speculatores ejus cæci omnes, neſcierunt univerſi, canes muti, non valentes latrare.* Senſus eſt: Ait Dominus Deus: Ego poſt captivitatem Babylonicam, in qua diſpergentur Judæi, iterum congregabo illos ad Jeruſalem.(quod contigit ſub Cyro Perſarum Rege, 1. Eſdræ 1.) Deinde etiam gentiles eis aggregabo(quod factum eſt tempore Chriſti, & Apoſtolorum, quando Gentiles ad lucem Evangelii vocati ſunt, & ex utroque populo coaluit una Eccleſia) Poſtea dicam Romanis (qui propter infidelitatem vocantur beſtiæ agri) *venite ad devorandum*, id eſt, ad devaſtandam, & evertendam civitatem Jeruſalem. Sed ob quam cauſam? Quia *ſpeculatores ejus*, Scribæ, & Phariſæi, merebuntur hanc pœnam, duplici titulo. Primo, propter ſuam cæcitatem, & incredulitatem. Nam neque ipſi volent Chriſtum agnoſcere pro Meſſia, neque permiſſuri ſunt, ut Judæi in eum credant. Et ſic utrique propter incredulitatem digni erunt, qui puniantur. Unde Chriſtus, Matth. 15. 14. *Cæci ſunt, & duces cæcorum.* Et cap. 23. 13. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* Secundo, quia erant *canes muti, non valentes latrare*, id eſt, ignavi Paſtores, non defendentes gregem ſibi con-

cre-

creditum, nec vitia ſubditorum reprehendentes. Ex hac interpretatione, quæ & textui, & Hieronymo conformis eſt, nihil poteſt colligi, quod ſit contra nos. Nam noſtra aſſertio eſt, Pontificem in V. T. non potuiſſe errare in definiendis legalibus controverſiis, quæ ad ipſum in Concilio deferebantur. Hæc non evertitur per hoc, quod Phariſæi tempore Apoſtolorum fuerint cæci, & increduli in Chriſtum. Fruſtra ergo altercantur adverſarii.

67. Quarto, nec dictum Jeremiæ ipſis patrocinatur. Non enim intelligendum eſt de errore, vel mendacio Pontificis in deciſione controverſiarum legalium; ſed de dolo, ſeu mendacio Sacerdotum, & Prophetarum, in prædictione futurorum. Cum enim Jeremias, & alii Prophetæ a Deo miſſi prædicerent fore, ut populus propter ſcelera ſua puniretur, & in captivitatem duceretur; Sacerdotes, & Pſeudoprophetæ blandiebantur populo, & omnia proſpera vaticinabantur: & ſic miſere illum decipiebant. Hic ſenſus colligitur ex ipſo textu. Nam Jeremiæ prædictio erat hæc: *Vir cum muliere capietur, ſenex cum pleno dierum. Et tranſibunt domus illorum ad alteros, agri, & uxores pariter; quia extendam manum meam ſuper habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent.* Quid porro Sacerdotes & Pſeudoprophetæ? Sequitur: *A Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax.* Vel, ut Septuaginta vertunt, *A Sacerdote, & uſque ad Pſeudoprophetam omnes fecerunt mendacium. Et curabant contritionem populi mei parvipendentes, & dicentes: Pax, & ubi eſt pax?* q. d. Quod ego ædifico, hoc mali Sacerdotes, & Prophetæ deſtruunt. Ego reprehendo ſcelera populi, & prædico illi captivitatem, ut hac ratione promoveam omnes ad dolorem, & contritionem. Illi contra dolo, ſeu mendacio decipiunt populum, promittendo pacem, & proſperitatem, & ſic conantur abſtergere, & curare contritionem, quam ex mea comminatione conceperat. Ex hoc ſenſu quid inferunt adverſarii? Vel nihil, vel hoc: Sacerdotes, & Prophetæ in V. T. mentiebantur in prædictione futurorum; Ergo Pontifex errabat in deciſione controverſiarum legalium. Illatio nulla.

68. Quinto, quod objiciunt, Jeremiam publico decreto Sacerdotum, & Prophetarum fuiſſe condemnatum ad mortem, non ſpectat ad præſentem quæſtionem. Primo, quia tametſi Sacerdotes, & Prophetæ peccaverint in hoc facto, non tamen

erra-

erraverunt in deciſione alicujus controverſiæ legalis, (de quo errore hic diſputamus) ſed tantum in eo, quod dicerent, falſam eſſe prædictionem Jeremiæ de imminente everſione Jeruſalem, ut jam explicavi. Deinde non ſoli Sacerdotes, & Prophetæ, ſed etiam populus condemnavit illum ad mortem. Cum enim dixiſſet Jeremias ex perſona, & mandato Dei: *Dabo domum iſtam, ſicut Silo, & urbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ:* mox ſequitur: *Et audierunt Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus Jeremiam loquentem verba hæc in domo Domini:* Et paulo poſt: *Apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur. Quare prophetavit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc, & urbs ipſa deſolabitur, eo quod non ſit habitator?* Igitur ſententia condemnationis non fuit legitime, & judicialiter lata in Concilio, ſeu Synedrio, in quo legales controverſiæ decidebantur, ſed in tumultuario concurſu, ac ſeditione vulgi, ut etiam ab Hieronymo notatum eſt. Et hoc patet ex eventu. Nam Principes Juda cum audiſſent tumultum populi, & conſpirationem factam contra Jeremiam, venerunt ad introitum templi, ubi ſeditio excitabatur, & liberarunt Jeremiam a ſententia mortis; quod non facile feciſſent, ſi ſententia a ſummo Pontifice in Concilio fuiſſet pronunciata. Inſpiciatur textus.

69. Sexto, ad id denique, quod affertur de Chriſto a Pontifice, & ſenioribus morti adjudicato, facilis reſponſio eſt. Fateor Caipham, qui tunc erat Pontifex, erraſſe cum Concilio, nec amplius habuiſſe infallibilem Dei aſſiſtentiam, quia Synagoga jam fere exſpirabat. Ubi obiter notandum eſt, potuiſſe hæc quinque ſpectari in Synagoga. 1. Legem Moſaicam. 2. Prophetiam de Chriſto. 3. Sacerdotium, & ſacrificia legalia. 4. Supremam poteſtatem judiciariam, quæ erat in Pontifice, & Concilio. 5. Infallibilem Dei aſſiſtentiam, quæ illi poteſtati erat annexa. Quando, & quomodo ſingula exſpiraverint, dicam paucis.

70. Lex Moſaica quoad obligationem abrogata eſt in morte Chriſti, ut docet Sanctus Thomas in 1. 2. quæſt. 163. art. 3. & 2. & alii paſſim. Tunc enim amiſit vim obligandi, quia tunc *velum Templi ſciſſum eſt in duas partes, a ſummo uſque deorſum*. Matth. 27. 51. Et tunc Chriſtus dixit in cruce: *Conſummatum eſt*. Unde ſequitur, ante mortem Chriſti viguiſſe ſimul Legem Moſaicam, & Euangelicam: poſt mortem ſolam Euangelicam.

71. Prophetia de Chriſto fuit multiplex: alia de venturo Chriſto in hunc mundum: alia de ejus doctrina, & miraculis: alia de morte, & de paſſione: alia de deſcenſu ad inferos: alia de reſurrectione: alia de aſcenſione: Unaquæque earum tunc exſpiravit, quando impletum fuit id, quod per eam prædicebatur; v. g. Prophetia de venturo Chriſto expiravit per adventum Chriſti, Matth. 11. 13. *Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem*. Et ſic deinceps.

72. Sacrificia legalia ſunt etiam abrogata per mortem Chriſti, ſicut lex Moſaica. Quod maxime verum eſt de cruentis ſacrificiis, in quibus mactabantur animalia. Erant enim figuræ, ſeu umbræ cruenti ſacrificii, quo Chriſtus in ara crucis erat mactandus. Itaque adveniente hoc ſacrificio, neceſſe fuit illa exſpirare: ſicut adveniente Sole, faceſſunt tenebræ.

73. Suprema poteſtas judiciaria, itemque divina aſſiſtentia illi annexa, non videtur ſimul, ſeu eodem momento tota exſpiraſſe, ſed ſucceſſive, & quaſi per partes. Nam primo certum eſt, Chriſtum habuiſſe majorem poteſtatem judiciariam, & uberiorem Dei aſſiſtentiam, quam habuerit Pontifex in veteri Teſtamento, juxta illud Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Itaque Pontifex reſpectu Chriſti non potuit amplius habere ſupremam, tametſi habuerit ſupremam in ſuo ordine, ac ſtatu.

74. Deinde, Aſſiſtentia divina paulatim ſubtracta eſt. Quod facile oſtendi poteſt in Conciliis, quæ poſt Chriſti nativitatem a Pontifice, & Sacerdotibus celebrata ſunt. Tria potiſſimum recenſebo. Primum tempore Herodis, quando tres Magi venerunt Hieroſolymam. Alterum tempore Lazari reſuſcitati, quando diſputabatur quid de Chriſto tot miracula faciente ſtatuendum eſſet. Tertium tempore captivitatis Chriſti, quando a Caipha ad mortem condemnatus eſt. In primo manſit integra aſſiſtentia divina, in altero diminuta eſt, in tertio penitus ſublata. Quod ſic demonſtro.

75. Primum Concilium convocatum eſt propter Herodem, qui a Principibus Sacerdotum ſciſcitabatur, ubi Chriſtus, juxta Prophetarum vaticinia, eſſet naſciturus. Matth. 2. 4. Et reſponſum eſt: *In Bethlehem Juda. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael*. Quæ deciſio fuit vera, & infallibilis; ac proinde ex vera, & infallibili Dei aſſiſtentia profecta.

76. Alterum celebratum fuit ex occaſione miraculi, quo Chri-

ſtus

ſtus Lazarum reſucitavit, Joan. 11. 47. *Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi Concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. Unus autem ex ipſis, Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a ſemetipſo non dixit, ſed, cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit, quod JESUS moriturus eſſet pro gente, &c.* Ex his verbis manifeſte conſtat, Caipham ex una parte erraſſe; ex altera non erraſſe: Et partim ex odio, more humano; partim ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, more prophetico, locutum eſſe: In eo errabat, quod Chriſtum innocentem morti adjudicaret: Et hoc ex invidia, & æmulatione. (Matthæi vigeſimo ſeptimo, decimo octavo) In eo non errabat, quod prædiceret Chriſtum moriturum pro ſalute Judæorum: Et hoc non ex ſemetipſo, ideſt, ex proprio judicio, & affectu humano, ſed ex divino inſtinctu, qui Pontifici ratione ſui officii ſolet aſſiſtere.

77. Tertium celebratum fuit, inſtante Chriſti paſſione, Matthæi vigeſimo ſexto, quinquageſimo nono. Ubi Sacerdotes quærebant *falſum teſtimonium contra JESUM, ut eum morti traderent.* Et tandem lata eſt hæc ſententia: *Reus eſt mortis.* Quæ ſine dubio fuit iniqua, nec ullo modo a Deo inſpirata, ſed potius a Diabolo, ut jam antea dictum erat a Chriſto, Joan. 8. 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio.* Nec quicquam in illo Concilio geſtum eſt, ex quo conſtare poſſit, divinam aſſiſtentiam adfuiſſe.

78. Hactenus reſponſum eſt ad ea exempla, quibus Adverſarii conantur probare Pontificem veteris Teſtamenti fuiſſe quidem judicem controverſiarum, ſed potuiſſe errare, & reipſa ſæpe erraſſe. Ex qua reſponſione duo colligo. Unum eſt, priora quinque exempla nihil ad rem facere. Nam Aaron non erat Pontifex, quando erravit. Urias erat quidem Pontifex, non tamen erravit in judicio legali, ſed in facto. Iſaias locutus eſt de Scribis, & Phariſæis, qui victuri erant tempore Apoſtolorum. Jeremias de Sacerdotibus, & Prophetis, qui errabant in prædictione futurorum. Alterum eſt, noſtram potius ſententiam ex hac objectione confirmari. Nam ex eo, quod dictum eſt de Caipha, *Hoc autem a ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit,* perſpicue conſtat, Pontificem habuiſſe hoc privilegium, ut a ſemetipſo non decideret controverſias; ſed ex divina potius directione, quod nos aſſerimus.

QUINTUM ARGUMENTUM
Ex uſu, & praxi novi Teſtamenti, &c.

79. Sicut in veteri Teſtamento, ut jam oſtendi, non Scriptura, ſed Pontifex, & Concilium ſeniorum, fuit Judex controverſiarum, ſic etiam in novo hactenus ſervatum eſt. Hoc oſtendam brevi inductione. Ac primo tempore Apoſtolorum fuit orta controverſia de circumciſione: An ſcilicet novi Chriſtiani, qui tunc fidem Euangelii recipiebant, non poſſent ſalvari, niſi etiam circumciderentur, & legalia ſervarent? Quæ controverſia potiſſimum intelligebatur de gentilibus ad fidem converſis. Erat autem duplex de hac re ſententia. Una quorundam, qui ex Judæis facti erant Chriſtiani, qui dicebant, gentiles per fidem Chriſti non poſſe ſalvari, niſi circumciderentur, & ceremonias legis Moſaicæ obſervarent. Altera Pauli, & Barnabæ, qui aſſerebant non opus eſſe circumciſione, & obſervatione legalium. (Actor. 15. 1.)

80. At quomodo deciſa, & finita eſt hæc controverſia? An ad ſolam Scripturam, tanquam ad communem Judicem delata eſt? Nihil minus. Sed potius ex conſenſu utriuſque partis delecti ſunt aliqui, qui Hieroſolymam irent ad Apoſtolos, ut ipſi in ſolemni Concilio de tota re cognoſcerent, & definitivam ſententiam pronunciarent. Quod & factum eſt. Nam ex una parte deſignati ſunt Paulus, & Barnabas: ex altera alii: qui ſimul Hieroſolymam profecti, Apoſtolos, & Seniores adierunt. Hi, coacto Concilio, & invocato Spiritu Sancto, reſponderunt his verbis: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*. Quæ verba per modum Epiſtolæ miſſa ſunt ad gentiles Chriſtianos, de quibus agebatur: Et ſenſus eſt: Non volumus vobis imponere onus circumciſionis, & legalium, quod grave eſt: ſed abſtinete ab iis, quæ jam dicta ſunt, quod grave non eſt.

81. Hic duo, quæ ad rem faciunt, notanda ſunt. Primum eſt, quod hæc controverſia de circumciſione, & legalibus ſufficienter potuiſſet determinari per Paulum, & Barnabam, qui ambo erant & Apoſtoli, & Prophetæ, & Doctores (Actorum 13. 1.). Ambo a Spiritu Sancto ſpeciatim delecti, ut Euangelium gentibus prædicarent (Actorum 13. 2.) Et jam reipſa illud prædicaverant in multis locis, ac provinciis. (Actorum 14. 26.) Neuter tamen voluit hoc officium uſurpare, ut ſuo exem-

plo

plo docerent, hujuſmodi controverſias, quæ fidem, ac religionem concernunt, ad ordinarios Eccleſiæ Prælatos, vel ad Concilia Prælatorum deferri oportere.

82. Alterum eſt, quod in Concilio Apoſtolorum, in quo controverſia illa propoſita, & definita eſt, nullum Scripturæ teſtimonium, quod directe ad circumciſionem pertineret, allatum ſit; cum tamen in utramque partem non defutura fuiſſent teſtimonia, ſi ex illis ſolis oportuiſſet litem finire, ac terminare. Nam pro circumciſione adduci potuiſſet illud Geneſis decimo ſeptimo: *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos, &c. Tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra: Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.* At ſi pactum eſt æternum, ut hic dicitur, ſemper ſervari neceſſe eſt, etiam in lege Euangelica, nec ſolum a Judæis, ſed etiam ab aliis, qui non ſunt de ſtirpe Judæorum. Contra vero occurrebat illud Deut. 30. 6. *Circumcidet Dominus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui.* Ubi inſinuatur circumciſionem carnis non duraturam in novo Teſtamento, ſed ei ſucceſſuram circumciſionem cordis. Sicut etiam Jerem. 4. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputium cordium veſtrorum*, quaſi dicat, Non requiro circumciſionem carnis, ſed cordis, quæ conſiſtit in interna contritione, & dolore de peccatis. Hæc, & ſimilia utrinque adduci poterant ex Scriptura. At factum non eſt: ſed Apoſtoli in Concilio congregati, ex directione, & aſſiſtentia divina, quam Chriſtus promiſerat illis, & eorum ſucceſſoribus, ſententiam protulerunt.

83. Poſt tempora Apoſtolorum aliæ, atque aliæ controverſiæ diverſis locis, ac ætatibus exortæ ſunt; quas ſimiliter a Pontifice Romano, vel a Conciliis ab eo approbatis deciſas, ac diremptas eſſe, ex hiſtoriis Eccleſiaſticis notum eſt. Et qui illorum ſententiæ noluerunt acquieſcere, pro hæreticis habiti, & damnati ſunt. Producam exempla aliquot illuſtriora, quæ primum occurrunt.

84. Prima controverſia fuit, an Paſcha deberet celebrari cum Judæis decima quarta primi menſis, ut volebant multi in Aſia, qui propterea Quatuordecimani appellati ſunt: an vero tantum die Dominica, ſicut nunc fit; Hæc tandem poſt multa concilia Epiſcoporum deciſa, ac finita eſt a Victore Papa, Anno Chriſti 198. Vide Euſebium libro quinto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 23. & ſequentibus.

85. Secunda, An Eccleſia poſſet illos abſolvere a peccatis, qui poſt baptiſmum lapſi eſſent? Negavit Novatianus. Sed damnatus eſt in Concilio Romano ſub Cornelio Papa, Anno 255. Vide Baronium circa eundem annum.

86. Tertia, An in Deo ſint tres perſonæ realiter diſtinctæ? Negavit Sabellius, aſſerens unam tantum eſſe perſonam, quæ habet tria officia, creationis, redemptionis, & ſanctificationis. Sed damnatus eſt in Concilio Alexandrino tempore Sylveſtri Papæ, Anno Chriſti 319. juxta Baronium.

87. Quarta, An Chriſtus ſit purus homo, ſicut cæteri mortales, & nihil amplius habeat in natura, & hypoſtaſi, quam nos habemus? Affirmavit Paulus Samoſatenus? Sed damnatus eſt in Synodo Antiochena, tempore Dionyſii Papæ, anno 266. juxta Baronium. Vide Euſebium lib. 7. cap. 27.

88. Quinta, An Chriſtus ſit Verbum Patris æternum, & ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ? Negavit Arrius, aſſerens eſſe Verbum Verbi, non ab æterno, ſed in tempore a Deo ex nihilo creatum, & alterius a Deo ſubſtantiæ: ac proinde Deum non ſemper Patrem fuiſſe, ſed tempus aliquando extitiſſe, cum non eſſet Pater. Sed damnatus eſt in generali Concilio Nicæno I. ſub Sylveſtro Papa, & Conſtantino Imperatore, anno 325. Vide duas Epiſtolas Alexandri Epiſcopi Alexandrini, quarum una extat apud Socratem lib. 1. cap. 3. altera apud Theodoretum, lib. 1. c. 4.

89. Sexta, An in Chriſto ſint duæ perſonæ, ſicut ſunt duæ naturæ, divina, & humana? Affirmavit Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Sed damnatus eſt in generali Concilio Epheſino, ſub Cœleſtino Papa, & Theodoſio Imperatore, anno 454. & prius a Cyrillo in Concilio Alexandrino, anno 431. Vide Baronium.

90. Septima, An in Chriſto ſint duæ naturæ? Eutyches, & Dioſcorus dixerunt, ante unionem hypoſtaticam fuiſſe duas naturas, divinam, & humanam: poſt unionem duas in unam coaluiſſe, & unam factam eſſe. Sed damnati ſunt in generali Concilio Chalcedonenſi, ſub Leone Papa, & Marciano Imperatore, anno 454. Vide Gabrielem Vaſquez tomo 1. in 3. partem D. Thomæ, Diſp. 14.

91. Octava, An in Chriſto ſit una tantum voluntas? Macarius Antiochenus Patriarcha, Cyrus Alexandrinus, Sergius Conſtantinopolitanus, & quidam alii, tametſi agnoſcerent in Chriſto duas naturas, dixerunt tamen unam tantum eſſe voluntatem, nempe divinam, ut refert D. Th. in 3. par. q. 18. art. 1. Ideoque Monothelitæ appellati ſunt. Eorum ſententia damnata eſt in

gene-

generali Concilio Conſtantinopolitano III. ſub Agathone Papa, & Conſtantino IV. Imperatore, anno 679. juxta Baronium. An autem nomine voluntatis intellexerint potentiam, an operationem; videri poteſt apud Gabrielem Vaſquez, tomo citato diſput. 73. cap. 1.

92. Nona; An Spiritus ſanctus ſit Deus? Negarunt Macedoniani, de quibus Auguſtinus in libro de hæreſibus cap. 52. ſic ſcribit: *Macedoniani ſunt a Macedonio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo, quos & πνευματομάχους Græci dicunt; eo quod de Spiritu ſancto litigent. Nam de Patre, & Filio recte ſentiunt, quod unius ſint ejuſdemque ſubſtantiæ, vel eſſentiæ: Sed de Spiritu ſancto hoc nolunt credere, creaturam eum eſſe dicentes:* Hi damnati ſunt in generali Concilio Conſtantinopolitano I. ſub Damaſo Papa, & Theodoſio Imperatore, anno 383.

93. Decima, An Baptiſmus repeti, ſeu reiterari poſſit? Quæ controverſia dupliciter poteſt intelligi. Primo, an Baptiſmus, ſi ſemel valide collatus ſit, repeti poſſit? Affirmavit Marcion, teſte Epiphanio hæreſi 42. paulo poſt principium, ubi de Marcione ſic ſcribit: *Cum corrupiſſet in civitate ſua virginem, & aufugiſſet, atque in magno delicto inventus eſſet, excogitavit præſtigiator ſibi ipſi ſecundum lavacrum, aſſerens licere uſque ad tria lavacra, hoc eſt, tres baptiſmos dare in remiſſionem peccatorum: quod ſi quis lapſus eſſet poſt primum, pœnitentia acta accipiat ſecundum; & tertium ſimiliter, ſi in delicto poſt ſecundum comperiatur.* Secundo, an Baptiſmus, qui ab hæreticis collatus eſt, repeti poſſit? Affirmarunt Donatiſtæ; qui baptizatos a Catholicis rebaptizabant, teſte Auguſtino in libro de hæreſibus cap. 69. eo quod Catholicos haberent pro hæreticis, & baptiſmum ab hæreticis collatum putarent eſſe invalidum, ut explicat Vaſquez diſp. 146. c. 4. Hi damnati ſunt in Concilio Romano, ſub Melchiade Papa, anno 313. apud Baronium.

94. Undecima, An homo ſine gratia Dei per ſolas naturæ vires poſſit implere legem, ſi velit? Affirmarunt Pelagius, & Cœleſtius. Sed damnati ſunt in Concilio Carthaginienſi, & Milevitano, ſub Innocentio primo, anno 416. juxta computum Baronii.

95. Duodecima, An parvuli naſcantur in peccato originali, & ad illud peccatum abolendum indigeant Baptiſmo? Negarunt iidem Authores, Pelagius, & Cœleſtius, teſte Auguſtino in libro de hæreſibus, capite octuageſimo octavo, ubi de illis ſic habet: *Parvulos etiam negant, ſecundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiqua prima nativitate contrahere. Sic enim eos ſine*

tio Pontificis. 2. Exemplo variorum Conciliorum, quæ reipſa errarunt. Adducit autem duo genera Conciliorum: alia, quæ errarunt ex conceſſione Catholicorum: alia, quæ abſolute errarunt. Prioris generis ſunt hæc. 1. Ariminenſe, Seléucium, & Epheſinum ſecundum, fatente Bellarmino. 2. Conſtantinopolitanum primum, & Chalcedonenſe, decernendo Epiſcopum Conſtantinopolitanum debere eſſe parem, & æqualem Romano Pontifici. 3. Conſtantienſe, & Baſilienſe, definiendo Concilium eſſe ſupra Papam. Poſterioris ſunt hæc. 1. Neocæſarienſe, decernendo Presbyterum non debere intereſſe ſecundis nuptiis. 2. Carthaginienſe quartum, ſtatuens Epiſcopum non debere legere libros gentilium, nec rei familiaris curam gerere. 3. Toletanum primum, definiens eum, qui pro uxore habet concubinam, a communione repellendum non eſſe. 4. Nicænum ſecundum, ſanciens cultum, & adorationem imaginum. 5. Conſtantienſe, adimens laicis communionem Calicis. 6. Tridentinum, ſtatuens plurima decreta contra Scripturam, & conſenſum Patrum, ut Kemnitius ad oculum demonſtravit.

99. Certe oleum, & operam perdit Gardius. Primo, quia nos fatemur, Concilia errare poſſe, niſi a Pontifice ſint approbata. Et hanc ſcit noſtram eſſe ſententiam. Cur ergo tot exempla accumulat, ut id probet, quod nos ultro damus? Duplici, ut opinor, de cauſa id facit. 1. Ut ſimpliciores Lutherani concipiant magnam opinionem de Gardio, quaſi is illuſtrarit, & examinaverit omnia Concilia, quæ hactenus in Eccleſia celebrata ſunt. Si ſcirent, illum ex Bellarmino Catholico, & Hunnio Lutherano tranſcripſiſſe, non tanti eum æſtimarent. 2. Ut etiam Catholicis, præſertim rudioribus, poſſit perſuadere, non temere tot Concilia ab ipſo citata eſſe. Sed non obtinebit quod vult. Notæ ſunt Prædicantium impoſturæ, ut facile caveri, & contemni queant.

100. Deinde multa ex iis, quæ dixit, falſa ſunt. Ac primo falſum eſt, Concilium Conſtantinopolitanum primum decreviſſe, Epiſcopum Conſtantinopolitanum debere eſſe parem, & æqualem Epiſcopo Romano. Nuſquam hoc invenio in Concilio. Invenio quidem cap. 5. hæc verba: *Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopum habere oportet Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quod ſit nova Roma*. Sed aliud eſt eſſe parem, & æqualem Epiſcopo Romano, aliud eſſe proximum poſt Epiſcopum Romanum. Hoc poſterius invenio. Prius non item.

101. Secundo falſum eſt, erraſſe Concilium Carthaginenſe quartum, ſtatuendo, Epiſcopum non debere legere libros genti-

lium, nec rei familiaris curam gerere. Nullus hic error eſt, ſed præceptum, vel conſilium Eccleſiaſticum. Poteſt enim Eccleſia ſuadere, vel etiam legitimis ex cauſis mandare, ut Epiſcopi abſtineant a lectione librorum Gentilium, & vacent lectioni Scripturarum, & ſanctorum Patrum: Similiter, ut non implicent ſe curis, & negotiis ſæcularibus, ſed occupentur officio paſtorali, quod ipſis incumbit. Et hoc eſt conforme Scripturæ, 1. Timoth. 4. ver. 16. *Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis.* Et 2. Timoth. 2. ver. 4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Et Actor. 6. 2. *Non eſt æquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.*

102. Tertio, falſum eſt erraſſe Concilium Toletanum primum, definiens, eum, qui pro uxore habet concubinam, a communione repellendum non eſſe. Non eſt error Concilii, ſed imperitia Gardii. Concil. Can. 17. ſic habet: *Si quis habens uxorem fidelem, & concubinam habeat, non communicet. Cæterum is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur; tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) ſit conjunctione contentus. Alias vivens abjiciatur, donec deſinat, & ad pœnitentiam revertatur.* Ubi per concubinam non intelligitur fornicaria, quæ extra matrimonium vivit, ut putat Gardius, qui Canonem non examinavit, ſed uxor, quæ ſine externa ſolemnitate viro conjuncta eſt, ut patet ex jure Canonico apud Gratianum diſt. 34. Can. 3. ubi ſic dicitur. *Concubina autem hic intelligitur, quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis unita eſt, & conjugali affectu adſciſcitur. Hanc conjugem facit affectus: concubinam vero lex nominat.* Et Gloſſa ibid. *Accipitur hic concubina, quæ cognoſcitur uxoris affectu, ſed non fuit ducta cum ſolemnitate. Et talem lex concubinam vocat. Itaque is, qui non duxit uxorem cum ſolemnitate, ſed tamen habet concubinam, quam affectu maritali accepit ſine ſolemnitate, non propterea repellendus eſt a communione.* Nihil erroris hic eſt. Eodem ſenſu loquitur Iſidorus de diſtantia novi, & veteris Teſtamenti, cum ait: *Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi unam tantum aut uxorem, aut certe loco uxoris (ſi conjux deeſt) concubinam.* Refertur apud Gratianum loc. citat., cap. 5. videri poteſt Auguſtinus, libro de bono conjugali, capite quinto.

103. Quarto, falſum eſt, erraſſe Concilium Nicænum ſecundum, ſanciendo cultum, & adorationem imaginum: Itemque Conſtantienſe, adimendo laicis communionem calicis. Gardius quidem dicit erraſſe, ſed non probat. Eodem jure liceat mihi dicere, Gardium errare. Sed extant de utroque puncto doctiſſimæ

con-

controverſiæ jam pridem a noſtris conſcriptæ, & divulgatæ. Eas oppugnet ipſe, ſi vir eſt.

104. Quinto, falſum eſt, Concilium Tridentinum ſanxiſſe plurima decreta contra Scripturam, & conſenſum Patrum. Nec aliunde hoc probat Gardius, quam authoritate Kemnitii Lutherani, qui propter apertiſſima mendacia, quibus ſcatent ipſius libri contra Concilium Tridentinum, merito infamis eſt.

SEXTUM ARGUMENTUM
Ex Analogia Judicis controverſiarum civilium, &c.

105. HOc argumentum, quod rem maxime illuſtrabit, proponi poteſt hoc modo: Inter res fidei, ac religionis ex una parte, & inter res civiles, & politicas ex altera, poteſt ſpectari multiplex analogia 1. Sicut in politicis, ac civilibus ſæpe oriuntur lites, ac controverſiæ, quæ requirunt aliquem judicem, qui ſententiam ferat inter partes litigantes, ſic etiam in fide, ac religione. 2. Sicut in controverſiis civilibus diſtinguuntur hæc tria, Judex, Lex ſcripta, & Conſuetudo; ſic etiam in controverſiis fidei hæc tria, Judex, Scriptura utriuſque Teſtamenti, & Traditio. 3. Sicut Princeps, vel Magiſtratus ſæcularis fungitur officio judicis in deciſione controverſiarum civilium; ſic etiam Princeps Eccleſiæ, vel Synodus Eccleſiaſtica fungitur officio judicis in deciſione controverſiarum fidei. 4. Sicut lex ſcripta eſt quaſi norma quædam, ſeu regula, quam ſequitur judex ſæcularis in decidendis controverſiis civilibus; ſic etiam Scriptura utriuſque Teſtamenti eſt quaſi norma quædam, ſeu regula, quam ſequitur judex Eccleſiaſticus in decidendis controverſiis fidei. 5. Sicut ſola lex ſcripta non eſt ſufficiens, & integra norma omnium controverſiarum civilium, ſed lex ſcripta, & conſuetudo ſimul; ſic etiam ſola Scriptura utriuſque Teſtamenti non eſt ſufficiens, & integra norma omnium controverſiarum fidei, ſed Scriptura, & Traditio ſimul.

106. Hæc clara ſunt. Nihilominus, ne quis dubitet, ſingula breviter explicabo: Ac primo, quod Princeps, vel Magiſtratus ſæcularis fungatur officio judicis in controverſiis civilibus, non eget longa probatione. Hoc enim teſtatur quotidiana experientia in omnibus regnis, ac provinciis. Nam ubique contentiones, & cauſæ civiles deferuntur ad Principem, vel Magiſtratum ſæcularem, quem partes litigantes agnoſcunt pro legitimo ſuo judice. Quod etiam ex utroque jure, tam civili, quam canonico notiſſimum

mum eſt. Nam in utroque extant tituli: *De officio Judicis ordinarii, & delegati*. Nec ullus in hac re tam peregrinus, aut ſtupidus eſt, ut per Judicem ordinarium, aut delegatum intelligat Legem ſcriptam, cum conſtet illum eſſe ordinarium, qui ordinariam habet juriſdictionem, & poteſtatem: illum vero delegatum, qui accepta ab ordinario poteſtatem, vicem illius gerit.

107. Deinde quod lex ſcripta non poſſit eſſe Judex, facile probari poteſt. Et quidem in his tribus caſibus. Primo, quando ipſa obſcura, aut ambigua eſt: Tunc enim opus eſt alio judice, ſeu interprete, qui mentem illius explicet. Secundo quando una lex videtur alteri repugnare, quod frequentiſſime contingit: Tunc etiam judex adhibendus eſt, qui eas inter ſe conciliet. Tertio quando verba legis, quæ generalia ſunt, reſtringenda eſſent in aliquo caſu, & tamen reſtricta non ſunt. Quod tunc fit, quando occurrit aliquis caſus particularis, quem Legislator, cum legem conderet, non prævidit eventurum: & ſi prævidiſſet, non voluiſſet illum ſub lege ſua comprehendere. In tali igitur caſu contra legis verba judicandum eſt. Et quis erit tunc judex? Non lex ipſa: nam illa ſeipſam non deſtruit, aut judicat. Alius ergo diſtinctus a lege.

108. Poſtremo, quod ſola lex ſcripta non poſſit eſſe ſufficiens norma pro deciſione quarumcunq; Controverſiarum civilium, ſed præter legem ſcriptam admittenda ſit etiam conſuetudo, certiſſimum eſt apud Juriſconſultos. Ac potiſſimum in duplici caſu. Primo, quando movetur aliqua controverſia, de qua nulla extat lex ſcripta. Tunc enim conſuetudo, ſi adſit, vim legis obtinet, juxta illud: *Ea, quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſervata, velut tacita civium conventio, non minus, quam ea, quæ ſcripta ſunt, jure ſervantur*. (L. 35. ff. de legib.) Secundo quando extat quidem lex ſcripta, ſed ambigitur de mente, ac ſenſu illius, nec aliunde, quam ex conſuetudine, & Traditione de ea conſtare poteſt. Tunc enim locum habet illud: *Optima legum interpres eſt conſuetudo*. (L. 37. ibid.) itemq; illud: *Imperator noſter Severus reſcripſit, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuo ſimiliter judicatarum authoritatem vim legis obtinere debere*. (L. 38. ibid.)

109. Dices. Quid ſi occurrat aliqua controverſia, quæ nec ex lege ſcripta, nec ex conſuetudine definiri poſſit? quæ tunc erit norma, quam Judex ſequi debet? Reſpondeo. Tunc ex naturali æquitate debet rem componere. Hoc tunc potiſſimum fit, quando occurrit aliquis caſus, qui comprehenditur quidem ſub verbis legis, non tamen ſub mente Legislatoris, ut ſupra dictum eſt.

Tunc

Tunc enim Judex ex æquo, & bono debet ſententiam pronunciare. Idem fieri poteſt in controverſiis fidei, aut religionis. Nam ſi occurreret aliqua controverſia, quæ neque aperte ex Scriptura, neque ex Traditione decidi poſſet, recurrendum eſſet ad auxilium Spiritus Sancti, qui tametſi in omni caſu implorantibus adeſſe ſolet, in hoc tamen ſpeciatim doceret *nos omnem veritatem*, ut Chriſtus promiſit: Et hoc remedio uſi ſunt Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano, ubi agebatur de circumciſione, & obſervatione legalium. (ſupra)

110. Atque hæc ſunt argumenta, quibus hactenus probatum eſt, Judicem controverſiarum fidei non poſſe eſſe Scripturam, ſed Eccleſiam. Nunc ſupereſt, ut teſtimonia Scripturæ, quæ initio propoſita ſunt in primo argumento adverſariorum, examinemus, & ſimul alias objectiones, quæ afferri poſſunt, diſſolvamus. Ex quarum ſolutione apparebit, adverſarios, qui perpetuo de Scriptura gloriantur, ineptiſſime ex Scriptura argumentari, & nihil minus, quam Scripturæ ſenſum, & intelligentiam aſſequi, &c.

Objectiones Adverſariorum.

111. Prima ſumitur ex illo Iſajæ 8. 20. *Ad legem magis, & ad teſtim onium*. Hinc colligunt, Judæos in veteri teſtamento, quandocunque oriebatur aliqua controverſia, ex mandato Dei miſſos fuiſſe ad legem, & teſtimonium, ideſt ad Scripturam, tanquam ad Judicem. Sed valde errant. Primo, quia jam ſupra oſtenſum eſt Judicem controverſiarum in V. T. non fuiſſe Scripturam, ſed Pontificem. Secundo, quia illa verba, *Ad legem, & ad teſtimonium*, multo aliter accipienda ſunt, quam putant Adverſarii, ut patet ex præcedentibus, quæ ſic habent: *Cum dixerint ad vos: Quærite a pythonibus, & a divinis, & qui ſtrident incantationibus ſuis: Nunquid non populus a Deo ſuo requiret pro vivis, ac mortuis? Ad legem magis, & ad teſtimonium. Quod ſi non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux*. Ubi diſerte agitur contra illos, qui de futuris eventibus ſolent conſulere Pythoniſſas, & Ariolos, & remittuntur partim ad legem, quæ id prohibebat, (Deut. 18. 9.) *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave, ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te, qui pythones conſulat, aut divinos, aut quærat a mortuis veritatem:* partim ad teſtimonium Prophetarum, qui a Deo conſtituti erant, ut futura prædicerent (3. Reg. 22. 7.) *Dixit autem Joſaphat, Non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, ut interrogemus per eum?*

112. Igitur ſenſus illorum verborum, *ad legem magis, & ad teſtimonium*, eſt hic: Si vultis fieri certiores de futuris eventibus, non debe-

debetis conſulere pythoniſſas, ſicut fecit Saul; (1. Reg. 27. 7.) quia hoc Deus per legem ſuam fieri prohibuit, ad quam vos remitto: ſed conſulite Prophetas Domini, quorum officium eſt de futuris prænunciare. Quid hoc facit ad judicem controverſiarum? Nihil penitus: Niſi Adverſarii velint hoc modo ratiocinari: De futuris eventibus non licet conſulere pythoniſſas; Ergo ſola Scriptura eſt judex controverſiarum. Ineptiſſime. Et tamen, quod mireris, præcipui illorum Rabbini ſic ineptiunt. De quibus bene præmonuit nos Chriſtus: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum*.

113. Sed duo contra hanc ſolutionem opponit Gardius. Primo, in tota Scriptura nullum locum monſtrari poſſe, ubi vox *Teſtimonii* ſignificet teſtimonium Prophetarum futura prædicentium. At ego monſtrabo locum, Act. 10. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*. Deinde opponit *legem & teſtimonium* pro eodem accipi, nempe pro Scriptura: Et contineri generale mandatum, quo omnes, in quibuſcunque rebus dubiis, obligati ſint recurrere ad ſolam Scripturam. Non ita eſt: Tametſi enim verum ſit, legem, & teſtimonium aliquando ſumi pro eodem, quod non nego; tamen hoc loco diſtincta ſunt: Et per legem intelligitur Lex illa particularis, de qua dixi: *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus tuus dabit tibi, cave, ne imitari velis abominationes illarum gentium: nec inveniatur in te, qui pythones conſulat, aut divinos, aut quærat a mortuis veritatem*. Et per teſtimonium intelligitur reſponſum Sacerdotum, & Prophetarum, quod viva voce ſoliti erant dare, quando in rebus dubiis a populo, vel Rege conſulebantur.

114. Hoc dupliciter probo. Primo, quia ſi lex, & teſtimonium loc. cit. ſumeretur pro Scriptura, & mandatum eſſet, ut Judæi in rebus dubiis recurrerent ad ſolam Scripturam, ut Gardius interpretatur: jam omnes illi peccaſſent contra hoc mandatum, qui in rebus dubiis conſulebant Prophetas, & Sacerdotes, ut David, Joſaphat, & alii plures in Scriptura laudati. Imo Deus dediſſet duo contraria mandata: Unum, quo jubebantur in rebus dubiis conſulere ſolam Scripturam, ut vult Gardius: Alterum, quo jubebantur conſulere Sacerdotes, & Prophetas, Deut. 17. 8. & Deut. 18. 14. 15. Hæc abſurda ſunt: Ergo & illud, ex quo ſequuntur.

115. Secundo, quia ſi Judæi de iis omnibus, de quibus gentiles conſulebant Pythones, & Ariolos, debuiſſent conſulere legem, & teſtimonium, id eſt, ſolam Scripturam, ut Gardius contendit, debuiſſent etiam conſulere ſolam Scripturam de futuris eventibus,

bus, de quibus vel maxime gentiles conſulebant Pythones, & Ariolos: At Scriptura nihil determinate poterat pronunciare de futuris eventibus: Ergo fruſtra illam conſuluiſſent: Deus autem nihil fruſtra mandat fieri. Dabo exemplum, quo res illuſtretur. Joſaphat Rex Juda volebat ſcire, quis eſſet futurus eventus, ſi obſideret Ramoth Galaad? an ſcilicet poſſet eam expugnare, nec ne? ſi in hoc conſuluiſſet Scripturam, nihil reſponſi accepiſſet. Quid ergo fecit? Conſuluit Prophetam, ut viva voce reſponſum ab eo acciperet. (3. Reg. 22. 5.) Idem in ſimili caſu fecerunt David, & alii. Et recte. Fruſtra ergo urgent adverſarii, ad ſolam Scripturam remiſſos eſſe.

Secunda objectio.

116. Secunda ſumitur ex illo Joan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas.* Ecce, inquiunt Adverſarii, Chriſtus remittit nos ad Scripturam, tanquam ad judicem controverſiarum. Hoc certe non dicerent, ſi intelligerent mentem Chriſti. Chriſtus in illo capite diſputat cum Judæis, qui negabant ipſum eſſe Filium Dei. Ipſe autem probat ſe eſſe, quatuor teſtimoniis. Primo, teſtimonio Joann. Baptiſtæ, *Vos,* inquit, *miſiſtis ad Joannem, & teſtimonium perhibuit veritati.* Erat autem hoc ipſius teſtimonium: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et iterum: *Ego teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* (Joan. 1. 34.) Secundo, teſtimonio miraculorum, quæ patrabat. *Ego,* inquit, *habeo teſtimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Tertio, teſtimonio Dei Patris. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me:* nempe, cum dixit de cœlo: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* Matth. 3. 17. & Luc. 9. 35. Quarto, teſtimonio Scripturarum veteris Teſtamenti. *Scrutamini,* ait, *Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* q. d. Si non vultis recipere tria priora teſtimonia, quæ tamen efficaciſſima ſunt (alioquiilla non produxiſſem) ſaltem non poteſtis rejicere teſtimonium Scripturarum, de quibus tantopere gloriamini. Illæ ipſæ, ſi attente ſcrutamini, perhibent teſtimonium de me, quod ſim Meſſias a Deo promiſſus. Quare ergo non creditis?

117. Hinc concludo, Adverſarios ex hoc loco ſeipſos potius, quam nos oppugnare. Nam ipſi contendunt, ſolam Scripturam eſſe judicem controverſiarum: Et Chriſtum ad ſolam Scripturam

nos

nos remittere. At contrarium verum eſt. Nam Chriſtus in controverſia, quam habebat cum Judæis, *An ipſe eſſet Filius Dei*, non remiſit illos ad ſolam Scripturam, ſed primo ad teſtimonium Joannis Baptiſtæ: deinde ad teſtimonium miraculorum, quæ oſtendebant ipſum eſſe Deum: poſtea ad teſtimonium Dei Patris, qui voce de cœlo delapſa idem confirmabat: denique, ut omnia experiretur, ad teſtimonium Scripturarum.

118. Nos Catholici in hac re Chriſtum imitamur. Nam in Controverſiis, quas habemus cum Adverſariis, non ſolum utimur teſtimonio Scripturæ, ſed etiam ſanctorum Patrum, Matris Eccleſiæ, & miraculorum, quæ ſæpe fiunt pro confirmatione noſtræ fidei. Adverſarii autem, quaſi Chriſto prudentiores eſſent, nihil volunt audire, niſi ex ſolis ſcripturis. In quo ſimiles ſunt Judæis, contra quos Chriſtus agit. Nam Judæi, repudiato quocunque alio teſtimonio, ſolam ſcripturam admittebant: Et hanc ipſam neque tunc intelligebant, neque adhuc intelligunt, ut teſtatur Apoſtolus 2. Corinth. 3. 14. cum ait: *Obſcurati ſunt ſenſus eorum*. Et infra: *Uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*. Idem adverſariis noſtris, qui in hac cauſa Nepotes illorum ſunt, accommodari poteſt.

Tertia objectio.

119. Tertia ſumitur ex illo Actor. 17. 11. *Quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent*. Hic iterum clamant adverſarii, Beroenſes non temere crediſiſſe, quæ ab Apoſtolis dicebantur, ſed omnia examinaſſe juxta normam ſcripturæ: Æquum igitur eſſe, ut nos illorum exemplum imitemur, & ſolam ſcripturam pro norma, ac Judice agnoſcamus, ſed fruſtra. Quod facile conſtabit, ſi conſtet de re ipſa, de qua tunc agebatur. Ea fuit hujuſmodi. Paulus Apoſtolus, ut expreſſe habetur in eodem capite, primum quidem Theſſalonicæ, deinde apud Beroenſes, diſſerebat *ex ſcripturis, adaperiens, & inſinuans, quia Chriſtum oportuit pati, & reſurgere a mortuis: & quia hic eſt Jeſus Chriſtus, quem ego annuncio vobis*. Quid vero Beroenſes? ſequitur ibidem: *Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent*.

120. Igitur hic eſt ſenſus illius loci: Beroenſes cum audirent Paulum citare quædam teſtimonia Scripturæ veteris Teſtamenti, quibus adſtruebat Chriſti mortem, & reſurrectionem, ſcrutabantur, an iis ipſis teſtimoniis conſentanea eſſent, quæ a Paulo dicebantur: Non quidem eo animo, quaſi dubitarent de morte, & reſurrectione Chriſti, quippe quæ jam ſatis confirmata erat

ab

ab Apoſtolo per virtutem miraculorum, (1. Theſſ. 1. 5.) ſed ut magis in fide confirmarentur, ſi viderent ea, quæ Paulus prædicabat, multo ante per Prophetas fuiſſe prævisa, & præſignificata.

121. Ex hoc ſenſu quid obſecro concludent adverſarii? Nihil ad rem, de qua agitur. Niſi forte ſic velint concludere: Beroenſes ſcrutabantur teſtimonia Scripturæ a Paulo citata: Ergo ſola Scriptura eſt Judex controverſiarum. Quod perinde eſt, ac ſi dicas: Lutherani ſcrutantur teſtimonia Auguſtini a Bellarmino citata; Ergo ſolus Auguſtinus eſt judex controverſiarum. Vel ſic: Ruſtici ſcrutantur teſtimonia Lutheri a prædicante citata: Ergo ſolus Lutherus eſt judex controverſiarum. Vel ſic: Kemnitius in examine Concilii Tridentini ſcrutatur Traditiones a Catholicis allegatas: Ergo ſola Traditio eſt judex controverſiarum. Vel denique ſic: Diſcipuli ſcrutabantur teſtimonia Ciceronis a Præceptore citata: Ergo ſolus Cicero eſt author latinitatis. Apage cũm iſtis conſequentiis. Et tamen apud adverſarios, quia meliores non habentur, in pretio ſunt.

Quarta objectio Popularis.

122. Plerique ſimpliciores ſic objiciunt: Judex controverſiarum in rebus fidei debet eſſe infallibilis, qui errare non poſſit: quia ſi ipſe erraret, reliqui etiam errarent, qui illius ſententiam ſequerentur. Jam vero conſtat ex una parte, Scripturam eſſe infallibilem; cum ſit verbum Dei, quod errare non poteſt: Ex altera, homines non eſſe infallibiles, ſed mendaces, & errori obnoxios, juxta illud Rom. 3. 4. *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax*: Ergo Scriptura poteſt eſſe infallibilis judex; homines, cum ſint mendaces, non poſſunt. At Pontifex eſt homo, & Eccleſia nihil aliud eſt, quam collectio hominum: Ergo Pontifex, & Eccleſia ſunt mendaces, & errare poſſunt. Nemo igitur eſt tutus, ac ſecurus in negotio fidei, qui illorum ſententiam ſequitur.

123. Hæc objectio, ſi quid roboris, ac momenti habet, non minus valet contra adverſarios, quam contra nos. Nam ſi omnis homo mendax eſt, & errare poteſt, neceſſario ſequitur, Moyſen, Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, Lutherum quoque, & Calvinum, itemque omnes Prædicantes, Lutheranos, & Calvinianos mendaces eſſe, & errare poſſe, quia homines ſunt. Nihil igitur illis credendum, aut fidendum eſſe; ſed omnia, quæ ab illis dicuntur, ſuſpecta, & incerta haberi oportere. Ubi ergo fides? Nec refert, ſi dicant, ſe non hominis, ſed Dei verbum annunciare. Nam ſi mendaces ſunt, etiam in hoc puncto mentiri poſſunt. Nihil ergo certi eſt.

124. Sed

124. Sed abſit, ut nos ita loquamur, aut ſentiamus. Longe aliter res habet. Ac primo quidem fatemur, Scripturam certam, ac infallibilem eſſe, quia verbum Dei eſt; ſed addimus, cum ſæpe obſcura ſit, non facile unicuique conſtare poſſe de legitimo illius ſenſu. Itaque alio judice opus eſſe, qui infallibiliter decernat, quis legitimus Scripturæ ſenſus ſit. Hic autem judex non poteſt eſſe quilibet homo privatus, quia alioqui tot eſſent diverſi judices, quot diverſa capita, & ſententiæ: Et ſic nulla controverſia componi poſſet. Quiſquis enim diceret, ſe bene ſentire, reliquos male. Neceſſe igitur eſt, ut ſit aliquis publicus judex, qui cum authoritate decernendi, & definiendi inter partes litigantes poteſtatem habeat.

125. Deinde aſſerimus, homines dupliciter ſpectari poſſe. Primo, quatenus ſunt filii Adam, & obnoxii naturæ corruptionibus. Sic ſine dubio proni ſunt ad mendacium, & falſitatem. (Gen.8.21. & Pſal.38.6.) Secundo, quatenus a Spiritu Sancto diriguntur, & gubernantur ad aliorum inſtructionem. Sic infallibiles, & ſine mendacio ſunt. Talis in veteri Teſtamento fuit Moyſes cum Senatu Seniorum. (Num. 11. 17.) Tales alii Pontifices, qui deinde ſecuti ſunt. (Deut.17. 9. & Aggæi 2. 12. & Malach. 2. 7.) Tales Prophetæ, Iſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, & alii. (Jerem.1.7.) Tales in novo Teſtamento Apoſtoli, quibus dictum eſt Joan. 15.16. *Mittam vobis a Patre Spiritum veritatis*. Et c. 16. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. At ubi omnis veritas, ibi nullum mendacium.

126. Talis denique ſemper fuit, & nunc etiam eſt Eccleſia, quæ propter perpetuam Spiritus Sancti aſſiſtentiam, & directionem nunquam erravit hactenus, nec deinceps errare poterit. Eſt enim ædificata *ſupra firmam petram, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. (Matth. 16. 18.) *Eſt columna, firmamentum veritatis*. (1.Tim.3.15.) *Nunquam confundetur, neque erubeſcet*. (Iſaiæ 54.4.) *Jaſpis eſt propugnaculum ejus*. (Ibidem verſ. 12.) *Et omnem linguam reſiſtentem illi in judicio judicabit*. (ibidem verſ. 17.) Eſt igitur infallibilis judex, quem quærimus.

127. Sed, an omnes, & ſinguli, qui in Eccleſia ſunt, habeant hanc aſſiſtentiam, & directionem Spiritus Sancti, ut in fide errare non poſſint? Facilis reſponſio. Singuli quidem habent, ſed dependenter ab ipſa Eccleſia. Quamdiu ergo manent conjuncti cum Eccleſia, errare non poſſunt: ſi diſſentiunt ab Eccleſia, jam errant. Quod duplici ſimilitudine declarari poteſt; una ſumitur ex proportione humani corporis. Nam ſi quæras, an ſingula membra, quæ ſunt in humano corpore, habeant in ſe ſpiritus vitales, & ſenſitivos, qui-

bus

ius vita conſervatur? reſpondendum eſt, ſingula quidem habe-
e, ſed dependenter a capite, & corde. Nam a capite, & cor-
le, tanquam a duplici principio, derivantur hujuſmodi ſpiritus
n reliqua membra. Unde ſi intercipiantur, aut occludantur
meatus illi, ſeu canales, per quos fit illa ſpirituum derivatio, &
diſtributio, neceſſe eſt, reliqua membra deſtitui ſpiritibus, &
officium ſuum exercere non poſſe. Sin pateant, & aperti ſint,
res ſalva eſt. Sic etiam in Eccleſia ſinguli fideles, qui ſunt quaſi
membra Eccleſiæ, habent quidem aſſiſtentiam, & directionem
Spiritus ſancti, ſed dependenter a Pontifice, qui eſt veluti caput
Eccleſiæ, & a Conciliis, quæ ſunt quaſi cor Eccleſiæ. Quam-
diu ergo ſinguli manent colligati cum doctrina Pontificis, &
Conciliorum, participant de aſſiſtentia, & gubernatione Spiri-
tus Sancti, nec in fide errare poſſunt. Sin per diſcordiam, &
pertinaciam diſcedunt a capite, & corde, jam occludunt ſibi o-
mnes meatus, ut aſſiſtentia, & directio divina ad eos derivari
non poſſit. Et ſic a veritate abducuntur, & erroribus obnoxii
ſunt. Quod contigit Arrio, Neſtorio, Macedonio, Pelagio,
& ſexcentis aliis. Ne idem nobis contingat, audiamus conſilium
Apoſtoli, qui ubique hortatur nos ad conſenſum, & unitatem
doctrinæ, ut Rom. 16. verſ. 17. *Rogo autem vos, fratres, ut obſer-
vetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam
vos dicitis, faciunt, & declinate ab illis.* Et 1. Corinth. 1. 10.
*Obſecro vos, fratres, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis
ſchiſmata.* Et Epheſ. 4. 3. *Servate unitatem ſpiritus in vinculo pa-
cis: Unum corpus, & unus Spiritus; ſicut vocati eſtis in una ſpe
vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.*
Et Heb. 13. 9. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.*

128. Altera ſimilitudo ſumi poteſt a grege ovium, qui optime
repræſentat Eccleſiam, atteſtante Chriſto. (Joan. 10.) Nam ſicut
totus grex in uno ſtabulo, vel loco collectus habet perpetuam
aſſiſtentiam Paſtoris, qui furca, & canibus defendit illum a fe-
rocia luporum; ſic etiam tota fidelium Eccleſia in una Fide, &
Spiritu collecta habet perpetuam aſſiſtentiam divini illius Paſto-
ris, qui dixit: *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas.* (Joan.
10. 14.) Et iterum: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad
conſummationem ſæculi.* (Matth. 28. 20.) Item ſicut ſingulæ ovi-
culæ, quandiu manent conjunctæ cum grege ſub cuſtodia Paſto-
ris, immunes, ac tutæ ſunt a morſu Luporum; Sic etiam ſin-
guli Chriſtiani, quamdiu manent conjuncti cum Eccleſia, id eſt,
cum doctrina, & conſenſu Eccleſiæ, immunes, ac tuti ſunt a
periculo erroris, & infidelitatis. Denique ſicut oviculæ, quæ

aberrant a grege, deſtituuntur protectione Paſtoris, ac proinde luporum inſidiis expoſitæ ſunt; Sic Chriſtiani, qui diſcedunt a communi conſenſu, & doctrina Eccleſiæ, deſtituuntur aſſiſtentia Spiritus ſancti, ideoque erroribus expoſitos eos eſſe neceſſe eſt.

Epilogus hujus Capitis.

129. Cum in hoc capite conſtitutum, & multis argumentis confirmatum ſit, Eccleſiam Chriſti, quæ errare non poteſt, eſſe Judicem controverſiarum fidei, ac religionis: non magnopere laborandum erit de iis controverſiis, quæ deinceps ſequuntur: quia quilibet vir prudens facile advertet, in ſingulis eam partem ſequi nos oportere, quam Eccleſiæ authoritas ſequendam eſſe affirmat; non vero, quam privati quidam homines, neſcio quo Spiritu afflati, propria electione amplectuntur. Nec tamen propterea ab earum tractatione abſtinendum eſt: ſed potius danda opera, ut ſingulæ, quanta fieri poteſt brevitate, & claritate, proponantur, & explicentur. Sic enim futurum eſt, ut & Catholici facilius ſua dogmata intelligant, & adverſarii, perſpecta rei veritate, vel ad mentem redeant, vel ſi obſtinati ſint, in ſuo errore confundantur, &c.

CAPUT VI.

DE ANTICHRISTO.

1. IN hoc capite non diu hærebo, quia adverſarii vel non ſerio agunt, vel ſi ſerio agunt, calumniantur. Solent autem hæc duo potiſſimum apud rudem plebeculam inculcare. 1. Antichriſtum jam pridem veniſſe in hunc mundum. 2. Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum. Quo conſilio id faciant, facilis conjectura eſt. Certe non alio, quam ut ſuam defectionem a Catholica fide poſſint tegere, & excuſare, ſub prætextu defectioni ab Antichriſto: & liceat ipſis, quod apud Catholicos non licebat, impune Pontifices, & Epiſcopos contemnere, vota Deo nuncupata violare, Moniales in uxores ducere, feſta, & jejunia negligere, carnis illecebras ſectari, & quæ his ſimilia ſunt, patrare.

2. Non opus eſt longa refutatione: Paucis quæſtiunculis refelli poſſunt adverſarii. Prima eſt, unde ipſis conſtet Antichriſtum veniſſe? Reſpondent, ex tribus Scripturæ teſtimoniis conſtare. Primo ex illo 2. Theſſ. 2.7. *Myſterium jam operatur iniquitatis.* Deinde ex illo 1. Joan. 2. 18. *Filioli, noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis,*

ſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt. Denique ex illo 1. Joan. 4. 3. *Hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.*

3. Secunda eſt, quo tempore venerit Antichriſtus. Hic mire diſſentiunt. Aliqui dicunt veniſſe poſt ann. Chr. 600. tempore Phocæ Imperatoris, ut Lutherus in ſupputatione tempor. & Iconius in ſuo dupl. elench. Alii ann. Chr. 763. ut Henr. Bulling. in præf. hom. in Apoc. Alii ann. Chr. 1200. poſt tempora S. Bern. ut Vvolff. Muſc. in locis, Tit. de Eccleſ. Alii aliter ſentiunt.

4. Tertia eſt, ſi Pontifex eſt Antichriſtus, qui primus inter Pontifices cœperit eſſe Antichriſtus? Audi reſponſum: Gregorius Magnus, homo peſſimus. Ita Centuriatores Cent. 6. cap. 1. Chythræus in cap. 9. Apocalypſis. Non eſt ita: Gregorius fuit vir ſanctus, & bonus. Sic Luth. loc. cit.

5. Ex dictis tria infero. Primo, adverſarios pugnare cum Scriptura. Nam ſi teſtimonia Scripturæ, quæ ipſi citant, probarent Antichriſtum veniſſe, ſine dubio probarent veniſſe tempore Apoſtolorum. Tunc enim ſcriptum eſt: *Myſterium jam operatur iniquitatis.* Item, *Hic eſt Antichriſtus, qui nunc jam in mundo eſt.* Item, *Nunc Antichriſti multi facti ſunt.* At ſi hoc probant, cur Adverſarii dicunt, non veniſſe tempore Apoſtolorum, ſed ſexcentis, aut plurimis annis poſt? Hoc eſt Scripturam mendacii arguere.

6. Deinde infero, adverſarios Scripturam non intelligere. Nam cum ait Apoſtolus, *Myſterium jam operatur iniquitatis*, non loquitur de Antichriſto, ſed de typo, aut figura Antichriſti, nempe de Nerone, vel aliquo alio. Hoc conſtat ex ipſo contextu. Primo, quia hæc duo opponuntur: *Myſterium iniquitatis*, &, *revelatio, ſeu Apparitio Antichriſti.* Sicut enim revelationem, ſeu apparitionem Chriſti præceſſit typus, ſeu figura Chriſti, nempe Melchiſedech, Salomon, Jonas: Sic etiam revelationem Antichriſti, quæ nondum facta eſt, præceſſit typus, & figura Antichriſti, ut Antiochus in veteri Teſtamento; Nero, Simon Magus, & alii in novo. Secundo, quia cum dixiſſet Apoſtolus, *Myſterium jam operatur iniquitatis*, mox ſubdit. *Tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet Spiritu oris ſui.* Quibus verbis aperte ſignificat, eo tempore, quo myſterium iniquitatis operabatur, nondum fuiſſe revelatum Antichriſtum, id eſt, nondum veniſſe, aut apparuiſſe. Itaque non ipſum, ſed Neronem, qui typus illius erat, fuiſſe tunc operatum.

7. Nec reliqua duo teſtimonia, quæ ex Joanne allata ſunt, intelliguntur de Antichriſto, ſed de hæreticis illius temporis, qui erant Præcurſores Antichriſti. Pro quo notandum, nomen Antichriſti duobus modis ſumi poſſe. Primo generatim, pro quocunque Chriſti hoſte, ſeu adverſario; cujuſmodi ſunt omnes hæretici, & perſecutores Chriſtianorum. Et hoc ſenſu dictum eſt a Joanne: *Nunc Antichriſti multi ſunt*, id eſt, multi hæretici: de quibus ſequitur: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis*. Eodem ſenſu dictum eſt: *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quia venit, & nunc jam in mundo eſt.* Secundo ſpeciatim, pro præcipuo, ſeu principali Chriſti hoſte, qui in fine mundi venturus eſt, cujus reliqui omnes præcurſores ſunt. Et de hoc loquitur Paulus, cum ait: *Niſi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus*.

8. Hanc diſtinctionem tradit Auguſtin. lib. 2. contra adverſarium legis, cap. 12. ubi ait. *Ad quem pertinet etiam iſte, qui ſe oſtendit Antichriſtum, non unum illum majorem cæteris, ſed ex his aliquem, de quibus dicit Joannes Evangeliſta: Nunc Antichriſti multi facti. Eos enim dicebat hæreticos, qui temporibus Apoſtolorum eſſe jam cœperant*. Et Damaſc. lib. 4. Orthod. fidei, cap. 27. *Omnis, qui non confitetur Filium Dei, & Deum veniſſe in carne, & eſſe Deum perfectum, & factum eſſe hominem perfectum, Antichriſtus eſt. Attamen peculiari modo, ac præcipuo, Antichriſtus dicitur, qui in conſummatione ſeculi venturus eſt*: Et alii paſſim.

9. Tertio infero, Adverſarios non ſolum in Scriptura, ut oſtenſum eſt, ſed etiam inter ſe diſſidere. Nam alii dicunt, Antichriſtum veniſſe anno Chriſti ſexcenteſimo; alii ſeptingenteſimo; alii alio tempore. Rurſum alii contendunt, Gregorium Magnum fuiſſe primum Antichriſtum: alii negant. Et ſic deinceps. Videamus, quid Catholici ſtatuant.

Catholicorum Doctrina.

10. Catholicorum doctrina duabus concluſionibus proponi poteſt. Prima concluſio. Antichriſtus proprie dictus, qui ab Apoſtolo vocatur *Homo peccati, & Filius perditionis*, nondum venit in hunc mundum. Probatur. 1. Quia Antichriſtus non veniet, niſi prius everſum, & deſolatum ſit Romanum Imperium,

Atqui

Atqui hoc nondum factum eſt: Ergo Antichriſtus nondum venit. Major paſſim aſſeritur ab antiquis Patribus, tam Græcis, quam Latinis. Cyrillus Catech. 15. ait: *Veniet prædictus Antichriſtus, cum impleta fuerint tempora Romani imperii.* Et Chryſoſt. in 2. Theſſ. 2. 2. *Quando e medio ſublatum fuerit Romanum Imperium, tunc veniet Antichriſtus.* Similia habent Theophylactus, Oecumenius, & Ambroſius ibidem, Lactantius lib. 7. cap. 11. Hieronymus qu. 11. ad Algaſiam, & Tertullianus in Apologetico c. 32. ubi etiam addit, fideles orare pro diuturnitate Romani Imperii, eo quod intelligant, Romano Imperio everſo, imminere orbi extremam ſub Antichriſto calamitatem.

11. Nec temere, aut ſine fundamento hoc dicunt Patres. Habent pro ſe aperta Scripturæ teſtimonia; habent perpetuam ab Apoſtolorum temporibus Traditionem. Quæ antequam proſequantur, prius explicandum eſt, in quo conſiſtat illa deſolatio, ſeu everſio Romani Imperii, poſtquam venturus dicitur Antichriſtus. Aliud enim eſt inclinatio illius Imperii, aliud deſolatio, aut everſio. Inclinatio facta eſt variis temporibus. 1. quando Roma rapta eſt ſub Gothis. 2. quando Imperium defecit in Occidente, 3. quando reſtaurato per Carolum Magnum Imperio in Occidente, deſtructum eſt in Oriente per Turcas. Porro deſolatio, ſeu everſio tunc erit, quando Imperium Romanum dividetur, ac diſtrahetur in decem Reges, amiſſo nomine, ac dignitate Imperiali. Et tunc primum veniet Antichriſtus.

12. Probant hoc Patres ex Daniele, & Apocalypſi. Nam cap. 2. Dan. deſcribitur ſucceſſio quatuor præcipuorum regnorum uſque ad finem mundi per quandam ſtatuam habentem caput aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, & tibias ferreas. Explicatio eſt hæc. Caput aureum ſignificat regnum Chaldæorum: pectus argenteum regnum Perſarum: venter æneus regnum Alexandri, & Græcorum: tibiæ ferreæ regnum Romanorum. Porro ex duabus tibiis oriebantur decem digiti, in quibus tota illa ſtatua deſinebat, quia ſcilicet Romanum Imperium tandem in decem Reges dividendum eſt, & eo ipſo deſolandum, ſeu evertendum.

13. Eadem quatuor regna apud eundem Danielem c. 7. deſignantur per quatuor beſtias, Leænam, Urſum, Pardum, & aliam innominatam, habentem decem cornua in capite. Hæc autem beſtia innominata ſignificat Imperium Romanum, & decem cornua ſignificant decem Reges, qui Imperium illud diviſuri ſunt. *Beſtia quarta*, inquit Daniel, *regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, & devorabit univerſam terram, &*

conculcabit, & comminuet eam. Porro cornua decem ipſius regni decem Reges erunt.

14. Quod autem illi decem Reges Imperium Romanum diviſuri, ac diſtracturi ſint, colligitur ex Apocalypſi, c. 17. ubi Joannes deſcribit beſtiam cum ſeptem capitibus, & decem cornibus, *ſuper quam ſedebat mulier circumdata purpura, & coccino, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis*. Nam, ut Angelus ibidem interpretatur, *Mulier eſt urbs magna, quæ ſedet ſuper ſeptem colles*, ideſt, Roma. *Decem cornua ſunt decem Reges*, qui uno tempore ſimul regnabunt. *Et hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnem ejus manducabunt, & ipſam igni concremabunt*. Quibus verbis aperte ſignificat Angelus, Romanum Imperium per illos decem Reges penitus deſtructum, ac diſſipatum iri.

15. Ad hæc Scripturæ teſtimonia accedit antiquiſſima Eccleſiæ Traditio, de qua D. Hier. in c. 7. Danielis ſic ſcribit: *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Eccleſiaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi, quando Regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter ſe dividant*. Quid clarius dici poteſt?

16. Conſtat ergo ex Scripturis, & Eccleſiæ Traditione, Imperium Romanum tunc evertendum, ac deſtruendum, quando in decem Reges dividetur. Quod autem Antichriſtus non ante venturus ſit, aperte convincitur ex Dan. cap. 7. 24. ubi ſic legimus: *Cornua decem ipſius regni decem Reges erunt* (de quibus jam diximus) *& alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & ſermones contra Excelſum loquetur, & Sanctos altiſſimi conteret, & putabit, quod poſſit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Ubi clariſſime loquitur de Antichriſto, quem prædicit venturum eſſe poſt decem illos Reges, qui imperium Romanum inter ſe divident; & conſequenter poſt Romani Imperii everſionem.

17. Quod multi probabiliter confirmant ex illo 2. Theſſ. 2. 3. *Niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati*, ſubaudi, non veniet dies judicii. Hic enim Apoſtolus inſtruit Theſſalonicenſes, qui falſo perſuaſi erant, inſtare diem judicii. Ponit autem duo ſigna, quæ diem illum anteceſſura ſint; nempe defectionem Romani Imperii, & adventum Antichriſti: quaſi dicat, Non veniet dies judicii, niſi prius diſceſſio facta ſit ab Imperio Romano, & appareat Antichriſtus. Ita explicant magni authores.

18. Ter-

18. Tertullianus in libro de reſurrectione carnis, cap. 24. *Niſi*, inquit, *veniat abſceſſio primo, hujus utique Regni*, (Romani) *& reveletur delinquentiæ homo, ideſt Antichriſtus filius perditionis*, &c. Et paulo poſt: *Tantum, qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat: quis niſi Romanus ſtatus? cujus abſceſſio in decem Reges diſperſa Antichriſtum ſuperinducet, & tunc revelabitur iniquus*, &c. Et D. Hieron. quæſt. 11. ad Algaſiam: *Niſi venerit diſceſſio primum, quod græce dicitur apoſtaſia, ut omnes gentes, quæ Imperio Romano ſubjacent, recedant ab eo*, &c. *Niſi, inquam, fuerit Romanum Imperium ante deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet, qui ideo venturus eſt, ut Antichriſtum deſtruat*. Et infra: *Tantum, ut Romanum Imperium, quod nunc univerſas gentes tenet, & de medio fiat: & tunc Antichriſtus veniet, fons iniquitatis*. Similia habent Chryſoſt. Theophyl. Sedul. Primaſ. Strab. & alii ibid.

19. Hæc expoſitio, ut dixi, probabilis eſt, & poteſt confirmari ex ipſo contextu. Nam Apoſtolus, antequam ſcriberet hanc Epiſtolam ad Theſſalonicenſes, cum adhuc præſens apud illos eſſet, viva voce tradiderat illis quædam myſteria ad fidem Chriſtianam pertinentia, quorum unum erat, non prius venturum diem judicii, quam everſum eſſet Romanum Imperium, & Antichriſtus apparuiſſet. Illi autem, relicta hac Traditione, neſcio a quibus perſuaſi erant, diem judicii jam adeſſe præ foribus. Igitur revocat eos ab hoc errore, & ſimul hortatur, ut in ea Traditione, quam coram acceperant, & deinceps perſiſtant, & ab ea non ſinant ſe dimoveri.

20. Videamus nunc verba Apoſtoli. Sic ergo incipit: *Rogamus autem vos, fratres, ut non moveamini a veſtro ſenſu, neque terreamini, quaſi inſtet dies Domini*. Ecce error Theſſalonicenſium. Putabant inſtare diem judicii, & ideo terrebantur. Sequitur inſtructio Apoſtoli: *Ne quis vos ſeducat ullo modo, quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, non veniet dies judicii. Num retinetis, quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?* nempe non venturum diem judicii, *niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati*. Quæ autem illa diſceſſio? donec de medio fiat Imperium Romanum, ideſt donec omnes diſcedant ab obedientia Imperii Romani, & ſic Imperium illud de medio tollatur. *Itaque, fratres, ſtate, & tenete Traditiones, quas accepiſtis*; præſertim illam, quod dies judicii ventura non ſit, niſi præceſſerint duo illa ſigna, quæ jam commemoravi.

21. At objici poteſt, aliquos per verba illa Apoſtoli, *Niſi venerit*

tit diſceſſio primum, intelligere diſceſſionem, ſeu apoſtaſiam a fide, quæ antecedet diem judicii, juxta illud Luc. 18. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Fateor ita eſſe. Sed tamen alii, quos ſupra citavi, non incommode intelligunt diſceſſionem ab Imperio Romano. Et fortaſſe rectius. Primo, quia totus contextus optime cohæret, ſi interpretemur de Imperio Romano, ut oſtenſum eſt. Secundo, quia conſtat, Apoſtolum quaſi de induſtria obſcuriſſime locutum eſſe in illo capite: adeo ut ſcribat Auguſtin. lib. 20. de Civitate Dei, cap. 19. *Ego prorſus, quid dixerit, me fateor ignorare*. At nulla erat cauſa, cur obſcure loqueretur de defectione a fide, cum Chriſtus apertiſſime de ea locutus ſit loco citato; *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Erat autem cauſa, cur obſcure loqueretur de defectione ab Imperio Romano; quia cum Romæ ſcriberet hanc epiſtolam, ſi clare ſcripſiſſet de everſione illius Imperii, potuiſſet Neronem offendere, qui erat homo in novos Chriſtianos crudeliſſimus.

22. Hanc cauſam attigit D. Hieronymus quæſt. 11. ad Algaſiam, cum ait: *Non vult aperte dicere, Romanum Imperium deſtruendum, quod ipſi, qui imperant, æternum putant*. Et paulo poſt: *Si enim aperte, audacterque dixiſſet, Non veniet Antichriſtus, niſi prius Romanum deſtruatur Imperium, juſta cauſa perſecutionis in orientem tunc Eccleſiam conſurgere videbatur*.

23. Sed quidquid ſit de hoc loco Apoſtoli, qui varie exponi poteſt, ſufficit nobis, quod ex Daniele, Apocalypſi, & antiqua Patrum Traditione clare probatum ſit; non prius venturum Antichriſtum, quam Imperium Romanum penitus extinctum ſit, ac in decem Reges diſtributum, quod hactenus factum non eſt. Unde concludo non veniſſe hactenus Antichriſtum. Et hoc ſit primum contra adverſarios argumentum.

24. Secundum argumentum eſt ejuſmodi. Duo teſtes venturi ſunt eodem tempore, quo Antichriſtus, & habebunt has conditiones, ſeu qualitates. 1. Erunt *amicti ſacco*, ſeu cilicio. 2. *prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta*. 3. Habebunt *poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipſorum, & poteſtatem convertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plaga*, quotieſcunque voluerint. 4. Quando abſolverint teſtimonium ſuum (nempe poſt dies 1260.) tunc Antichriſtus movebit contra illos bellum, & vincet illos, & occidet. 5. Corpora eorum jacebunt Hieroſolymis inſepulta per tres dies, & dimidium. 6. Poſt illos dies reviviſcent, & ſpectante, ac tremente populo

lo aſcendent in cœlum. 7. Tunc erit magnus terræ motus, quo decima pars civitatis corruet; & ſeptem millia hominum occidentur. Hæc omnia diſertis verbis habentur in Apocalypſi cap. 11. v. 3. & ſeqq.

25. At hi duo teſtes (quicunque illi ſint) nondum venerunt: Ergo nec Antichriſtus venit. Eſt autem duplex de illis ſententia. Plerique putant fore Henoch, & Heliam. Nam de iis teſtatur Scriptura, venturos ante diem judicii. Malach. 4. 5. *Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*. Et Eccleſ. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pænitentiam*. Et ſic fere ſentiunt antiqui Patres.

26. Alii putant fore Moyſen, & Heliam: Primo, quia illi duo locuti ſunt cum Chriſto in monte Thabor, quando transfiguratus eſt. Secundo, illi duo repræſentant Legem, & Prophetas. At Lex, & Prophetæ erunt graviſſimi teſtes pro Chriſto ad redarguendum Antichriſtum. Tertio, illis duobus optime conveniunt, quæ ex Apocalypſi de duobus teſtibus allata ſunt. Nam Moyſes habuit poteſtatem convertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plaga (Exod. 7. & ſeq.) Et Helias habuit poteſtatem claudendi cœlum, ne plueret. (3. Reg. 17. & Jacobi 5. 17.) Hanc ſententiam ſequitur Maldonatus in cap. 17. Matth. v. 11.

27. Adverſarii noſtri, quia vident utramque ſententiam ſibi repugnare (nam ex utraque ſequitur, Antichriſtum nondum veniſſe, cum nondum venerit Henoch, Helias, aut Moyſes) novam interpretationem comminiſcuntur. Et alii quidem generatim ajunt, per illos duos teſtes intelligi quoſcunque Miniſtros fideles, qui ab Antichriſto, ideſt a Romano Pontifice (ex illorum ſententia) vel hactenus perſecutionem paſſi ſunt, vel adhuc patiuntur. Alii vero ſpeciatim deſignant vel Huſſium, vel Lutherum, vel Calvinum, vel aliquem ſimilem. Sed valde errant. Nam ea, quæ de duobus teſtibus a Joanne prædicta ſunt, nullo modo conveniunt Luthero, Calvino, & ſimilibus. Quod ſic oſtendo: Vel enim quæ prædicta ſunt, intelligi debent ſecundum ſenſum litteralem, ſeu hiſtoricum, vel ſecundum ſenſum myſticum, ſeu ſpiritualem.

28. Si priori modo, certum eſt, Lutherum, & Calvinum non poſſe deſignari per duos teſtes. Non enim iverunt amicti ſacco, nec prophetaverunt 1260. diebus: non clauſerunt cœlum, ne plueret, nec converterunt aquam in ſanguinem: non percuſſe-

runt

runt terram omni plaga, quotieſcunque voluerunt; non ſunt interfecti ab Antichriſto: nec poſt tres dies & medium in cœlum aſcenderunt. Et ſic deinceps.

29. Si autem myſtice hæc omnia intelligenda ſunt, ne ſic quidem Luthero, aut Calvino poterunt accommodari. Ac primo dicant adverſarii, quid myſtice intelligatur per ſaccum, vel cilicium, quo amicti ſunt duo teſtes? An pœnitentia, caſtigatio corporis, auſteritas vitæ? At Lutherus, & Calvinus nec ipſi corpus ſuum caſtigarunt, nec alios, ut caſtigarent, docuerunt. Nam Lutherus, violato caſtitatis voto, monialem ſibi ſociavit: Calvinus propter Sodomiam candenti ferro inuſtus eſt. Lutheri vox fuit: *Si non vult uxor, veniat ancilla*. Calvini: *Lex Decalogi eſt impoſſibilis*.

30. Secundo dicant, quid myſtice ſit, claudere cœlum, ne pluat? An eſt idem, quod efficere, ne gratia Dei per modum pluviæ deſcendat de cœlo? At hoc efficere, non eſt bonorum teſtium, qui conentur alios ad fidem Chriſti convertere; nam ad hunc effectum maxime opus eſt divina gratia de cœlo diſtillante. An e contrario eſt idem, quod efficere, ne vindicta Dei deſcendat de cœlo? At ſi hoc faciunt duo illi teſtes, de quibus loquitur Joannes in Apocalypſi, quomodo ergo dicuntur aquas in ſanguinem convertere, & percutere terram omni plaga? An non hæc vindicta de cœlo eſt?

31. Tertio dicant, quid myſtice ſit, Antichriſtum contra duos teſtes bellum facere, eoſdem bello vincere, & occidere? An hoc intelligendum eſt de bello, victoria, & occiſione ſpirituali, quæ non in corpore, ſed in anima ſit? Si ita eſt, ſequitur, Lutherum, & Calvinum non in corpore, ſed in anima victos, & occiſos eſſe ab Antichriſto. Quod neſcio, an adverſarii conceſſuri ſint.

32. Quarto dicant, quid myſtice ſit, corpora duorum teſtium, Lutheri, & Calvini per tres dies, & dimidium jacuiſſe Hieroſolymis inſepulta, ac poſtea reſumpto ſpiritu revixiſſe, & in cœlum aſcendiſſe? Quid item, magnum terræmotum factum eſſe, decimam partem civitatis corruiſſe, ſeptem millia hominum occiſa eſſe? Hæc prius explicent adverſarii, ſi contendunt impleta eſſe. At non poſſunt.

33. Ex dictis concludo, Antichriſtum nondum veniſſe. Primo, quia Romanum Imperium nondum everſum, ac in decem Reges diviſum eſt. Secundo, quia duo illi teſtes, de quibus loquitur Joannes in Apocalypſi, nondum a Deo miſſi ſunt. Teſtimonia Scripturæ, quibus adverſarii contrarium probant, ſuperius expli-
cata

rata ſunt. Nunc pergamus ad ſecundam concluſionem.

34. Secunda Concluſio. Pontifex Romanus non eſt Antichriſtus. Probatur ex dictis. Primo, quia Antichriſtus nondum venit, nec venturus eſt, niſi everſo imperio Romano. At Pontifex pridem venit, florente Imperio Romano. Secundo, Antichriſtus occidet duos illos Prophetas, de quibus agitur in Apocalypſi. Hoc Pontifex non fecit. Accedunt tria alia argumenta.

35. Primum. Antichriſtus non regnabit niſi tres annos cum dimidio: At Pontifex regnavit jam multis ſæculis. Ergo Pontifex non eſt Antichriſtus. Major colligitur ex Scriptura, quæ variis modis illum annorum numerum expreſſit. Primo ſub hac forma: *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*. (Dan. 7. 25. & Dan. 12. 7. & Apocal. 12. 14.) Secundo ſub hac: *Menſibus quadraginta duobus.* (Apoc. 11. 2. & Apoc. 13. 5.) Tertio ſub hac: *Diebus mille ducentis ſexaginta*. (Apoc. 11. 3.) Vide Auguſtinum lib. 20. de Civitate Dei cap. 23.

36. Secundum. Antichriſtus a Judæis pro Meſſia recipietur: At Pontifex Romanus non recipitur ab illis pro Meſſia: Ergo non eſt Antichriſtus. Major paſſim habetur tanquam certa apud antiquos Patres, Irenæum, Cyrillum, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Hilarium, Proſperum, & alios. Et probant ex duobus Scripturæ locis. Primo ex illo Joan. 5. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis*. Quis eſt ille alius, qui in nomine ſuo venturus eſt, niſi Antichriſtus? Hunc ergo recipient Judæi. Secundo ex illo 2. Theſſ. 2. 10. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio*. Qui ſunt illi, qui veritatem, id eſt, Chriſtum, non receperunt? Judæi. Quomodo propter hoc peccatum puniet illos Deus? Mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio, id eſt, Antichriſto, quem pro Meſſia recipient.

37. Tertium. Antichriſtus faciet ignem de cœlo deſcendere, juxta illud Apoc. 13. 13. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum*. At Pontifex non facit ignem de cœlo deſcendere. Ergo non eſt Antichriſtus.

38. Povelus Calviniſta libro primo de Antichriſto, cap. 26. §. 15. & Balduinus Lutheranus in diſput. de Antichriſto, c. 6. §. 32. ut evadant, vel potius eludant vim argumenti hujus, interpretantur verba Joan. de igne excommunicationis, ut hic ſit ſenſus: Antichriſtus faciet ignem de cœlo deſcendere, id eſt, excom-

communicabit homines. Et hoc ajunt facere Pontificem. O divinos interpretes! Hoc modo licebit ſimilia Scripturæ teſtimonia interpretari, ut v. g. 4. Reg. 1. 10. *Elias dixit quinquagenario: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos:* Id eſt (juxta gloſſam Novatorum) Si homo Dei ſum, veniat excommunicatio Pontificia, & percellat vos. Similiter Luc. 9. 54. *Domine, vis dicimus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* id eſt juxta eandem gloſſam: Domine, vis dicimus, ut excommunicentur hi? Inepta ſunt hæc.

39. Sed neque circumſtantiæ ſupradicti loci patiuntur hanc expoſitionem. Cum enim dicit Joan. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere:* aperte ſignificat, fore miraculum Antichriſti, quando faciet ignem de cœlo deſcendere: imo tale miraculum, quo ſeducat homines, ut credant eſſe opus divinitatis. At quæſo, quod, aut quale miraculum eſt, excommunicare hominem? Nullum penitus.

40. Deinde, cum addit Joannes: *Ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum:* omnino excludit ignem excommunicationis. Is enim non recte dicitur de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum, ſed potius de cœlo in homines ad terrorem aliorum.

41. Miror vero Adverſarios, quod ignem excommunicationis tribuunt Antichriſto. Primo, quia hic ignis, ut ipſi fatentur, deſcendit de cœlo: quod non aliter poteſt intelligi, quam quia poteſtas excommunicandi datur a Deo. Secundo, Paulus Apoſtolus hac poteſtate uſus eſt, quando excommunicavit Corinthium inceſtuoſum. An ergo putant, vel Paulum feciſſe idem miraculum, quod Antichriſto tribuitur? vel Antichriſtum habere a Deo poteſtatem excommunicandi Chriſtianos, quam Apoſtolus habuit? Videamus nunc quid ipſi nobis objiciant.

OBJECTIO DESUMPTA EX NOTIS ANTICHRISTI.

42. OMnia fere argumenta, quibus adverſarii conantur probare, Papam eſſe Antichriſtum, ad hunc unum ſyllogiſmum poſſunt revocari: Cuicumque conveniunt omnes notæ Antichriſti, quæ in Scripturis fundatæ ſunt, is ſine dubio eſt Antichriſtus: At Pontifici Romano conveniunt omnes ejuſmodi notæ: Ergo Pontifex Romanus eſt Antichri-

chriſtus. Minorem probant, quia notæ Antichriſti ſunt hæ.

I. Deficere a vera fide, 2. Theſſ. 2. 3.
II. Sedere in templo Dei, ibidem.
III. Oſtendere ſe tanquam Deum, ibidem.
IV. Extollere ſe ſupra omnem Deum, ibidem.
V. Negare Chriſtum, 1. Joan. 2. 22.
VI. Facere falſa miracula, 2. Theſſ. 2. 9.
VII. Imprimere ſubditis characterem, Apoc. 13. 16.

At hæ notæ conveniunt Romano Pontifici: Ergo Romanus Pontifex eſt Antichriſtus. Minor probatur, diſcurrendo per ſingulas notas, & eas Pontifici applicando.

43. Prima eſt, deficere a fide. At Pontifex defecit a fide, quia defendit Purgatorium, Invocationem Sanctorum, Sacrificium Miſſæ, & ſimilia. Reſpondeo. Quid ſi dicam adverſarios defeciſſe a fide, quia negant Purgatorium, & reliqua jam enumerata? Plures ex Patribus mihi adhærebunt, quam illis, ut in progreſſu videbimus.

44. Secunda eſt, ſedere in templo Dei. At Pontifex ſedet Romæ in Eccleſia Chriſti. Reſpondeo: Tripliciter hic peccant Adverſarii. Primo contra ſeipſos, quia ſi Pontifex ſedet in Eccleſia Chriſti, fateri debent, ſe non eſſe in Eccleſia Chriſti; cum non ſint in illa Eccleſia, in qua Pontifex ſedet. Secundo, contra rem ipſam, quia ex eo præciſe, quod Pontifex ſedet in Eccleſia Chriſti, non recte infertur, illum eſſe Antichriſtum. Alias, pari ratione, Petrus, & proximi ſucceſſores illius fuiſſent Antichriſti, quia ſederunt in Eccleſia Chriſti. Tertio, contra mentem Apoſtoli, quia ſupponunt, illum per templum Dei intellexiſſe Eccleſiam Chriſti, cum plerique Patres aliter ſentiant, nempe intellexiſſe templum Hieroſolymitanum: Nam ſicut Antichriſtus Hieroſolymæ interfecturus eſt duos Prophetas; (ut habetur Apoc. 11. 8. 9.) ſic etiam ibi ſeſſurus eſt in templo, & a Judæis adorabitur. Nec obſtat, quod templum illud jam pridem deſtructum ſit. Nam ſuo tempore reſtaurabitur, non quidem ad cultum veri Dei, cui olim deſtinatum erat, ſed ad abominationem, & impietatem, ut colligunt Patres ex illo Danielis 9. 27. *Erit in templo abominatio deſolationis uſque ad conſummationem, & finem.*

45. Tertia eſt, oſtendere ſe tanquam Deum. At Pontifex hoc facit, quia exhibet ſe pro viſibili capite Eccleſiæ, ut explicat Iconius in Elencho. Reſpondeo. Hæc non eſt explicatio, ſed depravatio Scripturæ. Nam aliud eſt, oſtendere ſe tanquam

Deum,

Deum, cum non ſit Deus: aliud vero, exhibere ſe pro viſibili capite Eccleſiæ, cum revera ſit caput. Illud prius convenit Antichriſto: Hoc poſterius Petro, & ſucceſſoribus ejus.

46. Quarta eſt, Extollere ſe ſupra omnem Deum: At hoc facit Pontifex, quia extollit ſe ſupra omnem Eccleſiaſticum, & politicum ordinem, ut explicat idem Author, vel quia mandata ſua præfert mandatis Dei, & diſpenſat contra legem veteris, ac novi Teſtamenti, ut tradit Povelus lib. 2. c. 17. Reſpondeo. Prior explicatio falſa eſt. Alioqui Moyſes diceretur ſe extuliſſe ſupra omnem Deum, quia fuit ſupra omnem ordinem Eccleſiaſticum, & Politicum, quando Aaronem conſecravit. Poſterior conſtat meris mendaciis.

47. Quinta eſt, negare Chriſtum. At Pontifex negat Chriſtum, quia corrumpit doctrinam de Chriſto mediatore, ut interpretatur Junius in ſuis Notis ad Bellarminum. Reſpondeo. Nondum probatum eſt ab Adverſariis, quod Pontifex corrumpat doctrinam de Chriſto Mediatore. Ego facilius probabo Adverſarios id facere. Ipſi enim docent Chriſtum Mediatorem, ſecundum utramque naturam, divinam, & humanam, qui eſt manifeſtus error, ut patebit infra ſuo loco.

48. Sexta eſt, facere falſa miracula. At Pontifex facit falſa miracula Laureti apud ſtatuam B. Virginis, & alibi. Reſpondeo: Pontifex non facit miracula Lauretana, ſed Deus: Deberent Adverſarii oſtendere, Pontificem facere miracula, quæ Scriptura dicit facturum Antichriſtum. Cujuſmodi ſunt hæc duo. 1. Ignem de cœlo deducere. 2. Efficere, ut imago beſtiæ loquatur. (Apoc. 13. 13.) Neutrum adhuc legimus factum a Pontifice.

49. Septima eſt, imprimere ſubditis characterem. At hoc facit Pontifex: Ergo eſt Antichriſtus. Reſpondeo. Adverſarii diſſentiunt in modo explicandi, quis ſit ille character. Bullingerus vult eſſe unctionem chriſmatis, quo Chriſtiani ſignantur in fronte, quando ſuſcipiunt Sacramentum Confirmationis. Theodorus Bibliander dicit eſſe profeſſionem Romanæ fidei. Chythræus addit tria. 1. Juramentum fidelitatis, quod Pontifici præſtatur. 2. Unctionem ſacerdotalem, quæ in vertice, & in manu accipitur. 3. Procumbere ad ſtatuas, & panem conſecratum. Similia habent Junius, Povelus, & alii.

50. Sed facile refelluntur. Nam character Antichriſti debet habere tres conditiones. 1. Ut ſit communis omnibus puſillis, & magnis, divitibus, & pauperibus, liberis, & ſervis. 2. Ut indifferenter poſſit imprimi, vel in fronte, vel in dextera manu.

3. Ut nemo, niſi habens characterem, poſſit emere, aut vendere. (Apoc. 13. v. 16. & c. 14. v. 9.) At iſtæ conditiones non conveniunt unctioni chriſmatis, nec unctioni Sacerdotali, nec profeſſioni fidei Romanæ, nec juramento fidelitatis, nec inflexioni corporis ad ſtatuas, ut per ſe patet.

51. Nam unctio chriſmatis, quæ fit in Sacramento Confirmationis, ſæpe non datur omnibus, nec indifferenter in fronte, vel in manu dextera; nec ad emptionem, aut venditionem neceſſaria eſt. Multi Romæ, in conſpectu Pontificis, emunt, & vendunt, non modo Judæi, ſed etiam Chriſtiani, qui Sacramentum Confirmationis nunquam ſuſceperunt. Unctio Sacerdotalis multo minus confertur omnibus, nec ullo modo ad emendum, aut vendendum requiritur. Profeſſio Romanæ fidei non imprimitur in fronte, aut in dextera manu, ſed lingua, & ore perficitur. Et plurimi ſunt mercatores Pontificii, qui nunquam profeſſionem illam, non dico præſtiterunt, ſed ne viderunt quidem, vel audierunt. Idem eſt de Juramento fidelitatis. Inflexio non frontem, aut manum, ſed genua, & totum corpus afficit. Piget in re tam manifeſta diutius hærere. Quærant Adverſarii alium Antichriſtum. Pontifex certe non eſt.

52. Ex dictis colligo duo efficaciſſima argumenta pro Pontifice. Unum eſt: ille non eſt Antichriſtus, cui non conveniunt Notæ Antichriſti. At Pontifici non conveniunt Notæ Antichriſti. Ergo Pontifex non eſt Antichriſtus. Minorem probo, quia Notæ Antichriſti, præter alias, ſunt hæ tres. 1. Regnare tres annos cum dimidio. 2. Interficere duos Prophetas Hieroſolymis. 3. Omnibus ſubditis imprimere characterem in dextera manu, vel in fronte. At hæ Notæ non conveniunt Pontifici.

53. Alterum eſt: Eccleſia Catholica, quæ toto orbe diſperſa eſt, non poteſt errare in fide, ut probatum eſt cap. 3. At Eccleſia Catholica, quæ toto orbe diſperſa eſt, negat Pontificem eſſe Antichriſtum, & agnoſcit illum pro ſuo capite, ac paſtore: Ergo revera non eſt Antichriſtus, ſed Caput, & Paſtor Eccleſiæ Catholicæ.

54. Hinc ulterius infero, Adverſarios non habere legitimam cauſam ſuæ defectionis ab Eccleſia, & Pontifice; quin potius eo ipſo, quod defecerint ab Eccleſia, & Pontifice, a fide defeciſſe, & hæreticos factos eſſe. Accipiant ergo hunc ſyllogiſmum: Omnes hæretici ſunt præcurſores Antichriſti: Adverſarii noſtri ſunt hæretici: Ergo ſunt Præcurſores Antichriſti.

CA-

CAPUT VII.

DE INVOCATIONE SANCTORUM.

1. NOs docemus cum communi conſenſu totius Eccleſiæ Catholicæ, quæ errare non poteſt, Sanctos cum Chriſto regnantes in cœlo pie, & cum fructu a nobis invocari poſſe. Et hoc confirmat quotidiana experientia, quia quotidie experiuntur fideles prodeſſe ſibi Sanctorum invocationem. Nam alii ſanitatem corporis, alii donum caſtitatis, alii profectum in ſtudiis, alii alia beneficia per Sanctorum interceſſionem a Deo petunt, & impetrant. De qua re legantur authentici Scriptores. S. Ambroſius li. 4. Epiſtolar. epiſt. 34. quæ eſt de S. Agnete. S. Auguſtinus lib. 22. de Civitate Dei, cap. 7. Theodoretus lib. 6. Hiſtor. c. 24. Nilus in Epiſtola in 7. Synodo act. 4. recitata. Gregorius Turonenſis libro de gloria Martyrum, & Confeſſorum. Gregorius Magnus lib. 3. Dialogorum, c. 22. & ſequ. & alii quamplurimi. Atque hæc experientia efficaciſſimum pro nobis argumentum eſt.

2. Adverſarii, ut novitatis amantes ſunt, rejiciunt hanc piam, & ſalutarem invocationem, quæ ſemper in Eccleſia fuit uſitata. Et multa contra illam objiciunt. 1. Quod cedat in injuriam Dei, qui ſolus vult invocari. 2. Quod cedat in injuriam Chriſti, qui ſolus eſt Mediator, & interceſſor pro nobis apud Deum. 3. Quod ſit ſignum diffidentiæ, quia quando confugimus ad Sanctos, videmur diffidere de bonitate Dei, quaſi ipſe non ſit paratus nos adjuvare. 4. Quod ſit inutilis, quia Sancti non audiunt preces noſtras, quas ad ipſos dirigimus. 5. Quod nullum exſtet præceptum de Invocatione Sanctorum: Nihil autem liceat facere, quod præceptum non eſt, juxta illud Deuteron. 12. 39. *Quod tibi præcipio, hoc tantum facito*. Denique, quod hæc invocatio nova ſit, nec in primitiva Eccleſia uſurpata.

3. Hæc argumenta magni fiunt ab Adverſariis, ſed revera nullius momenti ſunt. Antequam hoc ſingillatim de ſingulis oſtendam, unum præmitto, quod ab Adverſariis conceditur: nempe licitum eſſe invocare eos, qui nobiſcum in hac vita degunt. Hoc enim Apoſtoli fecerunt, & docuerunt. Coloſſ. 4. 2. *Orationi inſtate, orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium*. Et 1. Theſſal. 5. 25. *Fratres orate pro nobis*. Et 2. Theſſal. 3. 1. *De cætero, fratres, orate pro nobis, ut ſermo Dei currat*. Et Jac. 5. 16. *Orate pro invicem, ut ſalvemini*. Hoc poſito, diſcutienda ſunt ſingula Adverſariorum argumenta.

I. An

I. An invocatio Sanctorum cedat in injuriam Dei?

4. Affirmant Adverſarii, quia Deus, inquiunt, vult ſolus invocari, juxta illud Deut. 6. 13. & Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Ergo Catholici faciunt injuriam Deo, quando invocant Sanctos.

5. Reſpondeo 1. Hoc argumentum retorqueri poteſt in Adverſarios, hoc modo: Solus Deus vult invocari juxta Scripturam citatam: Ergo Adverſarii faciunt injuriam Deo, quando, invocant Sanctos in hac vita exiſtentes. Et Apoſtolus fecit injuriam Deo, cum ſcripſit Theſſalonicenſibus: *Fratres, orate pro nobis*: Et ſimiliter Jacobus, cum Chriſtianos hortatus eſt: *Orate pro invicem, ut ſalvemini*.

6. Reſpondeo 2. Illa verba, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, ſic debent intelligi. Non adorabis falſos Deos, ſicut gentiles faciunt, ſed unum verum Deum, cui ſoli, tanquam vero Deo, divinum cultum exhibebis. Qui ſenſus clare exprimitur Exodi 20. 3. *Non habebis Deos alienos coram me, non adorabis eos, neque coles. Ego ſum Dominus Deus tuus*.

7. Sicut ergo contra hoc præceptum non peccant illi, qui petunt ſuffragia viventium in terra: ita nec illi, qui petunt ſuffragia viventium in cœlo. Et ratio eſt, quia neutri adorant eos, tanquam Deos, ſed petunt interceſſionem eorum apud verum Deum. At petere interceſſionem apud verum Deum non eſt colere, aut adorare falſos Deos: Sicut petere interceſſionem Aulicorum apud Imperatorem, non eſt colere Aulicos tanquam Imperatores, ſed tamquam amicos, & domeſticos Imperatoris. Res vulgo nota eſt.

II. An invocatio Sanctorum cedat in injuriam Chriſti?

8. Affirmant Adverſarii, quia Chriſtus eſt unicus Mediator noſter, per quem habemus acceſſum ad Deum. 1. Timoth. 2. 5. *Unus Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus JESUS*. Et Epheſ. 2. 5. *Per ipſum habemus acceſſum ad Patrem*. Ergo non eſt recurrendum ad Sanctos. Hoc enim cedit ad injuriam Chriſti, quaſi ipſius interceſſio non ſufficiat, niſi etiam accedat Sanctorum interceſſio.

9. Reſpondeo 1. Hoc argumentum æque procedit de Sanctis hujus vitæ, ac alterius. Si ergo propterea quia Chriſtus eſt unicus Mediator noſter, non liceret recurrere ad Sanctos

in cœlo exiſtentes, non liceret eadem ratione recurrere ad eos, qui nobiſcum vivunt, quod tamen eſt contra adverſarios. Si autem ſine ulla injuria Chriſti Mediatoris poſſumus invocare Sanctos nobiſcum degentes (ut revera poſſumus) cur non ſimiliter Sanctos in cœlo triumphantes? Non enim apparet, cur hoc magis ſit Chriſto injurioſum, quam illud.

10. Reſpondeo 2. Chriſtus dicitur unicus Mediator noſter, non quia ſolus eſt, ſed quia principalis eſt. Ideo autem eſt principalis, quia per proprium ſanguinem redemit nos a ſervitute Diaboli, & Deo reconciliavit; quod nemo alius fecit. Sic explicat Apoſtolus loco citato. Cum enim dixiſſet: *Unus Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus*, mox addit: *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Et 1. Pet. 1. 18. *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti*.

11. At Sancti ſunt tantum Mediatores ſecundarii, quia poſtquam a Chriſto redempti ſumus, intercedunt pro nobis, ut redemptionis fructum percipiamus. Neque hæc interceſſio ullo modo obſcurat officium Mediatoris Chriſti. Primo, quia interceſſio viventium in terris non obſcurat illud, ut dictum eſt: Ergo nec interceſſio Sanctorum in cœlo exiſtentium. Secundo quia ſicut nos pro nobis ipſis poſſumus orare Deum ſine injuria Chriſti: ſic Sancti nobiſcum poſſunt idem præſtare. Adhibentur enim quaſi comprecatores, ut noſtris orationibus ſuas adjungant. Tertio, quia omnem vim intercedendi, & impetrandi, quam habent, acceperunt ex meritis Chriſti. Unde potius ad honorem ipſius cedit, quod ipſe ſit principalis Mediator, & alii ſint ſecundarii, qui ab ipſo in omnibus dependeant: Sicut cedit ad honorē Regis, quod alii omnes, ſi quid recte faciunt in Republica, ipſius imperio, & authoritate faciant.

III. *An invocatio Sanctorum ſit ſignum diffidentiæ?*

12. Affirmant Adverſarii, quia videmur diffidere de bonitate Dei, quando ad ſanctos confugimus, præſertim cum ipſe paratus ſit nos juvare. Et hortatur nos Apoſtolus, ut *cum fiducia ad eum accedamus*. (Heb. 4. 16.)

13. Nos contra ſentimus. Primo, quia ſicut Paulus Apoſtolus non diffidebat de bonitate Dei, quando petebat ſuffragia viventium in terra; ita neque nos, quando petimus ſuffragia viventium in cœlo. Secundo, quia licet Deus paratus ſit nos audire, quando ſoli ad illum accedimus: tamen non minus paratus eſt, quando cum amicis ipſius ad illum accedimus.

14. Et-

14. Et ſane hac in re imitamur exempla Scripturæ. Nam Job 42. 8. dicit Deus ad amicos Job: *Ite ad ſervum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis. Job autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia.* Idem Gen. 20. 7. dicit Deus ad Abimelech Regem Geraræ: *Nunc ergo redde viro ſuo* (ideſt Abrahamo) *uxorem, quia Propheta eſt, & orabit pro te, & vives.* Item Actor. 7. 59. Stephanus oravit pro perſecutoribus ſuis, inter quos erat Saulus, *Domine, ne ſtatuas illi hoc peccatum.* Et exauditus eſt. Unde Auguſtinus ſerm. 1. de Sanctis. *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* In his exemplis nullum eſt ſignum diffidentiæ.

IV. An invocatio Sanctorum ſit inutilis, eo quod ipſi non audiant noſtras preces, neque ſciant, quid apud nos geratur.

15. Affirmant adverſarii, quia Scriptura dicit, ſolum Deum noſſe cogitationes noſtras: mortuos vero nihil ſcire de nobis. 3. Reg. 8. 39. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Et Eccl. 9. 5. *Viventes ſciunt ſe morituros, mortui vero nihil noverunt amplius.* Et Job 14. 21. *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget*, nempe poſt mortem. Et Iſaiæ 63. 16. *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos.*

16. Nos cum conſenſu antiquorum Patrum contrarium aſſerimus, nempe Sanctos cum Chriſto regnantes in cœlo audire noſtras orationes, & noſſe, quæ apud nos gerantur. Ita Auguſtinus lib. 22. de Civitate Dei, cap. 29. Proſper Aquitanicus lib. 1. de vita contemplativa, cap. 3. Gregorius Magnus lib. 4. dialogorum cap. 33. Beda ad cap. 16. Lucæ, & alii paſſim, quos citabo inferius §. 30. Quod primo probandum eſt de Angelis: deinde de aliis Sanctis.

17. De Angelis conſtat ex clariſſimis Scripturæ teſtimoniis. Nam primo cognoſcunt illi noſtras orationes, eaſque Deo offerunt, ut de ſe fatetur Angelus Raphael, Tob. 12. 12. *Quando*, inquit, *orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Secundo, cognoſcunt internam pœnitentiam, & converſionem peccatoris, Luc. 15. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Tertio, cognoſcunt omnem cultum, quem Deo exhibemus, Pſal. 137. 1. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Uſitatum eſt in Scripturis, facere aliquid in conſpectu Angelorum, in conſpectu hominum, ideſt inſpiciente Deo, Angelis, hominibus. Quarto, cognoſcunt habitum, & hone-

ſtatem mulierum in publicis conventibus, ubi fit oratio. 1. Corinth. 11. 10. *Ideo debet mulier velamen habere ſupra caput propter Angelos*. Omitto ſimilia.

18. Quod dixi de Angelis, dico etiam de aliis Sanctis. Nam & ipſi cognoſcunt noſtras neceſſitates, & orationes. Primo, quia ſunt æquales in ſtatu beatitudinis. (Lucæ 20.36.) Si ergo Angeli, quia ſunt in ſtatu beatitudinis, cognoſcunt res noſtras, etiam alii, qui ſunt in eodem ſtatu, cognoſcunt. Et hoc Scriptura aperte teſtatur Apocal. 5. 8. *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*. Ubi per viginti quatuor ſeniores intelliguntur Sancti veteris, ac novi Teſtamenti, qui eo tempore, quo Joannes hæc ſcribebat, erant cum Chriſto in cœleſti gloria. Illi igitur offerebant Deo orationes eorum, qui in hac vita mortali degebant, non ſecus quam Angeli. Tobiæ 12. 12. & Apoc. 8. 3.

19. Secundo, quidquid perfectionis conceditur Sanctis in hac vita degentibus, multo magis conceditur Sanctis in cœlo regnantibus, præſertim ſi illorum ſtatui non repugnet, ſed conſentaneum ſit: At ſanctis in hac vita degentibus conceditur, ut cognoſcant occulta aliorum etiam abſentium deſideria, machinationes, actiones. Ergo multo magis id conceditur Sanctis in cœlo exiſtentibus, cum illorum ſtatui conſentaneum ſit. Major videtur per ſe nota. Minor probatur variis Scripturæ exemplis. Primo, quia Samuel cognovit omnia, *quæ erant in corde Saulis*, 1. Reg. 9. 19. Secundo, Eliſæus ſcivit omnia, quæ a famulo abſente erant perpetrata. 4. Reg. 5. 25. Tertio idem Eliſæus habebat perſpecta omnia ſecreta conſilia Regis Syriæ, & revelabat ea Regi Iſrael. 4. Reg. 6. 8. Quarto, Daniel ſciebat occultum ſomnium Nabuchodonoſoris, & interpretationem illius. Dan. 2. 26. Quinto, Petrus Apoſtolus ſciebat occultam fraudem Ananiæ, & Saphiræ circa pretium agri. Act. 5. 1. Si ergo illi in hac vita mortali degentes potuerunt iſta cognoſcere, certe poterunt & nunc cognoſcere cum in cœlo ſunt. Nec enim veriſimile eſt, in exilio fuiſſe melioris conditionis, quam nunc ſint in patria: & remotos a conſpectu Dei cognoviſſe multa ex Dei revelatione, quæ nunc in aula, & præſentia Dei cogantur ignorare. Abſit. Hoc argumento uſus eſt S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei, cap. 29. *Si*, inquit, *Propheta Eliſæus puerum ſuum Giezi abſens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus: quanto magis Sancti videbunt omnia, etiam unde ſunt corpore abſentes? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apoſtolus, Ex parte*, inquit, *ſcimus*,

mus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt.

20. Accedit alia duplex ratio. Una ſumitur ex lege amicitiæ, quæ requirit, ut amicus amico manifeſtet ea, quæ ad ipſum pertinent, juxta illud Chriſti Joan. 15. 15. *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Cum ergo Sancti in cœlo ſint amici Dei, & magis cum illo conjuncti, quam cum in terra eſſent, lex amicitiæ requirit, ut Deus manifeſtet illis orationes noſtras, quæ ad illos diriguntur. Altera ſumitur a priori in hunc modum: Sancti in cœlo clare, & intuitive vident divinam eſſentiam, in qua, tanquam vivo ſpeculo, creaturæ omnes repræſentantur. Sicut ergo is, qui ſpeculum corporeum intuetur, clare, & diſtincte videt, quæ in illo apparent; ita Sancti, qui Eſſentiam divinam intuentur, clare, & diſtincte vident creaturas in illa apparentes. Simili fere ratione utuntur Patres ſupra citati, Proſper, Gregorius, Beda. Proſper ſic habet: *Nec latebit tam perfecte Beatos aliquid ſecretorum, qui, quod eſt longe præſtantius, ipſum viſuri ſunt Deum.* Et Gregor. *Quia in illa æterna hæreditate omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt, quod ibi neſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt?* Et Beda: *Qui Creatoris ſui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non poſſint.*

21. Supereſt, ut excutiantur teſtimonia Scripturæ contra nos allata. Primum eſt 3. Reg. 8. 39. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Reſpondeo: Multa ſoli Deo tribuuntur, quæ etiam aliis conveniunt, ſed diverſo ſenſu: verbi gratia, ſolus Deus dicitur bonus. (Matth. 19. 7.) Solus juſtus. (2. Machab. 1. 25.) Solus pius. (Apoc. 15. 4.) Solus potens, & immortalis. (1. Timoth. 6. 15.) Solus faciens mirabilia. (Pſal. 71. 18.) Et tamen hæc omnia conveniunt etiam hominibus, non quidem per eſſentiam, ut Deo, ſed per participationem; nam Deus iſta omnia habet a ſe, homines a Deo. Idem eſt in noſtro caſu. Solus Deus dicitur noſſe corda hominum, quia ſolus ex ſe novit; nihilominus & alii poſſunt noſſe, non quidem ex ſe, & propria virtute, ſed accepta a Deo cognitione, aut revelatione.

22. Reliqua tria teſtimonia nihil ad rem faciunt. Non enim diſputamus de notitia, quam mortui habuerunt in veteri Teſtamento ante Chriſti adventum; ſed de notitia, quam habent in novo Teſtamento, poſt Chriſti aſcenſionem, & ſpeciatim de notitia, quam nunc habent Sancti cum Chriſto regnantes in cœleſti gloria. De his ſolis aſſerimus, quod ſciant, quæ apud nos geruntur.

At teſtimonia citata intelligenda ſunt de notitia, quam habuerunt mortui ante Chriſti adventum. Illi non ſciebant omnia, quæ hic gerebantur, quia non erant in ſtatu beatitudinis, nec clare videbant divinam eſſentiam, in qua tanquam vivo ſpeculo poſſent videre, quæ hic fiebant. Nihilominus ſeorſim dicam aliquid de ſingulis.

23. Igitur primum eſt, Ec.9.5. *Viventes ſciunt ſe morituros, mortui vero nihil noverunt amplius*. Reſpond. Senſus eſt: Viventes, quia ſciunt ſe morituros, poſſunt agere pœnitentiam, & proſpicere ſibi de remedio ſalutis, ne in æternum pereant: At mortui, qui hic neglexerunt pœnitentiam, nullum amplius noverunt remedium, quod poſſit illis prodeſſe. Nam poſt hanc vitam non eſt tempus pœnitendi, aut merendi: ſed ſi quis vult ad Deum converti, debet id facere in hac vita. Vide Auguſt. in Enchridio c.110.

24. Secundum eſt Job 11. *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget*. Reſpondeo. Loquitur de homine carnali, qui in hac vita valde ſolicitus fuit de ſuis filiis circa honores, & divitias; & poſt hanc vitam, quando eſt in inferno, non prodeſt illi iſta ſolicitudo, quia neſcit, quid agatur de filiis, aut in quo ſtatu ſint. Ita Gregorius libro 12. Moralium 12.

25. Tertium eſt Iſaiæ 63. 16. *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos*. Reſpondeo. Ex hoc loco nihil aliud poſſunt colligere Adverſarii (quantum attinet ad præſentem quæſtionem) quam quod Abraham, & Jacob tunc temporis ignoraverint, quid in hac vita gereretur. Quod non eſt contra nos. Nam Abraham, & Jacob non erant tunc in cœleſti gloria, ſed in Limbo. Nos autem hic diſputamus de Sanctis cum Chriſto in cœleſti gloria exiſtentibus. An autem ille ſit ſenſus iſtius loci, merito quæri poteſt. Videtur alius eſſe, ut patet ex contextu, qui ſic habet: *Attende de cælo, & vide de habitaculo ſancto tuo. Tu enim Pater noſter, & Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos. Tu, Domine, Pater noſter, redemptor noſter, a ſæculo nomen tuum*. Quaſi dicat: Merito confugimus ad te, Pater cœleſtis, quia Abraham, & Jacob non poſſunt liberare nos, ſed tu ſolus. Vel, ut Hieronymus interpretatur, Abraham, & Jacob non agnoſcunt nos amplius pro filiis ſuis, propter peccata noſtra.

V. An

V. *An ideo non liceat invocare Sanctos, quia non habemus de hac re præceptum divinum?*

26. Sic ſentiunt multi ex Adverſariis; probant ex illo Deuteron. 12. verſ. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Sed errant. Nam multa ſunt, quæ legitime, & laudabiliter fieri poſſunt, & tamen à Deo præcepta non ſunt. Cujuſmodi ſunt hæc. 1. Servare virginitatem. 2. Dare omnia pauperibus. 3. Sæpius quotidie flexis genibus orare. 4. Euchariſtiam mane ante cibum ſumere. 5. Exorciſmum adhibere ante Baptiſmum. 6. Sacros ordines ſuſcipere. 7. Magiſtros, Bacalaureos, Doctores Academico ritu promovere. Et alia ſimilia.

27. Nec deeſt luculentum exemplum in Scriptura. Nam legimus apud Jeremiam capite trigeſimo quinto, Rhecabitas, cum tota ſua poſteritate ſemper abſtinuiſſe a vino, nunquam ædificaſſe domos, nec plantaſſe vineas; ideoque a Deo fuiſſe commendatos: Et tamen nullo præcepto divino ad id præſtandum erant obligati, ſed tantum humano.

28. Illud porro ex Deuteronomio, *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino*, non debet generatim accipi de quocunque opere faciendo; ſed ſpeciatim de offerendo ſacrificio: hoc tantum offerto, & non aliud. Vide ſupra capite ſecundo de Traditionibus §. 48. ubi fuſe id explicatum eſt.

VI. *An invocatio Sanctorum fuerit uſurpata in primitiva Eccleſia.*

29. Negant Adverſarii. Et inter ſe diſſentiunt. Nam Philippus Melanchthon in Apologia confeſſionis Auguſtanæ a. 21. dicit, veteres Scriptores, ante Gregorium, nullam feciſſe mentionem invocationis Sanctorum. At Kemnitius in Examine Concilii Tridentini Seſſ. 22. affirmat, invocationem Sanctorum cœpiſſe poſt tempora Auguſtini, qui vixit ducentis fere annis ante Gregorium. Et in eodem Exam. Seſſ. 25. ait, authorem invocationis Beatæ Mariæ fuiſſe Petrum Gnaphæum, circa annum Chriſti 480.

30. Quæ omnia aperte falſa ſunt. Nam & ipſe Auguſtinus, & alii Auguſtino antiquiores diſerte ſcribunt de invocatione Sanctorum, ut patet ex ipſorum verbis, & teſtimoniis, quæ ſequuntur.

31. Origenes in Tractatu, qui inſcribitur Threni, ſeu plan-

ctus : Incipiam me genibus proſternere , & deprecari univerſos Sanctos, ut mihi, non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, ſuccurrant. O Sancti Dei, vos lacrymis, & fletu pleno dolore deprecor, ut procidatis miſericordiis ejus pro me miſero, &c.

32. Nectarius Conſtantinopolitanus oratione de S. Theodoro Martyre *: O ſplendor Martyrum, & decus Sanctorum! O cuſtos! O vere Dei donum! O cuſtos, & invictiſſime defenſor fidelium, ne obliviſcaris noſtræ paupertatis, & humilitatis: nec ſemper pro nobis intercedere te pigeat! O vir imprimis admirande*, &c.

33. Ephrem ſermone de ſanctis Martyribus: *Precamur, beatiſſimi Martyres, qui pro Domino ſalvatore, proque illius charitate ſponte tormenta ſubiiſtis, atque adeo familiarius Deo conjuncti eſtis, ut pro nobis miſeris, & peccatoribus, & negligentiæ ſqualore ſordentibus Dominum interpellare dignemini, ut ſuperveniat in nos gratia Chriſti, quæ corda noſtra radio ſanctæ charitatis illuſtret*, &c.

34. Gregorius Nazianzenus oratione in Cyprianum, in fine *: Tu vero nos ab alto propitius reſpice, noſtrumque ſermonem, ac vitam dirige, & ſanctum ovile hoc paſce, aut una rege, ac reliqua, quantum poſſibile eſt, ad meliora diſpone, moleſtoſque lupos, ſyllabarum, & verborum venatores illos abige: ac ſanctæ Trinitatis, cui nunc aſtas, ſplendorem nobis perfectiorem, & clariorem gratificare, quam adoramus, quam glorificamus*, &c.

35. Item oratione in laudem Baſilii Magni in fine: *Tu autem ſacrum, ac divinum caput, ex alto nos reſpice, & carnis ſtimulum, inſtructionem noſtram a Deo nobis datam, aut tuis ſiſte precibus, aut fortiter me ferre perſuade, totamque vitam nobis in melius permuta*, &c.

36. Gregorius Nyſſenus oratione in laudem S. Theodori Martyris, circa finem *: Multorum beneficiorum indigemus: intercede, ac deprecare pro patria apud communem Regem, & Dominum*, &c. *Timemus afflictiones: exſpectamus pericula: non longe abſunt ſceleſti Scythæ, & bellum adverſum nos parturientes. Ut miles, propugna pro nobis; ut Martyr, pro conſervis utere libertate loquendi*, &c. *Pete pacem, ut hi publici conventus non deſinant: ne debacchetur, atque graſſetur adverſus templa, altariave rabioſus, & ſceleratus barbarus: ne conculcet ſancta profanus, & impius. Nos enim etiam, quod incolumes, & integri converſati ſumus, tibi beneficium acceptum referimus. Petimus autem etiam futuri temporis præſidium, atque ſecuritatem. Quod ſi majore etiam opus fuerit advocatione, & deprecatione, fratrum tuorum Martyrum cœtum, & cum omnibus una deprecare. Multorum Juſtorum pre-*

ces

ces multitudinem, ac populorum peccata abluant. Admone Petrum, excita Paulum, &c.

37. Ambroſius in libro de viduis circa medium: *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt: Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine, etiam ſi qua habuerunt peccata, laverunt. Iſti enim ſunt Dei Martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ, actuumque noſtrorum. Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere*, &c.

38. Hieronymus epiſtola vigeſimaſeptima ad Euſtochium virginem de Epitaphio Paulæ matris, capite decimoquarto: *Vale, o Paula, & cultoris tui ultimam ſenectutem orationibus juva: Fides, & opera tua Chriſto te ſociant: præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis.*

39. Chryſoſtomus homilia vigeſimaſexta in Epiſtolam poſteriorem ad Corinthios, non longe a fine: *Quin ſepulchra ſervorum crucifixi regis aulis ſunt ſplendidiora, non ædificiorum amplitudine ac ſplendore, ſed, quod multo amplius eſt, convenientium ſtudio. Nam & ipſe ille purpura indutus peregre proficiſcitur, ſepulchra illa complexurus, & faſtu poſito conſiſtit, Sanctos rogans, ut ſibi apud Deum patrocinentur: Et tabernaculorum artificem,* (ideſt, Paulum Apoſtolum) *ac Piſcatorem* (Petrum) *patronos etiam mortuos precatur, ipſe diadema geſtans. Audebiſne igitur, dic quæſo, horum Dominum dicere mortuum, cujus famuli etiam mortui hujus mundi Regum ſunt patroni? Atque id cernas quis non Romæ tantum fieri, ſed etiam Conſtantinopoli.*

40. Hi omnes Patres Auguſtino antiquiores ſunt. Unde conſtat Adverſarios vel mentiri, vel ut minimum errare, cum ajunt, invocationem Sanctorum cœpiſſe poſt Auguſtinum. Jam vero, quid ipſe Auguſtinus ſentiat, notiſſimum eſt. Nam in libro Meditationum, cap. 24. ſic ſcribit: *Felices Sancti Dei omnes, qui jam pertranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis, & pacis, ſecuri, & tranquilli, ſemperque feſtivi, atque gaudentes; Obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſolliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſcibili gloria, ſolliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulcritudine jam ſatiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti eſtis, cujus beatiſſima viſione ſemper gaudetis: Eſtote jugiter memores noſtri, ſubvenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo hujus vitæ circumſtantibus agitamur præ-*

cel-

cellis. Et paulo poſt: *Intercedite, orate conſtanter, atque indeſinenter pro nobis miſeris, multumque negligentibus peccatoribus*.

41. Et ibidem c. 40. *Sancta, & immaculata virgo Dei Genitrix Maria, Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruiſti effici templum. Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, Sancti Chori Angelorum, atque Archangelorum, Patriarcharum, atq; Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque juſtorum, per illum, qui vos elegit, & de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, ut pro me culpabili ipſi Deo ſupplicare dignemini*, &c.

42. Et libro 7. de Baptiſmo, contra Donatiſtas, cap. 1. invocat S. Cyprianum his verbis: *Adjuvet itaque nos orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa nube laborantes, ut donante Domino, quantum poſſumus, bona ejus imitemur*. Et lib. 22. de Civ. Dei, cap. 8. refert miracula, quibus Sanctorum invocatio confirmata eſt. Hæc legant adverſarii, & intelligant ſe in errore verſari.

CAPUT VIII.

DE PURGATORIO.

1. Duplex eſt quæſtio. Una, an ſit Purgatorium? id eſt; an ſit aliquis locus, quo animæ juſtorum, quæ in hac vita ſufficienter purgatæ non ſunt, purgentur poſt hanc vitam, antequam ad cœlum, & claram Dei viſionem admittantur? Altera, quis ſit ſtatus, ſeu conditio animarum in purgatorio exiſtentium?

2. Quod ad priorem attinet, Lutherani, & Calviniſtæ negant Purgatorium, Catholici adſtruunt, & probant quatuor potiſſimum argumentis. Primum ſumitur ex ſuffragiis viventium pro mortuis. Alterum ex eo, quod remiſſa culpa mortali, non ſemper remittatur tota pœna illi debita. Tertium ex eo, quod juſti aliquando moriantur cum peccatis venialibus. Quartum ex Scriptura, & Patribus. Singula explicanda ſunt, ac ſimul objectiones adverſariorum diluendæ.

PRI-

PRIMUM ARGUMENTUM
Ex Oratione viventium pro defunctis.

3. Primum ſic propono: Fideles in hac vita recte, & utiliter orant pro defunctis: At non orant pro illis, qui ſunt in cœlo, vel in inferno. Ergo pro illis, qui ſunt in Purgatorio: Ergo datur Purgatorium. Major propoſitio, in qua vis argumenti conſiſtit, probatur dupliciter. 1. Ex Scriptura. 2. Ex praxi, & judicio primitivæ Eccleſiæ. Ex Scriptura habemus luculentum teſtimonium lib. 2. Machabæorum, cap. 12. v. 43. ubi Judas Machabæus juſſit offerri Sacrificium pro defunctis. Et factum ejus ibidem approbatur his verbis: *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* Quod autem Libri Machabæorum ſint Sacri, & Canonici, teſtantur Gelaſius, Auguſtinus, Innocentius, & plerique alii, ut cap. 1. §. 2. & 3. oſtenſum eſt.

4. De praxi, & judicio primitivæ Eccleſiæ ſcribit Auguſtinus in lib. de cura pro mortuis cap. 1. *In Machabæorum*, inquit, *libris legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nuſquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva tamen eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Et ibid. c. 4. *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana, & Catholica ſocietate defunctis ſuſcepit Eccleſia.*

5. Porro quanti momenti in hoc puncto ſit univerſæ Eccleſiæ authoritas, ex eo generatim conſtare poteſt, quod Eccleſia in rebus ad fidem, & ſalutem pertinentibus errare non poſſit. Eſt enim, ut c. 3. dixi, *Firmamentum, & Columna veritatis*, contra quam portæ inferi nunquam prævalebunt. Speciatim vero ex alio tripl. cap. Primo, quia Eccleſia in hoc puncto ſequitur exemplum Judæ Machabæi, quod a Scriptura approbatum eſt. Secundo, quia ſequitur doctrinam, & inſtructionem Apoſtolicam, ut teſtatur Chryſ. hom. 69. ad populum: *Non temere*, inquit, *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio.* Tertio, quia hæretici olim habiti ſunt, qui in hoc puncto ab Eccleſia diſſentiebant, ut patet ex Aug. l. de hæreſ. c. 53. ubi ſic ſcribit; *Aeriani ab Aerio quodam ſunt nominati, qui cum eſſet Presbyter, doluiſſe fertur, quod Epiſcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogma-*

ta

ta addidiſſe nonnulla, dicens orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. De quo plura Epiphanius hær. 75.

6. Objectio cujuſdam Calviniſtæ. Quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt. (Rom. 14. 23.) Orare pro mortuis non eſt ex fide. Ergo peccatum eſt. Minor probatur, quia quidquid fit cum aliqua dubitatione, vel hæſitatione, non eſt ex fide, cum fides ſit hypoſtaſis rerum ſperandarum, (Hebr. 11. 1.) & hypoſtaſis non admittat dubitationem. At orare pro mortuis fit cum aliqua dubitatione, quia qui orant pro mortuis, dubitant de ſtatu mortuorum; cum neſciant, an mortui, pro quibus orant, ſint in cœlo, an in purgatorio, an denique in inferno: Ergo orare pro mortuis non eſt ex fide.

7. Reſpondeo: Hæc objectio nititur tribus principiis. Primum eſt, quod illud Apoſtoli, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, intelligendum ſit de ea fide, quam idem Apoſtolus dicit eſſe *ſubſtantiam, ſeu hypoſtaſin rerum ſperandarum*. At hoc principium vel falſum, vel certe infirmum eſt. Nam plerique Interpretes aperte docent, fidem, de qua Apoſtolus loquitur, non ſumi pro hypoſtaſi rerum ſperandarum (quod tamen ut certum, & indubitatum ſumit Adverſarius) ſed potius pro perſuaſione, ſeu dictamine conſcientiæ, quo quis judicat, hoc vel illud ſibi licitum eſſe, aut illicitum. Itaque hunc eſſe ſenſum Apoſtoli, tunc hominem peccare, quando agit contra dictamen propriæ conſcientiæ. Quidquid enim fit reclamante, ſeu renitente conſcientia, ſive alias ex ſe bonum, ſive malum ſit, peccatum eſt. Atque ita ſentiunt Chryſoſt. Ambroſius, Theodoretus, Theophyl. & alii in comment. illius loci. Et præterea Innocentius Papa cap. fin. de præſcript. Item ex recentioribus, non modo Catholici, ſed etiam Calvinus ipſe: *Merito*, inquit, *prævaricationis arguitur, qui contra teſtimonium conſcientiæ pergit*.

8. Igitur ex hoc principio ſic intellecto, ſi adverſarius velit aliquid concludere, formandus erit hic ſyllogiſmus: Quicunque facit aliquid contra dictamen propriæ conſcientiæ, peccat: at Catholici, dum orant pro mortuis, faciunt aliquid contra dictamen propriæ conſcientiæ: ergo peccant. In quo ſyllogiſmo major vera eſt, ſed minor falſa. Non enim Catholici judicant in conſcientia illicitum eſſe orare pro defunctis, ſed licitum, & laudabile. Non ergo orant contra dictamen ſuæ conſcientiæ, ſed ex dictamine ſuæ conſcientiæ.

9. Alterum principium eſt, fidem Chriſtianam, quæ eſt hypoſtaſis rerum ſperandarum, excludere omnem dubitationem, etiam illam, qua quis ignorat ſtatum illius, pro quo orat. Hoc aperte falſum eſt. Solum excludit dubitationem circa proprium objectum,

id

ideſt, circa articulos a Deo revelatos, qui per fidem creduntur. Nam de illorum veritate non licet dubitare. At de aliis rebus, quæ a Deo revelatæ non ſunt, ſalva fide dubitari poteſt. v. g. non licet dubitare de Trinitate perſonarum in Deo, de morte, & paſſione Chriſti; de ejuſdem reſurrectione, & aſcenſione ad cœlos; de miſſione Spiritus S.; de futura mortuorum reſurrectione: quia hæc omnia a Deo revelata ſunt: Poteſt tamen aliquis ſalva fide dubitare, an Perſonæ divinæ præter tres ſubſtantias relativas habeant aliquam ſubſiſtentiam abſolutam? An Chriſto in cruce dextrum, an ſiniſtrum latus perforatum ſit? An Chriſtum ad cœlos aſcendentem comitati ſint Adam, & Eva? an Spiritus S. æqualiter datus ſit omnibus, quibus in Pentecoſte datus eſt? an omnes mortui reſurrecturi ſint in eadem corporis quantitate? Nam hæc, & ſimilia ſpeciatim a Deo revelata non ſunt.

10. Idem dico in noſtro caſu. Nam qui orat pro ſe, vel pro alio, non debet dubitare de iis, quæ ſub fidem cadunt, v. g. non debet dubitare de his duobus. Primo, quod Deus promiſerit ſe exauditurum noſtras orationes, ſi debito modo fiant, & aliunde nihil obſtet. Secundo, quod ſit verax, & fidelis in promiſſis. Nam utrumque cadit ſub fidem: utrumque a Deo revelatum eſt. Prius quidem Joan. *16. 23. Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Poſterius vero Heb. 10. 24. *Fidelis eſt, qui repromiſit.* Igitur qui orat Deum, de neutro debet dubitare, juxta illud Jac. 1. 5. *Si quis indiget ſapientia, poſtulet a Deo; & dabitur ei; poſtulet autem in fide, nihil hæſitans, &c.*

11. Poteſt tamen, qui orat, ſalva fide dubitare de his tribus. Primo, an impetraturus ſit, quod petit pro ſe. Quamvis enim certa, & infallibilis ſit hæc Dei promiſſio: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* non tamen eſt abſoluta, ſed conditionata. Debet enim intelligi cum hac duplici conditione. Una, *dabit vobis*, ſi pie, & perſeveranter petieritis. (Luc. 11. 8. & c. 18. 5.) Altera, *dabit vobis*, ſi expediat. At nos ſæpe dubitamus, an expediat, necne. Et revera ſæpe non expedit, quando putamus expedire. Habemus clarum exemplum in Apoſtolo Paulo, qui ter Dominum rogavit, ut auferretur ab eo ſtimulus carnis. Et ſine dubio putabat expedire, ut id fieret; & tamen non expediebat; ideoque, quod petivit, non impetravit. (2. Cor. 12. 7.) Unde Aug. tract. 7. in Joan. *Novit Deus, quid nobis expediat. Id agamus tantum, ut cor noſtrum ſanum ſit a peccatis: Et quando flagellamur forte in corpore, ipſum deprecemur. Rogavit eum Paulus Apoſtolus, ut auferret ab eo ſtimulum carnis, & noluit auferre, &c.*

12. Secundo, poteſt quis ſalva fide dubitare, an impetraturus ſit,

ſit, quod petit pro alio, idque ex duplici capite. Primo, quia Deus non promiſit ſe exauditurum orationes noſtras, quas fundimus pro aliis, ſed quas fundimus pro nobis ipſis, ut docent Theologi cum Auguſt. tract. 102. in Joannem, ubi explicans illam Chriſti promiſſionem, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, ſic habet: *Ita ſane intelligendum eſt, quod ait, Dabit vobis; ut ea beneficia ſignificata ſciantur his verbis, quæ ad eos, qui petunt, proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuslibet aliis: quia non utcunque dictum eſt, Dabit, ſed, Dabit vobis*. Deinde, quia ſæpe fit, ut alius, pro quo aliquid petimus, propter ſua flagitia indignus ſit, qui accipiat, ut notat D. Th. in 2. 2. q. 83. art. 7. ad. 2. Et hoc dupliciter confirmari poteſt. Primo, teſtimonio Dei, qui apud Jerem. c. 7. v. 16. ait. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te*. Cauſam addit: *Quia libant Diis alienis, & ad iracundiam me provocant*. Secundo, exemplo Chriſti, & Stephani. Nam Chriſtus oravit pro omnibus crucifigentibus ſe. Luc. 23. 34. *Pater dimitte illis*. Et Stephanus pro omnibus lapidantibus ſe. Act. *7. 59. Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Et tamen neuter pro omnibus impetravit; quia propter ſuperbiam, & duritiam cordis non erant digni.

13. Tertio, poteſt quis ſalva fide dubitare de ſtatu alterius, pro quo orat. Poteſt enim dubitare, dignus, an indignus ſit: juſtus, an impius: prædeſtinatus, an reprobus: vivens, an mortuus: in cœlo, an apud inferos: & ſic deinceps. Hæc enim ſub fidem non cadunt. Certe Stephanus, cum oraret pro lapidantibus, non ſciebat, in quo ſtatu quiſque eſſet: An ſcilicet ex eorum numero, quibus ad ſalutem profutura eſſet oratio, ſicut profuit Saulo; an ex aliorum numero, quibus non erat profutura, cujuſmodi erant plerique Phariſæi. Et tamen pro omnibus ſine exceptione oravit, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*. An ideo oratio ejus non fuit ex fide? Abſit. Similiter Apoſtolus Paulus, dum Romæ eſſet in vinculis, ſcribebat Epheſiis, & Coloſſenſibus, ut inſtanter, & omni tempore pro ſe orarent. (Epheſ. *6. 19*. Coloſſenſ. *3. 4*.) Nec dubium eſt, quin id fecerint. Et tamen cum poſtea, elapſo temporis intervallo, pro ipſo orabant, merito poterant dubitare, in quo ſtatu tunc eſſet: an adhuc Romæ teneretur in vinculis, an capite jam plexus, an alio ablegatus eſſet? An ideo non orabant ex fide? Et quid opus eſt antiquis exemplis? Hoc ipſo tempore non modo Catholici, ſed etiam Lutherani, & Calviniſtæ frequenter orant pro abſentibus: & dum orant, ſæpe neſciunt, vivi, an mortui ſint, pro quibus orant: nec ideo putant ſe peccare, quaſi non orent ex fide.

14. Ter-

14. Tertium adverſarii principium eſt, eos qui orant pro defunctis, ignorare illorum ſtatum. Quod etiam falſum eſt, ſi abſolute, & ſine limitatione aſſeratur. Nam duobus modis poteſt aliquis orare pro defunctis. Primo generatim, pro iis omnibus, qui ſunt in Purgatorio, quicunque tandem illi ſint. Et ſic non ignorat ſtatum eorum, pro quibus orat. Imo melius perſpectum habet, quam ſtatum aliorum, qui nobiſcum vivunt. Nam de illis, qui in Purgatorio ſunt, determinate hæc novit. 1. Quod habeant fidem, ſpem, & charitatem, & conſequenter quod ſint in ſtatu gratiæ. 2. Quod certo futuri ſint hæredes vitæ æternæ. 3. Quod antequam adeant hæreditatem vitæ æternæ, debeant prius aliquid pati. 4. Quod per noſtra ſuffragia juvari poſſint, ut citius ab illa pœna liberentur. At de illis, qui adhuc degunt in hac vita, tam multa in hoc genere non novit. Si ergo, ſalva fide, poteſt orare pro degentibus in hac vita, quorum ſtatum ignorat, multo magis pro degentibus in Purgatorio, de quornm ſtatu non dubitat.

15. Secundo, poteſt ſpeciatim orare pro hoc, aut illo defuncto in particulari, ut v. g. pro patre, & matre. Et ſic ut plurimum verum eſt, quod ignoret ſtatum illius, pro quo orat. Non enim certo ſcit, an Pater, pro quo orat, ſit in Purgatorio, an alibi. Nec ideo tamen aut male, aut fruſtra orat. Non male, quia non requiritur in orante, ut ſciat ſtatum illius, pro quo orat, ut jam oſtenſum eſt. Poteſt enim orare cum hac conditione: *Domine, oro pro parente meo, ſi indiget*. Nec fruſtra, quia etiamſi nihil impetret ei, pro quo orat, (quod ſæpe fit) non ideo vacua, & infructuoſa eſt oratio. Prodeſt enim ipſi oranti, juxta illud Pſal. 34. 13. *Oratio mea in ſinu meo convertetur:* Ideſt, tametſi non proſit aliis, pro quibus oravi, (quia indigni ſunt) ego tamen non ſum fraudatus mea mercede, ut explicat D. Thom. in 2. 2. quæſt. 83. art. 7. ad 2. Simile eſt illud Matth. 10. 13. *Intrantes autem in domum ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſupra eam. Si autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.*

16. Ut hoc melius intelligatur, notandum eſt ex communi ſententia Theologorum, orationem hominis juſti, præterquam quod afferat menti conſolationem ſpiritualem, habere triplicem vim, ſeu efficaciam: Unam merendi, quatenus procedit ex charitate. Alteram ſatisfaciendi, quatenus eſt opus pœnale, ſeu laborioſum. Tertiam impetrandi, quatenus eſt petitio, juxta illud Matth. 7. 7. *Petite, & dabitur vobis*. Prima efficacia eſt illi communis cum quovis bono opere, quod ex charitate procedit. Altera cum quovis bono opere laborioſo pœnali. Tertia eſt illi propria, ac peculiaris.

ris. Nam ſicut jejunio, præter communem vim merendi, & ſatisfaciendi, proprium, ac peculiare eſt corpus macerare, & ſpiritui ſubjicere: itemque ſicut eleemoſynæ proprium eſt, alterius miſeriam ſublevare: ita orationi proprium eſt, aliquid a Deo impetrare. Ideo enim proprie oramus, ut impetremus. Vide D. Thom. q. citata, art. 15. & in ſupplem. q. 15. art. 1. Valentiam tom. 3. diſp. 6. q. 2. p. 4. Card. Bellarm. lib. 1. de Indulg.

17. Hinc infero, orationem hominis juſti in hac vita nunquam eſſe ſine fructu. Tametſi enim non ſemper impetret, quod petit; nihilominus retinet efficaciam merendi, & ſatisfaciendi. Nam homo juſtus in hac vita, quotieſcunque legitime orat, meretur augmentum gratiæ, & præterea ſatisfacit Deo pro aliqua pœna temporali, cui obnoxius eſt.

18. Et hactenus quidem oſtendi, objectionem adverſarii (quæ §. 6. propoſita eſt) niti falſis principiis, ſeu fundamentis. Nunc eandem in ipſum authorem ſic retorqueo: Quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt: Oratio Calviniſtarum pro abſentibus non eſt ex fide: Ergo peccatum eſt. Minor probatur, quia quidquid fit cum aliqua dubitatione, non eſt ex fide: Oratio Calviniſtarum pro abſentibus fit cum aliqua dubitatione, quia quando orant pro abſentibus, dubitant de illorum ſtatu, an nimirum ſint vivi, ſani, prædeſtinati, an contra mortui, ægroti, reprobi. Ergo non eſt ex fide. Reſpondeant ipſi.

SECUNDUM ARGUMENTUM
Ex obligatione pœnæ temporalis, quæ ſæpe remanet poſt remiſſam culpam.

19. SEcundum argumentum ſumitur ex eo, quod remiſſa culpa mortali, non ſemper remittatur tota pœna illi debita: Et fundatur in iis principiis: Primum eſt, quod tria maneant ex actu peccati mortalis, poſtquam tranſiit: 1. Culpa. 2. Reatus, ſeu dignitas pœnæ. 3. Pœna ipſa.

20. Alterum, quod culpæ mortali reſpondeat reatus æternæ pœnæ. Eſt autem duplex æterna pœna, una damni, altera ſenſus. Prior conſiſtit in excluſione a regno cœlorum, de qua Apoſtolus 1. Cor. 6. 10. *Iniqui regnum Dei non poſſidebunt*. Poſterior infligitur ab igne infernali, de qua Chriſtus Matth. 25. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*. Nam ſicut is, qui graviter offendit Regem, non excluditur ſolum ab aula regis, ſed etiam carcere, vel alia pœna ſenſibili torquetur; ita, ſervata proportione, de eo, qui Deum graviter offendit, ſtatuendum eſt.

21.

21. Tertium, quod, ſublata culpa mortali, tollatur etiam reatus pœnæ æternæ. Nam culpa mortalis ordinarie tollitur per gratiam juſtificantem. Hæc autem gratia conſtituit hominem dignum vita æterna: Ergo tollit reatum, ſeu dignitatem pœnæ æternæ. Non enim poteſt aliquis ſimul eſſe dignus vita æterna, & pœna æterna; ſimul amicus Dei, & Diaboli. In his tribus principiis facile conſentirent nobiſcum adverſarii.

22. Quartum, quod, remiſſa culpa mortali, & reatu pœnæ æternæ, manet aliquando reatus pœnæ temporalis, ad quam ſubeundam homo, qui jam juſtificatus eſt, obligatur. Quod dupliciter intelligi poteſt. 1. Quod illa pœna temporalis maneat in vindictam, ſeu punitionem peccati præteriti. 2. Quod maneat ad cautelam, & emendationem in futurum. Et quidem Calvinus lib. 3. inſt. c. 4. §. 31. & ſequentibus, fatetur aliquando manere poſteriori ſenſu, non tamen priori. Nos dicimus, etiam priori manere, id eſt, Deum aliquando remittere peccatum mortale, & reatum pœnæ æternæ; ita tamen, ut velit hominem, cui remiſſio facta eſt, punire aliqua pœna temporali, non ſolum, ut cautior fiat in poſterum, ſed etiam in vindictam peccati præteriti, ut juſtitiæ aliquo modo ſatisfiat; Sicut Rex aliquando condonat reo offenſam, & pœnam capitalem, quam meritus eſt; & tamen, ne omnino videatur neglecta juſtitia publica, vult illum per unum, vel alterum annum exilio, vel carcere punire. Sic Deus nobiſcum agit.

23. Quod variis modis probari poteſt. Primo, quia mors, & aliæ calamitates hujus vitæ ſunt pœnæ peccati originalis. Roman. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Et Gen. 2. *Quia comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Et ibidem: *In ſudore vultus tui veſceris pane.* Et iterum: *In dolore paries filios.* Hæc autem pœna manet etiam in iis, quibus peccatum originale per Baptiſmum in novo, vel per aliud remedium in veteri Teſtamento remiſſum eſt. Quod autem proprie ſit pœna in vindictam peccati originalis, fatetur Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 1. §. 4. his verbis: *Quia vero non leve dictum, ſed deteſtabile fuiſſe ſcelus oportet, quod tam ſevere ultus eſt Deus, ſpecies ipſa peccati in lapſu Adæ conſideranda nobis eſt, quæ horribilem Dei vindictam accendit in totum humanum genus.* Ubi duæ particulæ, *Severe ulciſci, & horribilis vindicta*, non ſignificant cautelam in futurum, ſed punitionem, ſeu juſtam vindictam peccati jam ante commiſſi.

24. Secundo, probatur exemplo Moyſis, & Aaron, qui propter peccatum incredulitatis, quod illis remiſſum erat, adhuc puniti

ſunt morte corporali, Numer. 20. 12. *Dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Et Deuter. 32. v. 48. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Aſcende in montem iſtum, & morere, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus, quia prævaricati eſtis contra me, in medio filiorum Iſrael.* Quid clarius? Ideo puniuntur, quia prævaricati ſunt.

25. Tertio, exemplo filiorum Iſrael, qui in deſerto Sinai, abſente Moyſe, vitulum aureum adoraverunt, ut habetur Exodi 32. De quibus hæc certa ſunt: primo, quod Deus voluerit totum populum penitus delere, & extinguere propter hoc peccatum. (v. 10. *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.*) Secundo, quod ad Moyſis interceſſionem placatus fuerit, ut non deleret totum populum. (v. 14. *Placatuſq; eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* Et Pſ. 105. verſ. 23. *Et dixit, ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus.*) Tertio, quod nihilominus ex toto populo 23. millia hominum propter hoc peccatum interfecta ſint. (v. 18. *Feceruntq; filii Levi juxta ſermonem Moyſis, cecideruntque in die illo quaſi viginti tria millia hominum.*) Quarto, quod Moyſes pro reliquis, qui adhuc ſupererant, deprecatus ſit, ut dimitteretur illis hoc peccatum. (verſ. 31. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.*) Quinto, quod Deus quidem dimiſerit illis hoc peccatum, ſed tamen adjecerit: *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* Unde ſequitur, poſt remiſſam culpam adhuc fuiſſe reſervatam pœnam temporalem; non ad cautelam, ſed ad vindictam, ut clare conſtat ex illa particula, *in die ultionis.*

26. Quarto, exemplo totius populi Iſraelitici, qui poſtea murmuraverat contra Deum. Omnes enim, excepto Caleb, & Joſue, qui non murmuraverant, propter hoc peccatum in ſolitudine mortui ſunt, ne ingrederentur terram promiſſionis. Num. 14. 26. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron dicens: Uſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me? Dic ergo eis: Vivo ego, dicit Dominus: In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra. Omnes, qui numerati eſtis a viginti annis, & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſuper quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Joſue filium Nun.* Et tamen veriſimile non eſt, omnes illos fuiſſe mortuos in peccato mortali, ſed aliquos ſaltem peccati illius remiſſionem obtinuiſſe, & poſt remiſſionem, pœnam temporalem exſolviſſe.

27. Quin-

27. Quinto, exemplo Davidis, qui poſt impetratam veniam adulterii, & homicidii, punitus eſt morte filii, quem ex adulterio ſuſtulerat. Quod autem punitus ſit in vindictam peccati præteriti, patet ex illo 2. Reg. 12. 13. *Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixit Nathan ad David: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen, quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Ubi conſiderandæ ſunt duæ particulæ. Una eſt, *Deus tranſtulit peccatum tuum*, id eſt, condonavit tibi culpam. Altera, *Veruntamen, quia peccaſti, morietur filius tuus*, id eſt, tametſi condonaverit tibi culpam, exigit tamen pœnam. Magna enim pœna parentis eſt, privari filio, quem diligit.

28. Neque ſolum hanc pœnam debuit ſuſtinere, poſt remiſſam culpam, ſed etiam aliam longe graviorem. Quam ibidem denuntiat illi Deus per Prophetam, his verbis: *Ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus. Tu enim feciſti abſcondite: Ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael.* Quod etiam factum, ut habetur 2. Reg. 16. 22.

29. Sexto, exemplo ejuſdem Davidis, qui cum ex ambitione, & ſuperbia curaſſet iniri numerum ſubditorum ſuorum, ideoque Deum graviter offendiſſet, confeſſus eſt coram Deo dicens: *Peccavi valde in hoc facto: Sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui.* (2. Reg. 24. 10.) Nihilominus poſt translatam iniquitatem, dictum eſt illi: *Trium tibi datur optio: elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi: aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certe tribus diebus erit peſtilentia in terra tua.* Ecce proponitur illi triplex pœna, ut unam eligat. Elegit tertiam: & mox ſpatio tridui ſeptuaginta millia virorum peſte conſumpta ſunt.

30. Septimo, ex Auguſtino tract. 124. in Joannem, ubi ait: *Hanc itaque vitam, de qua ſcriptum eſt, Nunquid non tentatio eſt vita hominis ſuper terram? cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis: quamvis ut in eam veniret miſeriam, primum fuerit cauſa peccatum. Productior eſt enim pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc, vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitium neceſſariæ pœnitentiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa.* Et in enarratione Pſal. 50. circa illum ver-

ſiculum, *Ecce enim veritatem dilexiſti*, ſic ſcribit, *Veritatem dilexiſti, id eſt, impunita peccata eorum, etiam quibus ignoſcis, non reliquiſti*. Et ibidem: *Confitenti ignoſcis, ſed ſeipſum punienti. Ita ſervatur miſericordia, & veritas: Miſericordia, quia homo liberatur: Veritas, quia peccatum punitur*.

31. Octavo, ex conceſſione Calvini, qui tametſi lib. 3. inſtitut. cap. 4. §. 31. & ſequentibus, aliter ſentiat, ut ſupra dixi, tamen cap. 8. §. 6. idem dicit, quod nos dicimus. Verba illius ſunt hæc: *Adde, quod non modo infirmitatem noſtram prævenire, ſed præterita etiam delicta ſæpe corrigere, neceſſe habet clementiſſimus Pater. Proinde, quoties affligimur, ſubire protinus in mentem debet anteacta vitæ recordatio: ita procuIdubio reperiemus nos admiſiſſe, quod dignum ejuſmodi caſtigatione eſſet*.

32. Ex dictis concludo: Sæpe contingit, ut homo, qui peccavit mortaliter, in juſtificatione liberetur a culpa mortali, & conſequenter a reatu pœnæ æternæ: & tamen maneat obnoxius alicui pœnæ temporali, ut hactenus probatum eſt: Ergo, ſi antequam exſolvat illam pœnam temporalem, decedat ex hac vita, debebit illam exſolvere poſt hanc vitam. Non autem exſolvit illam in cœlo, ubi nulla eſt pœna, nec in inferno, ubi non eſt temporalis pœna, ſed æterna: Ergo in Purgatorio.

33. Multa ſolent objici contra hanc doctrinam, partim a Scholaſticis Theologis, exercitii cauſa, partim ab adverſariis, qui a nobis diſſentiunt. Ac primo Scholaſtici ſic objiciunt: Sublata cauſa, tollitur effectus: Sed culpa eſt cauſa pœnæ: Ergo, ſublata culpa, tollitur pœna. Reſpondeo: In culpa tria ſpectanda ſunt, nempe macula, offenſa, & injuria. Macula reſpicit ipſum peccatorem, & ſignificat turpitudinem, ſeu fœditatem peccati, quæ eſt in anima peccatoris. Offenſa, ſeu inimicitia reſpicit amicitiam Dei, quia homo, quando peccat, offendit Deum, & lædit amicitiam Dei. Injuria reſpicit jus divinum, quia Deus, cum ſit ſupremus Dominus, habet jus, ut ejus legi obediatur. Hoc jus violat peccator, quando facit contra legem Dei, & ſic injuriam illi irrogat.

34. Jam ergo reatus pœnæ non oritur præciſe ex macula, quæ eſt quædam animæ peccatricis turpitudo; nec ex offenſa, qua Dei amicitia læditur: ſed ex injuria, quæ Deo facta eſt a peccatore, quando ipſius jus violavit, tranſgrediendo illius mandatum.

35. Porro hæc tria non eodem modo tolluntur. Macula tollitur per infuſionem gratiæ juſtificantis. Sicut enim macula eſt quædam fœditas animæ: ſic gratia eſt quidam nitor, ſeu pulchritudo, quæ animam in ſe reddit pulchram, & ornatam. Offenſa

tolli-

tollitur per eandem gratiam. Nam gratia non ſolum ornat animam, ſed etiam Deo gratam, amabilemque efficit, ac in priſtinam amicitiam reſtituit. Injuria tolli poteſt duobus modis. 1. Per liberam condonationem, quam Deus non ſemper præſtat, ut exemplis ſcripturæ oſtenſum eſt. 2. Per aliqualem ſatisfactionem, ſeu compenſationem, quam Deus exigit.

36. Hinc patet, fieri poſſe, ut ſublata macula, & offenſa, non ſtatim tollatur injuria, quia Deus poteſt, etiam ab homine jam in gratiam reſtituto, exigere aliquam ſatisfactionem temporalem pro injuria facta: Sicut Pater, qui filium recipit in gratiam, ſolet ab eo expoſcere pœnam aliquam arbitrariam pro compenſatione injuriæ ſibi illatæ. Sic fecit David filio ſuo Abſalom. Cum enim Abſalom propter necem fratri illatam graviter offendiſſet Davidem, & tandem interceſſione mulieris Thecuitis fuiſſet ipſi reconciliatus, debuit pro aliquali ſatisfactione per duos annos privari conſpectu ſui parentis, quem offenderat. (2. Reg. 14. 28.)

37. Adverſarii hæc potiſſimum objiciunt. Primo, ſcriptura docet, Deum ita remittere peccatum, ut illius non amplius recordetur. Ezechielis 18. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* At recordaretur, ſi poſt remiſſam culpam, adhuc pœnam, vel ſatisfactionem expoſceret. Secundo, ſcriptura docet remiſſionem peccatorum eſſe gratuitam. (Rom. 3. 24.) At non eſſet gratuita, ſi ex parte noſtra opus eſſet aliqua compenſatione. Tertio, ſcriptura docet, Chriſtum cumulatiſſime ſatisfeciſſe pro peccatis totius mundi. (Rom. 5. 20.) Ergo non ſolum ſatisfecit pro culpa, ſed etiam pro pœna. Nulla ergo ſupereſt luenda pœna poſt remiſſam culpam. Quarto, ipſi Catholici docent, ſatisfactionem Chriſti eſſe infiniti valoris, ac pretii. Ergo omne debitum per illam ſublatum eſt, non ſolum culpæ, ſed etiam pœnæ. Quinto fieret injuria Chriſto, ſi Deus accepta ab illo ſufficientiſſima ſatisfactione, nollet nobis condonare totum debitum, niſi accederet etiam noſtra ſatisfactio.

38. Reſpondeo: ſi valerent hæc argumenta, everterent omnia exempla ſcripturæ, quibus antea probatum eſt, ſæpe fieri, ut remiſſa culpa, maneat perſolvenda aliqua pœna temporalis. Et contra ſcripturam liceret iiſdem uti, hoc modo: Primo: Scriptura docet, Deum ita remittere peccatum, ut illius non amplius recordetur. Quare ergo recordatus eſt peccati Davidis, & poſt remiſſam culpam punivit illum pœna temporali? Secundo, ſcriptura docet, remiſſionem peccatorum eſſe gratuitam: Cur ergo

David accepta gratuita remiſſione, debuit ſubire adhuc ſatisfactionem temporalem? Tertio, ſcriptura docet, Chriſtum cumulatiſſime ſatisfeciſſe pro peccatis totius mundi: nec ſolum pro culpa, ſed etiam pro pœna. Cur ergo David pœnam ſuſtinuit? Quarto, ſatisfactio Chriſti fuit infiniti valoris: Ergo omne debitum per illam ſublatum eſt. Cur ergo debitum pœnæ exigitur a Davide? Quinto, Deus pater accepit ſufficientiſſimam ſatisfactionem a Chriſto: Ergo injuriam illi facit, quod non contentus ipſius ſatisfactione, etiam a Davide petat ſatisfactionem.

39. Vides, ut opinor, quomodo argumenta adverſariorum non minus oppugnent ipſam ſcripturam, quam noſtram doctrinam. Vel ergo firma, vel infirma ſunt. Si firma, valent contra ſcripturam, quod abſit. Si infirma, non valent contra nos, quod veriſſimum eſt. Et hoc ſpeciatim oſtendam, ad ſingula ſeorſim reſpondendo. Igitur ſic reſpondeo.

40. Ad 1. Quando impius agit pœnitentiam, tunc Deus non recordatur peccatorum ipſius, quoad pœnam æternæ damnationis, quæ illi debebatur, ut inſinuat Apoſtolus Roman. 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Solet tamen aliquando recordari quoad pœnam temporalem, ut ipſemet fatetur Exod. 32. 34. *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum*. Et huc ſpectant omnia exempla, quæ ſuperius allata ſunt. Vide Valentiam tom. 1. diſp. 6. q. 17. p. 5. ad 1.

41. Ad 2. Remiſſio peccatorum eſt gratuita quoad culpam, & reatum pœnæ æternæ. Nam Deus gratis confert homini gratiam juſtificantem, per quam conſtituitur amicus Dei, & hæres vitæ æternæ. Non tamen gratis condonat pœnam temporalem, ut patet in exemplis ſupracitatis. Et hoc ſpeciatim confirmat Auguſt. exemplo Davidis, qui, accepta gratuita peccati remiſſione, nihilominus temporaliter punitus eſt. Sic enim ſcribit l. 22. contra Fauſtum, c. 67. *Correptus per Prophetam, dixit, Peccavi; continuoque ad hoc unum verbum audire meruit, quod acceperit veniam. Ad quam rem, niſi ad æternam ſalutem? neque enim prætermiſſa eſt in illo, ſecundum Dei comminationem, flagelli paterni diſciplina, ut & confeſſus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Haud vero mediocre fidei robur fuit, aut parvum mitis, & obedientis animi indicium, cum audiſſet a Propheta, quod ſibi Deus ignoviſſet, cum tamen, quæ fuerat comminatus, conſequenter eveniſſent, non ſe dicere Prophetæ deceptum eſſe mendacio, nec murmurare adverſus Deum, quaſi falſam peccatorum ejus indulgentiam pronunciaverit*. Vide Valentiam loc. cit. ad 2.

42. Ad 3. Chriſtus cumulatiſſime ſatisfecit pro peccatis totius mun-

mundi: ſed illa ſatisfactio non prodeſt nobis, niſi applicetur. Debet autem ex Dei diſpoſitione per diverſa media applicari. Et quidem pro tollenda culpa mortali, & reatu pœnæ æternæ, applicatur adultis, partim per Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, partim per proprios actus fidei, ſpei, timoris, & contritionis: infantibus vero per ſolum Baptiſmum. Pro tollenda autem pœna temporali, per noſtram ſatisfactionem, quæ tamen vim habet ex meritis, & ſatisfactione Chriſti. Et hoc inſinuat Apoſtolus Rom. 8. 17. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Secundum adverſarios debuiſſet dicere: *Cohæredes Chriſti*, qui tamen cumulate pro nobis paſſus eſt, ut non neceſſe ſit nos etiam pati. Vide Valentiam ibidem, & Bellarm. lib. 1. de Purgatorio cap. 10. ad 1.

43. Ad 4. Satisfactio Chriſti eſt infiniti pretii, ſed finito modo per media nobis applicata eſt: Alioqui ſimiliter liceret argumentari: Meritum Chriſti, quo nobis meruit dona gratiæ, & vitam æternam, eſt infiniti pretii: Ergo neceſſe non eſt, nos cooperari ad illa dona, & vitam æternam obtinendam. Ut quid ergo quotidie oramus: *Adveniat regnum tuum*? Ut quid oramus: *Dimitte nobis debita noſtra*? Ideo ſcilicet oramus, quia oratio eſt quoddam medium, per quod applicatur nobis mertitum Chriſti: Similiter ergo noſtra ſatisfactio, vel, ut Apoſtolus vocat, *compaſſio*, eſt quoddam medium, per quod applicatur nobis ſatisfacto Chriſti.

44. Ad 5. Deus Pater accepit quidem ſufficientem ſatisfactionem a Chriſto pro nobis, ſed tamen, ut jam dictum eſt, non applicat illam unicuique noſtrum, niſi per media ab illo ordinata. Atque hæc ſufficiant de ſecundo argumento, quo probavimus Purgatorium eſſe poſt hanc vitam, ex eo, quia ſæpe fit, ut peccator, qui Deo reconciliatus eſt, maneat obligatus alicui pœnæ temporali. Si ergo contingat illum ſubito ex hac vita decedere, ut non poſſit eam pœnam hic exſolvere, neceſſe eſt, ut exſolvat poſt hanc vitam.

TERTIUM ARGUMENTUM
Ex peccatis venialibus deſumptum, &c.

45. HOc argumentum nititur tribus principiis. Primum eſt, quod homo juſtus ſæpe committat peccata venialia, quæ non tollunt gratiam, & amicitiam cum Deo, nec merentur æternam damnationem, ut patet ex illo Proverb. 24. 16. *Septies in die cadit juſtus*. Et de his peccatis intelligitur illud Jacobi 3. 2. *In multis offendimus omnes*. Et Luc. 6. 41. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras?* Ubi

peccatum mortale comparatur cum trabe, quæ oculum extinguit, veniale cum feſtuca, quæ non extinguit, ſed leviter lædit. Plura vide infra, c. 14.

46. Alterum eſt, quod homo juſtus aliquando moriatur cum peccatis quibuſdam venialibus, & maneat obnoxius pœnæ temporali, quæ illis peccatis debita eſt: Nam ſæpe fit, ut ſubitanea morte præventus non habeat ſpatium cogitandi, aut dolendi de ſuis peccatis; quod non raro contingit in repentinis conflictibus, in naufragio, apoplexia, ruina ædium, & ſimilibus caſibus.

47. Tertium eſt, quod nemo, qui obnoxius ſit alicui peccato, etiam minimo, poſſit intrare in regnum cœlorum, juxta illud Apoc. 21. 27. *Non intrabit in eam* (civitatem cœleſtem) *aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium*. Cum enim civitas illa ſit ex auro mundo conſtructa, & fundamenta ejus omni lapide pretioſo ornata, ut loquitur ibidem Apoſtolus, æquum eſt, ut nemo, niſi mundus, ingrediatur. Et hoc ſenſu Eccleſia triumphans, quæ in cœlo eſt, dicitur pulchra, ſancta, immaculata. (Epeſ. 5. 27. & Cant. 4. 7.)

48. Ex his principiis ſic concludo: Nullus immundus, aut inquinatus poteſt intrare in regnum cœlorum, niſi prius purgetur, & mundetur: At ſæpe fit, ut homines juſti ex hac vita decedant inquinati peccatis venialibus: Ergo non poſſunt intrare in regnum cœlorum, niſi prius purgentur, & mundentur. Non purgantur autem in hac vita, quia ſuppono eos mori in peccatis venialibus: Ergo ut ſalvi ſiant, neceſſe eſt, poſt hanc vitam eos purgari: Ergo datur aliquod Purgatorium poſt hanc vitam. Vide Aug. ſerm. 1. de SS.

49. Si adverſarii contemnunt hoc argumentum (quod merito non poſſunt) proponam aliquid ex ipſorum principiis deſumptum, a quo non facile ſe expedient. Sunt autem hæc tria illorum principia. Primum, quod peccatum originale maneat in nobis, quamdiu ſumus in hac vita, neque per Baptiſmum tollatur. Ita Calvinus lib. 4. Inſt. c. 15. §. 10. Et in Antidoto Conc. Trid. ſeſſ. 5.

50. Alterum, quod hoc peccatum originale nihil aliud ſit, quam *pravitas naturæ*, hoc eſt, *cæcitas mentis, & averſio voluntatis, & appetitionum omnium a Deo, cum reatu mortis æternæ*, ut definit David Paræus Calviniſta in ſuis Theſibus de peccato, theſi 18. Qui deſumpſit ex Calvino lib. 2. inſtit. cap. 1. §. 8. ubi inter cætera, ſic ait: *Videtur ergo peccatum originale hæreditaria naturæ noſtræ pravitas, & corruptio, in omnes animæ partes diffuſa, quæ facit reos iræ Dei, &c.*

51. Tertium, quod omnia juſtorum opera vitientur, & contaminen-

nentur ex contagione peccati originalis, quod ſemper in ipſis manet in hac vita: ac proinde, quod omnia ipſorum opera ſint inquinamenta, ſordes, & mera iniquitas. Ita Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 1. 6. ubi ait: *Vitioſitas peccati originalis, quæ in nobis inhæret, deformat coram Deo quidquid a nobis operum prodit*. Et libro 3. inſtitut. capite 12. §. 4. *Omnia omnium opera nihil ſunt, niſi inquinamenta, & ſordes: quæ juſtitia vulgo habetur, ea apud Deum mera eſt iniquitas*.

52. Ex his Calviniſtarum principiis concludo in hunc modum: Nullus immundus, aut inquinatus poteſt intrare in regnum cœlorum, niſi prius purgetur, & mundetur: At Calviniſtæ, quamdiu hic vivunt, ſunt immundi, & inquinati propter peccatum originale; & omnia illorum opera ſunt inquinamenta, ſordes, & mera iniquitas apud Deum, ut ipſimet fatentur: Ergo non poſſunt intrare in regnum cœlorum, niſi prius purgentur, & mundentur. Non purgantur autem in hac vita, quia ſemper manent obnoxii peccato originali: Ergo ſi ſalvi eſſe velint, poſt hanc vitam purgari neceſſe eſt. Ergo datur aliquod Purgatorium pro Calviniſtis poſt hanc vitam: Vel ſi non datur, omnes inferno deſtinati ſunt.

53. Non video, quomodo vim hujus argumenti poſſint evadere, ſi ſua principia, ex quibus deductum eſt, tueri velint. Nam ſi peccatum originale manet in ipſis, quamdiu hic vivunt, non poſſunt ab eo, niſi poſt hanc vitam, purgari. Vel ergo tunc purgantur, vel non. Si purgantur, Purgatorium habent, quod contendimus. Si non purgantur, manent inquinati, & rei æternæ mortis, quod ipſi nolunt.

54. Mihi tamen occurrunt tria effugia, quæ in ipſorum gratiam excogitari poſſunt. Primum eſt, ſi dicant, ſe quidem nec in hac vita, neque etiam poſt hanc vitam, ſed in ipſo mortis articulo, & quaſi per ipſam mortem purgari a peccato originali, aliiſque ſordibus, & inquinamentis, quibus pleni ſunt: & ſic ulteriori Purgatorio opus non eſſe: Sed fruſtra. Nam ſi mors haberet hanc vim, omnes homines, etiam infideles mundarentur a ſuis peccatis per mortem, & ſic omnes ſalvi fierent. Hoc autem falſum eſt. Ergo mors non habet hanc vim purgandi. Aliud ergo Purgatorium quærendum eſt.

55. Alterum, ſi dicant peccatum originale tolli in morte, non quod ipſa mors per ſe, ſed potius quod fides morientium habeat vim tollendi peccata. Neque hoc recte. Primo, quia ſine ullo fundamento aſſeritur. Probent ipſi ex ſcriptura (ex

qua

qua omnia ſuâ probare volunt) hunc effectum promiſſum eſſe fidei morientium. Addo, ſæpe fieri, ut in articulo mortis nullus ſit actus fidei, quia vis morbi ſæpe tanta eſt, ut omnem rationis, & intelligentiæ uſum abſorbeat. Et ſane ſi fides morientium, cur non ſimiliter viventium præſtare id poſſit? Denique quæ hæc temeritas eſt, negare peccatum originale tolli per Baptiſmum, quod Scriptura, & Patres affirmant: & contra aſſerere tolli per fidem morientium, quod neque ex Scriptura, neque ex Patribus probari poteſt?

56. Tertium, ſi dicant, non opus eſſe, ut tollatur peccatum originale, ſed ſufficere, ut non imputetur: Non imputari autem fidelibus, qui ad vitam æternam prædeſtinati ſunt. Sed ſi hoc dicant, conſequenter fateri debent, a fidelibus non tolli cæcitatem mentis, averſionem voluntatis a Deo, & reatum pœnæ æternæ. An ergo dicendum eſt, Calviniſtas, qui in cœlo ſunt, eſſe cæcos mente, averſos a Deo, reos æternæ damnationis, tametſi hoc ipſis non imputetur? Reſpondeant ipſi.

QUARTUM ARGUMENTUM

Ex Scriptura, & Patribus.

57. EX Scriptura ſolent varia teſtimonia adferri ad probandum Purgatorium. Ego pauca proponam, & ſimul notabo authores, qui hujuſmodi teſtimoniis uſi ſunt. Primum eſt Matth. 12. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ex quo colligitur, aliqua eſſe peccata, quæ remittuntur in futuro ſæculo, ut argumentatur Auguſtin. lib. 21. de Civit. Dei, cap. 24. Maldonatus in comment. illius loci, Bellarminus lib. 1. de Purgatorio, cap. 4. Valentia de Purgatorio, cap. 3. & alii paſſim.

58. Secundum Luc. 23. 42. *Dicebat latro ad Jeſum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Quod ſane non dixiſſet, niſi putaſſet, Chriſtum poſſe ipſi poſt hanc vitam peccata remittere: Alioqui dixiſſet: Memento mei, antequam moriamur ambo in cruce. Hoc teſtimonio utitur Auguſtinus lib. 6. contra Julianum cap. 15. Maldonatus in cap. 27. Matth. v. 44. Bellarmin. loc. cit. Vide infra in 2. objectione.

59. Tertium, 1. Cor. 3. 15. *Ipſe autem ſalvus erit: ſic tamen quaſi per ignem.* Quod de igne Purgatorio interpretatur idem Auguſt. in Pſal. 37. ſtatim poſt initium, ubi ſic Deum alloquitur: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne*

gne non ſit opus, propter illos, qui ſalvi erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Quare? niſi quia hic ædificant ſupra fundamentum, ligna, fœnum, ſtipulam. Ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretioſos, & de utroque igne ſecuri eſſent: non ſolum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus eſt impios, ſed etiam de illo, qui emundabit eos, qui per ignem ſalvi erunt. Et ſer. 41. de ſanctis, qui eſt quartus de animab. fidel. *Illo enim tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus, Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur.* Et ibidem: *Tamdiu in illo igne purgatorio moras habebimus, quamdiu ſupradicta peccata minuta, tanquam ligna, fœnum, ſtipula conſumantur.* Et libro quinquaginta homiliarum, hom. 16. quæ eſt de reſurr. Domini. *Hæc pæna illos manebit, qui amiſſo, & non reparato per pænitentiam Baptiſmo in æternum peribunt. Ad quos dicitur: Paleas autem comburet igne inextinguibili. Hi vero, qui temporalibus pænis digna geſſerunt (de quibus Apoſtolus dicit: Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit: ſic tamen quaſi per ignem) per fluvium igneum tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranſeundi mora.* Et Ambroſ. in prim. Corinth. 3. *Oſtendit ſalvum illum quidem futurum, ſed pænas ignis paſſurum, ut per ignem purgatus fiat ſalvus, & non ſicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur.* Ex recentioribus videri poſſunt Bellarminus, & Valentia, loco citato, Cornelius de Lapide in commentario, & alii paſſim.

60. Quartum, 1. Corinth. 19. 29. *Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? Ut & quid baptizantur pro illis?* Ubi baptizari pro mortuis idem eſt, quod ſpontaneas afflictiones ſuſcipere pro defunctis orando, jejunando, corpus caſtigando, ut e Purgatorio liberentur. Sic explicant Ephrem, Dionyſius, Hugo, & alii, quos ſequitur Bellarminus, & Cornelius. Plura Patrum teſtimonia invenies apud authores citatos.

OBJECTIONES CONTRA PURGATORIUM.

61. PRæter objectiones, quæ contra duo priora noſtra argumenta allatæ ſunt, ſuperſunt duæ aliæ, quæ ab adverſariis paſſim inculcantur. Prima eſt: Scriptura docet, duo tantum eſſe loca animarum poſt hanc vitam; alterum beatitudinis in cœlo; alterum damnationis in inferno, Matth. 25. 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Reſpondeo.

deo. Poſt diem extremi judicii erunt tantum duo iſta loca, ut bene obiicitur. At nunc, ſicut etiam in veteri teſtamento, plura ſunt. Hoc fatetur Calvinus in Pſychopannychia, ubi aſſerit Sanctos veteris Teſtamenti carcere fuiſſe concluſos, & redemptionem Chriſti expectaſſe.

62. Addo, ſi duo tantum eſſent loca, dicant, obſecro, Adverſarii, in quo loco fuerint animæ eorum, qui poſt mortem iterum ad vitam reſuſcitati ſunt? Quo pacto ab Helia reſuſcitatus eſt filius viduæ Sareptanæ? (3. Reg. 17. 20.) Ab Heliſæo vivente filius Sunamitidis? (4. Reg. 13. 21.) A Chriſto filia Jairi, Principis Synagogæ? (Luc. 8. 54.) Et filius Viduæ in Naim? (Lucæ 7. 15.) Et Lazarus in Bethania? (Joan. 11. 43.) Ab Apoſtolo Petro, Tabitha? (Actor. 9. 4.) A Paulo Eutychus adoleſcens? (Actor. 20. 10.) Denique tempore paſſionis Chriſti *monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*, (Matth. 27. 52.) Ubi, inquam, animæ horum fuerunt, antequam ad vitam revocarentur? Non in loco damnationis, quia ibi nulla eſt redemptio. Nec in loco beatitudinis, quia alioqui non fuiſſet beneficium, ſed pœna, ſi ex cœleſti beatitudine debuiſſent redire ad hanc vitam mortalem. Supereſt ergo fuiſſe in alio loco, qui ab utroque diſtinguebatur.

63. Secunda objectio. Scriptura docet, juſtos poſt hanc vitam ſtatim admitti ad cœleſtem beatitudinem, nulla facta mentione Purgatorii. Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Et 2. Cor. 5. 1. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis*. Et Phil. 1. 23. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Apoc. 14. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos*. Et Pſal. 126. 3. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini*.

64. Reſpondeo 1. generatim. Juſti in novo Teſtamento, qui nihil purgandum habent, ſtatim poſt hanc vitam admittuntur ad beatitudinem, quod non fiebat in veteri Teſtamento, quando cœlum adhuc erat clauſum. Qui autem habent aliquid expiandum, ſalvantur quidem ſuo tempore, ſed tamen *quaſi per ignem*, ut ex Apoſtolo, & Auguſtino dictum eſt.

65. Deinde ſpeciatim ad ſingula. Ac primo illud, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, fuit ſingulare privilegium conceſſum latroni, cui Chriſtus liberaliſſime omnia peccata condonavit, ſine ulteriore obligatione pœnæ temporalis, excepta ſola morte, quæ omnibus communis eſt. An hinc colligent adverſarii, omnes la-

tro-

trones, qui ſuſpenduntur, mox ad Paradiſum invitari? aut omnes maleficos, qui ſemper flagitioſe vixerunt, in ultimo mortis articulo ad pœnitentiam ſubito converti? Non ita res habet. Unum exemplum non debet trahi in communem legem.

66. Addo, quod ſupra monui, ex hoc ipſo loco potius confirmari purgatorium, quam deſtrui. Nam latro iſte, de quo agimus, cum jam morti vicinus eſſet, & ex una parte ſua peccata perpenderet, & ex altera, Chriſtum eſſe Dominum, & Salvatorem firmiſſime crederet; rogavit illum his verbis: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum*, ideſt, Domine, jam quidem ambo morimur in cruce, tu innocens, ego reus; ſed rogo te, ut poſt mortem utriuſque, cum jam regnum tuum poſſidebis, digneris mei eſſe memor, & peccata mea condonare. Hoc ſane non dixiſſet, niſi certo putaſſet, etiam poſt hanc vitam peccata condonari poſſe, ut recte advertit Auguſt. loc. ſupra cit. Chriſtus ergo liberaliter illi reſpondit; *Hodie mecum eris in Paradiſo*, q. d. Non differam illud beneficium, quod a me petis, in futurum tempus: ſed jam omnia tibi peccata condono, ac ſimul promitto, quod hoc ipſo die futurus ſis mecum in ſtatu beatitudinis.

67. Illud autem, *Si terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis*, veriſſime ab Apoſt. dictum eſt, ſed cum iſta limitatione, quæ ſequitur: *Si tamen veſtiti, non nudi inveniamur*: ut notat Bellarminus cap. 8. ad 8. vel certe cum hac: *Sic tamen quaſi per ignum*: ſi aliquid in nobis expiandum ſit.

68. Ex illo etiam, *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, nihil aliud poteſt colligi, quam Apoſtolum habuiſſe magnum deſiderium vivendi cum Chriſto, quod & nos habere poſſumus. Et quidem, ſi omnes tam ſancti, & perfecti eſſemus, quam Apoſtolus fuit, non opus eſſet dilatione, aut purgatorio. Nunc ſæpe aliter res habet, quia non omnes imitantur Apoſtolum, qui de ſe ipſo dixit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*: ac proinde reſervant ſibi pœnam temporalem in Purgatorio luendam.

69. Illud porro, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, &c. nihil adverſatur Purgatorio. Nam in toto illo capite agitur de extremo judicio, in quo illi, qui Antichriſto adhæſerunt, damnandi ſunt ad perpetuos cruciatus; qui autem fortiter illi reſtiterunt, & pro Chriſto mortui ſunt, accepturi æternum præmium.

mium. Unde ſicut de prioribus dicitur: *Fumus tormentorum eorum aſcendit in ſæcula ſæculorum, nec habent requiem die, ac nocte, qui adoraverunt beſtiam, & imaginem ejus*: ita de poſterioribus ſubjicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis* (quos ſcilicet in hac vita perpeſſi ſunt pro Chriſto) *opera enim illorum ſequuntur illos*, ideſt, propter bona opera, quæ fecerunt, accipiunt æternam retributionem. Igitur ex hoc loco ſolum colligitur, poſt diem judicii nullum fore ſtatum, niſi æternæ beatitudinis, & damnationis, quod ultro concedimus. At inde non ſequitur, ante diem judicii non eſſe ſtatum aliquem medium, in quo pœna temporalis expiari poſſit.

70. Denique, ad illud, *cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini*, facilis reſponſio eſt. Nam per ſomnum non intelligitur ibi mors privati cujuſque hominis, ſed tota illa quies corporum, quæ durat ab initio mundi uſque ad communem reſurrectionem. Eſt igitur hic ſenſus: Cum dilecti, ſeu fideles expleverint illam quietem, in qua nunc corpora eorum quaſi ſomno oppreſſa jacent, tunc apparebit hæreditas Chriſti Domini, ideſt, apparebunt omnes electi in ſuis corporibus glorioſis, qui ſunt illius hæreditas, quam ſuo ſanguine acquiſivit. De qua Pſalm. 2. 8. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Et hoc clarius ſignificatur per illam particulam, quæ additur: *Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris*, id eſt, hæreditas Chriſti Domini, quæ tunc apparebit, erunt filii adoptivi, qui ſunt quaſi merces ipſius, quia ſuo labore, & ſanguine eos acquiſivit: particula *fructus* apud Hebræos eſt nominativi caſus: apud Latinos genitivi. Unde ſecundum Hebræos hic eſt ſenſus: Filii adoptivi non ſolum ſunt merces Chriſti, quam lucratus eſt; ſed etiam fructus ventris ipſius, quia ipſe eos genuit. At ſecundum Græcos, eſt hic: Filii adoptivi ſunt merces fructus ventris, ideſt, ſunt merces Chriſti, qui eſt fructus virginei ventris. Vide Bellarminum in commentario illius Pſalmi.

ALTE-

ALTERA QUÆSTIO.

Quis ſit ſtatus animarum in Purgatorio?

1. Quæ de ſtatu animarum in Purgatorio exiſtentium diſputari ſolent, ad duo capita poſſunt revocari. Nam quædam ſunt illis communia cum animabus, quæ olim in limbo Patrum exiſtebant. Alia ſunt illis propria, quæ ad pœnam Purgatorii pertinent. Prioris generis ſunt hæc. Primo, an retineant fidem, ſpem, & charitatem? 2. An per actus fidei, ſpei, & charitatis mereri poſſint? 3. An ita ſint in gratia confirmatæ, ut nequeant amplius peccare, & ſtatum gratiæ peccando amittere? In his eodem modo ſentiendum eſt de animabus in Purgatorio, & Limbo exiſtentibus.

2. Poſterioris generis ſunt hæc. Primo, quam pœnam patiantur in Purgatorio? 2. Quamdiu debeant manere in illa pœna? 3. An juvari poſſint ſuffragiis viventium. 4. An aliquando appareant viventibus? De his dicam per ſequentes Concluſiones.

3. Prima Concluſio. Animæ juſtorum exiſtentium in Purgatorio duplici pœna afficiuntur, una damni, altera ſenſus. Pœna damni in eo conſiſtit, quod debeant carere cœleſti gloria, donec omnino purgatæ ſint. Et quia hæc dilatio contingit illis propter propriam ipſarum culpam, ideo dolent, ac triſtantur, ſe ſua culpa tamdiu excludi a ſtatu beatorum. In quo differunt ab animabus, quæ olim erant in Limbo Patrum. Nam licet dilatio temporis, qua excluduntur a beatitudine, utriſque ſit communis; tamen cauſa dilationis non eſt eadem. Nam in Limbo non erat alia cauſa, quam quia Chriſtus nondum aperuerat januam regni cœleſtis, quæ per peccatum primi parentis erat occluſa. At in Purgatorio, ut dixi, propria cujuſque animæ culpa eſt cauſa dilationis. Si enim in hac vita ſuſcepiſſent ſpontaneas afflictiones pro ſuis peccatis, non opus eſſet poſt hanc vitam hærere in Purgatorio, & determinato tempore excludi a regno cœlorum.

4. Pœna ſenſus in eo conſiſtit, quod patiantur aliquem cruciatum ab igne Purgatorii, qui acerbior eſt, quam ulla calamitas, aut tribulatio hujus vitæ, ut notat Auguſtinus ſermone 41. de Sanctis, circa medium, cum ait: *Sed dicit aliquis: Non pertinet ad me, quamdiu moras habeam, ſi tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres chariſſimi, quia ille Purgatorius ignis durior erit, quam quidquid poteſt in hoc ſæculo pœnarum*

rum videri, aut cogitari, aut ſentiri. Et in Pſalm. 37. ſtatim poſt initium: *Dicitur enim, Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Et quia dicitur, Salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita plane, quamvis ſalvi per ignem; gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita.* Et ratio eſt, quia æquitas poſtulat, ut qui in hac vita neglexerunt agere pœnitentiam pro ſuis peccatis, cogantur poſtea graviorem pœnam ſuſtinere, quam hic ſuſtinuiſſent. Nam in hac vita eſt tempus miſericordiæ, in quo facilius expiantur peccata per jejunia, & alia opera pœnalia: poſt hanc vitam eſt tempus juſtitiæ, in quo rigidius agitur cum illis, qui pœnam meriti ſunt.

5. Secunda Concluſio. Manent autem in illa pœna (niſi aliunde juventur) donec perfecte expiatæ ſint per ſufficientem paſſionem, quæ ſit proportionata reatui pœnæ temporalis, cui obnoxiæ ſunt. Unde ſicut aliæ cum majori reatu pœnæ temporalis, aliæ cum minori veniunt ad illum locum; ſic aliæ citius, aliæ tardius inde liberantur. Hoc docet Auguſtinus l. 50. Homiliarum, hom. 16. *Quanta, inquit, fuerit peccati materia, tanta & pertranſeundi mora.* Et ſermone 41. de Sanctis: *Tandiu in illo Purgatorio igne moras habebimus, quamdiu ſupra dicta peccata minuta, tanquam lignum, fœnum, ſtipula conſumantur.* Et manifeſte colligitur ex Euangelio Matth. 5. v. 25. ubi Chriſtus ait: *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo; ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Hic per adverſarium intelligitur Deus, quem peccator offendit: per judicem, Chriſtus: per carcerem, Purgatorium: per ultimum quadrantem, minutiſſima peccata. Eſt ergo ſenſus: Quandiu es in hac vita, ſatisfacias Deo pro peccatis tuis, dum locus eſt miſericordiæ: quia alias poſt hanc vitam totum debitum, etiam minorum peccatorum, rigidiſſime a te exigetur in Purgatorio. Sic explicat Bellarminus, lib. 1. de Purgatorio, c. 4. & citat pro ſe antiquos Patres, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Euſebium Emyſſenum, Ambroſium, Hieronymum, Bernardum.

6. Tertia Concluſio. Poſſunt vero juvari per ſuffragia viventium, ut citius liberentur ex illa pœna, quam alioqui liberarentur, ſi ſuffragia pro illis non fierent. Sunt autem tria genera ſuffragiorum. 1. Sacrificium Miſſæ. 2. Oratio. 3. Opera quælibet pœnalia, & ſatisfactoria, ut eleemoſynæ, jejunia, peregrinationes, & ſimilia. Pro hac concluſione habemus communem conſenſum aliquorum Patrum, & totius Eccleſiæ, ut affirmat Augu-

guſtinus ſerm. 32. de verbis Apoſtoli, ubi ſic habet: *Orationibus vero Sanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, &c.* Et ibidem: *Cum vero eorum commendandorum cauſa opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitat ſuffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum eſt, iſta prodeſſe defunctis; ſed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut poſſint eis hæc utilia eſſe poſt mortem.* Et alibi ſæpius.

7. Ratio vero duplex eſt. Una ſumitur ex Symbolo fidei, in quo profitemur *communionem Sanctorum*. Altera ex Apoſtolo Paulo, qui ait, *Eccleſiam eſſe unum corpus, cujus Caput eſt Chriſtus*, & omnes fideles, qui in Eccleſia ſunt, eſſe membra illius corporis. (Rom. 12. 5. & 1. Cor. 12. 13.) Unde ſic argumentor: Membra unius corporis, propter arctiſſimam unionem, quam inter ſe habent, ſollicita ſunt pro ſe invicem, & unum alteri ſuccurrit, quando neceſſe eſt, ut diſerte ſcribit Apoſtolus 1. Cor. 12. 26. At nos, & illi, qui in Purgatorio morantur, ſumus membra unius corporis Eccleſiæ, quia utrique adhæremus Chriſto, qui eſt caput illius corporis, & inter nos mutuo per charitatem uniti, ac devincti ſumus: Ergo propter hanc unionem debemus nos mutuo juvare, quando neceſſe eſt, & alii aliis ſuccurrere. Eſt autem maxime neceſſe, ut ſuccurramus illis, qui in Purgatorio detinentur: Ergo, &c. Huc ſpectat illud Auguſtini lib. 20. de Civitate Dei, cap. 9. *Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia: alioqui nec ad altare fieret eorum memoria.*

8. Hoc argumentum, ſicut ex Scriptura ſumptum eſt, ita ex ſcriptura confirmari poteſt. Nam fideles propter hanc unionem, de qua dixi, quatuor modis poſſunt pro ſe invicem eſſe ſolliciti. Primo, viventes pro viventibus, quo pacto Paulus Apoſtolus ſollicitus erat pro Corinthiis, orabat pro Coloſſenſibus, & totum ſe omnibus impendebat. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?* (2. Cor. 11. 29.) Secundo, mortui pro mortuis, quo pacto Abraham recepit Lazarum in ſinum ſuum. (Lucæ 16. 23.) Et Heliſæus mortuus ſuſcitavit alium mortuum. (4. Reg. 13. 21.) Tertio, mortui pro viventibus: quo pacto Onias, & Jeremias viſi ſunt orare pro populo Judæorum. (2. Mach. 15. 12.) Quarto, viventes pro mortuis, quo pacto Judas Machabæus

curavit offerri ſacrificium pro peccatis mortuorum. (2. Machab. 12. 43.)

9. Hæc omnia Chriſtus ſuo exemplo confirmavit, ut bene advertit Bellarminus. Primo, quia vivens ſollicitus fuit pro ſuis Apoſtolis viventibus, ut ex Euangelio notum eſt. Secundo, mortuus deſcendit ad inferos, & ibi mortuos conſolatus eſt, & ex carcere, in quo detinebantur, liberavit, (1. Petri 3. 19.) Tertio, vivens multos mortuos ad vitam revocavit, ut Lazarum, & alios. Quarto, moriens pro viventibus paſſus eſt.

10. Quarta Concl. De apparitione animarum Purgatorii tria potiſſimum diſputari ſolent. 1. An aliquando appareant viventibus? 2. Si apparent, an propria virtute naturali moveant ſe de loco in locum, & ſic ex Purgatorio ad nos veniant? 3. An cum ad nos veniunt, poſſint propria virtute naturali movere res corporeas a ſe diſtinctas, & ſic ſtrepitum excitare, aut januas aperire.

11. Quod ad primum attinet, aliqui cum Tertulliano in libro de anima circa finem, negant ullas animas defunctorum apparere viventibus. Alii rectius affirmant cum Auguſtino in lib. de cura pro mortuis gerenda c. 15. & 16. Et multa ejus rei exempla exſtant apud Gregorium li. 4. Dialogorum cap. 40. & 55. & apud alios authores. Et ſane, ſi anima Samuelis apparuit olim Regi Sauli (lib. 1. Reg. cap. 28.) cur animæ aliorum non ſimiliter poſſint apparere viventibus? Unde Auguſt. loco citato, c. 15. ait: *Mitti quoque ad vivos aliquos ex mortuis, ſicut e contrario Paulus ex vivis in Paradiſum raptus eſt, divina Scriptura teſtatur. Nam Samuel propheta defunctus vivo Sauli futura prædixit.*

12. De altero puncto eſt aliqua difficultas, ſed potius Philoſophica, quam Theologica. Aliqui ex ſectatoribus D. Thomæ generatim docent, animas a corporibus ſeparatas non habere vim movendi ſe localiter; ac proinde vel ab Angelo, ſi bonæ ſunt, vel a Dœmonibus, ſi malæ, ad diverſa loca deportari. Ratio eſt, quia ſi extra corpus poſſent ſe movere de loco in locum, poſſent etiam in corpore, transferendo ſe a capite ad ſolos pedes, vel a pedibus ad ſolum caput; vel etiam relinquendo totum corpus, & transferendo ſe alio, cum ſit par ratio. At conſequens eſt falſum, ergo & antecedens.

13. Nihilominus verior, & communior ſententia eſt, animam rationalem extra corpus poſſe ſe movere localiter, licet in corpore non poſſit. Ratio eſt, quia cum extra corpus eſt, jam non eſt alligata corpori, ſed omnino libera, & expedita. At in corpore,

re, propter realem informationem, qua per naturales qualitates, & diſpoſitiones alligata eſt corpori, non poteſt ſe transferre, ſimul corpus transferendo. Unde ſequitur, ſi in corpore exiſtens poteſt & ſe, & corpus localiter movere, ſicut quotidie facit, multo magis, ſi extra corpus exiſtat, poſſe ſeipſam ſolam movere localiter. Hoc enim non magis difficile apparet, quam illud.

14. De tertio major eſt quæſtio: An anima ſeparata a corpore poſſit naturali ſua virtute res corporeas movere, januas aperire, commovere ſcamna, excitare ſtrepitum, turbare dormientes. Multi affirmant. Primo, quia experientia docet, iſta fieri. 2. Quia naturaliter fieri poſſunt: Nam ſi Angeli ea faciunt, cur non animæ ſeparatæ a corpore? Et ſi ſeipſas movere poſſunt localiter, cur non alia a ſe diſtincta?

15. Nihilominus contrarium tenet D. Thomas in prima p. q. 110. a. 3. ad 3. & q. 117. a. 4. Ratio ejus eſt, quia anima non poteſt naturaliter movere ullum corpus, niſi quod ipſa informat, & vivificat: Sed quando eſt ſeparata a corpore, tunc nullum corpus informat, & vivificat. Ergo tunc nullum poteſt movere localiter. Majorem probat ab effectu, quia anima exiſtens in humano corpore movet quidem illa membra, quæ ſunt viva, ſeu animata, non tamen ea, quæ ſunt mortua. Non enim poteſt movere brachium mortuum, vel putrefactum, niſi ad motum totius corporis, cui connexum eſt. Et tamen poteſt movere brachium vivum, etiamſi reliquum corpus maneat immotum. Ergo ſignum eſt, quod nihil a ſe diſtinctum immediate movere poſſit, niſi ab ipſa informatum, & vivificatum.

16. Hinc colligit, magnum eſſe diſcrimen inter Angelum, & animam rationalem. Nam Angelus eſt ſubſtantia per ſe naturaliter ſubſiſtens, neque ad ullum corpus determinata. At anima ex natura ſua eſt forma informans, & ad certum corpus determinata. Cum ergo virtus motiva debeat eſſe proportionata formæ moventi, omnino ſequitur, Angelum poſſe quodlibet corpus localiter movere, animam vero non niſi illud, ad quod informandum determinata eſt.

17. Quod objicitur de experientia, putat ipſe non tam animas defunctorum, quam potius Dæmones iſta perpetrare, qui, ut miſeros mortales decipiant, fingunt ſe eſſe, quod non ſunt. Sic enim ait q. 117. art. 4. ad 2. *Frequenter Dæmones ſimulant ſe eſſe animas mortuorum, ad confirmandum gentilium errorem,* &c. Et hoc confirmat authoritate duorum Patrum, Auguſtini, & Chryſoſtomi.

N 2 18. Diffi-

18. Difficile eſt judicare inter has duas ſententias. Nam ſi ſemel neges cum D. Thoma, animas a corporibus ſeparatas poſſe quicquam movere localiter, redduntur ſuſpectæ apparitiones, & terrores, qui putantur ab illis fieri. Si cum aliis affirmes, ruit argumentum, quo plerique putant ſe efficaciter probaſſe, Angelos in rerum natura exiſtere. Eſt autem hoc argumentum. Fiunt quidam effectus in energumenis, ſeu hominibus arreptitiis, qui ab alio, quam ab Angelis fieri non poſſunt: Ergo dantur Angeli in rerum natura. Antecedens patet, quia homines arreptitii ſolent loqui variis linguis, blaſphemare, mentiri, futura prædicere. Hæc autem non poſſunt fieri a Deo, qui mentiri, ac blaſphemare non poteſt: Nec ab ipſis arreptitiis, qui videntur iſta facere, quia illi ſæpe ſunt idiotæ, & variarum linguarum minime periti: Ergo neceſſario fiunt a malis Angelis, ſeu Dæmonibus, qui in humanis corporibus iſta operantur: Ergo malos Angelos in rerum natura exiſtere, certum, ac evidens eſt.

19. Hoc, inquam, argumentum ruit, ſi ſemel admittamus, animam a corpore ſeparatam poſſe aliquid movere localiter: quod ſic oſtendo: Ad producendos eos effectus, de quibus dictum eſt, ut ſummum tria requiruntur. Primo, peritia linguarum. 2. Vis movendi inſtrumenta vocis. 3. Voluntas mentiendi, aut male agendi. At hæc tria reperiri poſſunt in anima ſeparata: Ergo anima ſeparata poteſt ejuſmodi effectus producere: Et conſequenter ex ejuſmodi effectibus non neceſſario colligitur, Angelos in rerum natura exiſtere. Minorem probo, quia certum eſt, aliquas animas ſeparatas habere notitiam variarum linguarum, & voluntatem male agendi. Si ergo, præter hæc, habent etiam vim movendi corpora, nihil ipſis deeſt, quominus poſſint ea efficere in energumenis, quæ a Dæmonibus effici putantur. Quomodo ergo evidenter convinci poteſt ex ejuſmodi effectibus Dæmones in rerum natura exiſtere? Sed de hac re plus quam ſatis. Eligat lector, quam velit partem.

EPILOGUS.

20. Conſtat ex iis, quæ dicta ſunt, omnes antiquos Patres in primitiva Ecclesia approbaſſe ſuffragia viventium pro defunctis, ac proinde agnoviſſe Purgatorium. Hoc fatentur adverſarii. Calvinus lib. 3. inſt. cap. 5. §. 10. *Cum*, inquit, *mihi objiciunt Catholici, ante mille, & tercentos annos uſque receptum fuiſſe, ut precationes fierent pro defunctis, eos viciſſim interrogo, quo*

quo Dei verbo, qua revelatione, quo exemplo factum ſit? Et Petrus Martyr in cap. 3. prioris ad Corinth. *Solet nobis objici, Eccleſiam ſemper pro defunctis oraſſe; quod equidem non inficior; ſed aſſero, iſtius facti neque verbi Dei, neque exempli, quod deſumitur ex ſacris litteris, authoritatem habere.*

21. Ex qua confeſſione duo colligo. Unum eſt, quod Adverſarii fateantur ſe recedere a conſenſu, & conſuetudine primitivæ Eccleſiæ, nos vero perſiſtere in doctrina, quam ab Eccleſia primitiva accepimus. Utrum e duobus ſit tutius, judicet Lector ex iis, quæ cap. 3. de infallibili Eccleſiæ authoritate, ex Chriſto, Prophetis, & Apoſtolis dicta ſunt.

22. Alterum, qnod magnam injuriam irrogent Eccleſiæ Chriſti. 1. Quia conſtituunt ſe Judices illius, 2. Damnant eam erroris. 3. Aſſerunt illam ſui facti nullum exemplum habere ex Scriptura. Quod falſum eſt. Nam Auguſtinus, ut ſupra vidimus, producit ex Scriptura exemplum Judæ Machabæi, qui curavit ſacrificium offerri pro defunctis.

CAPUT IX.

DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

1. Adverſarii duplici nomine accuſant hic Catholicos: Primo, quod contra apertam Chriſti inſtitutionem, & mandatum, porrigant Laicis Euchariſtiam ſub una tantum ſpecie. Secundo, quod hac ratione ſacrilegium, & furtum committant: Sacrilegium, quia rem ſacram aliter uſurpant, quam oportet: Furtum, quia privant Laicos altera ſpecie, quæ illis debetur; & conſequenter fructum alterius ſpeciei ſuffurantur. Imo, quod gravius eſt, inquiunt, cum Chriſtus ſub duplici ſpecie panis, & vini, carnem, & ſanguinem ſuum, quaſi Teſtamento nobis legaverit; Catholici, qui Teſtamenti hujus executores eſſe volunt, alteram partem hæreditatis injuſte ſubtrahunt, & ſola carne jubent Laicos eſſe contentos. An non merito querantur Laici? an non ſuo jure ſanguinem dari ſibi poſcant? Hæc illi.

2. Catholici & facillime ſe purgant ab his criminibus, & multo gravius de adverſariis queruntur. Purgatio illorum eſt hæc: Primo, negant exſtare ullum Chriſti præceptum de utraque ſpecie Laicis porrigenda. Fatentur quidem, Chriſtum

præcepiſſe Communionem, non tamen modum communionis ſub una, vel utraque ſpecie: ſed potius reliquiſſe liberum, ut Laici vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie communicarent: Sicut præcepit Baptiſmum; non tamen modum Baptiſmi ſub una, vel trina immerſione. Secundo, negant ullum ſacrilegium, vel furtum intervenire. Nam ſi non exiſtat præceptum de utraque ſpecie, nullum ſacrilegium eſt, unam ſine altera præbere, aut participare. Et rurſum, ſi ſub una ſpecie non minus continetur totus Chriſtus, quam ſub utraque, nec minor fructus percipitur ex una, quam ex utraque (quod poſtea probabimus) nullum furtum, aut detrimentum eſt, unam ſpeciem exhibere ſine altera. Tertio negant, Chriſtum legaſſe nobis Euchariſtiam ſub utraque ſpecie per modum hæreditatis teſtamentariæ. Hoc enim falſum eſt, ut initio hujus operis in ſecundo præludio clare demonſtravi. Hæreditas, quæ novo Teſtamento nobis relicta eſt, non eſt corpus, & ſanguis Chriſti, ſed vita æterna. Hanc totam, & indiviſam optamus omnibus. Nullam illius partem Laicis ſubtrahimus, aut ſuffuramur.

3. At, inquiunt, ſi Chriſtus uſum utriuſque, vel alterius ſpeciei liberum relinquit, ut vos dicitis; quomodo audetis Laicis prohibere utramque ſpeciem? Quod enim jure divino liberum, & licitum eſt, non poteſt jure humano prohiberi, & illicitum fieri. Hanc objectionem diluam ſuo loco. Nunc tantum obiter quæro, an non Chriſtus liberum reliquerit uſum unius, vel trinæ merſionis in Baptiſmo? Ita ſane: Et tamen olim in Concilio Toletano 4. Can. 5. prohibita eſt trina merſio, & conceſſa una. Si hoc bene, cur alterum male? ſed de hoc plura concluſione 9.

4. Jam Catholicorum contra Adverſarios querelam ſic explico. In Sacramento Euchariſtiæ juxta Chriſti inſtitutionem, & antiquorum Patrum conſenſum hæc tria ſpectari poſſunt. Primo, ſymbola externa, ſeu ſpecies ſacramentales. *Accepit panem, & calicem*. Secundo res ſub iis contenta, nempe corpus, & ſanguis Chriſti. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*. Tertio fructus, qui inde percipitur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. Calviniſtæ hæc omnia perdiderunt, præter nuda ſymbola panis, & vini. His ſolis jubent Laicos eſſe contentos. Carnem & ſanguinem Chriſti tanto intervallo dicunt abeſſe ab iis Symbolis, quanto abeſt cœlum a terra. Et ſi caro, & ſanguis Chriſti ibi non eſt, quis fructus inde percipi poteſt? Lutherani faten-

fatentur quidem adeſſe Chriſtum, ſed mortuum. An non mortuum cenſent, qui objiciunt Catholicos ſolam carnem ſine ſanguine exhibere Laicis? Qui putant ſub una ſpecie dimidium Chriſtum, ſub altera reliquam ejus partem contineri?

5. Utrique merito arguendi: Calviniſtæ, quia carnem, & ſanguinem Chriſti tollunt e Sacramento; & tota hæreditate (ut ipſi vocant) diſſipata, præter nudas tabulas, nihil relinquunt Laicis: Lutherani, quia non viventem, & integrum, ſed mortuum, & diſſectum Chriſtum Legatariis diſtribuunt: ejuſque dimidiam partem ſub ſpecie panis, reliquam ſub ſpecie vini, ſeorſim ſumi a Laicis arbitrantur. Et tamen utrique, tam Lutherani, quam Calviniſtæ, poſteaquam rem ipſam ſacrilege diſſiparunt, de ſolis ſymbolis litem nobis intendunt. Perinde ſane ac illi, qui abſumpto patrimonio, de nudiis codicillis altercantur.

6. Cæterum, quia mihi propoſitum non eſt, Adverſariorum crimen, & miſeriam perſequi, ſed Catholicorum ſententiam tueri, & explicare, revocabo illam ad paucas concluſiones, quas hic breviter ob oculos proponam, ut uno quaſi aſpectu videri poſſint. Deinde ſingulas ſeorſim probabo. Spero fore cum Dei gratia, ut Lector perſpicue intelligat, Catholicos cum Chriſti, Apoſtolorum, & Eccleſiæ primitivæ ſenſu, ac doctrina optime conſpirare. Sint autem hæ concluſiones.

1. Aliud eſt inſtitutio divina, aliud præceptum divinum.

2. Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, non tamen præcepit omnibus uſum utriuſque ſpeciei.

3. Imo, uſum unius ſpeciei tum verbo, tum facto ipſe approbavit.

4. Quod etiam fecerunt Apoſtoli.

5. Et poſt Apoſtolos alii uſque ad noſtra tempora.

6. Et recte. Nam ſub una ſpecie non minus continetur totus Chriſtus, quam ſub utraque.

7. Nec minor fructus percipitur ex una, quam ex utraque, cæteris paribus.

8. Aliunde poſſunt eſſe legitimæ cauſæ, cur potius ſub una, quam ſub utraque Laici communicent.

9. Propter quas etiam ſtatutum eſt ab Eccleſia, ut ſub una deinceps communicarent.

His explicatis, diſſolvam objectiones Adverſariorum, quarum aliæ ex Scripturis, aliæ ex Patribus, aliæ aliunde deſumptæ ſunt. Et tandem concludam, merito in Catholicorum ſententia perſiſtendum eſſe.

CONCLUSIO PRIMA.

Aliud eſt inſtitutio divina, alìud præceptum divinum.

7. Video non paucos errare. Putant idem eſſe inſtitutionem divinam, & præceptum divinum. Quare, cum communio ſub utraque ſpecie a Chriſto inſtituta ſit, quod negare non poſſumus, conſequenter putant, etiam præceptam eſſe. At non ita res habet. Aliud eſt inſtitutio, aliud præceptum. Multa a Deo inſtituta ſunt, quæ tamen omnibus præcepta non ſunt, ut Matrimonium, Ordo Eccleſiaſticus, prædicatio Euangelii, officium baptizandi, & plura alia. Non enim tenentur omnes ex præcepto divino inire matrimonium, ſuſcipere Ordines Eccleſiaſticos, prædicare Euangelium, baptizare Catechumenos: Unde ſicut hæc conſequentia non valet: Matrimonium a Deo inſtitutum eſt: Ergo omnibus præceptum eſt: ita ſimiliter hæc non valet: Communio ſub utraque ſpecie a Chriſto inſtituta eſt: Ergo omnibus præcepta eſt.

8. Dices: Hæc exempla bene oſtendunt, non omnes teneri ad ea uſurpanda, quæ a Deo inſtituta ſunt: nihilominus ſi quis ſponte velit ea uſurpare, tenetur id facere ſecundum inſtitutionem divinam. Itaque videtur ſervanda hæc regula. Quamvis jure divino non teneantur omnes inire matrimonium, ſuſcipere ſacros Ordines, prædicare Euangelium, baptizare Catechumenos: ſi quis tamen velit ſponte aliquid iſtorum facere, tenetur facere eo modo, quo Deus inſtituit. v. g. Si quis velit alterum baptizare, tenetur aqua illum abluere, & pronunciare hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Sic enim Chriſtus inſtituit. Unde qui ſecus fecerit, non modo peccat, ſed etiam nihil agit. Idem eſt de cæteris. Ergo ſimiliter, ſi quis velit communicare, tenetur id facere ſub utraque ſpecie, quia Chriſtus ſic inſtituit: Si aliter facit, & peccat, & fructum Sacramenti non percipit.

9. Reſpondeo. Si illa regula ſumatur generatim abſque ulla limitatione, ſine dubio falſa eſt, quod etiam Adverſarii debent fateri. Hoc oſtendo in exemplis allegatis. Deus in inſtitutione matrimonii e coſta viri dormientis formavit mulierem, & eam in Paradiſo illi conjunxit. An ideo neceſſe eſt, quotquot matrimonium ineunt, ut a ſuis coſtis forment ſibi ſponſas, & conjuges? Nihil minus. Et Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ, veſperi poſt ſumptam cœnam, & lotis Diſcipulorum pedibus, accepit panem,

panem, & calicem, & facta conſecratione, porrexit diſcumbentibus. An ideo tenentur omnes veſperi poſt ſumptam cœnam, & lotis pedibus communicare? Ne adverſarii quidem id poſtulant.

10. Itaque regula ſuperius allata limitanda eſt, & diſtinctio adhibenda. Nam in iis, quæ a Deo inſtituta ſunt, duo ſpectari poſſunt. Primo, ipſorum ſubſtantia, & eſſentia. Si quis ergo velit uſurpare aliquod Sacramentum a Deo inſtitutum, tenetur adhibere omnia, quæ ad illius ſubſtantiam, & eſſentiam pertinent, reliqua non item. v. gr. ad ſubſtantiam, & eſſentiam Baptiſmi pertinent hæc duo, ablutio externa, quæ fit per aquam, & forma verborum, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Sine his non perficitur Baptiſmus. Cætera ſunt extrinſeca, ut quod ablutio fiat una, vel trina immerſione; aqua fluminis, vel ſtagnante; ante, vel poſt prandium; item, quod totum corpus abluatur, vel aliqua ejus pars; quod forma verborum Latino, vel alio ſermone proferatur, & ſic deinceps. Igitur ſi infantem perfundas aqua, & pronuncies verborum formam, baptiſmus legitimus eſt, & effectum ſortitur. Nihil autem intereſt, ſemel, an ter abluas; calidam aquam, an frigidam inſpergas; in Jordane, in Rheno; ante vel poſt meridiem id facias. Hæc enim jure Divino determinata non ſunt.

11. Eodem modo res habet in Euchariſtiæ Sacramento. Si ſubſtantiam, & eſſentiam illius ſpectes, non aliud requiritur, quam Chriſtus ſub externo ſymbolo panis, aut vini conſecrati. Si Chriſtus non adſit (ut apud Calviniſtas non adeſt) Sacramentum nullum eſt. Si adſit quidem, non tamen ſub ſymbolo panis, ac vini, ne tunc quidem Sacramentum eſt. Utrumque ergo requiritur, & ſymbolum externum, & Chriſtus illo ſymbolo ſignificatus, & comprehenſus. Perinde autem eſt, unum ſymbolum, an duo ſint. Non minus ſub uno, quam ſub duobus manducatur, & bibitur a fidelibus, ut in progreſſu patebit. (Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 1. 2. & 3.)

CONCLUSIO SECUNDA.

Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, non tamen præcepit omnibus uſum utriuſque ſpeciei.

12. DUo hic aſſerimus ex Tridentino. Unum eſt, Chriſtum ſub utraque ſpecie inſtituiſſe Sacramentum Euchariſtiæ. In hoc conveniunt; & merito; quia verba inſtitutionis clara,

clara, & aperta ſunt. Alterum, Chriſtum non præcepiſſe omnibus uſum utriuſque ſpeciei. Hic diſſentiunt a nobis adverſarii. Urgent illli præceptum. Nos dicimus nullum extare. Hoc dupliciter probamus. Primo, quia adverſarii in tota Scriptura nullum poſſunt invenire. Secundo, quia nos e contrario ſufficienter convincimus unam ſpeciem licite uſurpari poſſe.

13. Prius argumentum ſic propono: Si in Scripturis exſtat aliquod præceptum de utraque ſpecie, vel id colligitur ex ſola inſtitutione, vel aliunde. Neutrum dici poteſt. Non prius, quia, ut dixi, multa ſunt a Deo inſtituta, quæ tamen præcepta non ſunt. Ergo ex ſola inſtitutione non poteſt colligi præceptum. Nec poſterius, quia teſtimonia Scripturæ, in quibus Adverſarii putant contineri præceptum, revera non continent præceptum, ut inſra latius, nunc breviter ſic oſtendo.

14. Adverſarios in hac re habemus triplices, Huſſitas, Lutheranos, & Calviniſtas. Omnes quidem quærunt præceptum, ſed nulli inveniunt. Huſſitæ quærunt in illis verbis Joan.6.54. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. At reclamant Lutherani. Negant toto illo capite vel unum eſſe apicem, qui de Sacramento Euchariſtiæ intelligatur. Ipſi ergo quærunt in illis Lucæ 22.19. *Hoc facite*: Sed repugnat Calvinus: ſolis Eccleſiæ Miniſtris, non laicis id dictum eſſe a Chriſto contendit. Calvinus quærit in iſtis Matth. 26.27. *Bibite ex hoc omnes*. Sed ad ſolos Apoſtolo ea pertinere declarat Marcus, cum ait: *Et biberunt ex illo omnes*. Hinc concludo, adverſarios non convenire inter ſe de præcepto. imo, quod amplius eſt, ita diſcrepare, ut ubi alii putant ſe inveniſſe præceptum, alii negent ibi eſſe. Vide plura in ſolutione objectionum.

15. Poſterius ſic propono: A tempore Chriſti, & Apoſtolorum uſque ad 1412. ſemper liberum fuit in Eccleſia vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie communicare, nec unquam docuerunt Patres, utramque ſpeciem divinò jure neceſſariam eſſe. Primi, qui hoc dixerunt, fuerunt duo Germani, Petrus Dreſdenſis, & Jacobellus Miſvienſis, qui Pragæ in Bohemia hanc de communione ſub utraque ſpecie controverſiam excitarunt. Ergo ſignum evidens eſt, utramque ſpeciem Divino jure præceptam non eſſe. Hoc argumentum, ſicut & præcedens proſequar in ſequentibus. Hic utrumque obiter attigiſſe ſatis eſt.

CON-

CONCLUSIO TERTIA.

Chriſtus uſum unius ſpeciei & verbis, & facto comprobavit.

16. QUod verbis comprobarit, patet ex capite Joannis 6. ubi agens de fructu Euchariſtiæ, non ſemel, ſed ſæpe aſſeruit, unam ſpeciem prodeſſe ad ſalutem. *Si quis*, inquit, *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Et iterum: *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri Manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Ex his, & ſimilibus verbis concludo cum Concilio Tridentino, manducationem Carnis Chriſti ſub una ſpecie prodeſſe ad ſalutem. At non prodeſſet, ſi utraque ſpecies eſſet neceſſaria.

17. Dices. Adverſarii negant in illo capite agi de Euchariſtia, ſeu manducatione ſacramentali. Reſpondeo: Adverſarii ſunt triplices, ut dixi: Huſſitæ, Lutherani, Calviniſtæ. Horum alii negant, ut Lutherus, & nonnulli Calviniſtæ; alii concedunt, ut Huſſitæ, & Calviniſtæ Gallicani cum Pleſſæo lib. 4. de Euchariſtia, cap. 2. p. 661. Illi ergo ſe mutuo deſtruunt, & nos confirmant: Et ab illis ſumo tale argumentum: Vel agitur in illo capite de Euchariſtia, vel non agitur. Si agitur, errant Lutherani, & plerique Calviniſtæ, qui id negant; ſi non agitur, errant Huſſitæ, & Calviniſtæ Gallicani, qui id aſſerunt. Rurſum ſi agitur, quod nos cum tota Patrum antiquitate concedimus, res ſalva eſt. Evicimus unam ſpeciem prodeſſe ad ſalutem. *Si quis*, inquit Chriſtus, *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Si non agitur, omnes Adverſarii temerarii ſunt. Huſſitæ quidem, quia novum dogma Euchariſticum aſtruere conati ſunt ex eo Scripturæ loco, ubi non agitur de Euchariſtia: Lutherani vero, & Calviniſtæ, quia hoc Huſſitarum dogma amplexi ſunt.

18. Jam, quod facto unam ſpeciem Chriſtus approbaverit, colligitur ex Luc. c. 24. 30. ubi duobus diſcipulis in Emmaus ſub ſola ſpecie panis Euchariſtiam porrexit. Sic enim ſcribit Lucas: *Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipſe evanuit ex oculis eorum*. Porro hunc locum intelligi de pane Euchariſtico, docent graviſſimi Authores, Joannes Maldonatus in c. 24. Lucæ. Gregor. de Valent. tom. 4. quæſt. 8. p. 5. §. 7. Henriquez l. 8. de Euchariſtia, c. 13. num. 2. &

c. 44.

c.44. num.3. Gabr.Vaſq. tom.3. diſp.216. c.2. Franciſcus Toletus in cap. 6. Joan. n. 26. Alphon. Salmeron. tom. 9. tract.35. Item Guilielmus Bibliothecarius, Rupertus Linconienſis, Gilbertus Abbas; & plures alii apud Henriq. l.8. c.16. in gloſſa marginali.

19. Et tribus modis probari poteſt. Primo, authoritate Patrum. ſic enim explicant D. Hieron. in Epitaph. Paulæ ad Euſtochium, Author oper. imp. in Matth. hom. 17. in fin. Aug. lib. 3. de conſenſ. Euang. c. 25. Heſych. Hieroſolymitanus (quem alii Iſychium vocant) lib. 2. in Levit. c. 9. Beda, Euthymius, Theophylactus, Strabus in cap. 24. Lucæ, & alii. Proferam eorum verba.

20. Hieronymus de Paula Euſtochii matre ſic ſcribit: *Repetito itinere venit Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Eccleſiam dedicavit*. Quomodo dedicavit? An fractione panis quotidiani? Nihil minus; Alioqui omnia hoſpitia, in quibus frangitur, & comeditur panis quotidianus, dicerentur in Eccleſias dedicari, quod abſurdum, & a mente Hieronymi alienum eſt. Dedicavit ergo fractione panis Euchariſtici. Nam Eccleſia proprie eſt locus, ubi Euchariſtia conficitur, & adminiſtratur.

21. Author operis imperfecti cum dixiſſet, panem Euchariſticum non dari niſi fidelibus, ſubjunxit hæc verba: *Aliud eſt ſanctificatio, aliud ſanctificatum. Sanctificatio enim eſt, quod alterum ſanctificat; Santificatum autem alterum ſanctificare non poteſt, quamvis ipſum ſit ſanctum: Ut puta, ſignas panem tuum, quem manducas (ſicut ait Paulus: Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem) ſanctificaſti eum, non feciſti ſanctificationem. Quod autem Sacerdos de manu ſua dat, non ſolum ſanctificatum eſt, ſed etiam ſanctificatio eſt; quoniam hoc non ſolum datum, quod videtur, ſed etiam illud, quod intelligitur. De ſanctificato ergo pane licet & animalibus jactare, & infidelibus dare, quia non ſanctificat accipientem. Si autem tale eſſet, quod de manu Sacerdotis accipitur, quale eſt, quod in menſa manducatur, omnes de menſa manducarent, & nemo de manu Sacerdotis acciperet. Unde & Dominus in via non ſolum benedixit panem, ſed de manu ſua dedit Cleophæ, & ſocio ejus. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum eſt, nec infidelibus porrigendum, quia non ſolum ſanctificatum, ſed etiam ſanctificatio eſt, & ſanctificat accipientem.*

22. Hic manifeſte diſtinguit duplicem panem ſanctificatum: Alterum domeſticum, qui quidem a patrefamilias per communem orationem ſanctificatur, ſed tamen non ſanctificat accipientem; & ideo poteſt dari animalibus, & infidelibus: Alterum Euchari-

ſti-

ſticum, qui non ſolum ſanctificatur a Sacerdote, ſed etiam ſanctificat accipientem; ideoque non datur, niſi fidelibus. Et talem ait fuiſſe, quem Chriſtus porrexit Diſcipulis in Emmaus.

23. Auguſtinus loco citato docet ex Luca Chriſtum a Diſcipulis non fuiſſe cognitum, niſi in fractione panis, ac deinde addit: *Ne quiſquam ſe Chriſtum agnoviſſe arbitretur, ſi ejus corporis particeps non eſt, id eſt, Eccleſiæ, cujus unitatem in Sacramento panis commendat Apoſtolus* 1. Corinth. 10. 17. *dicens*: *Unus panis, unum corpus multi ſumus, ut, cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoſcerent eum*. Et paulo poſt: *Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a Sathana factum fuiſſe, ne agnoſceretur JESUS; Sed tamen a Chriſto eſt facta permiſſio, uſque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata, removere intelligatur impedimentum inimici, ut Chriſtus agnoſci poſſit*.

24. His verbis duo ſignificat Auguſtinus. Unum eſt, quod diſcipuli non agnoverint Chriſtum, niſi in fractione, & porrectione panis Euchariſtici. Nam per hunc panem ſublatum fuit impedimentum, quod diabolus in eorum oculis poſuerat, ne Chriſtum agnoſcerent. Alterum, quod per hanc ipſam rem, quæ tunc vere, ac hiſtorice geſta eſt, aliquid aliud allegorice ſignificatum ſit, nempe quod nemo poſſit interna fide Chriſtum agnoſcere, niſi ſit particeps corporis ipſius Myſtici, id eſt, Eccleſiæ. De hoc poſteriori puncto non eſt quæſtio. Quod autem in priori loquatur de pane Euchariſtico, dupliciter probo. Primo, quia vocat illum non modo *panem benedictum*, ſed etiam *Sacramentum panis*. Fatetur autem, per Sacramentum panis ſe idem intelligere, quod Apoſtolus intellexit in his verbis: *Unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus*. At ibi Apoſtolus loquitur de pane Euchariſtico.

25. Idem patet ex allegoria, qua utitur Auguſtinus. Eſt autem hæc. Quod Diſcipuli non potuerint externis oculis Chriſtum agnoſcere, niſi prius facti participes veri Corporis Chriſti, quod eſt Euchariſtia, per hoc ſignificatum fuit, quod infideles non poſſint internis oculis Chriſtum agnoſcere, niſi prius facti participes Myſtici ipſius Corporis, quod eſt Eccleſia.

26. Beda, & Strabus habent idem, quod Auguſtinus. Theophylactus ſic ſcribit: *Inſinuatur & aliud quiddam, nempe quod oculi eorum, qui benedictum panem aſſumunt, aperiuntur, ut agnoſcant illum. Magnam enim, & indicibilem vim habet caro Domini*. Heſychius ſic: *Invenimus autem & Chriſtum ſimiliter poſt reſurrectionem, per myſticæ cœnæ, & panis fractionem manifeſtatum, quod aper-*

aperte quidem tradit Lucas. Ubi per myſticam cœnam, ſine dubio, intelligit Euchariſtiam.

27. Atque hæc ſit prima probatio noſtræ ſententiæ, deſumpta ex authoritate Patrum. Secundo probatur ex ipſo contextu. Ac ſingula pene verba ponderanda ſunt: *Et factum eſt*, inquit. Ita loqui ſolet Scriptura, quando grande aliquod myſterium enarrandum eſt. Sequitur autem myſterium: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*. Utitur iiſdem plane verbis, quibus uſus eſt Matthæus in ultima cœna deſcribenda, cum ait: *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis*. Si ergo hæc verba intelliguntur de pane Euchariſtico, ut omnes fatentur, cur non ſimiliter illa? Nihil enim inter ſe differunt. Unde infero, Chriſtum bis porrexiſſe Euchariſtiam: ſemel Hieroſolymis in ultima cœna, ante paſſionem; & ſemel in Emmaus, poſt reſurrectionem: illic ſub utraque ſpecie; hic ſub una: illic adfuiſſe Apoſtolos, qui tunc fiebant Sacerdotes; hic duos Diſcipulos, qui nondum erant in illo gradu.

28. Tertio probatur effectu: *Aperti*, inquit, *ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum*. Unde autem aperti ſunt? Ex ſumptione panis Euchariſtici. Sic Auguſtinus loco citato, cum ait: *Ut, cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & cognoſcerent eum*. Et Theophylactus: *Magnam, & indicibilem vim habet caro Domini*.

29. His tribus argumentis nihil habent Adverſarii, quod ſolide reſpondeant. Conantur tamen effugere, ut poſſunt; & ſingulis aliquid opponunt. Ac primo dicunt, tametſi aliqui Patres illum locum intelligant de pane Euchariſtico, alios tamen eſſe, qui aliter ſentiant. Nihil ergo certi ex Patribus haberi poſſe. Ego contra ſic urgeo. Si Divus Hieronymus, Auguſtinus, & alii Patres citati, qui diverſis ſæculis vixerunt, putarunt Chriſtum ſub una ſpecie dediſſe Euchariſtiam Diſcipulis in Emmaus, conſequenter putarunt communionem ſub una ſpecie non eſſe prohibitam jure divino, ſed a Chriſto probatam. Ergo ſive Chriſtus dederit Euchariſtiam ſub una ſpecie, ſive non dederit; tamen Patrum antiquorum ſententia eſt, unam ſpeciem licite uſurpari poſſe. Hoc nos contendimus. Et ſane dicant Adverſarii, an putent Auguſtinum, Hieronymum, & reliquos Patres in hac re erraſſe, nec ne? Si putant erraſſe, quomodo hoc probant? Sin minus; neque nos erramus, qui illos ſequimur.

30. Alterum effugium eſt, ex illis verbis, *Accepit panem, benedixit, fregit, porrexit*, non poſſe quicquam convinci. Nam ſimilia verba reperiuntur Marc. 6. 41. *Acceptis quinque panibus, & duo-*

duobus piſcibus, intuens in cælum benedixit, & fregit panes, & dedit Diſcipulis ſuis, ut ponerent ante eos. At hæc verba non intelliguntur de pane Euchariſtico, ſed de panibus per miraculum multiplicatis. Ergo nec priora neceſſe eſt intelligi de pane Euchariſtico. Facilis eſt reſponſio. Chriſtus in Euangelio ter legitur benedixiſſe panem. 1. In Multiplicatione panum, & piſcium. 2. In ultima cœna. 3. In Emmaus. Et ſemper aliquid myſterii, ſeu miraculi operatus eſt. Unde evidenter concludimus, benedictionem Chriſti circa panem (quantum ex Scriptura colligitur) ſemper fuiſſe efficacem, & alicujus myſterii, ſeu miraculi effectricem. Solum poteſt eſſe quæſtio de qualitate myſterii; an ſcilicet in illa triplici benedictione, quæ diverſo loco, ac tempore a Chriſto facta eſt, ſemper fuerit idem myſterium, ſeu miraculum, an potius diverſum? Hoc autem non aliunde melius, quam ex circumſtantiis, & Patrum interpretatione diſcerni poteſt.

31. Et quidem in prima benedictione, ſatis conſtat ex ipſo contextu, fuiſſe miraculum multiplicationis panum. Nam quinque panes ita multiplicati ſunt, ut ex iis non modo ſatiata fuerint quinque millia virorum, ſed etiam collecti duodecim cophini fragmentorum, quæ ſupererant. In altera, quæ facta eſt in ultima cœna, panis, & vinum in carnem, & ſanguinem Chriſti converſa ſunt, ut patet ex illis verbis: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus:* Et ſic Patres omnes, ut ſuo loco videbimus, interpretantur. In tertia, quæ in Emmaus contigit, de uno conſtat, de altero diſputamus. Conſtat, oculos Diſcipulorum apertos fuiſſe. Hoc enim expreſſe Scriptura dicit. Diſputamus, an hoc tribuendum ſit pani Euchariſtico? affirmant Auguſtinus, & Theophylactus. Et quæ cauſa eſt, cur negemus? Adverſarii nullam adferunt: Nam illi, qui putant ideo dici apertos fuiſſe Diſcipulorum oculos, quod Chriſtum agnoverint ex peculiari modo frangendi panem, non cauſam, ſed fabulam adferre mihi videntur. Unde enim habent, Chriſtum ſolitum eſſe tam artificioſe panem frangere manibus, ac ſi cultro diviſus eſſet? Euangeliſtæ nihil hujus meminerunt. Mera conjectura eſt. Et ſane, ſi quid tale præter morem aliorum feciſſet Chriſtus, Phariſæi minime diſſimulaſſent. Solebant enim, etiam in rebus minimis, illum reprehendere, ſi quid novum, aut alienum ab eorum conſuetudine uſurparet. Non ergo Diſcipuli agnoverunt Chriſtum ex artificioſa panis fractione, quæ nullum in Scriptura fundamentum habet; ſed ex ſumptione panis Euchariſtici, cujus ea vis fuit, ut eorum oculi, non ſolum corporis, ſed etiam mentis, repente fuerint illuminati.

32. Atque hæc dicta ſint contra eos, qui negant loco citato

agi

agi de Euchariſtia. Sunt alii, qui quidem id concedunt (quia vident non niſi temere negari poſſe) negant tamen inde colligi uſum unius ſpeciei; quia volunt in fractione panis per Synecdochen intelligi totum Sacramentum ſub utraque ſpecie. Sed hoc neque probare poſſunt ex Scriptura; neque ab ullo probato Authore aſſeritur: nec omnino veriſimile eſt. Nam Lucas ſcribit, Chriſtum, porrecto pane benedicto, *evanuiſſe ex oculis eorum*. Ergo poſt porrectum panem non conſecravit Calicem, ut bene advertit Cardinalis Bellarminus.

33. Unum objici poteſt, quia ſi non admittimus hic Synecdochen, ergo ſicut ex illo loco colligimus uſum unius ſpeciei, ſic etiam colligere poterimus conſecrationem unius ſpeciei: At Catholici negant unam ſpeciem ſine altera conſecrari poſſe. Ergo etiam negare debent, Chriſtum ſub una ſpecie Euchariſtiam porrexiſſe. Reſpondeo. Si ſpectemus naturam rei, fateor unam ſpeciem ſine altera conſecrari poſſe, & hoc a Chriſto factum eſſe: Si autem ſpectemus jus Eccleſiaſticum, una ſpecies ſine altera conſecrari non debet: & hoc volunt Catholici. De hac re iterum dicemus in ſequenti concluſione.

CONCLUSIO QUARTA.

Tempore Apoſtolorum uſurpata fuit una ſpecies.

34. HOc colligitur ex duplici Scripturæ loco. Prior habetur Actorum ſecundo, 42. ubi Lucas ſic ſcribit: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*: Hic agi de Euchariſtia fatentur Adverſarii, Lutherus in ſermone de Euchariſtia, Kemnitius in ſecunda parte examinis, Calvinus l. 4. inſt. c. 17. §. 35. & plures alii. Et probatur variis modis. Primo, quia fractio panis conjungitur cum doctrina, & oratione, tanquam res ſacra cum rebus ſacris. Non ergo ſermo eſt de communi, & domeſtico pane, ſed de Euchariſtico. Secundo, quia Syrus interpres ſic vertit: *Et communicabant in precibus, & fractione Euchariſtiæ*. Quod fatetur Beza in illum locum, & Pleſſæus l. 1. de Euchariſtia cap. 1. Tertio, quia Lucas agit de novis Chriſtianis, qui tum primum erant converſi, & baptizati. Sic enim loquitur: *Qui ergo receperunt ſermonem ejus* (nempe Petri concionantis) *baptizati ſunt*. Et ſtatim ſubdit: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*. Porro conſtat, Neophytos in primitiva Eccleſia ſtatim poſt Baptiſmum ſolitos

eſſe

eſſe Euchariſtiam percipere. Quarto, quia non fuiſſet magna laus, primos illos Chriſtianos perſeveraſſe in cibo corporali. Imo nec opus fuiſſet Lucam id commemorare, quia ſatis conſtat homines quotidie veſci ſolere pane domeſtico. At rarum, & commemoratione, ac laude dignum eſt, perſeverare in oratione, & Euchariſtiæ perceptione.

35. Poſterior locus habetur Actor. 20. 7. *Una autem Sabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis, profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem uſque ad mediam noctem.* Hic etiam agi de Euchariſtia, fatentur Calvinus, & Beza in illum locum, Kemnitius in ſecunda parte Examinis, & alii. Et patet ex ipſo contextu. Primo, quia diligenter notatur dies ille, quo in primitiva Eccleſia ſolebant fideles convenire ad ſacros conventus; qui erat prima Sabbati, ideſt, dies Dominicus, ut docent Chryſoſtomus ibidem, Juſtinus Apol. 2 & Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſulanum. Secundo, quia Paulus dicitur manſiſſe Troade ſeptem diebus, & exſpectaſſe primam Sabbati, ut tunc fideles convenirent ad frangendum panem in magno cœnaculo, lampadibus copioſiſſime illuſtrato; idque nocturno tempore, propter metum perſecutionis. At certe, ſi fuiſſet prophanum convivium, quorſum adhibitæ eſſent tot ceremoniæ?

36. Nunc ex utroque loco ſic argumentor: Lucas utroque loco agit de pane Euchariſtico, ut Adverſarii fatentur, & nullam facit mentionem calicis: Ergo omnino credibile eſt, primos illos Chriſtianos, qui ex Judæis converſi erant, ſub una ſpecie communicaſſe.

37. Dices forte, Lucam in fractione panis totum Sacramentum intellexiſſe per Synecdochen: Sed ex triplici capite refelli poteſt. Primo, quia ſine fundamento aſſeritur. Et ſi ſola conjectura ſufficit, cur non ſimiliter dicamus, Chriſtum in deſerto non ſolum panes, ſed etiam aliquot cados vini multiplicaſſe? Tam enim hoc, quam illud dici poteſt. At neutrum probatur. Secundo, quia Lucas diverſis locis, ter minimum, ſi non ſæpius, agit de uſu Euchariſtiæ; & nunquam meminit, niſi unius ſpeciei. Quis autem credat, præſertim in re tanti momenti, nunquam illum proprie, ſed ſemper Synecdochice loqui voluiſſe? Tertio, quia Judæi, qui recens converſi erant, adhuc in multis rebus ſervabant legem Moſaicam; juxta illud Actorum vigeſimoprimo, vigeſimo: *Vides, frater, quot millia ſunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis.* At ſecundum legem Moſaicam ſolebant abſtinere a

ſanguine, & vino. Ergo plane veriſimile eſt, eos etiam in perceptione Euchariſtiæ a calice abſtinuiſſe. Et ſane de quibuſdam id negari non poteſt. Multi enim ex illis erant Nazaræi, qui non bibebant vinum, nec radebant caput, uſque ad finem dierum voti ſui, ut patet Actorum decimo octavo, decimo octavo, & Actorum vigeſimo primo, vigeſimo tertio. De his quæro, an, durante voto, ſumpſerint Euchariſtiam, nec ne? ſumpſiſſe conſtat, quia Lucas de omnibus dicit: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*. At, durante voto, non ſumpſerunt calicem. Ergo in ſola fractione panis communicarunt.

38. Dices: Si ita eſt, ergo Apoſtoli conſecrarunt Euchariſtiam ſub una ſpecie, quod Catholici negant fieri poſſe. Reſpondeo. Quid mirum, Apoſtolos hoc feciſſe, cum ante illos hoc fecerit Chriſtus in Emmaus, ut paulo ante oſtenſum eſt? An non liceat Diſcipulis imitari Magiſtrum ſuum? Nec ſoli Apoſtoli, ſed etiam alii poſt tempora Apoſtolorum id fecerunt, ſi credendum eſt Volaterranno, qui lib. 7. Geographiæ refert, Innocentium VIII. permiſiſſe Norvegis, ut ſine vino ſacrificium celebrarent. Et ſane, quidquid ſit de iſto Authore, multi Catholici docent, id permitti poſſe. Tametſi enim jure Eccleſiaſtico prohibitum ſit, unam ſpeciem conſecrare ſine altera; tamen neque ex natura rei malum eſt, & in jure Eccleſiaſtico poteſt fieri diſpenſatio. Atque ita ſentiunt Anton. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 1. circa finem, Genebrardus in chronico, Claudius repet. 10. de Euchariſtia capit. 3. & 4. Tapperus artic. 14. Heſſelius de Communione ſub utraque ſpecie, Henriquez libr. 8. Theologiæ moralis capit. 13. numer. 1. Alphonſus Salmeron. tom. nono tract. 35. qui pro eadem ſententia citat Innocentium III. Albertum Magnum, Alexandrum Alenſem, Joannem de Turrecremata, Angelum, Gabrielem Biel, Adrianum Papam, & Authorem ſummæ Piſanæ.

CONCLUSIO QUINTA.

Poſt tempora Apoſtolorum fuit una ſpecies in uſu.

39. HOc duplici ordine oſtendi poteſt. Primo incipiendo a primitiva Eccleſia, & progrediendo uſque ad noſtra tempora. Secundo, incipiendo a noſtris temporibus, & progrediendo ad primitivam Eccleſiam. Hunc poſteriorem ordinem ſervabo ad redarguendum Pleſſæi mendacium, qui lib. 1. de Eucha-

chariſt. cap. 10. aſſerit, communionem ſub una ſpecie tam novam eſſe, ut hominis ætatem vix excedat. Quod aperte falſum eſt. Nam D. Thomas (qui ante tercentos annos vixit) in 3. parte quæſt. 80. art. 12. de ea ſic ſcribit: *Eſt multarum Eccleſiarum uſus, ut populo communicanti detur corpus Chriſti ſumendum, non autem ſanguis*. Et iterum: *Quia crevit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes, & juvenes, & parvuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus Sacramenti adhibeant; ideo provide in quibuſdam Eccleſiis ſervatur, ut populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolum a Sacerdote ſumatur*. Et rurſum: *Nihil derogat perfectioni hujus Sacramenti, ſi populus ſumat corpus ſine ſanguine*. Et denique: *Poteſt a populo ſumi corpus ſine ſanguine. Nec exinde ſequitur aliquod detrimentum, quia ſub una ſpecie totus Chriſtus continetur*. Hæc ante trecentos annos a doctiſſimo pariter, ac ſanctiſſimo Theologo ſcripta ſunt.

40. Sed ulterius progredior. Ante annos mille, & amplius publice in Eccleſia tam Orientali, quam Occidentali uſitata fuit communio ſub una ſpecie. Hoc variis argumentis convinci poteſt. Primum eſt, quia Manichæi communicabant olim inter Catholicos (occultata hæreſi) ſub una ſpecie, ut teſtatur Leo Papa ſermone quarto de Quadrageſima: Et tamen nunquam ab Eccleſia propter hanc cauſam reprehenſi, aut damnati ſunt. Ergo communio ſub una ſpecie non putabatur olim illicita. Hoc ita confirmo. Auguſtinus, Epiphanius, & alii plures accurate ſcripſerunt de erroribus Manichæorum. At nemo illorum ſcripſit eos erraſſe, quod ſub una ſpecie communicarent: Ergo communicare ſub una ſpecie non cenſebatur tunc erroneum. Hoc argumentum magni ponderis apud omnes eſſe debet. Quis enim credet, vigilantiſſimos Eccleſiæ paſtores, qui in notandis, & confutandis hæreticorum dogmatibus fuerunt diligentiſſimi, non notaturos fuiſſe hoc dogma de una ſpecie, ſi putaſſent eſſe hæreticum? At nemo ut hæreticum notavit.

41. Imo, inquies, duo Pontifices notarunt, Leo, & Gelaſius. Uterque enim damnavit Manichæos, quod abſtinerent a Calice. Et quidem Leo Papa ſerm. 4. de quadrageſima ſic habet: *Ore indigno Chriſti corpus* (Manichæi) *accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant*. Gelaſius vero apud Gratianum cap. Comperimus, de conſecratione diſt. 2. *Comperimus*, inquit, *quod quidam, ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, a calice ſacri cruoris abſtineant. Qui procul dubio quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur adſtringi, aut integra*

Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia diviſio unius, eiuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.

42. Verum hæc objectio, quam Lutherani, & Calviniſtæ contra nos urgent, plane confirmat noſtram ſententiam. Ac primum, quod attinet ad Leonem Papam, res ſic habet. Erant tunc temporis Romæ multi Manichæi ex Africa profugi, qui, ut ſuam hæreſim occultarent, & ſe Catholicos eſſe mentirentur (alioqui admiſſi, & tolerati non fuiſſent) publice cum Catholicis templa adibant, & cum eis communicabant. At privatim in clandeſtinis conventiculis ſuam hæreſim exercebant. Ut igitur Cives Romani, qui vere Catholici erant, poſſent ſibi cavere ab hujuſmodi hominum genere, Pontifex publice pro concione monuit, eos pro Manichæis habendos eſſe, qui in communione ſemper a calice abſtinerent. Hanc enim ſufficientem eſſe notam, qua ab aliis diſcerni queant. Alios enim non ſemper, ſed aliquando, Manichæos ſemper abſtinere a calice. Verba Leonis ſunt hæc: *Cumque ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutius lateant, ore indigno Chriſti corpus accipiant, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinent. Quod ideo veſtram voluimus ſcire ſanctitatem, ut nobis hujuſmodi homines & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati, & proditi, a Sanctorum ſocietate Sacerdotali authoritate pellantur.*

43. Hinc ſumo efficax argumentum pro nobis. Et quidem triplex. Unum eſt: Manichæi, qui Romæ volebant eſſe occulti, non fuiſſent auſi publice abſiſtere a Calice, ſi omnes Catholici coacti fuiſſent ſumere calicem. Sic enim ſtatim fuiſſent agniti. Ergo evidens ſignum eſt, uſum calicis fuiſſe liberum apud Catholicos. Alterum: Leo Papa non monuit Romanos, ut notarent eos, qui abſtinerent a Calice, ſed eos, qui ſemper abſtinerent. Hoc enim ſignificat per illam particulam, *Omnino*, cum ait: *Sanguinem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant.* Ergo hoc fuit diſcrimen inter veros Catholicos, & occultos Manichæos, quod hi ſemper, illi aliquando ſub una ſpecie communicarent. Una igitur ſpecies fuit tunc licita. Tertium: Dicant Lutherani, & Calviniſtæ, an communio ſub una ſpecie fuerit Romæ tunc temporis nova, & primum introducta a Manichæis, an etiam prius uſitata a Catholicis? Si nova, facile poterant notari a Romanis, nec opus erat Pontificis monitione. Si prius uſitata, nihil nos facimus

mus hoc tempore, quod olim a Catholicis factum non ſit.

44. Accedit, quod idem Leo in aliis concionibus populo explicarit, quinam eſſent errores Manichæorum, ut patet ex ſerm. 4. de collectis, & ſerm. 5. de jejunio decimi menſis. Romani enim neſciebant, quibus punctis Manichæi diſſentirent a Catholicis. Igitur a Leone Papa inſtructi ſunt. At Leo nunquam dixit, eos errare in uſu unius ſpeciei, quod tamen ſine dubio feciſſet, ſi una ſpecies divino jure eſſet interdicta, præſertim cum tam ſerio, & paterne hortaretur ſuos cives, ut ab omni Manichæorum errore eſſent alieni. Quomodo autem poterant eſſe alieni, niſi ſpeciatim de unoquoque monerentur?

45. Veniamus ad Gelaſium Papam, qui ſucceſſit Leoni in Pontificatu poſt annos triginta duos. Ille igitur, quia videbat Catholicos aliquando abſtinere a calice, ſicut fecerant tempore Leonis, & aliorum Pontificum, qui Leonem proxime ſecuti ſunt, ideoque non ſatis facile diſcerni poſſe a Manichæis, tulit novam legem, ut deinceps Catholici numquam abſtinerent a calice: Sic enim putabat fore, ut ſtatim, quotquot abſtinerent a calice, noſcerentur Manichæi eſſe, non Catholici. Nec tamen hoc ideo fecit, quod exiſtimaret unam ſpeciem licite ſumi non poſſe: ſed ne Catholici, ſi pergerent abſtinere a calice cum Manichæis, paulatim imbuerentur errore Manichæorum. Hi enim duplici de cauſa abſtinebant a calice. Primo, quod putarent vinum eſſe fel Draconis. Secundo, quod negarent Chriſtum eſſe vere mortuum, & verum ſanguinem effudiſſe. In utroque errabant. Ne ergo Catholici viderentur ob eaſdem cauſas abſtinere, juſſit Pontifex, ne deinceps abſtinerent ad præcavendam utriuſque erroris ſuſpicionem. Itaque illa verba Gelaſii, *Diviſio unius, ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire*, non ſignificant, unam ſpeciem non poſſe ſumi ſine ſacrilegio, ut falſo interpretantur Lutherani, & Calviniſtæ; ſed opinionem illam, qua Manichæi putabant abſtinendum eſſe a calice, non poſſe provenire ſine ſuſpicione nefandæ hæreſis. Vide Baron. tom. 6. Annal. an. Chr. 496. ubi docte, & prolixe de hac re diſputat contra Novatores.

46. Porro, quod Manichæi fuerint in illo duplici errore, de quo dixi, patet ex Auguſt. lib. de hæreſ. c. 46. ubi ſic ait: *Nam & vinum non bibunt, dicentes fel eſſe Principum tenebrarum*. Et ibidem: *Aſſirmant Chriſtum non fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis humanis ſenſibus præbuiſſe, ut mortem, & reſurrectionem mentirentur*. Similia de iis ſcribit Leo Papa ſer. 4. de collectis, & ſerm. 4. de Nat. Dom. circa medium, & ſer. 4. de

Epiphan. paulo poſt medium. Eo ſpectat illud Gelaſii. *Qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur adſtringi, &c.* Hinc iterum concludo pro nobis; Gelaſius, Auguſtinus, & Leo damnarunt quidem errores, ſeu ſuperſtitiones, propter quas Manichæi abſtinebant a calice; non tamen damnarunt ipſam abſtinentiam a calice: Ergo putarunt communionem ſub una ſpecie non eſſe illicitam.

47. Hactenus primum argumentum, quod ex facto Manichæorum deſumptum eſt. Alterum ſumi poteſt ex uſu Eccleſiæ Orientalis, præſertim Conſtantinopolitanæ. Nam ſicut Romæ tempore Leonis Papæ liberum fuit ſub una, vel utraque ſpecie communicare, ſic etiam Conſtantinopoli tempore D. Chryſoſtomi. Hoc evidenter convincit Hiſtoria, quam refert Sozomenus lib. 8. cap. 5. Nicephorus lib. 13. cap. 7. Baron. tom. 5. Annal. an. Chr. 400. in fin. & alii complures. Eſt autem hæc: *Vir quidam*, inquit Nicephorus, *Macedonii morbo laborans, uxorem eadem contagione infectam habebat. Hic cum aliquando in magnum illum virum* (Nempe D. Chryſoſtomum) *incidiſſet, quomodo de Deo ſentiendum ſit, differentem, ſtatim priori opinione relicta mutatus, dicta illius laudavit, conjugemque, ut itidem & ipſa ſententiam ſuam mutaret, cogere inſtitit. Ubi vero illa ex conſuetudine, & colloquiis quotidianis familiarum muliercularum pendens, admonitionem non ſuſcepit, & maritus, re ſæpius tentata, nihil effecit: poſtremo ei denunciavit, niſi communem, atque eandem ſecum de Deo teneret opinionem, minime ſe eam ſecum habitare paſſurum eſſe. Mulier poſtquam id per ſimulationem annuit, ex ancillis, quam fidam ſibi eſſe credebat, uni, quid factura eſſet, credidit, ut per fraudem virum falleret. Et ſacrorum myſteriorum tempore accedens illa, donum, ſicuti mos erat* (*qui ſacris inſtituti ſunt, quid dicam, intelligunt*) *accepit, atque id retinens, perinde atque orationi vacatura, ſe inclinata ſubmiſit, myſteriumque Sacroſanctum occuluit: Et quæ ei aſſiſtebat ancilla, pro eo panem communem domo allatum obtulit, quem illa ori admovens, in lapidis naturam induratum eſſe, dum dentibus atterere conatur, ſenſit. Itaque timore percita, ne quid gravius per Dei vindictam pateretur, propter miraculum, quod præter opinionem acciderat, nulla interpoſita mora, ad magnum illum accedit Patrem, rem actam ei exponit, & lapidem oſtendit, certo, & aperte morſus indicium exhibentem, qui jam priorem materiam ignoraret, novumque, & alienum colorem obtineret. Et venia delicti petita, deinceps in eadem cum marito opinione perduravit. Lapis iſte, ad fidem miraculi ejus faciendam, longo tempore inter*

Eccleſiæ donaria aſſervatus, ſpectatoribus miraculo fuit. Hæc Niceph.

48. Ex hac hiſtoria tria colligimus, quæ ad rem faciunt. Primo, quod tunc temporis Euchariſtia ſub ſpecie panis data fuerit communicantibus in manu, ut eam poſtea ſumerent, quiſque pro ſua devotione. Secundo, quod illa fœmina hæretica, ut in gratiam mariti ſimularet ſe Catholicam eſſe, publice in manu acceperit panem Euchariſticum a Sacerdote, tanquam paulo poſt eum comeſtura. Tertio, quod digreſſa a Sacerdote, clam abſconderit panem Euchariſticum, & pro eo communem, ac prophanum ori admoverit, ut ſaltem communicaſſe videri poſſet. Hinc concludo, tunc temporis liberum fuiſſe, vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie communicare. Nam ſi omnes coacti fuiſſent ſumere de calice, non potuiſſet illa mulier diſſimulare ſuam fraudem, quia calix non dabatur communicantibus in manu, ſed a Diacono eorum ori admovebatur, ut habet Cyrillus Catecheſi 5. myſtagogica.

49. Nihil habent hic adverſarii, quod ſolide reſpondeant. Pleſſæus lib. 1. de Euchariſtia c. 12. pag. 163. ſola interrogatione conatur eludere. *In illa*, inquit, *narratione de muliere infideli, quæ Chryſoſtomum decipere conata eſt, licet Sozomenus panis tantum meminerit in lapidem converſi; an non de publica Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ communione agitur, in qua utramq; ſpeciem adminiſtratam, quis unquam dubitavit?* At, mi Pleſſæe, non eſt quæſtio, an utraque ſpecies publice fuerit adminiſtrata; ſed potius, an liberum fuerit communicantibus vel unam, vel utramque ſpeciem accipere. Hoc autem liberum fuiſſe, optime convincitur ex hiſtoria citata. Nec quiſquam, ſalva hiſtoriæ veritate, inficiari id poteſt.

50. Tertium argumentum ſumitur ex communione domeſtica, quæ olim apud Catholicos ſub altera ſpecie fuit uſitata. Solebant enim fideles Euchariſtiam domum deferre, & ibi pro ſua opportunitate ſumere, ut tradunt Tertullianus, Baſilius, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, & alii antiqui Patres. Et quidem Tertullianus lib. 2. ad uxorem, ubi hortatur eam, ne, cum Chriſtiana ſit, nubat gentili marito, eo quod non poſſit exercere officia Chriſtianæ religionis, quin maritus gentilis advertat, inter cætera ſic ait: *Latebis ne tu, cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas? non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciverit, panem non illum credit eſſe, qui dicitur.* Hinc apparet, fideles ſolitos eſſe domi ante alium cibum ſumere panem Euchariſti-

O 4 cum.

tum. Idem Tertull. in lib. de oratione, in fine, *Accepto*, inquit, *corpore Domini, & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii*. Diſputat eo loco, an jejunium ſolvatur ſumptione Euchariſtiæ? Aliqui affirmabant; ideoque diebus jejuniorum putabant abſtinendum eſſe a communione: Occurrit Tertullian. corpus Domini, quod in templo diſtribuitur, domum deferri poſſe, & reſervari ad horam comeſtionis: ſic enim fore, ut nec jejunium violetur, nec communio omittatur.

51. De eadem reſervatione Baſilius in Epiſtola ad Cæſariam Patriciam ſic ſcribit: *Illud autem, in perſecutionis temporibus neceſſitate cogi quempiam, non præſente Sacerdote, aut miniſtro, communionem propria manu ſumere, nequaquam eſſe grave, ſupervacaneum eſt demonſtrare, propterea quod longa conſuetudine hoc ipſo rerum uſu confirmatum eſt. Omnes enim in eremis ſolitariam vitam agentes, ubi non eſt Sacerdos, communionem domi ſervantes a ſeipſis communicant. In Alexandria vero, & in Ægypto, unuſquiſque eorum, qui ſunt de populo, ut plurimum habet communionem in domo ſua*.

52. Conſentiunt alii Patres citati. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, non longe a principio ait: *Etiam Euchariſtiam cum quidam, ut mos eſt, diviſerint, permittunt unicuique ex populo ejus ſumere*. Et Cypr. ſerm. de lapſis: *Cum quædam* (mulier) *arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipſe maculatus, de Sacrificio a Sacerdote celebrato partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Domini edere, & contrectare non potuit, & cinerem ferre ſe apertis manibus invenit*. Et Hieronymus in Apologia ad Pammachium pro libris ſuis contra Jovinianum: *An alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? quod in Eccleſia non licet, nec domi licet*. Et Auguſtinus ſerm. 252. de tempore: *Omnes viri, quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas: Et omnes mulieres nitida exhibent linteola, ubi Corpus Chriſti accipiant*.

53. Ex his Patrum teſtimoniis perſpicuum eſt, fideles olim ſolitos eſſe Euchariſtiam domum deferre, ibique aſſervare ad privatam communionem. Quod autem ſoliti ſint unam tantum ſpeciem deferre, & conſervare, facillime oſtendi poteſt. Primo, quia citati Patres unius tantum ſpeciei meminerunt. Secundo, quia plerique non niſi de una ſpecie intelligi poſſunt. Quis enim credat, ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini a fidelibus perlatum eſſe in manibus, arca, vel linteolo?

Cor-

Corpus Chriſti portari ſic potuit, non ſanguis. Tertio, quia D. Athan. apolog. 2. contra Arianos diſerte ait, *nullum calicem, aut poculum myſticum* alibi reperiri potuiſſe, *niſi in Eccleſia*. Quomodo ergo in domibus Laicorum aſſervari potuiſſet ſanguis Chriſti ſine poculo, aut calice?

54. Hoc argumento convicti adverſarii fatentur, unam ſpeciem fuiſſe olim uſurpatam privatim in domibus, non tamen publice in Eccleſia. Addit Kemnitius, eos ipſos, qui privatim ſumebant Euchariſtiam ſub ſpecie panis, prius in Eccleſia ſumpſiſſe ſub ſpecie vini; ac proinde utramque ſpeciem per intervalla temporum uſurpaſſe. Deinde, ſe non diſputare de privata, ſed de publica cœnæ adminiſtratione. Sed primum quæro ex Kemnitio, unde ſciat, prius calicem in Eccleſia, deinde panem Euchariſticum in privatis domibus ſumptum fuiſſe a fidelibus: contrarium plane colligitur ex Tertulliano, cum ait: eodem die & jejunium, & communionem ſervari poſſe, ſi corpus Domini ad horam comeſtionis aſſervetur. Quid opus erat ratione jejunii tamdiu abſtinere a corpore Chriſti, ſi jam nec calix fuiſſet deguſtatus? De Eremitis res clarior eſt. Quomodo potuiſſent calicem ſumere in Eccleſia, qui toto anno communicabant in eremo, & non niſi rariſſime ad Eccleſiam veniebant? Addo Kemnitium ſibi ipſi repugnare. Nam ex una parte ait, ſe tantum diſputare de eo, quod publice fiebat in Eccleſia: Et ex altera fatetur fideles publice in Eccleſia ſolum calicem ſumpſiſſe, pane Euchariſtico domum aſportato: Ergo fateri debet, uſum unius ſpeciei fuiſſe publice uſurpatum in Eccleſia, quod tamen vult negare. Denique quidquid ſit de contradictione Kemnitii, ſi communio ſub una ſpecie licita, & uſitata fuit in privatis Laicorum domibus, certe divino præcepto prohibita eſſe non potuit. Quod enim ſimpliciter a Deo prohibitum eſt, nec privatim, nec publice recte fieri poteſt. Hoc ſenſu dixit Hieron. loc. cit. *Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet*.

55. Pleſſæus Calviniſt. lib. 2. de Euchar. cap. 12. pa. 162. prope finem, quia facile advertebat hanc Kemnitii ſolutionem defendi non poſſe; aliam viam ingreſſus eſt. Ait, quæ hactenus ex Patribus allata ſunt, nihil aliud, quam muliercularum, & idiotarum extraordinarios quoſdam abuſus eſſe. Et hoc probat, quia communio privata, de qua hactenus locuti ſumus, fuit poſtea damnata ab Eccleſia in Concil. Tolet. 1. can. 14. & in Cæſar-Auguſtano can. 3. At non eſſet damnata, ſi liceret domi communicare. Sed valde errat Pleſſæus. Primo, quia citati Patres loquuntur de privata communione, tanquam de re ſancta, & longo fide-

lium

lium uſu comprobata. Et ſane, ſi res mala eſt, cur Alexandriæ, & in tota Ægypto tamdiu fuit tolerata? cur Tertullianus eam ſuaſit in die jejunii; cur Baſilius definivit, poſſe Laicos ex propria manu communicare, ſicut eo tempore faciebant eremitæ? Secundo falſum eſt, iu citat. Conciliis damnatam eſſe privatam communionem. Non fuit damnata, ſed prohibita: nec ideo prohibita, quia in ſe mala, ſed propter irreverentiam, & varios abuſus, qui inde ſequebantur: Hoc patet ex ipſis verbis. Sic enim loquitur Concil. Tolet. can. 14. *Si quis acceptam a Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur*. q. d. Hactenus multi reperti ſunt, qui Euchariſtiam acciperent a Sacerdote, non ad ſacram refectionem, ſed ad illicitos abuſus. Deinceps ne id fiat amplius, ſinguli participent Euchariſtiam a Sacerdote acceptam; nec domum ſecum afferant; alioqui qui ſecus fecerit, de ſacrilegio ſuſpectus erit, & pro ſacrilego reputabitur, ac punietur. Eodem ſenſu definivit Concil. Cæſarauguſtanum can. 3. *Euchariſtiæ gratiam ſi quis probatur acceptam in Eccleſia non ſumpſiſſe, anathema ſit in perpetuum*. Nimirum contra Priſcillianiſtas, qui ut ſuam hæreſim occultarent, publice cum Catholicis accipiebant Euchariſtiam a Sacerdote, & nunquam poſtea ſumebant: Hæc non ſunt ex hiſtoriis. Unde miror Pleſſæum, quod in re manifeſta fucum facere voluerit.

56. Quartum argumentum ſumi poteſt ex communione laica, quæ in pœnam magni alicujus delicti olim dabatur Clericis, ablata eis communione clericali. Hujus crebra mentio eſt in decretis antiquiſſimorum Pontificum, & Conciliorum. Vide Siricium Papam ep. 1. c. 11. Felicem III. ep. 1. c. 2. Concilium Eliberitanum, can. 76. Sardicenſe, can. 1. & 2. Agathenſe cap. 33. Toletanum 1. c. 4. Toletan. 4. 17. Braccarenſe 1. c. 31. Cyprianum l. 4. ep. 2. & alios. Hoc argumento utitur Bellarm. lib. 4. de Euchariſtia, c. 24. aſſerens nomine Laicæ communionis intelligendam eſſe communionem ſub una ſpecie. Quod ſi verum eſt, argumentum eſt efficaciſſimum pro uſu unius ſpeciei. Aliqui tamen non ſolum ex adverſariis, ſed etiam Catholicis aliter ſentiunt; nempe communionem Laicam fuiſſe illam, quam ſumebant olim Laici extra chorum; Clericalem vero, quam ſumebant Clerici in choro. Utramque tamen ſub ſpecie panis, & vini. Conſtat enim fuiſſe olim moris, ut laici orarent, & communicarent extra cancellos, per miniſterium Archidiaconi: Epiſcopi vero, Sacerdotes, & reliqui Clerici inter cancellos. Huc ſpectat illud ex Conc. Tolet. 4. c. 17. *Sacerdotes, & Levitæ ante altare communicent: in choro Clerus, extra chorum populus*. Et ex Braccarenſi 1. c. 31. *Ingredi ſacra-*

ſacrarium ad communicandum non liceat Laicis: niſi tantum Clericis: Itaque juxta hanc ſententiam, pœna Clericorum, qui deliquerant, in eo erat poſita, ut, excluſi ex choro, cogerentur extra chorum communicare inter Laïcos, & quaſi in ordinem Laicorum redigerentur. Quod ſi ita eſt, non videtur hinc ſumi poſſe argumentum pro communione ſub una ſpecie.

57. Ego de hac re, ſalvo meliori judicio, ſic ſentio. Primo, verum eſſe, quod olim Laici extra chorum, Clerici in choro communicarint; Et hoc ſenſu aliam fuiſſe communionem Laicam, aliam clericalem; quarum una fuerit diſtincta ab alia, ratione loci; Utramque tamen fuiſſe publicam. Secundo, verum quoque eſſe, quod Clerici, in pœnam alicujus delicti, ſoliti ſint privari communione Clericorum, quæ fiebat in choro; & remitti ad communionem Laicorum, quæ fiebat extra chorum. Utrumque patet ex Conciliis citatis, Toletano, & Braccarenſi. Addo tertio, præter hanc pœnam fuiſſe aliam (non nomine, ſed ſignificatione) qua nimirum Clerici, propter enormia quædam flagitia, privabantur communione Clericali, & remittebantur ad Laicam, longe alio ſenſu. Hoc facile oſtendo. Nam Felix III. loco citat. vult Clericos rebaptizatos abſtinere ab omni communione uſque ad diem obitus, & in ipſa morte non dari illis niſi communionem Laicam. Et Concil. Sardicenſe cap. 2. ne in morte quidem dari illam permittit, ob crimina quædam graviora. Sic enim ait: *Ita ut nec Laicam in fine communionem talis accipiat*. Hæc autem teſtimonia non poſſunt intelligi de communione Laica juxta priorem ſenſum, quia illa fiebat publice in templo, & diſtinguebatur a Clericali, quod hæc fieret in choro, illa extra chorum. Nihil tale dici poteſt de communione Laica, quæ privatim dabatur, vel negabatur clericis in articulo mortis. Ibi enim non habet locum diſtinctio communionis in choro, & extra chorum. Unde neceſſe eſt, fuiſſe morem, ut in articulo mortis Clerici ſub utraque, Laici ſub una ſpecie communicarent. Nam alias non video, quid intelligi poſſit per Laicam communionem, quæ privatim ægrotantibus dari ſolet. Et hoc optime confirmant illa verba Concilii Sardicenſis, quæ paulo ante citavi: *Ita ut nec Laicam in fine communionem talis accipiat*, quaſi dicat: Epiſcopus, qui tam grande crimen (de quo ibi ſermo eſt) admiſerit, non ſolum Clericali, ſed etiam Laica communione privabitur in fine vitæ: id eſt, non ſolum Communione utriuſque, ſed etiam unius ſpeciei, in pœnam tanti delicti, abſtinebit. Si hic ſenſus non eſt, quis alius eſſe poteſt? Si autem hic eſt, quid amplius requirimus?

58. Addi poſſent alia argumenta deſumpta ex communione ægro-

ægrotorum, ex communione infantium, & communione ex præſanctificatis, quæ Bellarminus loco citato perſequitur. Sed lubens ea omitto; quia quæ hactenus allata ſunt, abunde nobis ſufficiunt. Ex iis enim perſpicue conſtat, uſum unius ſpeciei ante mille annos, & eò amplius in Eccleſia Catholica, tum publice Romæ, & Conſtantinopoli, tum privatim in Eremo, & in domibus Laicorum, & in articulo mortis, fuiſſe receptum, & approbatum; tametſi propter varios abuſus fuerit aliquando, ad breve tempus, prohibitus, & intermiſſus. Quod in aliis quoque rebus evenire ſolet. An non trina immerſio, quæ fit in Baptiſmo, recepta, & uſitata fuit tempore Tertulliani? Negari non poteſt. Et tamen poſtea in Concilio Toletano 4. can. 5. propter legitimam cauſam fuit interdicta.

CONCLUSIO SEXTA.

Sub una ſpecie non minus continetur Chriſtus, quam ſub utraque.

59. Oſtendi hactenus unam ſpeciem uſurpatam fuiſſe, primo a Diſcipulis in Emmaus: deinde a fidelibus ætate Apoſtolorum: denique ab aliis, qui poſtea ſucceſſerunt: Nunc duæ cauſæ explicandæ ſunt, cur id recte factum ſit. Una eſt, quia ſub una ſpecie non minus continetur totus Chriſtus, quam ſub utraque. Altera, quia non minor fructus percipitur ex una, quam ex utraque, cæteris paribus. Priorem hic explicabo, poſteriorem in ſequenti concluſione.

60. Circa priorem cauſam, primo videndum eſt, quid ſentiant Catholici. Illi ergo ſic ſtatuunt. Primo, in Chriſto ſpectari poſſe carnem, ſanguinem, animam rationalem, & divinitatem, ſeu perſonam Verbi. Secundo, Chriſtum ſecundum hæc omnia contineri in ſacramento Euchariſtiæ, & hoc eſſe, quod dici ſolet Chriſtum totum contineri in hoc ſacramento. Tertio, Chriſtum non ſolum ſub utraque ſpecie ſimul ſumpta, ſed etiam ſub una ſpecie ſeparatim accepta totum contineri, id eſt, totum ſub ſpecie panis, & totum ſub ſpecie vini. Quarto, aliter tamen contineri ſub ſpecie panis, aliter ſub ſpecie vini. Nam ſub ſpecie panis contineri ſolam carnem vi ſacramenti: reliqua per naturalem concomitantiam: Contra, ſub ſpecie vini contineri ſolum ſanguinem vi ſacramenti, reliqua per concomitantiam. Hæc omnia habentur in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 3. & ſeſſ. 21. Can. 3. & apud D. Thomam in 3. p. q. 76. ar. 1. & 2.

61. Cal-

61. Calviniſtæ longe aliter ſentiunt. Primo, Chriſtum ſecundum carnem, ſanguinem, & animam rationalem, non eſſe niſi in cœlo, ac proinde tanto intervallo abeſſe ab Euchariſtia, quanto cœlum diſtat a terra. Secundo, hinc fieri, ut nec ſub una, nec ſub utraque ſpecie dicatur contineri. Tertio, ridiculum eſſe, quod docent Catholici de concomitantia. Vide Calvinum l. 4. inſt. c. 17. §. 18. 35. & 47. & in confeſſione de re ſacramentaria in fine.

62. Lutherani diviſi ſunt. Nam aliqui partim cum Catholicis, partim cum Calviniſtis conſpirant. Cum Catholicis fatentur, Chriſtum eſſe præſentem in Euchariſtia, cum Calviniſtis negant concomitantiam. Itaque ſecundum illos dicendum eſſet, ſolam carnem Chriſti eſſe ſub ſpecie panis, & ſolum ſanguinem ſub ſpecie vini, Animam rationalem ſub neutra contineri. Ita videtur ſentire Tilmanus Heshuſius in libr. de ſexcentis erroribus Pontificiorum, tit. 17. errore 4. & 18. Hermannus Hammelmannus in lib. de communione ſub utraque ſpecie, & Illyricus in lib. contra Sacramentarios parte 2. arg. 25. & parte 3. in ſolutione 3. objectionis.

63. Alii cum Catholicis ſimpliciter aſſerunt, totum Chriſtum contineri ſub unaquaque ſpecie, etiam ſeparatim ſumpta; ut Joannes Brentius in confeſſione Vvirtembergenſi, articulo de Euchariſtia, Kemnitius in diſputatione de utraque ſpecie, & omnes alii, qui defendunt ubiquitatem. Nam ſi totus Chriſtus ſecundum divinitatem, & humanitatem ubique eſt, ut ipſi volunt, neceſſe eſt totum in pane, & ſimiliter totum in calice eſſe.

64. Calviniſtæ alibi refutandi ſunt. Satis ſit hoc loco monuiſſe, eos in Euchariſtiæ ſacramento nihil reliquum habere, præter nuda ſymbola panis, & vini, quia totam ejus ſubſtantiam turpiſſime abnegarunt, contra expreſſa Chriſti verba: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.*

65. Lutherani, qui fatentur Chriſtum in Euchariſtia præſentem eſſe, & tamen negant concomitantiam, hoc uno ſcripturæ loco refelluntur, Rom. 6. 9. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Nam quæro ex ipſis, an caro Chriſti ſit ſola ſub ſpecie panis, an conjuncta cum ſanguine, anima rationali, & divinitate? Si ſola eſt, mortua eſt. At Chriſtus non moritur, ut inquit Apoſtolus. Si conjuncta cum ſanguine, anima, & divinitate; jam totus Chriſtus eſt ſub ſpecie panis, quod contendimus. Et non eſt totus vi ſacramenti, quia vis ſacramenti conſiſtit in illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*. Hæc autem verba vi ſua non ſignificant totum Chriſtum, ſed tantum corpus,

ſeu

ſeu carnem. Ergo caro Chriſti eſt ſub ſpecie panis, vi verborum ſacramenti: reliqua per concomitantiam.

66. Hoc clarius explico. Sicut in pomo multa ſpectari poſſunt, color, odor, ſapor, quantitas, ſubſtantia; ſic etiam in Chriſto divinitas, anima rationalis, caro, ſanguis. Rurſum, ſicut oculi vi ſua non vident totum pomum, ſed ſolum colorem; & tamen, quia color realiter conjunctus eſt cum odore, ſapore, quantitate, & ſubſtantia, cenſetur videri totum pomum per naturalem concomitantiam: Sic etiam verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, vi ſua non ſignificant totum Chriſtum, ſed tantum carnem Chriſti; & tamen, quia caro Chriſti realiter unita eſt ſanguini, animæ rationali, & perſonæ Verbi, cenſetur totus Chriſtus ſignificari per realem unionem, ſeu concomitantiam. Porro, quia verba, quod ſignificant, hoc efficiunt, quod de ſignificatione dictum eſt, de efficientia quoque intelligi debet. Et quid hic monſtri eſt, quod tantopere metuunt adverſarii? Nihil ſane. Perinde eſt, ac ſi dicam, me quidem invitaſſe ſolum Joannem ad prandium, ſed tamen, quia Petrus cum eo erat, a quo nolebat divelli, veniſſe cum eo Petrum.

67. Ex dictis ſic concludo: Si totus Chriſtus non minus continetur ſub una ſpecie, quam ſub utraque, perinde erit, cæteris paribus, ſive ſub una, ſive ſub utraque Euchariſtiam accipiamus. Semper enim accipiemus eundem Chriſtum, & quidem totum, ac integrum. At prius verum eſt. Ergo & poſterius.

68. Et confirmari poteſt a ſimili. Faciamus legatum mille florenorum a teſtatore relictum tibi eſſe, & totum in duplici codicillo deſcriptum contineri, nec minus tibi profuturum, ſi unum, quam ſi utrumque codicillum ab hæredibus teſtatoris accipias. Sane, ſi hæredes alterum codicillum tibi offerant, cujus vigore totum legatum percepturus ſis, quid habes, quod queraris? Nihil video. Nam æque certus es de tota pecuniæ ſumma per unum, quam per utrumque codicillum, nec aliunde quicquam pateris detrimenti. Plane ſic res habet in noſtro propoſito. Totum Chriſtum accipis, non minus ſub una, quam ſub utraque ſpecie. Quid ergo queri potes?

69. Sed multo luculentius Scriptura nobis hoc explicat ſimilitudine Mannæ, quæ fuit figura Euchariſtiæ. Sic enim legimus Exod. 16. 17. *Feceruntque ita filii Iſrael, & collegerunt, alius plus, alius minus. Et menſi ſunt ad menſuram gomor. Nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus paraverat, reperit minus: ſed ſinguli juxta id, quod edere poterant, congregaverunt*. Nimirum voluit Deus quaſi in figura multo ante ſignificare,

non

non minus percepturos ex Euchariſtia, qui unam, quam qui duas ſpecies accepturi eſſent: nec plus, qui duas, quam qui unam ſumpturi.

70. Hinc ulterius infero, Catholicos merito beatos, Lutheranos, & Calviniſtas infelices eſſe. Nam Catholici juxta Scripturam non minus ſub una, quam ſub utraque ſpecie percipiunt. Semper enim exhibetur illis totus, & integer Chriſtus. Lutherani vero, ſive ſub una, ſive ſub utraque ſpecie communicent, nunquam totum Chriſtum, ſed ſub una ſpecie ſolam carnem, & ſub altera ſolum ſanguinem putant ſe accipere. Et quia id falſo putant (Chriſtus enim non moritur, ut ait Apoſtolus: ideoque caro non eſt ſine ſanguine, anima, & divinitate) non plus accipiunt, quam Calviniſtæ, ideſt, nihil. Perinde enim eſt, ſive dicas cum Calviniſtis, Chriſtum omnino præſentem non eſſe in Euchariſtia, ſive cum Lutheranis, Chriſtum mortuum præſentem eſſe. Utrumque enim impium, & ſacrilegum eſt.

CONCLUSIO SEPTIMA.

Ex una ſpecie non minor fructus percipitur, quam ex utraque.

71. HOc plane conficitur ex dictis. Nam ſi totus Chriſtus, qui eſt fons omnium donorum ſupernaturalium, non minus continetur ſub una, quam ſub utraque ſpecie, certe non minor fructus ex una, quam ex utraque ſperari poteſt. Hoc ſenſu dixit D. Th. in 3. p. q. 80. ar. 12. ad 3. *Poteſt a populo ſumi corpus ſine ſanguine, nec exinde ſequitur aliquod detrimentum, quia ſub utraque ſpecie totus Chriſtus continetur*. Et Chriſtus ipſe, cum de fructu Euchariſtiæ loquitur, eundem plane effectum tribuit uni ſpeciei, quem utrique, Joan. 6. 51. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et infra: *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Huc etiam ſpectat figura, quæ de manna ſupra allata eſt. Sicut enim manna erat cibus corporis: ita Euchariſtia eſt cibus animæ. Et ſicut manna non minus ſatiabat, & reficiebat vires corporis, ſive quis plus, ſive minus collegiſſet; ſic etiam Euchariſtia non minus reficit mentem, ſive ſub una, ſive ſub utraque ſpecie ſumatur, modo aliunde non ſit impedimentum.

72. Sed ut clarius intelligatur, quod dicimus, explicandum eſt, quid quiſque ſentiat de fructu Euchariſtiæ. Lutherani putant, totum illius fructum in eo conſiſtere, ut fides in nobis excitetur, aut confirmetur. Fundamentum eorum duplex eſt. Unum,

num, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam, qua quis certo perſuaſus eſt, peccata ſibi gratuito remiſſa eſſe per merita Chriſti, juxta divinam promiſſionem. Alterum, ſacramenta inſtituta eſſe ad hanc fidem in nobis excitandam, & confirmandam. Eſſe enim ſigna quædam ſenſibilia, quibus Deus ſuam promiſſionem de gratuita peccatorum remiſſione per merita Chriſti obſignavit, & nobis reliquit, ut ex eorum aſpectu, vel uſu ſtatim excitemur ad certam fiduciam remiſſionis peccatorum concipiendam.

73. Ex his fundamentis, quæ tamen falſa, & alibi refutanda ſunt, oſtendo Lutheranos, ſi quem fructum ex Euchariſtia percipiunt, non minorem ex una, quam ex utraque ſpecie percipere poſſe, ſi velint, ac proinde fruſtra eos urgere utramque ſpeciem. Hoc autem ſic oſtendo. Vel fides excitatur ex aſpectu ſacramenti, vel ex auditu verborum, quæ recitantur in ſacramenti adminiſtratione, vel ex ipſa ſumptione ſacramenti. Si excitatur ex aſpectu ſacramenti; fruſtra Lutherani urgent ſumptionem utriuſq; ſpeciei. Primo, quia Laici, tametſi alteram tantum ſpeciem accipiant, poſſunt tamen utramque aſpicere, quia Sacerdos utranque palam ſpectandam exhibet. Ergo, ſi ſolus aſpectus ſufficit, quid urgent ſumptionem utriuſque ſpeciei? Secundo, non minus excitatur fides ex aſpectu unius ſpeciei in ſacramento, quam ex aſpectu unius merſionis in Baptiſmo: Ergo ſicut in Baptiſmo non requiruntur tres merſiones ad excitandam fidem, ſed una ſufficit; ſic etiam in Euchariſtia non requiruntur duæ ſpecies, ſed una ſufficit. Tertio, quando Lutherani communicant ſub utraque ſpecie, prius vident ſpeciem panis, quam calicis. Vel ergo ex ſolo aſpectu panis excitatur fides, vel non. Si excitatur, quid ulterius volunt? Si non excitatur, quid prodeſt ſumere illam ſpeciem? Dicent, excitari quidem fidem ex aſpectu panis Euchariſtici, ſed confirmari ex aſpectu calicis. Sed quæro, an fides excitata ex priori aſpectu ſit vera fides juſtificans, nec ne? Si eſt, jam vero credunt Lutherani, peccata ſibi remiſſa eſſe: Ergo jam vere remiſſa ſunt. Quid volunt amplius? an quæ ſemel vere remiſſa ſunt, indigent nova remiſſione? Non, opinor. Si autem non eſt vera fides juſtificans, quid ergo eſt? aut quid tandem prodeſt? Sed eſto: fides ſemel excitata confirmanda ſit. An hoc fieri non poteſt ex unius ſpeciei aſpectu ſemel, ac ſæpius repetito? Sicut enim qui ſæpius, ac iterato intuetur eandem Chriſti imaginem, poteſt ſæpius excitari ad commemorandam ipſius mortem, & paſſionem: ſic etiam in propoſito. Unde ſicut una imago non ſolum ad excitandam, ſed etiam ad confirmandam re-

cor-

cordationem ſufficiens eſt: Sic plane ſentiendum eſt de una ſpecie Euchariſtica. An Lutherani putant unum Bibliorum codicem non ſufficere ad excitandam, & confirmandam fidem, niſi alter adſit, qui priori ſuppetias ferat? Si ergo non eſt alius fructus Euchariſtiæ, quam ſolo aſpectu excitare fidem remiſſionis peccatorum, is ſane æque percipi poteſt ex una, quam ex utraque ſpecie, ut jam oſtenſum eſt.

74. Si autem fides excitatur, non ex aſpectu Sacramenti, ſed ex auditu verborum, quæ in ſacramenti adminiſtratione recitantur; ne ſic quidem urgeri poteſt ſumptio utriuſque ſpeciei. Nam laici non minus audiunt illa verba, quando communicant ſub una ſpecie, quam quando ſub utraque. Ergo non minus excitari poteſt illorum fides in ſumptione unius, quam utriuſque ſpeciei. Imo, quid opus eſt ſumptione Euchariſtiæ, ſi ex ſolo verborum auditu fides ſufficienter excitatur? Satis erit ad fructum illum percipiendum, ſi miniſter clara voce recitet verba inſtitutionis ex Euangelio, & Laici miniſtrum recitantem audiant.

75. Si denique neque ex aſpectu, neque ex auditu, ſed ex ipſa ſacramenti ſumptione fides excitatur; quid tandem illud eſt, quo potiſſimum excitatur? Nam multa ſpectari poſſunt in ſumptione. 1. Externa actio ſumendi. 2. Interna fides, & devotio ſumentium. 3. Species panis, & vini, quæ ſumuntur. 4. Corpus, & Sanguis Chriſti, quæ ſub illis ſpeciebus continentur. Quid ergo ex his omnibus eſt, quod fidem excitat in Lutheranis? An externa ſumptio? At illa ſalvari poteſt in una ſpecie? An interna fides, & devotio? At ſic fides ſeipſam excitaret. Imo fides adeſſet, antequam excitaretur. An ſpecies panis, & vini? At cum una ſpecies contineat totum Chriſtum, non minus, quam ambæ ſimul; cur una non ſufficiat? An denique corpus, & ſanguis Chriſti? At jam dixi, hæc non minus ſub una, quam ſub utraque ſpecie contineri.

76. Vident, opinor, Lutherani, quocunq; tandem ſe vertant, non minorem fructum invenire ſe poſſe in una, quam in utraque ſpecie; ac proinde ex hoc capite non recte urgere utramque ſpeciem. Hoc unum coronidis loco ab iis quæro: An per illam fidem, quæ in hoc Sacramento in ipſis excitatur, credant Chriſtum vivum præſentem eſſe in Euchariſtia, an mortuum? Si mortuum, errant; quia *Chriſtus non moritur*, ut ait Apoſtolus: Si vivum, etiam errant, ſaltem ſua opinione; quia putant, ſolam carnem eſſe ſub ſpecie panis, & ſolum ſanguinem ſub ſpecie vini. At nec ſola caro, nec ſolus ſanguis in ſe vitam habet. Ergo quidquid credunt, illorum fides erronea eſt. Quomodo ergo juſtificat? Etiam proculdubio erronee.

77. Venio ad Calviniſtas, & Zuvinglianos. Quid illi ſentiant de fructu Euchariſtiæ, ne ipſos quidem ſcire arbitror. Omnia apud ipſos dubia ſunt: Et præſertim hæc tria, quæ ad rem maxime faciunt. 1. An Chriſtus ſit realiter præſens in hoc Sacramento? 2. Quomodo comedatur, & bibatur in hoc Sacramento? 3. Quis ſit fructus manducationis, & bibitionis ſacramentalis? Hæc, inquam, dubia, & incerta ſunt apud Calviniſtas. Expendamus ſingula ſeorſim. Ac primum quæro, an Chriſtus ſit realiter præſens in hoc Sacramento? Calvinus nunc affirmat, nunc negat. Affirmat in c. 11. prioris Corinthiacæ, his verbis: *Concludo, realiter, ut vulgo loquuntur, nobis in cœna dari corpus Chriſti*. Negat in conſenſione de re Sacramentaria, in fine his verbis: *Quia tamen Chriſti corpus finitum eſt, & cœlo ut loco continetur, neceſſe eſt a nobis tanto locorum intervallo diſtare, quanto cœlum abeſt a terra*. Calvinum imitatur Pleſſæus, qui lib. 4. de Euchar. c. 3. p. 675. in fine, negat realem præſentiam, quam tamen antea c. 3. p. 660. aſſeruerat his verbis: *Dum ſacra cœna ex præſcripto Chriſti celebratur, Chriſtum realiter, & ſubſtantialiter accipimus*.

78. Secundo quæro, quomodo manducetur, & bibatur Chriſtus in hoc Sacramento? In hac re Calviniſtas, & Zuvinglianos diſſentire, fatetur Calv. ipſe l. 4. inſtit. c. 17. §. 5. cum ait: *Sed hoc non perinde inter omnes convenit, qualis ſit ejus participandi ratio. Sunt enim, qui manducare Chriſti carnem, & ſanguinem ejus bibere, uno verbo definiunt, nihil aliud eſſe, quam in Chriſtum ipſum credere. Sed mihi expreſſius quiddam, ac ſublimius videtur voluiſſe docere Chriſtus in præclara illa concione, ubi carnis ſuæ manducationem nobis commendat, nempe vera ſui participatione nos vivificari*. Quid autem hoc eſt? Sequitur paulo poſt: *Interim vero hanc non aliam eſſe, quam fidei manducationem fatemur, & nulla alia fingi poteſt. Verum hoc inter mea, & illorum verba intereſt, quod illis manducare eſt duntaxat credere: ego credo manducari Chriſti carnem, quia fide noſter efficitur, eamque manducationem fructum, effectumque eſſe fidei dico*. Hæc Calvin. Qui poteſt capere, capiat. Quid Pleſſæus? multo facilius ſe expedit. Ait Chriſtum non aliter manducari, & bibi in Euchariſtia, quam in Baptiſmo. Sic enim loquitur lib. 4. c. 3. p. 671. *Cibus in ſacra cœna, fons in ſacro lavacro: & utrobique Chriſtus eodem modo*. Et paulo poſt: *Ut Chriſtus proinde in ſacra cœna, non aliter quam in Baptiſmo, ſuſcipiatur, capiatur, guſtetur*. Et quomodo ſuſcipitur, manducatur, & bibitur in Baptiſmo? Non aliter, inquit alibi, quam in verbo Dei, ideſt, ſola fide.

Ergo

Ergo Pleſſæus jam diſcedit a Calvino; & nihil plus vult tribuere Euchariſtiæ, quam Baptiſmo.

79. Tertio, quæro, quis ſit fructus manducationis, & bibitionis Sacramentalis? Secundum Calvinum, eſt certitudo, ſeu ſecuritas de vita æterna. Imo tanta certitudo, & ſecuritas, ut non magis poſſimus amittere regnum cœlorum, quam Chriſtus, qui jam illud ingreſſus eſt. Sic enim habet Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 2. *Magnum vero fiduciæ, ac ſuavitatis fructum ex hoc Sacramento colligere poſſunt piæ animæ, quod teſtimonium habent in unum corpus nos cum Chriſto coaluiſſe, ut quidquid ipſius eſt, noſtrum vocare liceat. Hinc ſequitur, ut nobis ſecure ſpondere audeamus, vitam æternam noſtram eſſe, cujus ipſe eſt hæres: nec regnum cœlorum, quo jam ingreſſus eſt, poſſe magis nobis excidere, quam ipſi: rurſum peccatis noſtris non poſſe nos damnari.* Speciosa verba. Longe aliter Pleſſæus Calviniſta, l. 4. de Euchariſt. c. 1. p. 652. ubi diſerte affirmat, eundem eſſe fructum Euchariſtiæ, & Agni Paſchalis: & generatim loquendo, eandem eſſe vim, præſtantiam, & effectum Sacramentorum utriuſque populi, Judaici, & Chriſtiani. Inter alia ſic ait: *Quæ igitur Chriſtianorum prærogativa? & Sacramenta noſtra veteribus quid præſtant? Reſponſio in promptu eſt. Sermonis Prophetici, & Apoſtolici eadem virtus, Chriſtus utrobique ſibi ipſi par, & ſimilis. Idem de Sacramentis utriuſque populi dicendum.* Ergo ſecundum Pleſſæum eundem fructum nos percipimus ex Euchariſtia, quem olim Judæi ex eſu Agni Paſchalis. Quid hinc colligis? Si Pleſſæo credimus, Chriſtianos eſſe pares Judæis: Si Calvino, pares Chriſto in cœlo exiſtenti.

80. Vides, nihil certi eſſe apud Calviniſtas, quando de rebus ipſis agendum eſt. At cum de nudis Symbolis movetur controverſia, omnes conſtanter urgent utramque ſpeciem. Et cur id, quæſo? An Chriſtus magis ſub utraque, quam ſub una præſens eſt? At ſecundum ipſos nec ſub una, nec ſub utraque præſens eſt, ſed cœlo tantum continetur. An manducatur, & bibitur ſub utraque potius, quam ſub una? At ſecundum Pleſſæum, non aliter manducatur, & bibitur in Euchariſtia, quam in Baptiſmo. Si ergo una merſio ſufficit ad manducandum, & bibendum Chriſtum in Baptiſmo, cur una ſpecies non ſufficiet in Euchariſtia? An major fructus ſperari poteſt ex utraque ſpecie, quam ex una? At quis ille fructus eſt? Non alius ſecundum Calvinum, quam facere nos certos, & ſecuros de vita æterna. At ille fructus, ſecundum principia Calviniſtarum,

habetur ante perceptionem Euchariſtiæ, quod ſic oſtendo. Vel enim ſermo eſt de prædeſtinatis, vel de reprobis. Si de reprobis, illi nunquam certi ſunt de vita æterna. Si de prædeſtinatis, illi per fidem juſtificantem habent hanc certitudinem. At fides juſtificans præcedit perceptionem Euchariſtiæ. Quid ergo, ſi fructum quærimus, confert Euchariſtia? aut quid potius utraque ſpecies, quam una prodeſt? nihil video, ſi Calvini ſequaris principia: Prædeſtinati omnes fidem habent, quæ deficere non poteſt. Per hanc ſecuri ſunt de vita æterna. Imo omnes fidelium filii ante Baptiſmum continentur in fœdere promiſſionis vitæ æternæ: & ſine Baptiſmo ſalvari poſſunt: Nec magis futuri in cœlo beati, qui Baptiſmo tincti ſunt, quam qui non ſunt. Quid ergo præſidii quærant ex utraque, vel altera ſpecie? Fruſtra eſt apud Calviniſtas.

81. At inquies, aliter Pleſſæus ſentit de fructu, quam Calvinus. Scio; ſed nihilo melius. Ait fructum Euchariſtiæ, & Agni Paſchalis eundem eſſe. Ait Chriſtum non aliter in Euchariſtia, quam in Baptiſmo manducari, & bibi. Ait denique, Baptiſmum nos admittere in fœdus Dei; Euchariſtiam in eo conſervare. Hæc neque univerſe vera ſunt, neque inter ſe cohærent, neque rem expediunt. Si enim eſt idem fructus Euchariſtiæ, & Agni Paſchalis, quomodo dixit Auguſt. in Pſalm. 73. *Sacramenta non ſunt eadem; quia alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Salvatorem: Sacramenta novi Teſtamenti dant ſalutem; Sacramenta veteris Teſtamenti promiſerunt Salvatorem.* Rurſum, ſi Chriſtus non aliter manducatur, & bibitur in Euchariſtia, quam in Baptiſmo, quomodo alius eſt fructus Baptiſmi, nempe admittere nos in fœdus Dei, & alius Euchariſtiæ, nempe in eodem fœdere nos conſervare? Denique, ſi per Euchariſtiam conſervamur in fœdere, quomodo id potius per utramque ſpeciem fit, quam per unam? Et quæro, ſi prædeſtinati ſub una tantum ſpecie communicarent, an conſervarentur in fœdere, necne? Si conſervarentur, res ſalva eſt. Sin minus: quid de iis futurum eſſet? Dices, conſervandos quidem, non tamen vi unius ſpeciei, ſed vi prædeſtinationis. At idem dicturus eſſes in ſumptione utriuſque ſpeciei. Nam etiam tunc vi prædeſtinationis conſervarentur. Quid ergo ſi fructum ſpectemus, intereſt inter unam, & utramque ſpeciem? Nondum video. Niſi forte ad præceptum recurras. Sed de hoc infra. Nunc ſolum de fructu diſputamus.

82. Relinquo Calviniſtas, quia nihil ſolidi apud ipſos invenio. Negant præſentiam Chriſti in Euchariſtia contra apertam Scri-

Scripturæ, & ſanctorum Patrum ſententiam. In explicanda manducatione, & bibitione ſacramentali penitus inter ſe diſſident. Nullum fructum, qui huic Sacramento proprius, ac peculiaris ſit, proferre omnino poſſunt. Quanto ſolidior, verior, & ſalubrior eſt Catholicorum doctrina, quæ initio capitis a me propoſita eſt, & his paucis aſſertionibus breviter explicari poteſt?

83. Prima Aſſertio. Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ, ſub ſpecie panis, & vini, vere, realiter, & ſubſtantialiter præſens eſt; ideoque hoc Sacramentum dicitur conſtare partim ſpeciebus ſacramentalibus, quæ oculis cernuntur, partim corpore, & ſanguine Chriſti, quæ ſub illis ſpeciebus latent. Matth. 26. 26. *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 4. myſtagogica: *Cum Chriſtus ipſe dicat, Hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?*

84. Altera Aſſertio. Hoc Sacramentum inſtitutum eſt, non ut homines per peccatum mortui vitam ſpiritualem inde percipiant; ſed ut homines per gratiam vivi nutriantur, & majores vires acquirant. Hinc recte vocatur *cibus, potus, eſca, viaticum.* Nam ſicut homo, qui corporaliter vivit, indiget cibo, & potu corporaliter ad ſe nutriendum, & conſervandum corporaliter: ſic etiam qui vivit ſpiritualiter, indiget cibo, & potu ſpirituali ad ſe nutriendum, & conſervandum ſpiritualiter. Joan. 6. v. 53. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis*, id eſt non conſervabitis, *vitam in vobis.* Rurſum, ſicut homini corporaliter mortuo non prodeſt cibus, aut potus corporalis; ita homini per peccatum mortuo non prodeſt, ſed potius obeſt cibus, & potus Euchariſtiæ. 1. Corinth. 11. 28. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

85. Tertia Aſſertio. Hoc intereſt inter corporalem, & ſpiritualem nutritionem, quod illa fiat cibo, & potu, tanquam duabus rebus diſtinctis, ut aliud ſit cibus, & aliud potus: hæc autem fiat una re, quæ ſimul cibus, ſimul potus ſit. Itaq; Chriſtus, qui totus continetur ſub ſpecie panis, ſub illa eadem ſpecie cibus, & potus eſt: Idemque Chriſtus, qui etiam totus continetur ſub ſpecie vini, ſub eadem quoque ſpecie cibus, & potus eſt. Non enim differt cibus, & potus in ſpirituali refectione, ſicut differt in corporali. Unde manducare, & bibere, eſurire, & ſitire indifferenter pro eodem ſumuntur in Scriptura, Matt. 5. v. 6. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Joan. 6. 35. *Ego ſum panis vitæ : qui venit ad me , non eſuriet , & qui credit in me , non ſitiet unquam .*

86. Quarta Aſſertio . Hinc fit , ut perinde ſit, ſi nutritionem ſpiritualem ſpectes , ſive ſumas Chriſtum ſub ſpecie panis tantum , ſive ſub ſpecie vini tantum , ſive ſub utraque ſimul : quia ubique totus eſt ; ubique cibi, ac potus rationem habet ; & conſequenter ubique plenam refectionem præſtare poteſt . Unde non minor fructus percipitur ex ſumptione unius, quam utriuſque ſpeciei . Cum enim totus fructus pendeat a Chriſto , tanquam a fonte bonorum omnium ſpiritualium , & is æque ſub una , atque ſub utraque ſpecie præſens ſit , & æque ſub una , atque ſub utraque cibi , & potus rationem habeat : neceſſe eſt, non minorem fructum ab una , quam ab utraque ſpecie ſperari poſſe . Vide , quæ ſupra dixi , §. 71.

87. Quinta Aſſertio . Porro in perceptione hujus Sacramenti duplex manducatio diſtinguenda eſt , una Sacramentalis , altera ſpiritualis . Eos dicimus ſacramentaliter manducare Chriſtum , qui hoc Sacramentum , in quo Chriſtus ſub ſpeciebus ſacramentalibus continetur , ore corporali accipiunt , & in ſtomachum trajiciunt : eos autem ſpiritualiter , qui quando ore corporis ſacramentaliter manducant Chriſtum ſub ſpeciebus ſacramentalibus , ſimul etiam percipiunt ſpiritualem animæ refectionem , id eſt gratiam ſacramentalem , qua anima ſpiritualiter paſcitur , & nutritur . Prior manducatio communis eſt bonis , & malis . Omnes enim tam boni , quam mali poſſunt ore corporis accipere Chriſtum in Euchariſtia , ſicut undecim Apoſtoli boni , & Judas proditor . Poſterior propria juſtorum eſt . Hi enim ſoli percipiunt ſpiritualem fructum ex ſacramentali manducatione . Eſt autem duplex hic fructus : alter conſiſtit in augmento gratiæ , & charitatis habitualis : alter in auxiliis gratiæ excitantis , quibus Deus nos prævenit , invitat , & corroborat ad bene , beateque operandum . Sicut enim in nutritione corporis non ſolum augetur caro , ſanguis , & oſſa , ſed etiam excitantur ſpiritus ſenſitivi , & vitales , qui apti ſunt ad actiones ſenſitivas , & vitales prompte exequendas : Sic in nutritione animæ non ſolum augetur gratia habitualis , & alia dona permanentia , ſed etiam excitantur motiones divinæ , ac ſupernaturales , quibus homo juſtus ſuaviter impellitur , & corroboratur ad pia opera prompte exercenda . Atque hæc breviter dicta ſint de ſententia Catholicorum . Nam cœtera , quæ ſubtiliora ſunt, in ſcholis diſputavimus .

88. Sunt tamen quædam objectiones diluendæ , quæ non quidem ab Adverſariis , ſed ab ipſis Catholicis exercitii cauſa oppo-

opponi ſolent; idque eo fine, ut quod hactenus dictum eſt, melius intelligatur, & explicetur. Prima eſt: Si Chriſtus ſub una ſpecie continetur ſemel totus, & ſub altera ſemel totus: Ergo ſub utraque continetur bis totus: Ergo plus confert ſub utraque, quam ſub una. Reſpondeo. Negatur ultima conſequentia; quia etiam ſub una parte panis conſecrati continetur ſemel totus, & ſub duabus partibus bis totus; & tamen, ſi fructum ſpectes, perinde eſt, ſive quis ſumat unam, ſive duas, aut tres particulas panis conſecrati. Idem eſt de vino conſecrato. Alius plus, alius minus bibit ex eodem calice, & tamen fructus non ideo major, aut minor eſt.

89. Secunda objectio. Unaquæque ſpecies per ſe confert effectum ſuum: Ergo plus conferunt duæ, quam una. Reſpondeo cum diſtinctione Quando una ſpecies ſola ſumitur per modum unius refectionis, confert totum illum effectum, quem conferunt ambæ ſpecies ſimul ſumptæ per modum unius refectionis; Quando autem una ſpecies ſumitur cum alia, tunc partialiter confert eundem effectum. Simile eſt de duabus particulis panis conſecrati, aut de duobus hauſtibus vini conſecrati. Dices: Vel totus effectus datur in ſumptione panis; vel totus in ſumptione vini; vel pars in ſumptione panis, & pars in ſumptione vini. Si totus in ſumptione panis, jam nihil efficit ſumptio vini. Si totus in ſumptione vini, nihil efficit ſumptio panis: Si pars in ſumptione panis, & pars in ſumptione vini, jam plus prodeſt ſumptio utriuſque, quam unius ſpeciei. Reſpondeo: Idem argumentum fieri poteſt de ſumptione duarum particularum panis conſecrati, aut de iterato hauſtu calicis, aut de triplici merſione in baptiſmo. Dicendum ergo eſt, totum effectum conferri in ſumptione panis; abſolute quidem, ſi altera ſpecies non ſequatur; in ordine vero ad alteram, ſi ſequatur: Sicut ſi habeas duplicem particulam hoſtiæ, totum effectum conſequeris in ſumptione prioris; abſolute, ſi illam ſolam ſumpſeris; in ordine vero ad alteram; ſi illam adjeceris: De duplici hauſtu par proportio eſt.

90. Tertia objectio. Licet totus Chriſtus ſit ſub una ſpecie non minus, quam ſub utraque; tamen, ut ſupra dictum eſt, vi verborum ſola caro eſt ſub ſpecie panis, & ſolus ſanguis ſub ſpecie vini. Ergo vi verborum plus continent duæ ſpecies, quam una: Ergo etiam plus efficiunt. Reſpondeo: Parum refert ad effectum Euchariſtiæ, an caro, vel ſanguis Chriſti ſit ibi vi verborum, vel per naturalem concomitantiam. Hoc ſatis eſt, quod totus Chriſtus non minus ſit ſub una ſpecie, quam ſub

utraque. Nam effectus Euchariſtiæ non pendet immediate a vi verborum, ſed ab ipſo Chriſto, qui eſt præſens in ſacramento. Ut hoc melius intelligatur, diſtinguendi ſunt duo effectus, qui pendent a diverſis cauſis. Unus eſt præſentia Chriſti in Euchariſtia ſub ſpeciebus ſacramentalibus. Hic immediate efficitur vi iſtorum verborum: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*. Alter eſt gratia ſacramentalis, ſeu interna animæ nutritio, & refectio. Hic immediate efficitur a Chriſto jam præſente: Et de hoc diſputamus.

91. Quarta objectio. Duæ ſpecies ſimul ſumptæ plus ſignificant, quam una: Ergo etiam plus efficiunt; quia efficientia reſpondet ſignificationi. Antecedens patet, quia duæ ſpecies ſignificant integrum convivium, conſtans cibo, & potu: Una ſpecies ſignificat alteram tantum partem convivii; ut ſpecies panis, ſolum cibum; & ſpecies vini, ſolum potum. Reſpondeo cum diſtinctione. Nam ſignificatio ſacramentalis dupliciter ſpectari poteſt. Primo, ex parte rei ſignificatæ. Secundo, ex modo tantum ſignificandi. Hoc oſtendo in Baptiſmo. Exterior enim ablutio ſpectatur ſemel, quatenus ſignificat internam ablutionem a peccatis; & ſemel, quatenus eam ſignificat vel per unam, vel per trinam immerſionem. Idem eſt in Euchariſtia. Nam hoc ſacramentum ſpectatur ſemel, quatenus ſignificat internam animæ refectionem; & ſemel, quatenus eam ſingificat vel unius, vel utriuſque ſpeciei ſumptione. Si ergo priori modo ſpectetur ſignificatio illius, eſt ſemper æque perfecta, quia ſemper eſt eadem res ſignificata, nempe refectio animæ. Si poſteriori, perfectior eſt ſignificatio ſub utraque, quam ſub altera tantum ſpecie, quia modus ſignificandi eſt perfectior. Efficientia tamen ſacramenti non reſpondet ſignificationi ex parte modi ſignificandi, ſed ex parte rei ſignificatæ.

92. Quinta objectio. Si quis in triduo mortis conſecraſſet Euchariſtiam, non percepiſſet tantum fructum ex una ſpecie, quantum ex utraque, ut multi fatentur. Ergo neque nunc percipimus tantum ex una, quantum ex utraque, quia Euchariſtia jam non eſt alia, quam tunc fuiſſet. Reſpondeo: Non eſt ſimile. Nam in illo triduo Chriſtus erat mortuus; & non ſolum corpus ab anima, ſed etiam caro a ſanguine ſeparata. Nunc autem vivus eſt. Unde, ſi in illo triduo fuiſſet caro ſine ſanguine, & anima rationali; & ſub ſpecie vini fuiſſet ſanguis ſine carne, & anima rationali. Plus ergo fuiſſet ſub utraque ſpecie, quam ſub una. Hinc aliqui putant, majorem etiam fructum ab utraque, quam ab una percipi potuiſſe. Mihi tamen non videtur hoc ſequi.

ſequi. Nam vis, & efficacia hujus ſacramenti non pendet præciſe a carne, & ſanguine, ſed potius a Divinitate, ſeu perſona Verbi. Cum ergo in triduo mortis caro Chriſti, licet a ſanguine eſſet ſeparata, manſerit tamen conjuncta cum Divinitate, ſeu perſona Verbi, retinuit eandem vim, & efficaciam, quam nunc habet: Ergo etiam in illo triduo non major fructus ab utraque ſpecie, quam ab una tantum ſperari potuiſſet.

93. Sexta objectio. Si eſt tantus fructus unius ſpeciei, quantus utriuſque, quare Chriſtus utramque inſtituit? Et quare Sacerdotes non ſunt una contenti, ſicut jubent laicos eſſe contentos? Reſpondeo: Euchariſtia non ſolum eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium novæ legis. Igitur ratio ſacramenti ſalvari poteſt in una ſpecie: ratio ſacrificii requirit utramque ſpeciem. Laici ergo, qui Euchariſtiam accipiunt, ut ſacramentum eſt, una ſpecie contenti ſunt. Sacerdotes autem, qui illam ut ſacrificium offerunt, utramque ſpeciem uſurpare debent. Plura de hac re in materia de ſacrificio Miſſæ. Hæc pauca pro loco ſufficiant.

CONCLUSIO OCTAVA.

Poſſunt eſſe legitimæ cauſæ, cur potius ſub una ſpecie, quam ſub utraque Laici communicent.

94. HActenus explicatæ ſunt duæ cauſæ, cur Laici non minus ſub una, quam ſub utraque ſpecie communicare poſſint. Prior eſt, quia totus Chriſtus non minus ſub una, quam ſub utraque continetur. Poſterior, quia non minor fructus ex una, quam ex utraque percipitur. Nunc aliæ cauſæ aſſerendæ ſunt, cur expediat eos ſub una ſpecie potius, quam ſub utraque communicare. Sunt autem potiſſimum tres. Prima, quia multi ſunt abſtemii a vino. Altera, quia vinum in multis haberi non poteſt, præſertim in tanta copia, ut multa hominum millia poſſint communicare. Tertia, quia in tanta communicantium multitudine ſæpe eſſet periculum effuſionis, aut irreverentiæ.

95. Hæ cauſæ ſufficientes ſunt, ſi ſemel ſtatuamus (quod hactenus probatum eſt, & infra rurſus confirmabitur) utramque ſpeciem jure divino non eſſe neceſſariam, ſed alteram ſufficere; nec plus utilitatis ex utraque, quam ex altera percipi poſſe. Nam ſi ita eſt, prudenter abſtinere poſſumus a calice propter rationes jam allatas. Nec id negant adverſarii. Solum urgent præceptum de utraque ſpecie, de quo jam non agimus. Excluſo ergo præcepto, nihil eſt, quod amplius obiiciant.

96. Imo

96. Imo quod magis miror, ipſi, qui præceptum urgent, putant eas cauſas, quas jam attuli, tanti momenti eſſe, ut una ſpecies licite uſurpari poſſit. Nam Joannes Brentius in Apologia pro confeſſione Vvirtembergenſi fatetur, abſtemios poſſe ſub una ſpecie communicare. Et Philippus Melanchthon in Libro de uſu integri ſacramenti affirmat, Ruthenos, ob vini inopiam, recte facturos, ſi pro vino uterentur medone, ſeu aqua mellita.

97. Ex hac illorum confeſſione ſic argumentor. Si abſtemii, & Rutheni poſſunt licite communicare, & fructum Euchariſtiæ percipere ſine ſpecie vini: cur non ſimiliter alii? Dicent, ſine dubio, obſtare præceptum Chriſti: abſtemios, & Ruthenos excuſari ab obſervatione præcepti: reliquos non item. Sed fruſtra. Sic enim inſto: Brentius, Philippus, & alii Adverſarii putant, præceptum Chriſti in eo conſiſtere, ut una ſpecies non ſumatur ſine altera, vel ut ipſi loquuntur, ut ſacramentum Euchariſtiæ non mutiletur altera ſui parte: & ſacrilegos eſſe, qui id faciant. Sane, ſi ita eſt, Brentius, Philippus, & alii Lutherani omnino ſacrilegi ſunt, qui contra præceptum Chriſti permittunt abſtemiis, & Ruthenis ſacramentum altera ſui parte mutilatum. Addo hoc dilemma: Vel jure divino prohibitum eſt communicare ſub altera tantum ſpecie, vel non eſt: Si prohibitum eſt, cur permittitur abſtemiis? Si non eſt, cur reliquis negatur?

98. Ex dictis colligo hæc duo principia. Unum eſt: Omnes tam Catholici, quam adverſarii permittunt abſtemiis communionem ſub altera tantum ſpecie; nec unquam auditum eſt, a temporibus Apoſtolorum ad nos uſque, abſtemios fuiſſe a communione excluſos. Alterum eſt: Nulli, nec Catholici, nec Adverſarii poſſunt diſpenſare in præcepto divino: ſed quidquid divino jure mandatum eſt, ut fiat, hoc omnino fieri debet; & quidquid divino jure prohibitum eſt, ne fiat, hoc nullo modo fieri debet. Hinc ita concludo. Ergo vel communio ſub una ſpecie non eſt prohibita jure divino, quod nos contendimus; vel ſi prohibita eſt, non poteſt fieri diſpenſatio in illa prohibitione. Et ſic abſtemii erunt repellendi a communione. Eligant hic Adverſarii quod volunt.

CONCLUSIO NONA.

Eccleſia legitime ſtatuit, ut Laici communicent ſub una ſpecie.

99. SI ſpectemus jus divinum, ſemper in Eccleſia fuit liberum Laicis, vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie communicare, ut hactenus oſtenſum eſt. Si autem ſpectemus jus Eccleſiaſticum, res aliter habet. Nam diverſis temporibus, propter diverſas cauſas, & occaſiones, fuerunt etiam diverſa præcepta Eccleſiaſtica de hac re. Et quidem Gelaſius Papa, quia videbat ſuo tempore Manichæos ex falſa ſuperſtitione ſemper abſtinere ab altera ſpecie, plane ſtatuit, ut nemo niſi ſub utraque ſpecie communicaret: alioqui fore, ut Manichæus haberetur, quia calice abſtineret. Contra vero Patres in Concilio Conſtantienſi, quia videbant Huſſitas in Bohemia pertinaciter urgere utramq; ſpeciem tanquam ad ſalutem neceſſariam, cum tamen Catholici paſſim ſub altera communicarent; uſum utriuſque ſpeciei, reſpectu Laicorum, penitus ſuſtulerunt: non ideo ſane, quod putarent eſſe malum, & illicitum; ſed partim, ut hac ratione Huſſitarum errorem corrigerent, & damnarent: partim etiam, ut conſuetudinem communicandi ſub una ſpecie, quæ tunc multis locis recepta erat, ſuo decreto approbarent, & ſic in tota Eccleſia major conformitas, & concordia ſervaretur. Accedebant & aliæ cauſæ, quas ſuperiori capite explicavimus.

100. Propter has igitur prudenter ſtatutum eſt, ut Laici ſub una ſpecie deinceps communicarent. Nec ſine exemplo id factum. Nam ſimile quid contigit olim circa merſionem Baptiſmi. Sicut enim jure divino ſemper liberum fuit communicare ſub una, vel ſub utraque ſpecie: ſic etiam jure divino liberum fuit, unam, vel trinam merſionem adhibere in Baptiſmo. Et rurſum, ſicut hac libertate non obſtante, Eccleſia nunc ſub una, nunc ſub utraque ſpecie voluit Laicos Euchariſtiam accipere: ſic etiam nunc unam, nunc triplicem merſionem voluit adhiberi in baptiſmo, propter diverſas cauſas diverſis temporibus occurrentes. Et quidem in primitiva Eccleſia triplex merſio fuit imperata, ad deſignandam Trinitatem perſonarum in una Deitate: idque propter Hæreticos illius temporis, qui negantes Trinitatem, una merſione baptiſmum conferebant. Hoc patet ex canone 49. Apoſt., qui ſic habet: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter non trinam merſionem unius myſterii celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate,* de-

deponatur. Vide etiam Tertullianum in libro de corona militis, & Gratianum de conſecratione, diſtinct. 4. c. 78. Poſtea vero novi hæretici orti ſunt, qui putabant baptiſmum iterandum eſſe, ideoque baptizatos rebaptizabant. Ad hunc errorem corrigendum ſtatutum fuit in Concilio Toletano IV. can. 5. ut una merſione baptiſmus conferretur, ad deſignandam unitatem mortis Chriſti. Cum enim baptiſmus repræſentet nobis Chriſti mortem & paſſionem, juxta illud Roman. 6. v. 3. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto JESU, in morte ipſius baptizati ſumus*; & Chriſtus ſemel tantum mortuus ſit; nullo modo baptiſmus iterandus eſt, ſed ſemel tantum conferendus. Unde Apoſtolus Hebr. 6. 6. contra eos, qui putabant in nova lege baptiſmum repeti poſſe, ſicut in veteri repetebantur lotiones, & baptiſmata, ſic ait: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*. Et ad Epheſios: *Unus Deus, una fides, unum baptiſma*.

101. Dices: Unde habet Eccleſia hanc poteſtatem, ut poſſit in alteram partem definire, & ſtatuere id, quod jure divino liberum relictum eſt? Ratio dubitandi eſt, quia quidquid jure divino permittitur omnibus Chriſtianis, hoc ſolo jure humano negari, aut tolli non poteſt. Cum ergo jure divino in baptiſmo liberum ſit, unam, vel trinam merſionem adhibere; & ſimiliter in Euchariſtia liberum ſit, ſub una, vel utraque ſpecie communicare; quo jure poteſt Eccleſia vel unam merſionem in baptiſmo, vel utramque ſpeciem in Euchariſtia prohibere? Reſpondeo. Eccleſia, vel potius Prælati Eccleſiæ habent hanc poteſtatem a Chriſto. Sicut enim Rex, qui ſibi Vicarium in regni adminiſtratione ſubrogat, ſolet quædam majoris momenti negotia certis legibus definire, & illi præſcribere, alia in ipſius arbitrio, ac poteſtate relinquere: Sic Chriſtus agit cum Paſtoribus Eccleſiæ, quos quaſi Vicarios ſibi ſubrogavit. Quæ enim ad Sacramentorum ſubſtantiam, numerum, & effectum pertinent, certis legibus ab ipſo definita ſunt; reliqua, quæ ceremonias, & circumſtantias attingunt, Paſtorum arbitrio, ac prudentiæ commendata. Hujus generis ſunt, baptiſmum conferre ſemel, vel ter immergendo: Euchariſtiam ſumere ſub una, vel utraque ſpecie; ante, vel poſt cœnam; dominico, aut alio die; lotis, vel non lotis pedibus: & his ſimilia. De quibus loquitur Apoſtolus 1. Corinth. 11. 34. cum ait: *Cætera, cum venero, diſponam*. Vide Auguſtinum Epiſt. 118. ad Januarium, ubi pulchre de hac re diſputat.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Ex Scripturis.

102. EXplicavi hactenus ſententiam Catholicorum, qui docent nullum exſtare præceptum divinum de utraque ſpecie; ac proinde unam ſpeciem licite uſurpari poſſe, & ſemper in Eccleſia uſurpatam eſſe: idque non minori fructu, quam ſi ambæ ſpecies uſurpentur. Nunc Adverſariorum argumenta diſſolvenda ſunt, quæ ipſi contra hanc doctrinam afferunt. Sunt autem triplicia: quædam ex Scripturis; alia ex Patribus; alia denique ex ratione deſumpta. Singula ordine diſcutiemus.

103. Et quidem omnes Adverſarii, ut ſupra monui, quærunt in Scripturis præceptum de utraque ſpecie, nec tamen inveniunt. Huſſitæ quærunt in illis verbis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus.* Lutherani in illis: *Hoc facite.* Calviniſtæ in illis: *Bibite ex eo omnes.* Alii ex illis: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis.* Sunt ergo quatuor objectiones petitæ ex Scripturis, quas jam perſequar.

104. Prima ſumitur ex illo Joan. 6. 53. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Hic volunt Huſſitæ contineri præceptum Chriſti de utraque ſpecie. Non negamus. Et quod mirum eſt, nobiſcum negant Lutherani, & plerique Calviniſtæ, non tamen ex eodem principio: Illi, quia putant, ibi non agi de ſacramentali manducatione: Nos, quia tametſi fateamur agi de ſacramentali manducatione, negamus tamen fieri mentionem utriuſque ſpeciei. Igitur duo nos aſſerimus. Primo, Chriſtum loqui de Sacramento Euchariſtiæ. Secundo, non tamen præcipere utramque ſpeciem. In priori ſuffragantur nobis Huſſitæ; in poſteriori Lutherani, & multi Calviniſtæ. Utrumque explicandum eſt.

105. Primo ergo dicimus, Chriſtum in illo cap. 6. apud Joannem loqui de triplici cibo. 1. De materiali. 2. De ſpirituali. 3. De ſacramentali. Sicut enim in aliis rebus ſolet ſuos auditores ad ipſorum captum inſtituere, paulatim a notis ad incognita, a ſenſibilibus ad occulta, a corporalibus ad ſpiritualia progrediendo; ſic etiam hic facit: Et quidem in principio capitis agit de panibus a ſe multiplicatis, quibus turbæ corporaliter fue-

ſuerant paſtæ, & ſatiatæ. Et quia propter hoc miraculum ipſum ſequebantur, inde ſumpta occaſione hortatur eos, ut potius quærant cibum ſpiritualem, quam corporalem: *Operamini*, inquit, *non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Hinc ulterius progreditur ad cibum ſacramentalem, cum ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: Et iterum: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Ac deinceps: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Et denique: *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri Manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hæc, & ſimilia dixit Chriſtus de ſacramentali manducatione ſuæ carnis, & bibitione ſui ſanguinis. Et credebat illi Petrus, & quidam alii ex Apoſtolis: Judas autem, & Capharnaitæ non credebant, de quibus ipſe ait: *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt.* Hos imitantur Lutherani, & multi Calviniſtæ.

106. Secundo dicimus (quod ad rem præſentem pertinet) illa verba, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, continere quidem præceptum de ſumenda Euchariſtia; non tamen de utraque ſpecie. Duo enim ſpectari hic poſſunt. 1. Subſtantia ſumptionis. 2. Modus ſumptionis. Subſtautia in eo conſiſtit, ut quis manducet carnem Chriſti, & bibat ejus ſanguinem. Modus autem in eo, ut quis hoc faciat ſub una, vel ſub utraque ſpecie. Igitur ſubſtantia ſumptionis eſt in præcepto, non modus. Vult enim Chriſtus, ut manducemus carnem, & bibamus ſanguinem ipſius; non tamen vult, ut id faciamus ſub utraque ſpecie. Hoc evidenter oſtendo, quia nec in verbis citatis, nec in toto capite fit ulla mentio vini, aut calicis. Ergo neque ex illis verbis, neque ex toto capite convinci poteſt præceptum de utraque ſpecie. Imo nec probabiliter inde colligi poteſt. Unde enim? An ex voce *carnis, & ſanguinis?* At jam ſæpe dixi, carnem, & ſanguinem Chriſti non minus ſub una ſpecie, quam ſub utraque contineri. Si ergo poſſum carnem, & ſanguinem habere ſub una ſpecie, quæ eſt neceſſitas utriuſque? An ex voce *manducandi, & bibendi?* Ne hoc quidem. Nam ſupra etiam oſtendi, manducationem, & bibitionem ſæpe pro eodem ſumi. Et Paulus 1. Cor. 3. 2. ait: *Lac vobis potum dedi.* poſtea c. 9. 7. dicit: *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Si ergo juxta Paulum idem eſt lac bibere, & manducare, cur non idem ſit, Chriſtum bibere, & manducare? Non deſunt alia exempla. An non regius Propheta dixit, Pſal. 68. 22. *Dederunt in eſcam meam fel?* quo tamen

men alio vocabulo, ſed eodem ſenſu interpretatus eſt Evangeliſta Matth. 27. v. 34. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*. Ecce fel bibitur, & manducatur. Et hoc capiunt adverſarii. Cur non capiunt, cum diximus, Chriſtum ſub una ſpecie bibi, & manducari?

107. Puto ſatisfactum eſſe Huſſitis. Nam ſi in toto illo capite, quod illi nobis objiciunt, nulla fit mentio utriuſque ſpeciei; nec ex ullo apice colligi poteſt ejus neceſſitas; quid habent, quo urgere nos poſſint? Nihil video. Sed tamen ego habeo, quo illos urgere poſſum. Et quidem ex eodem capite. Nam Chriſtus cum dixiſſet, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, poſtea ſubjecit: *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Hic quæro, quid Chriſtus intelligat per panem? vel enim intelligit ſolam ſpeciem panis, vel intelligit ſeipſum, id eſt carnem, & ſanguinem ſuum. Si ſolam ſpeciem panis: neceſſario ſequitur contra Huſſitas, ſolam ſpeciem panis ſufficere ad ſalutem. nam hic erit ſenſus verborum Chriſti. *Qui manducat hunc panem*, ideſt, Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis, *vivet in æternum*. Si autem intelligit ſeipſum, id eſt carnem, & ſanguinem ſuum: iterum ſequitur contra Huſſitas, non ſolum carnem, ſed etiam ſanguinem Chriſti manducari. Erit ergo hic ſenſus verborum: *Qui manducat hunc panem*, ideſt, qui manducat carnem, & ſanguinem meum, *vivet in æternum*. Idem ergo eſt manducare, & bibere, quod nos contendimus.

108. Hactenus probavi ex noſtris principiis contra Huſſitas, non poſſe colligi præceptum utriuſque ſpeciei ex verbis ſupra citatis. Poſſum idem probare ex principiis Lutheranorum, & Calviniſtarum, qui putant citata verba non de ſacramentali manducatione, & bibitione, quæ fit per ſpeciem panis, & vini, ſed de ſpirituali, quæ fit per fidem, intelligi oportere. Hoc autem ſic facio. Vel Lutherani, & Calviniſtæ putant vi illorum verborum, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, neceſſe eſſe, ut ſigillatim uno actu fidei manducetur caro Chriſti, & alio actu fidei bibatur ſanguis Chriſti: Vel certe putant ſufficere, ut unico actu ſimul manducetur, & bibatur Chriſtus, & conſequenter idem ſit, fide manducare, & fide bibere. Illud prius non dicent: quia putant ſatisfieri præcepto, ſi totum Chriſtum pro nobis mortuum, & crucifixum uno actu fidei ſimul apprehendamus. Si ita eſt, cur non ſimiliter dicamus ſatisfieri præcepto, ſi totus Chriſtus ſub una ſpecie manducetur, & bibatur? Aut quid neceſſe eſt, ſigillatim manducare carnem ſub ſpecie pa-

nis,

Digitized by Google

nis, & ſigillatim bibere ſanguinem ſub ſpecie vini? Sat multa de prima objectione, quæ eſt Huſſitarum.

109. Secunda objectio ſumitur ex illo Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*. Hic jubet Chriſtus, ut Apoſtoli faciant, quod ipſe fecit. Ipſe autem diſtribuit omnibus præſentibus utramque ſpeciem: Ergo & Apoſtoli, & eorum ſucceſſores debent utramq; ſpeciem diſtribuere. Reſpondeo. Valde miror adverſarios, quod hunc locum nobis objiciant, idque duplici de cauſa, Primo, quia de ſenſu illius inter ſe ipſi diſſentiunt. Lutherani volunt ad omnes fideles, Calviniſtæ ad ſolos Eccleſiæ miniſtros pertinere. Hanc litem inter ſe primum componant. Secundo, quia nihil inde contra nos evincunt. Hoc oſtendo. Nam illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, non habentur, niſi apud Lucam, & Paulum. Cæteri Euangeliſtæ ea omiſerunt. At tam Lucas, quam Paulus ponit illa poſt ſumptionem panis, non autem poſt ſumptionem calicis: Ergo ex illis non poteſt colligi præceptum de ſumptione calicis. Fruſtra ergo fatigant ſe Adverſarii. Dicent forte, tametſi poſt ſumptionem panis ſint poſita, tamen repeti oportere poſt ſumptionem calicis. At unde hoc conſtat? Sane Lucas non repetivit. Paulus repetivit quidem, ſed cum hac moderatione: *Hoc facite, quotieſcunq; biberitis, in meam commemorationem*. At cum hac moderatione non continent præceptum de ſumptione calicis, ſed tantum de commemoratione mortis, & paſſionis Chriſti: idque abſolute, ſed ſub conditione. Non enim abſolute præcipitur illis verbis, ut bibamus calicem: ſed ſub conditione præcipitur, ſi velimus bibere calicem, ut faciamus hoc in memoriam Chriſti. Simile eſt, quod dixit Chriſtus in Euangelio: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Hic non præcipit abſolute, ut vendamus omnia noſtra, & demus pauperibus: ſed ſub conditione, ut id faciamus, ſi velimus ſequi perfectionem Euangelicam. Eodem modo, cum dicit, *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum*, non præcipit abſolute orationem, ſed ſi volumus orare, ut ſine inani gloria id præſtemus. Ejuſdem exempla ſunt infinita in Scriptura: Et ſane res tam perſpicua eſt, ut non egeat majori declaratione. Solum condoleo ſimplicioribus, qui tam miſere ab adverſariis illuduntur.

110. Tertia objectio ſumitur ex illo Matth. 26. 27. *Bibite ex hoc omnes*. Urget hæc verba Calvinus l. 4. inſtit. c. 17. §. 47. cum ait: *Edictum æterni Dei eſt, ut omnes bibant*. Et §. 48. *Præcipientis verba ſunt, Bibite ex hoc calice omnes*. Reſpondeo. Calvinus ſpectat verba, non ſenſum; ideoque ſimplici Lectori fucum facit. Non enim voluit Chriſtus, ut abſolute omnes biberent ex eo calice; ſed ut omnes

omnes Apoſtoli, qui præſentes erant. Hoc patet ex ipſo contextu. Cum enim diviſiſſet panem Euchariſticum in varias partes, & ſingulis Apoſtolis ſingulas porrexiſſet, calix autem eo modo dividi non poſſet; uni ex Apoſtolis integrum porrexit cum hac cautione; ut non putaret totum ſibi ebibendum eſſe, ſed aliquid inde deguſtandum, ac deinde reliquis ordine porrigendum. Itaque verba illa: *Bibite ex hoc omnes*, perinde valent, atque illa Lucæ 22. 7. *Accipite, & dividite inter vos*, id eſt, unus non exhauriat totum calicem, ſed ſinguli aliquid bibant. Quod factum eſt, ut teſtatur Marcus c. 14. 24. cum ait: *& biberunt ex eo omnes*. Utique illi omnes ex eo biberunt, quibus dictum erat a Chriſto, *Bibite ex hoc omnes*: Quid quæſo hic difficultatis eſt? non plus, quam ſi paterfamilias, arrepto calice recentis muſti, modice eum deguſtaret, & poſtea filiis deguſtandum porrigeret cum hac formula: *Bibite ex hoc omnes*, id eſt, ſinguli modicum aliquid inde capiant, nemo ſolus totum exhauriat. An propterea, quotquot extra familiam illam eſſent, putarent ſe cogi præcepto, ut ex eodem calice muſtum guſtarent? Ridiculum ſane.

111. Sed inſtant adverſarii hoc modo: Iiſdem dictum eſt, *Bibite*, quibus dictum eſt, *Manducate*: At hoc dictum eſt omnibus: Ergo & illud. Reſpondeo. Vel ſtupidi, vel importuni ſunt, qui ſic agunt. Jam oſtendi, ſolis Apoſtolis præſentibus dictum eſſe, *Bibite*. Iiſdem dictum eſt, *Manducate*. Et quid opus eſt nova probatione? Perſiſtam in exemplo paulo ante allato. Si paterfamilias tempore cœnæ diceret famulis, & ancillis præſentibus: *Manducate, & bibite*: an ideo cenſeretur omnes extraneos præcepto cogere ad manducandum, & bibendum? Non opinor. Eodem modo fecit Chriſtus, Dixit Apoſtolis in ultima cœna præſentibus, *Manducate, & bibite*. An illis verbis præceptum dedit generale, quo omnes Chriſtianos obligaret? Nihil minus. Ubi ergo, inquies, præceptum dedit, ſi ibi non dedit? Reſponſio in promptu eſt. Si quæritur præceptum de utraque ſpecie, nuſquam dedit. Si de Euchariſtia, abſtrahendo ab una, vel utraque ſpecie, dedit illis verbis, Joan. 6. 53. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ubi iterum notanda eſt inſignis adverſariorum impudentia. Nam in his ipſis verbis, *Niſi manducaveritis*, &c. ubi revera præceptum eſt, præceptum non agnoſcunt. In illis autem, *Bibite ex hoc omnes*, ubi præceptum non eſt, præceptum eſſe contendunt. Quid agas cum hoc hominum genere? Nimirum contradictionis ſpiritum habent.

112. Iterum inſtant: Ipſemet Chriſtus alibi fatetur, ſe omnibus

dicere, quidquid dicit Apoſtolis, juxta illud Marci 13. 37. *Quod vobis dico, omnibus dico.* Atqui Apoſtolis dixit, *Bibite*. Ergo omnibus hoc dixit. Omnes ergo tenentur uſurpare calicem. Reſpondeo: Et hic aperte fucum faciunt adverſarii truncando verba Chriſti. Ipſe enim ſic dixit, *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Hanc particulam, *vigilate*, omittunt illi boni viri, ex qua tamen ſenſus totius ſententiæ pendet. Non enim eſt hic ſenſus, *Omnia ſimpliciter, quæ vobis dico, omnibus dico.* Nam multa dixit Apoſtolis, quæ omnibus non dixit, ut Matth. 26. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte.* Et Joan. 6. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt?* Senſus ergo hic eſt: Quod dico vobis, ut vigiletis, hoc omnibus dictum volo. Omnes debent imitari virgines prudentes, juxta illud Matth. 25. 13. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam.*

113. Quarta objectio ſumitur ex illo 1. Cor. 11. 23. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis,* &c. Ubi Apoſtolus oſtendit utramque ſpeciem, non ſolum ex Chriſti inſtitutione, ſed etiam ex Apoſtolica traditione præceptam eſſe. Hoc enim ſignificat illa particula, *Tradidi vobis.* Unde fit tale argumentum: Omnis traditio Apoſtolica eſt ſervanda: Sed eſt traditio Apoſtolica de utraque ſpecie: Ergo ſervanda eſt. Reſpondeo: Adverſarii omnia confundunt. Sane hæc tria, inſtitutio, traditio, præceptum diſtincta ſunt. Fateor utramque ſpeciem a Chriſto inſtitutam eſſe, fateor utramque ab Apoſtolo traditam. Nego utramque jure divino præceptam eſſe. Et quidem, quod inſtitutio differat a præcepto, multis exemplis probatum eſt Concluſ. 1. Quod autem traditio, & præceptum non ſint idem, ex eo patet, quia Apoſtoli multa tradiderunt primis Chriſtianis, quæ tamen præcepta nobis non ſunt. Et ne longe abeam, ex eodem loco Pauli probari id poteſt. Sic enim habet in fine citati capitis: *Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exſpectate: ſi quis eſurit, domi manducet.* An putant adverſarii contineri hic præceptum, quod omnes obliget? Sat ſcio, non tam ſcrupuloſos eſſe.

114. Præter hæc ſcripturæ loca, quæ hactenus allata ſunt, audent etiam proferre pro utraque ſpecie, quod dixit Chriſtus Matth. 19. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Atqui Deus, inquiunt, conjunxit utramque ſpeciem: Ergo Pontifex non poteſt unam ab altera ſeparare. Reſpondeo: Ex iis, quæ hactenus allata ſunt ab adverſariis, ſatis conſtat, nihil eos ſolidi afferre poſſe. Verum ex hoc loco plane apparet, aut inſanos, aut inſigniter petulantes eſſe. Quæ enim connexio eſt: Homo non poteſt ſeparare virum ab uxore: Ergo non poteſt communicare ſub una ſpecie? Si

ſic pergant, ſine dubio perſuadebunt, nullum reum, quantumvis ſceleratum, nullam feram, pecudem, piſcem, aut avem necari ab homine poſſe. Quare? quia quod Deus conjunxit, homo non ſeparet: Sed Deus conjunxit animam cum corpore, tam in hominibus, quam in cæteris animantibus: Ergo nemo poteſt animam ſeparare a corpore, ac proinde nullum vivens interficere. Sed relinquamus has ineptias, quæ plane indignæ ſunt homine Chriſtiano. Miror autem, adverſarios hujuſmodi præſidiis ſe tueri.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

Ex Patribus.

115. Sicut Adverſarii fruſtra in ſcritpuris quæſiverunt præceptum Chriſti de utraque ſpecie: ſic fruſtra quærunt in Patribus. Nec tamen minorem conatum hic adhibent, quam ibi. Nam, ut cæteros omittam, Pleſſæus Calviniſta lib. 1. de Euchar. cap. 10. diſcurrens per ſingulas pene ætates, a temporibus Apoſtolorum ad nos uſque, quotquot poteſt, corradit Patrum teſtimonia, pro utraque ſpecie confirmanda. Sed vel nihil, vel parum ad rem, quod illi homini familiare eſt. Semper enim extra ſtatum, & ſcopum quæſtionis vagatur. Quæſtio inter nos, & adverſarios non conſiſtit in eo, an utraque ſpecies fuerit olim in uſu, ſed potius, an fuerit in præcepto? Patres, qui a Pleſſæo citantur, ſignificant fuiſſe in uſu, quod libenter concedimus (ſicut etiam una ſpecies fuit in uſu, ut ſupra oſtendi) non tamen dicunt fuiſſe in præcepto, de quo diſputamus. Sunt tamen pauci, qui videntur hoc inſinuare, de quibus breviter, & ſigillatim dicendum eſt.

116. Omiſſis ergo Patribus, qui tantum de uſu loquuntur, inter cæteros, qui videntur loqui de præcepto, primo loco objici poteſt Cyprianus, qui in ſermone de cœna Domini ſic habet: *Nova eſt hujus ſacramenti doctrina, & ſcholæ Evangelicæ hoc primum magiſterium protulerunt, & doctore Chriſto primum hæc mundo innotuit diſciplina, ut biberent ſanguinem Chriſtiani, cujus eſum legis antiquæ authoritas diſtrictiſſime interdicit. Lex quippe eſum ſanguinis prohibet: Evangelium præcipit, ut bibatur.* Reſpondeo: Hoc teſtimonium Cypriani plane deſtruit doctrinam Calviniſtarum, & noſtram confirmat. Unde miror a Pleſſæo adductum eſſe. Hoc oſtendo dupliciter. Primo, quia aſtruit

veritatem corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, quam Calviniſtæ negant. Nam Cyprianus dicit, *Chriſtianos bibere ſanguinem Chriſti*: Calviniſtæ dicunt, non bibere eos ſanguinem, ſed figuram ſanguinis Chriſti, nempe vinum Sacramentale. Quod autem Cyprianus loquatur de vero ſanguine, & non de figura ſanguinis, patet ex antitheſi, quam facit. Ait enim, Judæis in veteri lege fuiſſe prohibitum, ne biberent ſanguinem: Chriſtianis autem in Evangelio præceptum eſſe, ut bibant ſanguinem. Hoc ſane non poteſt intelligi de figura ſanguinis, ſed de vero ſanguine. Nam ſi agatur de figura ſanguinis, fatentur Calviniſtæ, non minus Judæos bibiſſe ſanguinem Chriſti in figura Agni paſchalis, & aquæ ſalientis in petra, quam Chriſtiani bibant ſanguinem Chriſti in figura vini. Huc enim ſpectat, quod Pleſſæus ait l.4. de Euch.c.1.p.653. in fine: *Dicemus idem de paſchate, & cœna Dominica, in utroque corpus, & ſanguis Domini comeduntur, & bibuntur*. Neceſſe ergo eſt, Cyprianum loqui de vero ſanguine; ac proinde de ſententia Cypriani, verum ſanguinem Chriſti præſentem eſſe in Euchariſtia; quod Calviniſtæ negant. Hoc confirmatur ex eodem Cypriano, qui ibidem ſic habet: *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro*. Quid clarius contra Calviniſtas? Potuiſſet addere: *Vinum iſtud, quod Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatum, omnipotentia Verbi factum eſt ſanguis*. Longe aliter Calviniſtæ. Panis, & vinum, inquiunt, nec effigie, nec natura mutata ſunt, ſed tantum ſignificatione; nec facta ſunt caro, & ſanguis, ſed figura carnis, & ſanguinis.

117. Jam vero cum Cyprianus ait, *Lex eſum ſanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur*, iterum contra adverſarios facit, non contra nos. Nam præceptum, de quo loquitur, non fundat in illis verbis, *Bibite ex hoc omnes*, in quibus adverſarii illud fundant; ſed in illis, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. At hæc verba, ut ſupra oſtendi, continent quidem præceptum de manducatione carnis, & bibitione ſanguinis Chriſti; non tamen de utraque ſpecie. Et hoc ipſum ſentit Cyprianus. Cum enim citaſſet illa verba: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*, paulo poſt ſubjecit: *Potus, & eſus ad eandem pertinet rationem*; q. d. idem eſt manducare Chriſtum, & bibere Chriſtum. Qui ergo manducat Chriſtum ſub una ſpecie, non ſolum manducat carnem, ſed etiam bibit ſanguinem ipſius, ac proinde præcepto Euangelico, de quo loquitur Cyprianus, perfecte ſatisfacit.

118. Secundo objicitur Chryſoſt. hom. 18. in poſter. Corinth.

ubi

ubi ait: *Eſt autem, ubi nihil differt Sacerdos a ſubdito, ut quando fruendum eſt horrendis myſteriis. Similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non ſicut in veteri lege partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem eſſe eorum, quorum particeps erat Sacerdos. Sed nunc non ſic, verum omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum.* Nulla hic fit mentio divini præcepti de utraque ſpecie. Nec Chryſoſtomo propoſitum fuit eo loco de tali præcepto diſputare. Hoc ſolum egit, ut aſſignaret differentiam inter veterem, & novam legem quoad ſacrificia utriuſque legis. Nam in veteri lege, nec Sacerdos, nec populus gaudebat toto ſacrificio, ſed unam illius partem Sacerdos, alteram populus comedebat. In nova lege non ita res habet. Totum ſacrificium, quantum quidem ad victimam, quæ offertur, attinet, æque a populo, æque a Sacerdote participatur. Utrique, tam populo, quam Sacerdoti totus Chriſtus ſecundum carnem, & ſanguinem, manducandus, & bibendus proponitur. Quis hoc neget? Nec aliud vult Chryſoſtomus.

119. Ut tamen res melius intelligatur, notandum eſt in lege Moſaica fuiſſe triplex ſacrificium, nempe holocauſtum, hoſtiam pro peccato, & hoſtiam pacificam. Holocauſtum erat omnium perfectiſſimum, quia totum cremabatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur. Hoſtia pro peccato partim cremabatur, partim cedebat in uſum Sacerdotum, qui in atrio templi ex ea veſcebantur. Hoſtia pacifica dividebatur in tres partes, quarum prima cremabatur; altera cedebat Sacerdotibus; tertia populo offerenti. Et quidem Sacerdotibus cedebat pectuſculum, & armus dexter, de quo non licebat populo manducare. Hoc igitur eſt, quod dicit Chryſoſtomus: *Partem Sacerdos comedebat, partem autem populus: & non licebat populo participem eſſe eorum, quorum particeps erat Sacerdos.* Non ſic in nova lege. Chriſtus, qui eſt victima, totus populo, totus Sacerdoti porrigitur.

120. Quod autem addit Chryſoſtomus, *Omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum*, non debet intelligi de ſpeciebus ſacramentalibus, ſed de ipſo Chriſto, qui offertur. Non enim ſenſus eſt, omnibus Chriſtianis, tam Laicis, quam Sacerdotibus, proponi eandem ſpeciem panis, & eandem ſpeciem vini; quia hoc eſt falſum, cum ſinguli accipiant ſingulas partes panis, & vini conſecrati, inter ſe realiter, & numero diſtinctas: ſed omnibus proponi eandem Chriſti carnem, & eundem ſanguinem: ita ut Sacerdos nihil carnis, aut ſanguinis percipiat, quod non

etiam percipiant Laici. Et in hac re ponit diſcrimen inter novi, ac veteris Teſtamenti Sacerdotes, & populum.

121. Tertio obiicitur Leo Papa ſerm. 4. de quadrageſima, ubi de Manichæis ita ſcribit: *Ore indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant. Quod ideo veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut vobis hujuſmodi homines & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati, & proditi, a ſanctorum ſocietate, ſacerdotali authoritate pellantur.* Reſpondeo. Adverſarii duobus modis hic peccant in citando Leone. Primo, quia Leo his verbis confirmat veritatem corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, quam ipſi negant. Secundo, quia non condemnat communionem ſub una ſpecie in Catholicis, qui eam legitime tunc uſurpabant; ſed in Manichæis, qui ex ſacrilega ſuperſtitione abſtinebant a calice, ut ſupra Concluſ. 5. oſtenſum eſt.

122. Conſulatur hiſtoria illius temporis, quæ ſic habet. Exciſa per Genſericum Africa, Manichæi, qui inde ejecti erant, ſub ſpecie pietatis, & Catholicæ religionis, in Italiam irrepſerunt: & plerique Romam ingreſſi, volentes ſuam hæreſim occultare, inter Catholicos habitabant, & cum iis publice ſub una ſpecie communicabant, ut hac ratione pro Catholicis haberi, & tolerari poſſent, Igitur Leo, cum primum factus eſt Pontifex, ſtatim adiecit animum ad eos penitus extirpandos. Uſus eſt autem variis mediis. Nam primum pro concione inſtruxit cives Romanos, quam nefanda eſſent Manichæorum dogmata, & ſacrilega. Secundo, dedit eis manifeſtum ſignum, quo a Catholicis diſcerni poſſent, aſſerens illos, qui ſemper abſtinerent a calice, pro Manichæis; qui aliquando, pro Catholicis habendos eſſe. Tertio, hortatus eſt populum, ut ſi alicubi ſcirent occultari Manichæos, ſtatim eos detegerent, & Eccleſiaſtico magiſtratui manifeſtarent. Quarto, convocavit Concilium Epiſcoporum, in quo, præſente Clero Romano, & multis Senatoribus, Manichæorum ſacrilegia publice detecta, & examinata ſunt. Quinto, ſcripſit ad vicinos Italiæ Epiſcopos, ut & ipſi ſerio laborarent in extirpandis Manichæis, ſi qui forte occulte apud illos latitarent. Hæc omnia patent ex ipſo Leone, præſertim ſer. 4. de collectis, & ſer. 4. de quadrageſ. & ſer. 2. de natali Domini, & ſer. 4. de Epiphania, & ſer. 5. de jejunio decimi menſis, & ep. 93. c. 16.

123. Hinc Proſper in Chronico commendat illum his verbis: *Hoc tempore plurimos Manichæos intra urbem latere, diligentia Papæ Leonis innotuit: qui eos de ſecretis ſuis erutos, & oculis totius Eccleſiæ publicatos, omnes dogmatis ſui turpitudinem & damnare fecit,*

cir, & prodere, incenſis eorum codicibus, quorum magna moles fuerunt intercepta. Quæ cura viro ſanctè divinitus, ut apparet, inſpirata, non ſolum Romanæ urbi, ſed etiam univerſo orbi plurimum profuit: ſiquidem confeſſionibus in urbe captorum, qui doctores eorum, qui Epiſcopi, quive Presbyteri, in quibus provinciis, vel civitatibus degerent, patefactum eſt: multique orientalium partium Sacerdotes induſtriam Rectoris imitati ſunt. Vide plurima apud Baronium tom. 6. annalium Eccleſiaſticorum circ. ann. Chriſti 443. & ſequent.

124. Quarto objicitur Gelaſius Papa, qui apud Gratianum c. *Comperimus*, de conſ. d. 2. ſic habet: *Comperimus, quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, a calice ſacri cruoris abſtineant. Qui procuIdubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi, aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur: quia diviſio unius, & ejuſdem myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* Reſpondeo. Hæc objectio eſt ſimilis præcedenti. Et jam ſup. concl. 5. notavi, Gelaſium reprehendere eos tantum, qui ex ſuperſtitione abſtinebant a calice. Cujuſmodi erant occulti Manichæi. Cætera vide loco citato.

SOLVUNTUR OBJECTIONES EX RATIONE.

125. ADverſarii, ut in re deſperata fieri ſolet, undecunque poſſunt, quærunt ſubſidia pro utraque ſpecie, ut oppugnent Catholicos. Sed, ut ſæpe dixi, fruſtra. Certe objectiones, quas deſumunt ex ratione, ejuſmodi ſunt, ut & noſtram cauſam vehementer confirment, & illorum reddant deteriorem. Sunt autem hæ.

126. Prima ſumitur ex figura veteris Teſtamenti hoc modo: Omnes Hebræi in deſerto biberunt aquam de petra, juxta illud 1. Cor. 10. 4. *Omnes eundem potum ſpiritalem biberunt*. Ergo etiam omnes Chriſtiani in deſerto hujus vitæ debent bibere ſanguinem Chriſti. Sequela patet ex illo 1. Cor. 10. 6. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*. Reſpondeo. Hoc ipſo argumento convincam adverſarios. Nam ſi aqua de petra fuit figura Euchariſtiæ, ſine dubio fuit aqua ſacramentalis. Vel ergo ſumebatur cum cibo ſacramentali, vel ſola. Si ſola, favet uni ſpeciei, non duabus. Si cum cibo ſacramentali, quis ille fuit? Nuſquam legimus in tota Scriptura, Hebræos, cum biberent aquam de petra, ſumpſiſſe ſimul ex præcepto divino cibum aliquem Sacramentalem.

127. Addo, ſi generatim loquamur de figuris Euchariſtiæ, plus nobis eas patrocinari, quam adverſariis. Hoc ſic oſtendo. Catho-

lici agnoſcunt has figuras. 1. Panem, & vinum Melchiſedech. 2. Panes propoſitionis. 3. Panem ſubcinericium Eliæ. 4. Manna. 5. Aquam de petra. 6. Agnum Paſchalem. 7. Sacrificia Moſaica. Omnes hæ, excepta prima, repræſentant Euchariſtiam ſub una ſpecie. Adverſarii autem non agnoſcunt primam figuram. Ergo ſecundum adverſarios nulla eſt figura, quæ repræſentet utramque ſpeciem. Nam panes propoſitionis, panis ſubcinericius, & Manna repræſentant ſpeciem panis. Aqua de petra repræſentat ſpeciem vini. Agnus Paſchalis, & ſacrificia Moſaica ſumebantur a Laicis per modum cibi tantum. Quid ergo reliquum eſt Lutheranis, & Calviniſtis pro utraque ſpecie? Nihil, niſi panis, & vinum Melchiſedech. At hunc ipſum panem, & vinum volunt fuiſſe prophanum, non ſacramentalem.

128. Cum autem inferunt adverſarii, ſicut Hebræi biberunt aquam de petra, ſic Chriſtianos debere bibere ſanguinem Chriſti: libenter id concedimus. At inde non convincitur neceſſitas utriuſque ſpeciei. Nam ut ſæpe dictum eſt, Chriſtiani non ſolum manducant carnem Chriſti, ſed etiam bibunt ſanguinem ipſius, quotieſcunque communicant ſub una ſpecie; quia totus Chriſtus ſecundum carnem, & ſanguinem non minus ſub una, quam ſub utraque ſpecie continetur.

129. Secunda objectio ſumitur ex inſtitutione, & exemplo Chriſti, ad hunc modum: Chriſtus in ultima cœna inſtituit, & diſtribuit Euchariſtiam ſub utraque ſpecie panis, & vini: Ergo nos eodem modo debemus diſtribuere. Reſpondeo. Quid ſi regeram, & dicam: Chriſtus in Emmaus diſtribuit Euchariſtiam ſub una ſpecie: Ergo nobis eodem modo licet diſtribuere? Vel ſic: Chriſtus in ultima cœna inſtituit, & diſtribuit Euchariſtiam poſt alios cibos, & lotis prius pedibus: Ergo adverſarii debent idem facere? Cur ergo veſperi non communicant? & cur pedes ante communionem non lavant? cur non parent præcepto Chriſti dicentis Joan. 13. 14. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes?* Sed non eſt neceſſe ad hanc ſolutionem confugere. Jam ſupra dixi, aliud eſſe inſtitutionem, aliud præceptum. Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, non tamen præcepit utramque ſpeciem: Sicut inſtituit officium prædicandi, baptizandi, ordinandi, peccata remittendi, ac retinendi; & tamen Laici apud adverſarios non ideo putant, ſe divino præcepto ad iſta obligari. Vide ſupra concluſ. 1.

130. Tertia ſumitur ex ratione Teſtamenti. Chriſtus in ultima cœna, cum videret ſe brevi moriturum, condidit ſolemne Teſtamentum, quo omnibus Chriſtianis, tanquam filiis adoptivis, le-

legavit carnem, & ſanguinem ſuum, titulo hæreditatis, ut patet Luc. 22. 20. Ergo Catholici, qui negant laicis ſanguinem, & jubent ſola carne contentos eſſe, ſunt violatores teſtamenti, & privant Chriſtianos altera parte hæreditatis ſibi debitæ. Reſpondeo. Hæc objectio nititur falſo fundamento, ut initio hujus operis oſtenſum eſt. Deinde falſum eſt, Catholicos Laicis negare ſanguinem. Adverſarii hoc faciunt, non Catholici. Hi enim totum Chriſtum, ſecundum carnem, ſanguinem, animam rationalem, & divinitatem exhibent Laicis ſub una ſpecie; Calviniſtæ nihil iſtorum, ſed tantum externa ſigna carnis, & ſanguinis; perinde atque illi, qui codicillos porrigunt hæredibus, & univerſam ſubſtantiam diſſipant: Lutherani, qui negant totum Chriſtum ſub una ſpecie contineri, quid aliud, ſuo judicio, quam mortuam carnem ſub ſpecie panis, & mortuum ſanguinem ſub ſpecie vini exhibere poſſunt communicantibus?

131. Quarta ſumitur ex fine hujus Sacramenti. Finis illius eſt commemoratio mortis Chriſti, ad quam tenentur omnes fideles, juxta illud 1. Cor. 11. 24. *Hoc facite in meam commemorationem*. Et paulo poſt: *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*. At mors Chriſti non poteſt integre ſignificari, & repræſentari per unam ſpeciem: Ergo ſicut tenemur ad commemorandam Chriſti mortem, ita etiam ad utramque ſpeciem percipiendam. Reſpondeo. Hic ſyllogiſmus habet duo vitia. 1. Quia conſtat quatuor terminis. Nam in majori propoſitione ponitur commemoratio mortis Chriſti, in minori repræſentatio. Hæc autem valde inter ſe differunt. 2. Quia ex Apoſtolo contra Apoſtolum concludit. Nam ex Apoſtolo ſumit omnes fideles in ſumptione Sacramenti Euchariſtiæ debere memores eſſe mortis Chriſti, quod verum eſt. At contra Apoſtolum concludit, ad commemorationem mortis Chriſti neceſſariam eſſe utramque ſpeciem. Nam una ſufficit ſecundum Apoſtolum. Hoc patet ex ipſo contextu. Cum enim de una ſpecie dixiſſet, *Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, immediate ſubjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Et rurſum, cum de altera dixiſſet, *Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, iterum immediate ſubjunxit: *Hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem*. Ergo ſecundum Apoſtolum, unaquæque ſpecies per ſe ſumpta ſufficit ad commemorationem mortis Chriſti. Unde, ſi ex vitioſo adverſariorum ſyllogiſmo fiat probus, ac legitimus, plane contra ipſos concludemus, hoc modo: Omnes fideles in ſumptione Euchariſtiæ tenentur ad commemorationem mortis Chriſti: Sed

com-

commemoratio mortis Chriſti poteſt fieri per unam ſpeciem ; ut ex Apoſtolo oſtenſum eſt : Ergo per unam ſpeciem ſatisfit obligationi. Quid apertius?

132. Sed ne tergiverſentur adverſarii, exemplo domeſtico rem explicabo. Quidam vir nobilis ab hoſte captus, & in vincula conjectus eſt, cum amiſſione bonorum omnium. Imperator liberat illum a vinculis; & ut tanti beneficii memor ſit, novo beneficio illum afficit: nimirum, ex menſa Imperatoria perpetuam annonam illi conſtituit in pane, & vino; ut quotieſcunque manducandum, aut bibendum eſt, prioris beneficii memoria illi occurrat. Hic quæro ab Adverſariis, an Nobilis ille non poſſit recordari beneficii Imperatoris, ſi ſumat panem ſine vino, aut etiam, ſi ſumat vinum ſine pane? Poteſt utique. Sive enim utatur ſolo pane, ſive ſolo vino, ſemper illi in mentem venit, Imperatoris beneficio ſe vivere, & ſuſtentari. Simile eſt in noſtro propoſito. Eramus capti ab hoſte humani generis, & in carcerem compacti. Chriſtus ſua morte, & paſſione liberavit, ac redemit nos. Ut tanti beneficii memores eſſemus, novo beneficio nos cumulare voluit. Non panem, & vinum, ſed carnem, & ſanguinem ſuum, ſub ſpecie panis, & vini, in perpetuam alimoniam nobis reliquit. Sive ergo manducemus carnem, & bibamus ſanguinem illius ſub ſpecie panis tantum, ſive ſub ſpecie vini tantum, ſive ſub utraque, parum intereſt. Semper enim occurrit cogitatio, alieno beneficio nos vivere, manducare, bibere.

133. Porro, quod ſupra adjeci, commemorationem mortis Chriſti differre ab ejus repræſentatione, tametſi notum ſit, breviter etiam explicandum eſt. Et perſiſtam in exemplo allato. Nobilis ille, qui ab Imperatore liberatus a carcere eſt, variis modis excitari poteſt ad recordationem beneficii in ſe collati. Primo ſi, ut jam dictum eſt, annona illi conſtituta ſit in hunc finem, ut quoties manducat, aut bibit, benefactoris ſui recordetur. Secundo, ſi memoriæ cauſa, in libello, qui quotidie in manibus ſit, Imperatoris liberalitatem deſcriptam habeat. Tertio, ſi effigiem, quæ Imperatorem repræſentet, ex collo geſtet, aut domi affixam conſervet. Omitto alios modos. Nam hi tres ad rem explicandam ſufficiunt. Igitur in tribus illis modis utique cernitur commemoratio beneficii, in ſolo tertio repræſentatio. Et rurſum, in tertio modo commemoratio oritur ex repræſentatione. Nam hoc ipſo, quod is, qui beneficio affectus eſt, intuetur imaginem ſui benefactoris, quæ illum repræſentat, non poteſt non illius meminiſſe, ſi animo præſens eſt. Facile hæc ad propoſitum applicantur. Variis modis poſſumus recordari beneficii, quo Chri-

Chriſtus redemptor ſua morte nos affecit. Primo, ex perceptione Sacramenti Euchariſtiæ, quod in eum finem a Chriſto inſtitutum eſt. Secundo, ex lectione Euangelii, in quo mors, & paſſio ejus deſcribitur. Tertio, ex aſpectu imaginis Chriſti, quæ ipſum, aut paſſionem ejus repræſentat. Vides, opinor, quo pacto repræſentatio diverſa ſit a commemoratione.

134. Atque ex his, quæ clara, & aperta ſunt, infero, Catholicos in commemoranda Chriſti morte multo diligentiores eſſe, quam adverſarios, præſertim Calviniſtas. Nam Catholici non ſolum ex perceptione Sacramenti Euchariſtiæ, vel lectione Evangelii, ſed etiam ex aſpectu imaginis Crucifixi recordantur beneficii a Chriſto in ſe collati. At Calviniſtæ jam pridem Chriſti imaginem e ſuis templis, addo etiam ex animis, proſcripſerunt, exturbarunt. Sed de hoc alibi. Proſequamur reliquas adverſariorum objectiones.

135. Quinta objectio ſumitur a ſimili. Si licet auferre Laicis unam partem Euchariſtiæ, licebit etiam auferre unam partem Baptiſmi. At hoc non licet. Ergo nec illud. Reſpondeo: Partes ſacramentorum ſunt duplices: aliæ ſubſtantiales, ſeu eſſentiales: aliæ ſolum integrantes. Priores non licet auferre ab ullo Sacramento. Nec Catholici hoc faciunt. Poſteriores licet auferre. Nam in Baptiſmo, ex tribus merſionibus poſſunt duæ tolli: una enim ſufficit. Et in Euchariſtia ex duabus ſpeciebus poteſt auferri altera. Hoc Chriſtus fecit in Emmaus; Chriſtiani tempore Apoſtolorum; & alii deinceps, ut ſupra oſtenſum eſt. Nos idem facimus. Porro adverſarii in hoc genere audaciores ſunt. Tollunt ipſi non ſolum integrantes, ſed etiam eſſentiales partes Euchariſtiæ. Et quidem Calviniſtæ tollunt carnem, & ſanguinem Chriſti, & ſola ſymbola externa relinquunt Laicis. Lutherani a ſpecie panis tollunt ſanguinem, animam rationalem, Divinitatem, & ſolam carnem exſanguem, & exanimem ſibi reſervant. Plus dico: Adverſarii non ſolum partes Sacramentorum, ſed integra tollunt Sacramenta. Ex ſeptem, quæ Eccleſia Catholica cum Auguſtino agnoſcit, vix duo, vel tria illis ſuperſunt. Sed nolo hic hærere.

136. Sexta ſumitur ab incommodo. Si poteſt Laicis negari una ſpecies, poterit negari & altera; & ſic nihil habebunt. Reſpondeo: Hoc non ſequitur, ut patet in ſimili. Non enim recte colligis: Si in Baptiſmo poteſt tolli una merſio, poterit etiam altera, & tertia tolli. Deinde præceptum Chriſti eſt, ut ſumamus Euchariſtiam, quocunque modo id fiat: Non autem præceptum eſt, ut ſumamus ſub utraque ſpecie. Poteſt ergo una ſpecies negari; non

tamen

tamen poteſt Euchariſtia negari: Sicut in ſimili, poteſt omitti una, aut altera merſio: non tamen poteſt Baptiſmus omitti. Aut ſi vis exemplum magis accommodatum; non poteſt integre omitti omnis cibus, & potus corporalis, quia vita ſuſtentanda eſt: poteſt tamen e duabus ſcutellis omitti una, ſi in altera ſufficiens nutrimentum eſt. Cum igitur ſub ſpecie panis ſit totus Chriſtus, totum nutrimentum, tota alimonia; quid tantopere neceſſe eſt, alteram adhibere? Et hoc pro Catholicis dixero. Quid porro pro ſe dicent Calviniſtæ, qui quidem duas ſcutellas, ſed omnino vacuas ſine omni cibo, & potu obtrudunt eſurientibus, & ſitientibus; ideſt, qui externa tantum ſymbola panis, & vini exhibent; & omnem Chriſti carnem, ac ſanguinem, quo noſtras animas nutriri oportebat, e medio tollunt? Hæc hactenus, &c.

EPILOGUS.

Omnino igitur in Catholicorum ſententia perſiſtendum eſt.

137. EX iis, quæ hactenus dicta ſunt, duæ rationes deduci poſſunt, cur in Catholicorum ſententia perſiſtendum ſit. Prior eſt, quia Catholici, qui defendunt uſum unius ſpeciei, habent pro ſe exemplum Chriſti, Apoſtolorum, & totius antiquitatis uſque ad noſtra tempora. Habent pro ſe duo ſolidiſſima fundamenta, quibus tueri ſe poſſunt: Unum, quia Chriſtus non minus ſub una, quam ſub utraque ſpecie totus, & integer continetur: Alterum, quia non minor fructus ex una, quam ex altera percipi poteſt. Adverſarii vero, qui urgent neceſſitatem utriuſque ſpeciei, nullum poſſunt in ſcripturis invenire præceptum de utraque ſpecie: in illo quærendo penitus inter ſe diſſident: nullo Patrum teſtimonio ſubnixi ſunt: nullo ſolido argumento ſuam ſententiam ſtabilire poſſunt. Imo, ut hactenus viſum eſt, ſuis ipſorum argumentis confixi, ac refutati ſunt.

138. Poſterior eſt, quia Catholici in aſſerenda communione ſub una ſpecie, nihil unquam dixerunt, quod offenſioni, aut ſcandalo eſſe poſſit. Adverſarii vero, præſertim Lutherani, & Calviniſtæ, poſteaquam uſum unius ſpeciei oppugnare cœperunt, in manifeſtos errores prolapſi ſunt: Lutherani, aſſerentes corpus Chriſti ſub ſpecie panis contineri mortuum, & ſine ſanguine: Calviniſtæ, negando ullam Chriſti partem ſub ſpecie ſacramentali præſentem eſſe. Prudens Lector apud ſe exiſtimet, quos in hac re ſequi tutius ſit.

CA-

CAPUT X.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

1. Sacrificium hic ſumitur pro externo Dei cultu, quatenus procedit ex interna animi agnitione, ſubmiſſione, reverentia, & amore erga Deum, tanquam Creatorem, ac ſupremum Dominum omnium creaturarum. In Sacrificio debent hæc ſpectari. 1. Miniſter. 2. Materia. 3. Forma. 4. Locus. 5. Finis. Miniſter non alius, quam Sacerdos eſt. Materia eſt res ſenſibilis, ſeu externa, quæ offertur Deo. Forma conſiſtit in deſtructione, vel mutatione rei oblatæ. Locus, in quo fit deſtructio, vel mutatio, eſt altare. Finis poteſt eſſe quadruplex. 1. Recognitio, ſeu proteſtatio ſupremi dominii, quod Deus in nos habet, & ſimul noſtræ ſubjectionis, & ſervitutis erga Deum. 2. Gratiarum actio pro beneficiis a Deo acceptis. 3. Novorum beneficiorum impetratio. 4. Expiatio peccati contra Deum commiſſi. Cur enim honoramus, & colimus Deum, offerendo illi externum ſacrificium? Nimirum 1. Ut teſtemur nos eſſe ſervos Dei, cui omnia debeamus. 2. Ut hoc externo ſigno profiteamur, nos gratos eſſe pro acceptis ab eo beneficiis. 3. Ut declaremus, non ab alio, quam ab ipſo nos beneficia ſperare, & impetrare. 4. Ut ſi ob peccata noſtra offenſus eſt, eum placare ſtudeamus, & condonationem, ſeu expiationem peccatorum ab eo conſequamur. Ex hoc quadruplici fine ſolet diſtingui quadruplex ſacrificium. 1. Latreuticum. 2. Euchariſticum. 3. Impetratorium. 4. Propitiatorium.

2. Porro cum triplex hominum ſtatus ſpectari poſſit ab orbe condito ad nos uſque, nempe ſtatus naturæ, ſtatus legis Moſaicæ, & ſtatus gratiæ, ſeu Euangelii; fit, ut etiam diſtinguantur triplicia ſacrificia; alia legis naturæ; alia legis Moſaicæ; alia legis Euangelicæ. Per ſacrificia legis naturæ debent ea intelligi, quæ ab Adamo uſque ad Moyſen oblata ſunt, ut ſacrificium Abel, Noe, Abraham, Melchiſedech, Iſaac, Jacob, Job.

3. Sacrificia legis Moſaicæ tripliciter dividi poſſunt. 1. ratione materiæ. 2. ratione formæ, & finis. 3. ratione temporis. Ratione materiæ dividuntur in victimas, immolationes, & libamenta. Erat enim triplex materia a Deo deſignata, quæ in Judæorum ſacrificiis offerri poterat, ac debebat. Primo animalia, ut oves, capræ, hædi, boves, vituli, columbæ, paſſeres, turtures. Secundo fructus terræ, ut panis, ſimila, ſal, thus, manipulus ſpicarum vi-

rentium, & triticum. Tertio liquores, ut ſanguis, vinum, oleum, nec aliquid his amplius. Cum ergo fiebat ſacrificium ex animalibus, vocabatur hoſtia, ſeu victima; cum ex fructibus terræ, immolatio; cum ex liquoribus, libamen, ſeu libamentum.

4. Ratione formæ, ac finis erat etiam triplex ſacrificium in lege Moſaica. 1. Holocauſtum. 2. Sacrificium pro peccato. 3. Hoſtia pacifica. Ratione temporis, erat juge ſacrificium, quod quotidie, & alia, quæ certis ſolemnitatibus offerebantur; cujuſmodi erant ſacrificium Sabbati, ſacrificium Neomeniæ, ſacrificium Paſchæ, & azymorum, ſacrificium Pentecoſtes, ſacrificium feſti Tubarum, ſacrificium feſti expiationis, ſacrificium Scenopejæ, ſeu Tabernaculorum, ſacrificium cœtus, atque collectæ.

5. In lege Euangelica duplex eſt ſacrificium. Unum cruentum, quo Chriſtus in ara crucis Deo Patri oblatus eſt pro expiatione peccatorum noſtrorum. Alterum incruentum, quo idem Chriſtus quotidie ſub ſpecie panis, & vini offertur in altari, partim in memoriam cruenti illius ſacrificii, partim ob alias cauſas, quas infra explicabo.

6. Utrumque præfiguratum fuit per ſacrificia legis naturæ, & Moſaicæ: quod ſic explico: in ſacrificio cruento multa ſpectari poſſunt. Primo, quod Chriſtus, qui in eo oblatus eſt, fuerit unigenitus Dei Filius. Secundo, quod a Patre oblatus in mortem. Tertio, quod Patri obſequentiſſimus. Hæc tria optime præfigurantur per ſacrificium Abrahæ, quo obtulit unigenitum Filium ſuum Iſaac. Quarto, quod reipſa occiſus ſit. Hoc ſignificant omnia ſacrificia Moſaica, quæ erant ex animalibus. Quinto, quod effuſione ſanguinis liberaverit nos a ſervitute diaboli. Hoc ſignificat ſanguis Agni Paſchalis, qui ſuper poſtes domorum aſperſus liberavit filios Iſrael a ſervitute Pharaonis. Sexto, quod ſuo ſanguine mundaverit nos a peccatis noſtris. Hoc ſignificat ſanguis hircorum, & aliorum animalium, teſte Apoſtolo Hebr. 9. 13. *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum inquinatos, ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis?* Septimo, quod innocens occiſus ſit. Hoc ſignificat mactatio Agni Paſchalis. Unde Iſai. 53. 7. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Octavo, quod tametſi innocens fuerit, tamen cum latronibus deputatus ſit. Hoc ſignificat Hircus, qui loco Agni Paſchalis offerri poterat. Hircus enim animal fœtidum eſt. Nono, quod crura ejus non ſint fracta. Hoc ſignificat Agnus Paſchalis, de quo ſcriptum eſt Exodi 12. 46. *Os non comminuetis ex eo.* Decimo, quod ſe totum Patri obtu-

obtulerit, nulla parte ſibi reſervata. Hoc ſignificant omnia holocauſta.

7. Similiter in ſacrificio incruento multa ſpectari poſſunt. Primo, quod quotidie offeratur in Euchariſtia. Hoc ſignificat juge ſacrificium, de quo ſupra. Secundo, quod caro Chriſti vere comedatur in hoc ſacrificio. Joan. 6. 55. *Caro mea vere eſt cibus.* Hoc ſignificat caro Agni Paſchalis, qui vere comedebatur ab offerentibus. Tertio, quod Chriſtus ſumatur ſub ſpecie panis, & vini. Hoc ſignificat ſacrificium Melchiſedech, qui panem, & vinum obtulit. Quarto, quod comeſturi ex hoc ſacrificio debeant eſſe puri a peccatis, ne indigne ſumant. 1. Corinth. 11.29. *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Hoc ſignificat ſanctificatio filiorum Job. Quinto, quod debeant habere veram contritionem, & dolorem de peccatis præteritis, 1. Cor. 11. 28. *Probet autem ſeipſum homo*. Hoc ſignificant lactucæ agreſtes in eſu Agni Paſchalis. Sexto, quod debeant eſſe parati ad currendam viam mandatorum Dei, & contendere ad cœleſtia. Hoc ſignificant Judæi, qui accincti lumbis, & calceati, & tenentes baculum in manibus, feſtinanter comedebant Agnum Paſchalem. Hæc fere præcipua ſunt. Alia minutiora omitto.

8. Hoc ſacrificium incruentum partim convenit cum cruento, partim ab eo diſcrepat. Convenit tripliciter. Primo in re oblata. In utroque enim offertur Chriſtus per modum victimæ. Secundo in principali offerente. Nam Chriſtus, qui in utroque eſt victima, eſt etiam in utroque principalis Sacerdos, ſeu Pontifex. Tertio in fine. Nam ſicut olim in cruce, ita nunc in altari offertur pro peccatis noſtris, tametſi diverſo modo, ut infra explicabimus.

9. Diſcrepat vero quintupliciter. Primo, in externa ſpecie. Nam Chriſtus in cruce ſub propria ſpecie humana, in altari ſub ſpecie panis, & vini offertur. Secundo, in modo, & ritu offerendi: nam in cruce per realem mortem, in altari per myſticam conſecrationem immolatur. Tertio ex parte miniſtri. Tametſi enim Chriſtus utrobique ſit principalis offerens, ut dictum eſt, tamen in altari utitur miniſterio Sacerdotum, quo nec in ultima cœna, nec in cruce uſus eſt. Quarto ex parte effectus. Nam fructus ille, qui per cruentum ſacrificium acquiſitus eſt, applicatur nobis per incruentum, & per alia media. Quinto ex parte ſignificationis. Nam ſacrificium crucis non eſt typus, ſeu figura ullius alterius ſacrificii, ſed omnia alia ſunt typi, ſeu figuræ illius. At ſacrificium Altaris eſt repræſentatio ſacrificii crucis. 1. Cor. 11. 24.

Hoc

Hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.

Quid ſentiant Catholici de Sacrificio Altaris.

10. His poſitis controverſia eſt inter Catholicos, & Adverſarios: An ſacrificium incruentum, quod Miſſam, vel ſacrificium Miſſæ appellamus; ſit vere, ac proprie ſacrificium? Adverſarii, qui rem ipſam negare non audent, ſuo more de nomine altercantur. Concedunt celebrationem Euchariſtiæ: negant proprie eſſe ſacrificium. Nos affirmamus. Sententia noſtra variis modis probari poteſt. Primo, ex typis, ſeu figuris veteris teſtamenti. 2. Ex vaticinio Malachiæ. 3. Ex colloquio Chriſti cum Samaritana. 4. Ex Apoſtolo Paulo. 5. Ex conſenſu Sanctorum Patrum. Hinc ſumo totidem argumenta.

PRIMUM ARGUMENTUM ex figuris veteris Teſtamenti.

11. In veteri Teſtamento fuerunt variæ figuræ, ſeu typi celebrationis Euchariſtiæ; ſed præcipue oblatio panis, & vini a Melchiſedech facta. De qua Gen. 14. 18. *At vero Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo, & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt.* Hinc tria colligimus. Primo, Melchiſedech fuiſſe Sacerdotem Dei Altiſſimi. Secundo, obtuliſſe panem, & vinum in ſacrificium: idque in gratiarum actionem, pro victoria ab Abrahamo parta. Tertio, ea oblatione præfiguraſſe ſacrificium Chriſti, quod in ultima cœna ſub ſpecie panis, & vini peractum eſt. Atque ea de cauſa, Chriſtum in Scriptura vocari Sacerdotem *ſecundum ordinem Melchiſedech*, non autem ſecundum ordinem Aaron. (Pſal. 109. verſ. 4. & Hebr. 6. v. 20. & Hebr. 7. verſ. 11.) Nam ſacrificium Chriſti in ultima cœna non fuit cruentum ex animalibus, ſicut ſacrificia Aaronica; ſed incruentum ſub ſpecie panis, & vini, ſicut ſacrificium Melchiſedech.

12. De primo puncto nulla controverſia. Omnes concedunt, Melchiſedech fuiſſe Sacerdotem, imo ſimul Regem, & Sacerdotem. Hoc enim aperte aſſerit Moyſes loc. cit. Et confirmat Apoſt. Heb. 7. 1. cum ait: *Melchiſedech Rex Salem, & Sacerdos*

dos Dei ſummi: De ſecundo, & tertio puncto difficultatem movent Novatores; cum olim nulla fuerit. Negant, Melchiſedech obtuliſſe panem, & vinum in ſacrificium. Negant, ſi ea re geſſiſſe typum, ſeu figuram Chriſti. Itaque duplex hic oritur quæſtio. Una, in quem finem, vel uſum protulerit Melchiſedech panem, & vinum. Altera, in qua re fuerit typus, ſeu figura Chriſti. An in oblatione panis, & vini, quod nos aſſerimus, an in aliquo alio, ut contendunt Adverſarii nuper nati.

13. Prior ergo quæſtio eſt, in quem uſum protulerit Melchiſedech panem, & vinum. Adverſarii fingunt protuliſſe in corporalem refectionem Abraham; & ſociorum ejus, qui fatigati, & famelici revertebantur ex prælio. Nos dicimus protuliſſe in uſum ſacrificii, quod omnes antiqui Patres dicunt. Clem. Alexandr. lib. 4. ſtromatum, c. 8. Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. ad Cæcilium, Euſebius Cæſarienſis lib. 5. demonſtrat. Euangel. cap. 3. Hieronymus in epiſt. ad Marcellam, Auguſtinus epiſt. 95. ad Innocentium Papam, & alii quotquot de hac re ſcripſerunt. Et manifeſte patet ex Scriptura. Cum enim dixiſſet, *Panem, & vinum protulit*, mox adjecit: *Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*: volens ſignificare, Melchiſedech, non ut Regem, ſed ut Sacerdotem protuliſſe panem, & vinum: ac proinde non protuliſſe ad refocillandos milites ex prælio redeuntes, quippe qui jam erant refocillati ex præda, quam hoſti abſtulerant, (Geneſ. 14. 24.) ſed protuliſſe in uſum ſacrificii, & in gratiarum actionem pro parta victoria.

14. Pro majori explicatione notandum eſt, adverſarios dupliciter a nobis diſcrepare. Primo, quia ipſi volunt Melchiſedech, tanquam Regem, protuliſſe panem, & vinum profanum. 2. Nec in alium finem protuliſſe, quam in corporalem refectionem militum, qui redeuntes ex prælio, fame, & ſiti laborabant. Nos contra aſſerimus: Primo, Melchiſedech, non ut Regem, ſed ut Sacerdotem protuliſſe panem, & vinum, non profanum, ſed ſanctificatum. 2. Et primario obtuliſſe Deo in ſacrificium; ac deinde dediſſe militibus, non ut inde famem, & ſitim extinguerent, ſed ut ſacrificii eſſent participes. Quod ſatis inſinuat Clem. Alex. loc. cit. cum ait: *Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei altiſſimi, qui panem, & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ*. Notate verba. Dedit Abrahamo, & ſociis ejus panem, & vinum *ſanctificatum*, id eſt, prius Deo oblatum in ſacrificium. Dedit nutrimentum *in typum Euchariſtiæ*. Sicut enim Euchariſtia prius offertur Deo in ſacrificium; ac deinde datur fidelibus, ut illius ſacrificii ſint participes: ita ſervata

R pro-

portione., de pane, & vino Melchiſedech, quæ fuerunt typus Euchariſtiæ, dicendum eſt. Prius oblata ſunt Deo in ſacrificium: deinde diſtributa in milites, ut in ſacrificio participarent.

15. Poſterior quæſtio eſt, in qua re Melchiſedech fuerit typus, ſeu figura Chriſti? Reſpondeo. In oblatione panis, & vini, ut ex dictis colligitur. Et ſic ſentiunt Patres citati: Clemens, *Dedit panem, & vinum in typum Euchariſtiæ*. Cyprianus, *In Sacerdote Melchiſedech ſacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum vidimus*. Euſebius, *Quemadmodum Melchiſedech, qui Sacerdos gentium erat, nuſquam videtur ſacrificiis corporalibus functus, ſed ſolo pane, ac vino; ita Salvator noſter, & qui ab eo profecti ſunt Sacerdotes, in omnibus gentibus, pane, & vino, corporis illius, & ſanguinis myſteria repræſentant, quæ ſane myſteria Melchiſedech tanto ante ſpiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus uſus fuerat*. Hieronymus, *Melchiſedech jam tunc in typo Chriſti, panem, & vinum obtulit*. Similia habent alii Patres, quibus plus fidei eſt, quam noſtris Novatoribus. Accedit ratio, quia ſi Chriſtus, ut Scriptura teſtatur, fuit vere Sacerdos *ſecundum ordinem Melchiſedech*, & non ſecundum ordinem Aaron; neceſſe eſt, eum in Sacerdotio fuiſſe ſimilem Melchiſedecho, & non Aaroni. Hæc autem ſimilitudo in eo conſiſtit, quod Chriſtus in ultima cœna non obtulerit ſacrificium ex animalibus, ut Aaron: ſed ex pane, & vino, ut Melchiſedech.

16. Duo objici poſſunt. Unum eſt, quod Apoſtolus Heb. 7. multo aliter explicet illam ſimilitudinem, nulla facta mentione panis, & vini. Alterum, quod Chriſtus in oblatione panis & vini non magis fuerit ſimilis Melchiſedecho, quam Aaroni; quia etiam Aaron obtulit panem, & vinum, ut patet Exodi 29. v. 40. & Num. 28. v. 5. & 7. Reſpondeo: Similitudo inter Chriſtum, & Melchiſedech conſiſtit quidem in aliis etiam rebus, ſed potiſſimum in oblatione panis, & vini. Hoc ſic oſtendo: Conſiſtit primo in notatione nominis. Nam *Melchiſedech* idem eſt, quod *Rex juſtitiæ*. At Chriſtus eſt verus Rex juſtitiæ, non ſolum quia judicat populum in æquitate, ut habetur Pſal. 71. 2. ſed etiam quia ex perfecta juſtitia pro nobis Deo ſatisfecit. Secundo, in notatione officii. Nam Melchiſedech fuit *Rex Salem*, id eſt, Rex pacis. Hoc optime convenit Chriſto, qui e cœlo miſſus eſt, ut inter Deum, & homines conciliaret pacem. (Epheſ. 2. 14. & Coloſſ. 1. 20.) Tertio in origine. Nam Melchiſedech introducitur *ſine patre, & matre*. Et Chriſtus, ut homo, non habuit patrem: ut Deus, non habuit matrem. Quarto, in duratione.

Nam

Nam Melchiſedech introducitur, *neque initium dierum habens, neque finem*: Et ſic repræſentat æternitatem Sacerdotii Chriſti. Chriſtus in oblatione ſacrificii Euchariſtici nulli alteri ſucceſſit, neque alius illi ſucceſſit. Et hoc ſenſu eſt *Sacerdos in æternum*. Quinto, in oblatione. Nam Melchiſedech obtulit panem, & vinum: Chriſtus ſub ſpecie panis, & vini obtulit ſuum corpus, & ſanguinem. Et in hac oblatione, ut dixi, potiſſimum conſiſtit ſimilitudo inter Chriſtum, & Melchiſedech.

17. Quod ſic explico: Chriſtus in Scriptura vocatur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, & non ſecundum ordinem aliorum Sacerdotum: Ergo Melchiſedech, quatenus Sacerdos, habuit aliquid peculiare, ac proprium, in quo eſſet figura Chriſti, quod non habuerunt alii Sacerdotes. Hoc autem potiſſimum eſt oblatio panis, & vini. Nam reliqua, quæ habuit Melchiſedech, vel non habuit ut Sacerdos, vel certe non fuerunt illi propria, ac peculiaria. Hoc patet ex dictis. Nam cætera, quæ habuit præter oblationem panis; & vini, fuerunt hæc. Primo, quod vocatus ſit Rex Juſtitiæ. Hoc nihil ad Sacerdotium. Secundo, quod fuerit Rex Salem, ideſt pacis. Neque hoc habuit, ut Sacerdos, ſed ut Rex. Tertio, quod introductus ſit ſine patre, ſine matre, ſine genealogia. Et Job, & Helias ſic introducti ſunt. Quarto, quod introductus ſit neque initium, neque finem dierum habens: Et hoc Heliæ convenit. Quid ergo proprium, ac peculiare habuit, ut Sacerdos, quod alii non habuerunt? Oblationem panis, & vini. In hac ergo potiſſimum fuit typus, ſeu figura Chriſti.

18. DICES. Si ita eſt, cur Apoſtolus hoc tacuit? Cur, cum dixit Melchiſedech fuiſſe figuram Chriſti in aliis rebus, non adjecit, quod potiſſimum erat, fuiſſe etiam in oblatione panis, & vini? Reſpondeo: Oportet attendere ad ſcopum Apoſtoli in Epiſtola ad Hebræos. Non voluit ex profeſſo explicare figuram, & ſimilitudinem inter Chriſtum, & Melchiſedech: (ſi enim hoc voluiſſet facere, ſine dubio dixiſſet, eam conſiſtere in oblatione panis, & vini, ſicut omnes antiqui Patres dixerunt, qui hac de re ſcribunt) ſed voluit oſtendere excellentiam Sacerdotii Chriſti ſupra Sacerdotes Aaronicos: aut ſi generatim loquamur, excellentiam Chriſti ſupra Angelos, Moyſen, & Sacerdotes Aaronicos. Hebræi enim, ad quos ſcribebat, magni faciebant Angelos; quorum miniſterio legem acceperant: Moyſen, qui legem illis promulgaverat: Sacerdotes Aaronicos, qui in lege ordinati erant. At de Chriſto humiliter ſentiebant. Apoſtolus ergo, ut recte eos inſtrueret, voluit ex profeſſo demonſtrare, Chri-

ſtum & Angelis, & Moyſe, & Sacerdotibus Leviticis excellentiorem eſſe. Itaque triplicem inſtituit comparationem. Primam inter Chriſtum, & Angelos, cap. 1. 4. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Alteram inter Chriſtum, & Moyſen, cap. 3. 3. *Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus*. Et infra v. 5. *Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus: Chriſti vero tamquam filius*. Tertiam inter Chriſtum, & Sacerdotes Leviticos, cap. 7. ubi ſic ratiocinatur: Melchiſedech fuit excellentior Aarone: Sed Chriſtus eſt Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech: Ergo ſacerdotium Chriſti eſt excellentius Sacerdotio Aaronico, ſeu Levitico. Majorem probat tripliciter. Primo, quia Melchiſedech benedixit Abrahæ, & conſequenter Aaroni, qui erat in lumbis Abrahæ. Major autem benedicit minori. Secundo, quia accepit decimas ab Abrahamo, & conſequenter ab Aarone, Tertio, quia non legitur initium habuiſſe dierum, aut finem.

19. Ex hoc diſcurſu facile advertis, Apoſtolum non aliud ex profeſſo egiſſe, quam ut oſtenderet Sacerdotium Chriſti præſtantius eſſe Sacerdotio Aaronis: ac proinde Hebræos, qui hactenus magni fecerant legem, & Sacerdotium Moſaicum, deinceps debere pluris facere legem, & Sacerdotium Chriſtianum. Unde ulterius ſequitur, mirum non eſſe, ſi nullam fecerit mentionem oblationis panis, & vini. Non enim diſputabat de figura, & ſimilitudine inter Chriſtum, & Melchiſedech, ut dictum eſt; ſed de excellentia Sacerdotii Chriſti ſupra Sacerdotium Moſaicum. Ad hanc autem excellentiam declarandam non opus eſt confugere ad oblationem panis, & vini; cum aliunde ſuppeterent ſat multa argumenta, quæ plus momenti habebant. Nam ex oblatione panis, & vini videbat ſe nihil efficaciter probare poſſe. Dixiſſent enim Hebræi, ſacrificia Moſaica, quæ conſtabant ex animalibus, non fuiſſe inferiora ſacrificio Melchiſedech, quod conſtabat ex pane, & vino: ac proinde ex hac parte Melchiſedechum non fuiſſe Aarone excellentiorem.

20. HÆC de prima objectione. Supereſt altera, quæ erat talis: Oblatio panis, & vini fuit etiam uſitata in ſacrificiis Aaronicis, & non tantum in ſacrificio Melchiſedechi. Ergo propter hanc oblationem non minus Aaron, quem Melchiſedech fuit figura Chriſti. Reſpondeo. Quando inſtituitur comparatio inter ſacrificium Aaronis, & Melchiſedechi, debet inſtitui inter prin-

principale, & integrum utriuſque ſacrificium. Oblatio panis, & vini erat principale, & integrum ſacrificium Melchiſedechi; quia nihil aliud legitur obtuliſſe. At non erat principale, & integrum ſacrificium Aaronis, ſed tantum particula, per modum annexi. Nam principale conſtabat ex animalibus. Hinc patet, quomodo Melchiſedech potius, quam Aaron fuerit figura Chriſti in oblatione panis, & vini. Nam ſicut Melchiſedech obtulit panem, & vinum ſine animalibus: ita Chriſtus in ultima cœna obtulit ſuam carnem, & ſanguinem ſub ſpecie panis, & vini ſine ſpecie, aut oblatione animalium.

SECUNDUM ARGUMENTUM
Ex Vaticinio Malachiæ.

21. Malachias Propheta cap. 1. verſ. 6. & ſequentibus, prædicit fore, ut in novo teſtamento offeratur Deo mundum ſacrificium in omni loco, quod præferendum ſit ſacrificiis Moſaicis, quæ ſæpe erant immunda. Nam de his in perſona Dei ſic loquitur: *Offertis ſuper altare panem meum pollutum*. Item. *Offertis cæcum, claudum, & languidum ad immolandum*. De illo autem: *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*.

22. Quæ vero eſt oblatio munda, quæ in novo teſtamento ubique Deo offertur, & ſacrificatur? Catholici cum antiquis Patribus dicunt eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti ſub ſpecie panis, & vini. Calviniſtæ, eſſe bona opera, ut orationem, gratiarum actionem, eleemoſynam, & ſimilia. Sed facile refelluntur. Primo, quia bona opera, teſte Calvino, non ſunt munda, ſed potius *ſordes, maculæ, & inquinamenta*, ut ipſe loquitur lib. 3. inſt. cap. 12. §. 4. & cap. 15. §. 3. Vide infra cap. 18.

23. Deinde Malachias opponit oblationem noſtram oblationi Judæorum ex parte rei oblatæ. Quæ oppoſitio in eo conſiſtit, quod panes, & animalia, quæ offerebantur in ſacrificiis Judæorum, ſæpe erant vitioſa, & immunda; at id, quod offertur in noſtro ſacrificio, ſemper eſt mundum. Hoc aliud eſſe non poteſt, niſi corpus, & ſanguis Chriſti. Nam reliqua omnia, quæ Deo offerimus, ſæpe vitioſa, & imperfecta ſunt.

24. Denique Malachias non ſolum loquitur de munda, ſed etiam de nova oblatione, quæ ſucceſſura ſit ſacrificio Moſaico, & futura propria Chriſtianorum: At bona opera neque nova ſunt, neque ſuccedunt ſacrificio Moſaico, neque ſunt propria Chriſtianorum, cum fuerint uſitata ab initio mundi

a Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus; Ergo bona opera non ſunt oblatio munda, de qua loquitur Malachias.

25. Reſpondet Hutterus in Triumpho contra Bellarminum pag. 211. per *oblationem mundam* non intelligi omnia bona opera, quæ faciunt Chriſtiani, ſed prædicationem Euangelii; quæ dicitur Nova, non ſimpliciter, ſed comparate, quia nimirum clarior, & illuſtrior eſt in nova lege, quam in veteri. Sed hic homo, & ſibi ipſi contradicit, & nihil aliud, quam ſomnium ſuum narrat. Nam paulo poſt, pag. 214. expreſſe ait, omnes pios, ac fideles novi Teſtamenti offerre Deo ſacrificium mundum, de quo loquitur Malachias. Conſtat autem, non omnes prædicare Euangelium. Quomodo ergo prædicatio Euangelii poteſt eſſe ſacrificium, de quo loquitur Malachias? Non cohærent iſta inter ſe.

26. Deinde, quæ eſt proportio inter ſacrificia Iudæorum, & prædicationem Euangelii? Aut quæ connexio eſt, Sacerdotes Moſaici offerunt mihi panes pollutos, & animalia cæca, clauda, & languida. At Chriſtiani prædicabunt Euangelium? Nulla. Multo melior, & accommodatior hæc noſtra eſt: Sacerdotes Moſaici offerunt mihi victimas pollutas: At Chriſtiani offerunt ſanctam, & impollutam. In hac enim confertur ſacrificium cum ſacrificio, pollutum cum impolluto; quod in iſta non fit.

TERTIUM ARGUMENTUM
Ex colloquio Chriſti cum Samaritana.

27. CHriſtus in colloquio cum muliere Samaritana dat hoc diſcrimen inter ſacrificium Iudæorum, Samaritanorum, & Chriſtianorum, quod duo priora fuerint alligata certo loco, tertium in omni loco offerri poſſit; Deinde, quod duo priora fuerint vitioſa, tertium non item Loquitur autem de ſacrificio proprie dicto. Ergo Chriſtiani habent aliquod ſacrificium proprie dictum, quod in omni loco offerri poteſt. Hoc autem non eſt ſacrificium crucis cruentum, quod ſemel tantum, & uno loco oblatum eſt: Ergo eſt ſacrificium Euchariſtiæ incruentum, quod quotidie in omnibus Eccleſiis offertur.

28. Textus ſic habet, Ioan. 4. 19. *Dicit ei mulier: Domine, video, quia Propheta es tu. Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet. Dicit ei Jeſus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis, quod neſci-*

Digitized by Google

neſcitis: nos adoramus, quod ſcimus: quia ſalus ex Judæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.

29. Ubi nomen *adorationis* non ſumitur pro ſimplici adoratione, quæ poterat ubiq; fieri, ſed pro ſacrificio, quod non poterat ubiq; offerri, ſed apud Samaritanos offerebatur in monte Garizim, prope oppidum Sichimorum, apud Judæos in templo Hieroſolymitano. Eodem ſenſu ſumitur Joan. 13. 20. *Erant autem quidam gentiles ex his, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto.* Et Actor. 8. 27. *Eunuchus venerat adorare in Jeruſalem.* Ideo enim ex longinquis regionibus veniebant Hieroſolymam, quia ibi erat locus ſacrificii.

30. Igitur Samaritana videns Chriſtum eſſe Prophetam, proponit illi quæſtionem de ſchiſmate Samaritanorum, & Judæorum, quæ erat hæc: Utri rectius facerent, ac ſentirent; Samaritani, qui offerebant ſacrificia in monte Garizim, an Judæi, qui contendebant, non ibi, ſed in templo Hieroſolymitano offerri oportere? Chriſtus dupliciter reſpondet. 1. De loco. 2. De modo. De loco ſic: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis.* Quaſi dicat: Deinceps qui erunt Chriſtiani, neque in hoc monte, neque in templo Hieroſolymitano tantum, ſed in omni loco offerent ſacrificium. Vel, quod idem eſt, Sacrificium Chriſtianorum non erit alligatum uni certo loco, ſicut ſacrificia Samaritanorum, & Judæorum, ſed ubique poterit offerri, ſicut prædixit Malachias. De modo ſic: *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*, id eſt, Judæi non offerunt ſacrificium in ſpiritu, ſed ſecundum externam ceremoniam. *Cor autem eorum longe eſt a me.* Samaritani non offerunt in veritate, quia non offerunt vero Deo, ſed Idolo: *Vos adoratis, quod neſcitis.* At Chriſtiani, qui erunt veri adoratores, offerent ſacrificium vero Deo cum interna mentis devotione.

QUARTUM ARGUMENTUM
Ex Apoſtolo.

31. In Apoſtolo Paulo habemus duos illuſtres locos pro ſacrificio Euchariſtiæ. Alter eſt 1. Corinth. 10. 15. *Fugite ab idolorum cultura; calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Videte Iſrael ſecundum carnem; nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo? Dico, quod idolis immolatum ſit aliquid? Sed quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant,*

cant, non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis Calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum.

32. Hic agnoſcit Apoſtolus triplicem menſam, ſeu triplex altare. Unum, in quo gentiles ſacrificant idolis, ſeu dæmoniis: Alterum, in quo Judæi offerunt Deo victimas ex animalibus: Tertium, in quo Chriſtiani offerunt corpus & ſanguinem Chriſti, ſub ſpecie panis, & vini. At quorſum? vult probare, Corinthios debere abſtinere ab idolothytis, id eſt, a carnibus, quæ idolis, ſeu dæmoniis ſunt oblatæ. Hoc ſic probat: Qui comedit de victimis, quæ in altari idololatrico immolatæ ſunt idolis, ſeu dæmoniis, ille eſt particeps altaris, ſeu ſacrificii idololatrici, & conſequenter eſt cultor idolorum, ſeu dæmoniorum: Sed vos, cum ſitis Chriſtiani, non debetis eſſe participes altaris, ſeu ſacrificii idololatrici, neque cultores idolorum: *fugite*, inquit, *ab idolorum cultura*. Ergo non debetis comedere de victimis, quæ immolatæ ſunt Idolis. Majorem probat a ſimili; & utitur duplici exemplo, altero Chriſtianorum, altero Judæorum, hoc modo. Chriſtiani, qui ſumunt de corpore, & ſanguine Chriſti, ſunt participes altaris, ſeu ſacrificii Chriſti: & Judæi, qui comedunt de victimis Moſaicis, ſunt participes altaris, ſeu ſacrificii Moſaici: Ergo ſimiliter qui comedunt de victimis, quæ immolatæ ſunt Idolis, ſeu dæmoniis, ſunt participes altaris, ſeu ſacrificii idololatrici. At nemo poteſt eſſe ſimul particeps altaris Chriſti, & idolorum: Ergo ſi vultis eſſe participes altaris Chriſti, debetis abſtinere ab altari, & ſacrificio idolorum: aut ſi ab hoc non abſtinetis, non poteſtis eſſe participes altaris Chriſti. Hic eſt diſcurſus Apoſtoli: ex eo patet, non minus apud Chriſtianos, quam apud Judæos, & gentiles eſſe altare, ſacrificium, & participantes de ſacrificio: Et quidem ſacrificium Chriſtianorum conſiſtere in oblatione corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpecie panis, & vini. Hoc enim expreſſe ſignificat Apoſtolus, cum ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quẽ frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?*

33. Alter locus eſt Hebr. 7. 12. *Translato ſacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat*. Ubi ſub nomine ſacerdotii comprehenditur etiam ſacrificium, & per legem intelligitur lex divini cultus. Eſt ergo hic ſenſus verborum Apoſtoli: Sacrificium, & lex divini cultus ita connexa ſunt, ut unum ſine altero eſſe non poſſit: & uno translato, alterum quoque transferri neceſſe ſit. Unde ſicut eſt triplex lex, quæ præſcribit divinum cultum: una naturalis ab Adamo uſque ad Moyſen: altera Moſaica, a Moyſe

uſque

uſque ad Chriſtum: tertia Evangelica, a Chriſto uſque ad finem mundi: Ita triplex debet eſſe ſacrificium: unum, quo colitur Deus juxta legem naturalem: alterum, quo colitur juxta Moſaicam: tertium, quo juxta Euangelicam: Et quotieſcunque lex divini cultus mutatur, toties ſacrificium mutari neceſſe eſt.

34. Hoc clarius ſic explico. Sicut homo conſtat duplici parte, nempe anima, & corpore; ita lex præſcribit illi duplicem cultum, quem tenetur Deo exhibere; unum internum, alterum externum. Internus conſiſtit in actu fidei, ſpei, timoris, dilectionis. Externus in ſolo ſacrificio. Nam reliqui externi cultus, quicumque illi ſint, poſſunt etiam hominibus exhiberi. Solum ſacrificium peculiariter inſtitutum eſt ad colendum Deum. Eo igitur ſublato, nihil reliquum eſt, quo Deum ſpeciali ratione colamus. Hinc ſequitur, legem, quæ præſcribit externum cultum Dei, non alium præſcribere, niſi ſacrificium, quia nullus alius eſt. Deinde ejuſmodi legem nec mutari, nec abrogari, nec reſtaurari poſſe, niſi mutato, aut abrogato, aut reſtaurato ſacrificio.

35. Hinc tandem ita concludo. Ubicunq; eſt peculiaris lex, & religio, ibi debet eſſe peculiare ſacrificium, quo Deus ex præſcripto illius legis colitur. Sed apud Chriſtianos eſt peculiaris lex, & religio, nempe Euangelica, diſtincta a lege naturali, & Moſaica. Ergo apud Chriſtianos eſt peculiare ſacrificium, quo Deus colitur, diſtinctum a naturali, & Moſaico. At hoc non poteſt eſſe aliud, quam incruentum ſacrificium Euchariſtiæ. Ergo illud eſt. Major patet ex dictis. Minorem probo, quia ſi eſſet aliud, maxime eſſet cruentum, quod ſemel in cruce peractum eſt. Sed hoc non eſt. Primo, quia illud a Chriſto, tanquam communi redemptore, pro omnibus oblatum eſt, tam pro iis, qui vixerunt in lege naturæ, & Moſaica, quam qui vivunt in Euangelica. *Pro omnibus enim eſt mortuus Chriſtus*. Sicut ergo, præter illud, fuit aliud in lege naturæ, & aliud in Moſaica; ſic etiam aliud eſt in Euangelica. Et ſicut ſacrificium legis naturæ, & Moſaicæ erat typus, ſeu figura futuri ſacrificii cruenti. (Heb. 10.) ſic noſtrum eſt imago, ſeu repræſentatio præteriti. (1. Corinth. 11.) Secundo, quia lex divini cultus debet obligare eos, qui ſubjecti ſunt legi. Sicut ergo Patriarchæ, & Prophetæ, qui ſubjecti erant legi naturali, & Moſaicæ, non obligabantur Deum colere, niſi per ſacrificia, quæ repræſentabant futurum ſacrificium crucis: ita nos, qui ſubjecti ſumus legi Evangelicæ, non obligamur Deum colere, niſi per ſacrificium Euchariſtiæ, quod repræſentat præteritum ſacrificium crucis. Ergo ſignum, eſt, quod lex divini cultus, tam in veteri, quam in novo Teſtamento, non reſpi-

pi-

piciat immediate cruentum ſacrificium crucis, ſed potius alia ſacrificia, quatenus illius, ſive futuri, ſive præteriti, repræſentativa ſunt.

QUINTUM ARGUMENTUM *Ex Patribus.*

36. ANtiqui Patres tam diſerte loquuntur de ſacrificio Euchariſtiæ, in quo Chriſtus ſub ſpecie panis, & vini quotidie offertur in Eccleſia, ut nemo, qui illos aſpexerit, de ipſorum ſententia dubitare poſſit. Hoc quinque modis oſtendo.

Primo, quia quando loquuntur de Euchariſtia, paſſim uſurpant has voces, *Sacrificium*, *oblatio*, *immolatio*, *hoſtia*, *victima*, *offerre*, *ſacrificare*, *immolare*. Ita Hippolytus Martyr, Ambroſius, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus, Leo, Fulgentius, & alii apud Bellarminum li. 1. de Miſſa, cap. 15.

Secundo, quia requirunt Altaria ad celebrandam Euchariſtiam. Altaria autem non eriguntur, niſi ratione ſacrificii. Supponunt ergo Euchariſtiam eſſe ſacrificium. Ita Cyprianus, Euſebius, Optatus Milevitanus, Ambroſius, Nazianzenus, Nyſſenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, & alii apud eundem cap. 16.

Tertio, quia miniſtros, qui Euchariſtiam offerunt, vocant *Sacerdotes*, & eorum miniſterium *Sacerdotium*: Proprium autem munus Sacerdotis eſt, offerre ſacrificium, Hebr. 5. 1. & c. 8. 3. Ita Gaudentius, Hieronymus, Ambroſius, Euſebius, Cyprianus, Tertullianus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & alii apud eundem c. 17.

Quarto, quia docent Euchariſtiam celebrari, & offerri poſſe pro vivis, & defunctis, pro pace, & incolumitate; & generatim pro omnibus neceſſitatibus, tam corporis, quam animæ: quod ſane non dicerent, niſi putarent eſſe verum ſacrificium. Ita Chryſoſtomus, & Auguſtinus variis locis apud eundem c. 9.

Quinto, quia dicunt Melchiſedechum fuiſſe verum Sacerdotem, & obtuliſſe panem, & vinum in ſacrificium: Et hoc modo præfiguraſſe incruentum ſacrificium, quod Chriſtus ſub ſpecie panis, & vini inſtituit in ultima cœna. Eamque ob cauſam, Chriſtum in Scriptura vocari *Sacerdotem ſecundum Ordinem Melchiſedech*. Ita Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, & alii ſupra citati. His addi poſſunt, qui vaticinium Malachiæ, de quo ſupra dictum eſt, inter-

terpretantur de ſacrificio Euchariſtiæ, ut Juſtinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Euſebius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, & plures alii apud Bellarminum, lib. 1. cap. 10.

37. Ex quibus omnibus abunde conſtat de ſententia antiquorum Patrum. Neque neceſſe eſt integra eorum teſtimonia huc tranſcribere, cum Adverſarii concedant, eos ita ſentire. Nam Kemnitius in Examine Concilii Tridentini de illis ſcribit: *Negari non poteſt, veteres, quando loquuntur de celebratione cænæ Dominicæ, uſurpare vocabula ſacrificii, immolationis, victimæ.* Item, *uti verbis offerre, ſacrificare, immolare.* Similia habent Lutherus, & Calvinus, ut jam videbimus.

Quid ſentiant Adverſarii de Sacrificio Altaris.

38. Lutherani, & Calviniſtæ negant eſſe ſacrificium. Et quod mirum eſt, per contemptum vocant *horribile ſacrilegium, idololatriam, ſacrificii Crucis Chriſti abnegationem, commentum Papiſticum, abominationem, exitialem voraginem*, & ſi quæ ſimilia cogitari poſſunt. Nec curant authoritatem Patrum, quam nos allegamus. Sic enim ſcribit Lutherus in libro de abroganda Miſſa: *Propterea in primis adverſus eos, qui clamaturi ſunt, quod contra ſtatuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Et in libro de Miſſa privata: *Hic non moramur, ſi clamitant Papiſtæ: Eccleſia, Eccleſia: Patres, Patres: quia, ut dixi, hominum dicta, aut facta nihil in tam magnis cauſis curamus. Scimus ipſos etiam Prophetas lapſos eſſe, adeoque Apoſtolos,* (non tamen Lutherum, ſi Diis placet, qui Prophetis, & Apoſtolis major eſt) Et Calvinus l. 4. inſt. cap. 18. §. 1. *Peſtilentiſſimo errore Satan totum pene orbem excæcavit; ut crederet Miſſam ſacrificium.* Et infra §. 12. *Non eſt, cur ulla hominum authoritate, vel annorum præſcriptione patiamur nos moveri.* Mira res: Lutherus, & Calvinus non volunt ulla hominum authoritate moveri, ne quidem Prophetarum, & Apoſtolorum, & tamen ipſi ſua authoritate volunt alios movere, quaſi ipſi homines non eſſent, ſed Dii. Provocant ad ſolam Scripturam. Eſto. Sed quomodo ex ea probant Miſſam non eſſe ſacrificium? Hoc patebit ex ipſorum argumentis, quæ vel ex Scriptura apicem non habent: vel ſi habent, nullius certe momenti ſunt. Audiamus ſingula ſeparatim.

AR-

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

39. PRimum: Sacrificium debet offerri Deo, non autem comedi ab hominibus: At Euchariſtia comeditur ab hominibus. Ergo non eſt ſacrificium. Reſpondeo: Major, quoad poſteriorem partem, aperte falſa eſt. Nam Agnus Paſchalis erat verum ſacrificium, & tamen comedebatur ab Hebræis. Nec enim pugnant hæc duo inter ſe: Totum ſacrificium offertur Deo, & totum ſacrificium, vel pars comeditur ab hominibus. Hoc non ſolum patet in Agno Paſchali, qui totus offerebatur Deo, & totus comedebatur a populo, ſed etiam in hoſtiis pacificis, quæ integræ offerebantur Deo, & tamen pars earum cedebat in uſum Sacerdotum, & offerentium. Eodem modo fit in Euchariſtia. Tota offertur Deo, & tota ſumitur a fidelibus ad eorum ſalutem, & utilitatem: Poteſt enim una, eademque res, quatenus honorifica eſt, ſervire uni: & quatenus utilis eſt, ſervire alteri. Imo commune eſt omnibus creaturis inferioribus, ut ſerviant Deo ad ipſius gloriam, & honorem; nobis autem, ad noſtram commoditatem, & ſalutem. Dices: Holocauſtum non comeditur ab hominibus, ſed totum conſumitur ad honorem Dei: Ergo ſaltem Euchariſtia non eſt holocauſtum, quod tamen docent Catholici. Reſpondeo: Catholici non docent eſſe holocauſtum Moſaicum, quod totum debebat comburi, & in fumum reſolvi, ſed eſſe perfectius omnibus ſacrificiis Moſaicis, etiam holocauſtis: quia Chriſtus, qui offertur in Euchariſtia, eſt perfectior omnibus animalibus, quæ offerebantur in ſacrificiis, & holocauſtis Moſaicis.

40. Secundum: Id, quod eſt Sacramentum, non poteſt ſimul eſſe ſacrificium. Sed Euchariſtia eſt Sacramentum. Ergo non poteſt ſimul eſſe ſacificium. Major probatur, quia Sacramentum, & Sacrificium opponuntur. Nam in Saeramento accipimus aliquid a Deo; in ſacrificio damus aliquid Deo. At ratio accepti, & ratio dati non poſſunt ſimul in una, eademque re conſiſtere. Reſpondeo. Major falſa eſt, etiam Adverſariorum conceſſione. Nam Pleſſæus Calviniſta, cum tota Synodo Gapicenſi, lib. 12. de Euchariſt. c. 1. expreſſe ait: Agnum Paſchalem fuiſſe ſimul ſacramentum, & ſacrificium. Quod etiam ex Scholaſticis docet D. Th. & alii plures. Si ergo Agno Paſchali non repugnat, ſimul eſſe ſacramentum, & ſacrificium; cur repugnet Euchariſtiæ, non video. Nec obſtat, quod in Sacramento aliquid accipiamus a Deo, & in ſacrificio aliquid offeramus. Nam hæc duo poſſe ſimul conſiſtere jam oſtenſum eſt in agno Paſchali; qui totus offerebatur Deo ad ipſius

ipſius honorem: & totus comedebatur a Judæis ad illorum ſalutem. Idem fit in Euchariſtia. Et ſane, ſi id, quod a Deo accepimus, non liceret offerre Deo, nullum foret ſacrificium, juxta illud 1. Paralip. 29. 14. *Tua ſunt omnia: Et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

41. Tertium: Chriſtus in ultima cæna, quando inſtituit Euchariſtiam, non dixit, *Offerte*, ſed *comedite*, *& bibite*: Ergo Euchariſtia ex inſtitutione Chriſti non eſt ſacrificium, ſed Sacramentum tantum. Reſpondeo: Tametſi non ſit uſus illo vocabulo, *offerte*: uſus tamen eſt alio æquipollente, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, id eſt, poſthac celebrate Euchariſtiam, quam nunc inſtituo, pro gratiarum actione in memoriam meæ mortis, quam pro vobis, & toto humano genere ſubiturus ſum. Eſt autem duplex gratiarum actio. Una interna, quando quis interno affectu gratum ſe exhibet Deo pro accepto beneficio. Altera externa, quando externo, & ſenſibili ſigno declarat internum animi affectum, & gratificandi voluntatem. Utramque requirit Chriſtus a nobis pro beneficio ſuæ mortis, ac Paſſionis. Et quidem internam vult fieri per internum animi affectum: Externam, per celebrationem Euchariſtiæ Porro ſicut interna gratiarum actio conſiſtit in interna oblatione, qua quis affectum ſuum offert Deo pro accepto beneficio: ſic etiam externa conſiſtit in oblatione, qua externum ſignum ſui affectus exhibet Deo. Unde ſequitur, omnem gratiarum actionem conſiſtere in quadam oblatione, reſpectu Dei benefactoris. Cum ergo celebratio Euchariſtiæ, ex Chriſti inſtitutione, ſit quædam externa gratiarum actio, neceſſe eſt, eam in externa oblatione conſiſtere. Unde, cum dixit Chriſtus, *Hoc facite in meam commemorationem*; plus dixit, quam ſi ſolum dixiſſet, *offerte*. Hoc enim amplius dixit: *Offerte in memoriam tanti beneficii a me accepti*.

42. Idem alia via ſic oſtendo. Chriſtus obtulit ſeipſum Deo in ara crucis per modum veri, & cruenti ſacrificii, ut omnes fatentur cum Apoſtolo (Hebræor. 9. & 10.) Ac ſimul voluit, ut hæc cruenta oblatio repræſentaretur nobis, & quotidie in memoriam revocaretur per celebrationem Euchariſtiæ, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo neceſſe eſt, in celebratione Euchariſtiæ fieri aliquam oblationem incruentam, quæ ſit repræſentatio illius cruentæ oblationis in cruce. Et hoc ſignificat D. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum, cap. 18. cum ait: *Chriſtiani jam peracti ſacrificii in cruce memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione, & participatione corporis, & ſanguinis Chriſti*. Ubi in Euchariſtia conjungit hæc duo, orationem, & par-

& participationem corporis, & ſanguinis Chriſti. Igitur ſecundum Auguſtinum & offertur Chriſtus in Euchariſtia, & ſumitur: offertur Deo, ad ipſius honorem: ſumitur a fidelibus ad ipſorum ſalutem, & utilitatem. Et hoc eſt, quod ſupra dixi in ſolutione primi, & ſecundi argumenti. Unde patet, in his omnibus Auguſtinum nobiſcum ſentire contra Novatores, quod ipſi negare non audent.

43. Quartum: Chriſtus eſt Sacerdos in æternum: Ergo nullum habet Succeſſorem, aut Vicarium in Sacerdotio. Ergo jam nulli ſunt Sacerdotes in terris: Ergo nec ſacrificia proprie dicta. Et confirmatur ex Apoſtolo, Hebræor. 7. ubi dicit, ideo in veteri teſtamento fuiſſe plures Sacerdotes, quorum unus alteri ſuccederet, quia ſinguli erant mortales, ac proinde debebant alii, atque alii ſemper ſuccedere. Chriſtus autem eſt immortalis: Ergo non indiget Succeſſoribus, & Vicariis. Reſpondeo: Aliud eſt, eſſe Succeſſorem alterius; aliud, eſſe Miniſtrum, ſeu Vicarium. Dupliciter enim hæc differunt. Primo, quia Succeſſor eſt ejuſdem dignitatis, ac poteſtatis cum eo, cui ſuccedit; non item Miniſter, ſeu Vicarius cum eo, cujus Miniſter, aut Vicarius eſt. Secundo, Succeſſor non niſi poſt mortem, aut depoſitionem alterius conſtituitur. At Vicarius, ſeu Miniſter ſolet conſtitui, dum adhuc vivit, cui ſubſervit. Utrumque patet in Rege. Is, quamdiu vivit, & in officio manet, non habet Succeſſorem cum pari poteſtate; habet tamen Vicarios, & Miniſtros, qui illi ſubſerviunt. Similiter fit in noſtro propoſito. Chriſtus non habet Succeſſorem in Sacerdotio cum pari poteſtate, quia ſemper vivit, ut recte argumentatur Apoſtolus. Habet tamen Miniſtros, ſeu Vicarios, qui illi ſubſerviunt in officio ſacerdotali. Idem factum eſt in Aarone, ſervata proportione. Quamdiu vixit, non habuit Succeſſores cum poteſtate: habuit tamen inferiores Sacerdotes, & Levitas, qui illi miniſtrabant. Et quid hic difficultatis eſt? Nihil ſane. Sed Novatores omnia confundunt, ut facilius decipiant incautos.

44. Quintum: Sacrificium crucis habet vim infinitam, & æternam: Ergo non indigemus alio ſacrificio: Ergo multiplicare tot ſacrificia Miſſæ, nihil eſt aliud, quam negare virtutem, & ſufficientiam ſacrificii Crucis. Et confirmatur ex Apoſtolo, qui ſæpe aſſerit, unam oblationem Chriſti in Cruce ſufficere, nec alia opus eſſe. Heb. 9. 26. *Semel ad deſtructionem peccati per hoſtiam apparuit*. Et verſ. 28. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*. Et cap. 10. 10. *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti ſemel*. Et verſ. 14. *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Quid ergo opus eſt ſacrificio Miſſatico? Reſpondeo: Hoc argumentum dupliciter poteſt retor-

torqueri. Primo ſic: Sacrificium Crucis habet vim infinitam, & æternam: Ergo non opus eſt Baptiſmo, & Euchariſtia: Ergo multiplicare hæc omnia, nihil aliud eſt, quam negare virtutem, & ſufficientiam ſacrificii Crucis. Secundo ſic: Sacrificium Crucis habet vim infinitam, & æternam reſpectu omnium hominum, ab initio mundi uſque ad finem. Ergo omnia alia ſacrificia ſunt ſuperflua. Ergo multiplicare tot ſacrificia Moſaica, nihil aliud eſt, quam negare vim, & ſufficientiam ſacrificii Crucis. Quid hic dicent Novatores?

45. Sed ad rem. Sacrificium Crucis habet infinitam, & æternam vim ſanctificandi homines: nec opus eſt alio ſacrificio Crucis, aut ejuſdem ſacrificii Crucis repetitione. Vel, quod idem eſt, non opus eſt, ut alius Chriſtus moriatur pro nobis, aut, ut idem Chriſtus ſæpius moriatur. Nam ſemel moriendo, ſufficientiſſime ſatisfecit Deo Patri pro nobis. Et hoc vult Apoſtolus loco citato. Duo tamen neceſſaria ſunt. Unum, ut ſimus memores illius tanti beneficii accepti jam, & olim promiſſi. Alterum, ut fructus illius beneficii, & ſatisfactionis in particulari nobis applicetur. Utrumque fit per fidem, ſacramenta, ſacrificia, prædicationem Verbi, & ſimilia inſtrumenta a Deo ordinata, non ſolum in veteri, ſed etiam in novo Teſtamento. Ergo nihil illorum ſuperfluum eſt. Sicut ergo non ſequitur: Sacrificium Crucis habet infinitam vim: Ergo ſuperflua ſunt ſacramenta novæ legis: Ita non ſequitur: Habet infinitam vim: Ergo ſuperfluum eſt ſacrificium novæ legis. Nec hoc nec illa ſuperflua ſunt. Non enim ordinantur ad augendam vim ſacrificii Crucis, quæ cum infinita ſit, non indiget augmento, ſed partim ad illam repræſentandam, partim ad fructum ejus nobis applicandum. Dices: Quid opus eſt applicare fructum ſacrificii Crucis per ſacrificium Miſſæ, cum ſufficienter applicari poſſit per fidem, Baptiſmum, & Euchariſtiam? Ego viciſſim dicam: Quid opus eſt applicare per Baptiſmum, & Euchariſtiam, cum ſufficienter applicari poſſet per fidem, & ſacrificium Miſſæ? *O homo, tu quis es, ut dicas Deo, quare ordinaſti ſic?*

46. Hæc ſunt præcipua argumenta contra ſacrificium Miſſæ. Alia vel continent mera mendacia, quibus refutandis libenter ſuperſedebo: Vel ſolum contendunt, Miſſam non eſſe ſacrificium propitiatorium pro peccatis: Cujuſmodi ſunt hæc duo.

47. Prius. Nulla fit remiſſio peccatorum ſine ſanguinis effuſione, Hebræor. 9. 22. At in Euchariſtia non eſt ſanguinis effuſio. Ergo in Euchariſtia non fit remiſſio peccatorum. Ergo non eſt ſacrificium propitiatorium. Ita poſt Calvinum Balduinus in No-

Notis ad Diſputationem meam de Communione ſub utraque ſpecie, David Peræus in c. 4. Epiſt. ad Hebræos, & alii. Reſpondeo. Hoc argumentum ſic poteſt retorqueri. Nulla fit remiſſio peccatorum ſine ſanguinis effuſione. At in fide juſtificante non eſt ſanguinis effuſio. Ergo per fidem juſtificantem non fit remiſſio peccatorum. Ergo falſum eſt, quod dicunt Adverſarii, peccatores juſtificari per fidem. Falſum eſt, quod clamant, fidem juſtificantem in eo conſiſtere, quod quis certo credat, remitti ſibi peccata, dum credit. Quid hic dicent? Sed ad rem. Verba Apoſtoli ſic ſunt intelligenda. Non fit remiſſio peccatorum, in veteri lege, ſine effuſione ſanguinis. Loquitur enim de Judæis, non de Chriſtianis: *Omnia pene*, inquit, *in ſanguine ſecundum Legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*. Senſus eſt. Secundum legem Moſaicam, nullum erat ſacrificium pro peccato, ſine effuſione ſanguinis hircorum, aut aliorum animalium. Quid hinc colligent Adverſarii contra ſacrificium Miſſæ? Non plus ſane, quam contra ſacrificium crucis. Sic enim deberent argumentari. Nulla fiebat remiſſio peccatorum in veteri Teſtamento ſine effuſione ſanguinis hircorum, aut aliorum animalium. At in ſacrificio Miſſæ non eſt effuſio ſanguinis hircorum, aut aliorum animalium. Ergo in ſacrificio Miſſæ non fit remiſſio peccatorum. Ineptiſſime. Nec in ſacrificio, cujus facta eſt effuſio ſanguinis hircorum, aut aliorum animalium. At ideo non eſt facta remiſſio peccatorum? Viderint Adverſarii, qui ſic ludunt in Scripturis.

48. Addo, tametſi Apoſtolus loquatur de remiſſione peccatorum in veteri Teſtamento, quæ non fiebat ſine effuſione ſanguinis animalium, verba tamen ejus poſſe accipi generatim hoc ſenſu. Nulla fit remiſſio peccatorum, ſive in veteri, ſive in novo Teſtamento, ſine effuſione ſanguinis Chriſti, niſi enim Chriſtus ſuum ſanguinem pro nobis effudiſſet, nemo nec in veteri, nec in novo Teſtamento potuiſſet Deo reconciliari, & peccatorum remiſſionem accipere. Hæc tamen reconciliatio, & peccatorum remiſſio, quæ per effuſionem ſanguinis Chriſti facta eſt, non eodem modo applicatur nobis in novo Teſtamento, quo Judæis applicata fuit in veteri. Illis enim applicabatur per cruenta ſacrificia animalium, ut ex Apoſtolo dictum: nobis per ſacrificium Miſſæ incruentum, & per ſacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ.

49. Poſterius. Nullum ſacrificium ſæpius iteratum poteſt perficere cultores, teſte Apoſtolo. At Miſſæ ſacrificium eſt ſæpius iteratum. Ergo non poteſt perficere cultores, ac proinde nec peccata remittere. Ita David Peræus in c. 10. ad Hebræos,

& alii

& alii. Reſpondeo: Et hoc argumentum ſic retorqueri poteſt: Nullum ſacrificium ſæpius iteratum poteſt perficere cultores, teſte Apoſtolo: At fides, & alia pia opera, quæ ſecundum Adverſarios ſunt ſacrificia Chriſtianorum, ſæpius iterantur: Ergo non poſſunt perficere cultores. In utroque ſyllogiſmo neganda eſt major propoſitio, quæ falſo tribuitur Apoſtolo. Nam Apoſtolus ſolum confert ſacrificia Moſaica cum ſacrificio Crucis Chriſti. Et dicit hoc intereſſe, quod Moſaica, tametſi ſæpius fuerint reiterata, non tamen potuerint per ſe perficere, & juſtificare Judæos; quod veriſſimum eſt: ſacrificium autem Crucis, quod ſemel oblatum eſt, per ſe fuerit infiniti valoris, ac proinde ſufficientiſſimum ad homines juſtificandos, quod etiam veriſſimum eſt. Eo tamen non obſtante neceſſe eſt, fructum ſacrificii Crucis nobis applicari, nec ſemel tantum, ſed quoties indigemus. Sicut ergo poteſt applicari per fidem, & Euchariſtiam ſæpius iteratam, ut fatentur Adverſarii: cur non ſimiliter per ſacrificium Miſſæ ſæpius iteratum? Et ſic factum eſt in veteri Teſtamento. Nam quoties Judæi in certa quædam peccata prolapſi erant, jubebantur offerre ſacrificium propitiatorium.

CAPUT XI.

DE SACRAMENTIS.

1. Duplicia ſolent diſtingui Sacramenta: alia vetera, ſeu Moſaica: alia nova, ſeu Evangelica. Vetera ſunt. 1. Circumciſio. 2. Eſus Agni Paſchalis. 3. Purificationes ab externis immunditiis. 4. Expiationes a peccatis. 5. Conſecratio, ſeu ordinatio Sacerdotum. 6. Eſus panum propoſitionis, & quorundam aliorum, quæ Sacerdotum uſibus deputabantur. Ita D. Thom. in 1. 2. quæſt. 102. art. 5. Nova ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Ordo, Extrema unctio, Matrimonium. Ita Concil. Trident. ſeſſ. 7. Can. 1.

2. Vetera fuerunt typi, umbræ, ſeu Figuræ novorum. Nam primo, Circumciſio fuit Figura baptiſmi. 2. Eſus Agni paſchalis, & eſus panum propoſitionis, Figura Euchariſtiæ. 3. Purificationes, & expiationes, Figura pœnitentiæ. 4. Conſecratio Sacerdotum, Figura ordinis. Ita D. Thom. ibidem art. 5. ad 3. Quæres, cur in veteri Teſtamento nulla fuerit Figura Confirmationis, Extremæ unctionis, & Matrimonii? D. Thom. aſſignat hanc cauſam, quia confirmatio eſt ſacramentum plenitudinis gratiæ. At vetera ſacramenta nullam conferebant gratiam, & ideo ab Apoſtolo vo-

cantur *infirma*, *& egena*. (Gal. 4. 9.) Similiter Extrema unctio eſt quaſi immediata quædam præparatio ad introitum regni cœleſtis: At in veteri Teſtamento nemini patebat introitus in regnum cœleſte, quia janua regni cœleſtis nondum erat aperta. Denique ſacramentum Matrimonii ſignificat indiſſolubilem conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quam matrimonium Judæorum non poterat ſignificare, quia per libellum diſſolvebatur. (Deut. 24. 1.)

3. Nos hic agimus de ſacramentis novæ legis. Ac primo, de nomine Sacramenti. 2. De definitione. 3. De cauſis. 4. de Effectu. 5. De numero. De quibus inter nos, & Adverſarios diſceptatio eſt.

DE NOMINE SACRAMENTI.

4. NOmen Sacramenti aliter ſumitur apud profanos Authores, & aliter in Scriptura. In Scriptura idem ſignificat, quod myſterium. Nam quoties in Græco textu occurrit hoc nomen *μυστήριον*, Latinus interpres nunc retinet nomen myſterii, nunc illius loco uſurpat nomen Sacramenti, volens inſinuare, eandem eſſe utriuſque ſignificationem.

5. Utrumque autem nomen ſumitur dupliciter in Scriptura. 1. Pro re arcana, abſcondita, & latente. 2. Pro ſigno rei arcanæ, abſconditæ, & latentis. Priori ſenſu ſumitur Epheſ. 3. 3. *Secundum revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum*. Et infra verſ. 9. *Data eſt mihi gratia illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſæculis in Deo*. Coloſſ. 1. 26. *Myſterium quod abſconditum fuit a ſæculis*. Et 1. Timot. 3. 16. *Magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne*. Quibus locis Incarnatio Verbi, & vocatio gentium ad fidem, vocantur ſacramenta, ſeu myſteria, id eſt, res in æterno Dei conſilio, ac decreto abſconditæ, quas nemo hominum, aut Angelorum potuit cognoſcere, niſi quando Deus per Prophetas, & Apoſtolos dignatus fuit eas revelare, ſeu manifeſtare.

6. Poſteriori ſumitur Epheſ. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Et Apoc. 17. 7. *Et dixit Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris*. Et Daniel. 2. 19. *Tunc Danieli myſterium per viſum nocte revelatum eſt*. Ubi matrimonium Adami, & Evæ, mulier fornicaria, & ſomnium Pharaonis dicuntur ſacramenta, ſeu myſteria, id eſt, ſigna rerum arcanarum, & latentium. Nam matrimonium Adami, & Evæ ſignificabat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia: Mulier forni-

fornicaria, Romam idololatricem: Somnium Pharaonis, ſucceſſionem quatuor regnorum, quorum ultimum erat regnum Chriſti.

6. Hoc poſteriori ſenſu nos dicimus, Baptiſmum, Euchariſtiam, & ſimiles ceremonias a Chriſto inſtitutas eſſe Sacramenta, ſeu miſteria, id eſt ſigna rei arcanæ, & latentis. Quæres, quæ ſit illa res arcana, & latens, quam ſignificant noſtra ſacramenta, de quibus agimus? Reſpondeo: Eſt interna gratia, ſeu ſanctitas, & juſtitia inhærens, tametſi Lutherani, & Calviniſtæ aliter ſentiant, ut jam videbimus.

DE DEFINITIONE SACRAMENTI.

8. VAriæ ſunt Catholicorum Definitiones. Prima eſt communis: *Sacramentum eſt invifibilis gratiæ ſignum viſibile*. Hæc, ſi nihil addatur, convenit veteribus, & novis ſacramentis; ſed diverſo modo. Nam vetera ſacramenta ſignificabant gratiam per Chriſtum dandam, nova ſignificant gratiam jam datam. Illa abſentem, hæc præſentem.

9. Secunda eſt Magiſtri in 4. diſt. 1. *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ ſignum viſibile, & ejuſdem gratiæ cauſa exiſtens*. Hæc convenit novis tantum ſacramentis. Nam nova ſacramenta non ſolum ſignificant gratiam, ſed etiam efficiunt. Vetera ſignificabant, ſed non efficiebant.

10. Tertia eſt Catechiſmi Concilii Tridentini: *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubjecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet*. Quæ etiam poteſt accommodari veteribus, & novis ſacramentis. Eſt enim duplex ſanctitas, & juſtitia: Una legalis, ſeu Moſaica: Altera Evangelica, ſeu Chriſtiana: Prior eſt quaſi Figura, ſeu umbra poſterioris, & nihil aliud eſt, quam quædam conſecratio, ſeu deputatio ad divinum cultum. Poſterior eſt idem, quod indiviſibilis, ſeu interna gratia, quæ nos vere juſtos, ac ſanctos facit coram Deo. Prior poteſt conſiſtere cum peccato mortali; poſterior non poteſt. Prior fuit in omnibus Judæis, omnes enim ut minimum per Circumciſionem deputati erant ad divinum cultum. Poſterior non eſt in omnibus Chriſtianis, ſed tantum in iis, qui immunes ſunt a peccato mortali.

11. Igitur ſupra dicta definitio accommodatur novis ſacramentis hoc modo. *Sacramentum eſt res ſenſibilis, quæ ex Dei inſtitutione vim habet ſignificandi, & efficiendi ſanctitatem Evangelicam*; id eſt internam gratiam, quæ confertur per merita Chriſti.

Veteribus hoc modo: *Sacramentum eſt res ſenſibilis, quæ ex Dei inſtitutione vim habet ſignificandi, & efficiendi ſanctitatem legalem*, quæ in eo conſiſtit, quod aliquis juxta præſcriptum legis Moſaicæ deputatus ſit ad divinum cultum.

12. Quæres, An vetera nullo modo ſignificaverint ſanctitatem Evangelicam, ſeu internam gratiam ſanctificantem? Reſpondeo: Significarunt illam, non quidem immediate, ſicut nova, ſed mediante ſanctitate legali. Hæc enim erat Figura, ſeu umbra ſanctitatis Evangelicæ, ut recte notat D. Tom. in 1. 2. quæſt. 102. art. 5. Itaque vetera ſacramenta immediate ſignificando ſanctitatem legalem, mediate etiam ſignificabant ſanctitatem Evangelicam, quam nova ſignificant immediate. Habebant igitur duplex officium. 1. immediate legalem ſanctitatem efficiendi. 2. illa mediante, ſignificandi ſanctitatem Evangelicam, id eſt internam gratiam ſanctificantem.

13. Quæres 2. An hæc duo fuerint de eſſentia veterum ſacramentorum? Reſpondeo: Vetera ſacramenta poterant dupliciter ſpectari. Primo, quatenus præciſe erant ſacramenta illius temporis. Et ſic ſolum ſignificabant, & efficiebant ſanctitatem legalem. Secundo, quatenus erant Figuræ futurorum. Et ſic, mediante ſanctitate legali, ſignificabant gratiam per Chriſtum dandam. Vide Bellarminum, lib. 1. de Sacramentis, cap. 12. prop. 2.

QUID SENTIANT ADVERSARII.

14. Dictum eſt, ſacramentum novæ legis, ex noſtra ſententia, eſſe ſenſibile ſignum interioris gratiæ, & ejuſdem gratiæ cauſam. In utroque diſſentiunt a nobis Lutherani, & Calviniſtæ. Negant ſacramentum eſſe ſignum interioris gratiæ: Negant eſſe cauſam ejuſdem gratiæ. Quid igitur eſt ex eorum ſententia? Vix certi aliquid ſtatui poteſt. Nam aliqui dicunt, eſſe promiſſionem: alii ſignum externum, cui addita eſt promiſſio: alii ſigillum, quo obſignatur promiſſio. Habent ergo diſcrepantes definitiones.

15. Prima eſt Lutheri in lib. de capt. Babylonica cap. ultimo: *Sacramentum eſt promiſſio ſigno externo annexa.* Vel ut definit Herbrandus in Epitome: *Eſt promiſſio Evangelica, certa externa ceremonia veſtita.* Non valet. Primo, quia non eſt ſufficiens. Non enim explicat, cujus rei ſit promiſſio. Deinde eſt falſa. Nam neque Baptiſmus, neque Euchariſtia formaliter eſt promiſſio, ſed annexam habet promiſſionem: Baptiſmus quidem hanc: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* Euchariſtia vero hanc:

hanc: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

16. Secunda eſt Philippi in Apologia Confeſſ. Auguſtanæ. *Sacramentum eſt ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita eſt promiſſio gratiæ.* Hæc deſtruit definitionem Lutheri. Nam Lutherus ait, Sacramentum eſſe promiſſionem: Philippus, non eſſe promiſſionem, ſed ritum, cui addita eſt promiſſio gratiæ. Porro, nomine gratiæ non intelligit interiorem gratiam ſanctificantem, ſicut nos intelligimus, ſed gratuitam peccatorum remiſſionem, ut ipſe explicat in locis communibus, Titulo de numero Sacramentorum. Hæc autem remiſſio, juxta Lutheranos, & Calviniſtas, in eo conſiſtit, quod peccata maneant quidem in homine, ſed tamen tegantur, & non imputentur. Hoc refutandum eſt infra cap. 16. de juſtificatione. Et nunc refelli poteſt ex eo, quod Euchariſtia non habeat annexam promiſſionem remiſſionis peccatorum. Non enim hoc ſacramentum a Deo inſtitutum eſt, ut homini remittat peccata, vel ex impio, & peccatore faciat juſtum; ſed ut juſtitiam, & ſanctitatem, quæ in illo eſt, foveat, conſervet, & augeat. Imo tantum abeſt, ut remittat peccata, ut etiam obſit peccatori, ſi cum conſcientia peccati accedat. Hinc Apoſtolus 1. Corinth. 11. 28. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.* Et Chriſtus in ultima cæna non voluit porrigere Apoſtolis Euchariſtiam, niſi præmiſſa pedum lotione. Nimirum ut ſignificaret, neminem, niſi purum, & immaculatum, ad menſam Chriſti admittendum eſſe. Et ratio ſumitur ex ipſa natura hujus ſacramenti. Quid enim aliud eſt Euchariſtia, quam cibus, & potus, quo anima reficitur, & vegetatur? Joan. 6. 55. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Sicut ergo cibus, & potus corporalis non prodeſt corpori mortuo, ſed vitam habenti: ſic etiam ſervata proportione de Euchariſtia dicendum eſt.

17. Tertia eſt Jacobi Herbrandi in Epitome Compendii Theologiæ: *Sacramentum eſt ceremonia, vel ſacra actio, in Euangelio divinitus inſtituta, conſtans verbo Dei, & elemento, qua tanquam ſigillo, promiſſio Evangelii propria de gratia, & reconciliatione cum Deo applicatur, confirmatur, & obſignatur.* Hæc deſtruit definitionem Philippi. Nam Philippus ait, ſacramentum eſſe ritum, cui addita eſt promiſſio: Herbrandus eſſe ceremoniam, qua tanquam ſigillo applicatur, confirmatur, & obſignatur promiſſio. Quæ duo diſtincta ſunt. nam ſecundum Philippum ſic exprimenda promiſſio ex parte Dei: Si hunc ritum uſurpaveris, promitto tibi remiſſionem peccatorum. At ſecundum Herbrandum hoc mo-

do : Ego quidem in Evangelio promiſi omnibus in communi remiſſionem peccatorum ; ſed hanc ipſam promiſſionem generatim ibi factam, nunc in particulari per hoc ſacramentum, tanquam per ſigillum tibi applico, confirmo, & obſigno. Hæc doctrina, quod attinet ad remiſſionem peccatorum, jam refutata eſt. Nam per Euchariſtiã non applicatur promiſſio remiſſionis peccatorum, ut oſtendi. Quod vero attinet ad ſigilum, paulo poſt refutabitur.

18. Quarta eſt Calvini, libro 4. inſt. cap. 15. §. 1. *Sacramentum eſt ſymbolum externum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſionem conſcientiis noſtris Dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem; & quo nos viciſſim pietatem erga eum noſtram teſtamur*. Hinc patet Calvinum, & Herbrandum in eo convenire, quod uterque dicat, ſacramentum eſſe ſigillum, quo divina promiſſio obſignatur. Differunt tamen in aliis.

Primo, quia Herbrandus loquitur de promiſſione remiſſionis peccatorum, quæ facta eſt in Evangelio : Calvinus de promiſſione divinæ benevolentiæ, quæ facta eſt Abrahæ, & poſteris ejus, Geneſis decimoſeptimo, ſeptimo. *Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te*.

Secundo, Herbrandus dicit, promiſſionem reconciliationis per ſacramentum nobis applicari, & obſignari: Calvinus, promiſſionem divinæ benevolentiæ per ſacramentum non applicari, ſed obſignari. Itaque ſecundum Herbrandum, promiſſio applicatur infantibus per Baptiſmum. At ſecundum Calvinum, applicatur illis ab utero materno ; & per baptiſmum obſignatur. Unde ulterius ſequitur, infantes, ſecundum Calvinum, ſalvari poſſe ſine baptiſmo, quia promiſſio illis ab utero materno applicata eſt : At ſecundum Herbrandum, non poſſe ſalvari ſine baptiſmo, quia per baptiſmum debet illis applicari promiſſio.

19. Hinc multi ſunt errores. Primus de promiſſione Abrahæ facta. 2. De baptiſmo infantium. 3. De ſigillo. 4. De ſuſtinenda fidei noſtræ imbecillitate. Duo priores, qui Calviniſtarum proprii ſunt, refelluntur lib. 3. c. 7. Quartus paulo poſt, cum agemus de fine Sacramentorum. Tertius hic refellendus eſt. Dicit igitur Calvinus, ſacramentum eſſe ſigillum, quo obſignatur, & confirmatur divina promiſſio. Quod tametſi poſſit ſano ſenſu intelligi, falſum tamen eſt eo ſenſu, quo a Calvino aſſeritur. Nam ille ſic ſtatuit. Primo, promiſſiones Dei, quæ in Scriptura conſignatæ ſunt, non prodeſſe nobis, niſi mediante fide. Neceſſe enim eſt, nos firmiter credere, Deum facturum, quod promiſit. In hoc conſentio. Secundo, fidem, quam habemus de promiſſionibus Dei, quæ in Scriptura conſignatæ ſunt, ſæpe vacillare, & ideo eaſ-

dem

dem promiſſiones per ſacramenta, tanquam per ſigilla, debere confirmari, & obſignari, ut fides vacillans excitetur, & ſuſtentetur: Sicut quando Rex per litteras promittit aliquid ſubditis, ſolet ſuam promiſſionem appenſo ſigillo regio obſignare, & confirmare, ut credant a Rege factam eſſe. In hoc diſſentio. Ratio eſt, quia ſigillum debet eſſe notius, quam id, quod ſigillo obſignatu. (ideo enim apenditur ſigillum Regis ad litteras Regias, ut viſo ſigillo, quod omnibus notum eſt, credamus litteras authoritate Regis ſcriptas eſſe, de quo poſſet dubitari.) At ſacramentum non eſt notius, quam divina promiſſio: Ergo ſacramentum non eſt ſigillum, quo obſignatur divina promiſſio. Minor patet, quia ſecundum Lutheranos, & Calviniſtas ex ſola ſcriptura cognoſcimus, quæ ſint vera ſacramenta, & quæ veræ Dei promiſſiones. Ergo nec ſacramenta ſunt notiora, quam promiſſiones Dei, neque viciſſim promiſſiones Dei ſunt notiores, quam ſacramenta; cum utrorumque notitia immediate, & æqualiter pendeat ex teſtimonio ſolius Scripturæ.

20. Et confirmatur, quia illa pars Scripturæ, quæ continet inſtitutionem ſacramentorum, non eſt majoris authoritatis, neque majorem fidem meretur, quam illa, quæ continet promiſſiones Dei: Ergo non magis credendum eſt uni, quam alteri. Si ergo Calviniſtæ credunt ſacramenta propter authoritatem unius partis Scripturæ, debent etiam credere promiſſiones Dei propter authoritatem alterius partis Scripturæ. Ergo fides, quam habent de pro: iſſionibus Dei, non excitatur per fidem, quam habent de ſacramentis a Deo inſtitutis:, nec contra: ſed potius, propter ſolius Scripturæ authoritatem, credunt ſacramenta, & promiſſiones.

21. Dices, quidquid ſit de hac ſubtilitate, conſtat ex Sciptura, promiſſiones Dei ſæpe obſignatas fuiſſe per externa ſigna, vel ſymbola. Quod variis exemplis oſtendi poteſt. Primo, quia Iris fuit, ſignum fæderis inter Deum, & Noe. (Gen.9.12.) Secundo, circumciſio fuit ſignum fæderis inter Deum, & Abrahamum. (Gen.17.11.) Tertio Ros, & vellus Gedeonis fuit ſigillum promiſſionis, qua Deus Gedeoni promiſit victoriam contra Madianitas. (Judic.6.37.) Quarto, umbra horologii retrocedens decem gradibus fuit ſigillum promiſſionis, quæ Ezechiæ facta eſt de ſanitate. (4.Reg.20.10.)

22. Reſpondeo. Hæc exempla nihil ad rem faciunt. Nam promiſſiones, quæ olim ſpeciatim fiebant huic, vel illi homini, multum differunt a promiſſionibus, quæ in Evangelio generatim fiunt omnibus. Priores enim proponebantur per Angelos in humana ſpecie apparentes, & ideo debebant aliquo efficaci ſigno, vel

miraculo confirmari, ut crederentur a Deo fieri, & non ab homine, vel diabolo, qui ſæpe transfigurat ſe in Angelum lucis. Poſteriores autem proponuntur nobis per ſacram ſcripturam, quam agnoſcimus eſſe infallibilem, ac a Deo inſpiratam; ideoque non opus eſt alia confirmatione. Dabo ſimile. Si Imperator deſtinaret ad me privatim aliquem ex ſuis officialibus, mihi incognitum, & per illum promitteret mihi officium Prælaturæ, merito poſtularem aliquod ſignum, vel indicium, quo poſſem certo cognoſcere, ab Imperatore deſtinatum eſſe: At ſi idem Imperator per authenticas literas, & Cæſareo ſigillo obſignatas promitteret generatim ſuis ſubditis aliquam immunitatem, nemo dubitaret de mente ipſius, neque neceſſe eſſet alio ſigno promiſſionem confirmare: Imo nullum aliud ſignum eſset tanti momenti apud ſubditos, quam verbum Imperatoris authentico ſcripto conſignatum.

23. Hæc contra adverſarios. Nihilominus, ut dixi, ſano ſenſu intelligi poteſt, ſacramentum eſse quaſi ſigillum, quo divina promiſſio nobis in particulari applicatur, & obſignatur. Quod ſic explico. Aliud eſt inſtitutio ſacramenti, quæ a Chriſto facta eſt: Aliud ſuſceptio, ſeu uſurpatio ſacramenti, quæ a nobis fit: Aliud natura, & eſſentia ſacramenti, quatenus in ſe ſpectatur: Inſtitutio ſacramenti, quæ a Chriſto facta eſt, annexam habet promiſſionem gratiæ generalem: cujuſmodi eſt hæc: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. At ſuſceptio ſacramenti, quæ a nobis fit, vel ſacramnetum, quatenus a nobis ſuſcipitur, eſt quaſi ſigillum, quo promiſſio illa generalis, quæ inſtitutioni annexa eſt, ſpeciatim applicatur ei, qui ſacramentum ſuſcipit, & quodammodo obſignatur. Quod patet in hoc ſyllogiſmo: Quicunque baptizatus fuerit, ſalvus erit: (Hæc eſt generalis promiſſio. At ego nunc baptizor: Hæc eſt ſuſceptio ſacramenti.) Ergo ego ſalvus ero: Hic generalis illa promiſſio ſpeciatim mihi applicatur per ſacramenti ſuſceptionem, & quodammodo obſignatur. Jam vero natura, & eſſentia ſacramenti non conſiſtit in hac obſignatione, aut applicatione, ſed in eo, quod ſit ſenſibile ſignum internæ gratiæ, quæ promiſſa eſt, & ejuſdem gratiæ cauſa inſtrumentalis.

De materia, & forma Sacramentorum.

24. COmmunis Scholaſticorum ſententia eſt, omnia ſacramenta novæ legis perfici rebus, & verbis tanquam materia, & forma, non tamen omnia conſtitui rebus & verbis, tanquam ma-

materia, & forma. Vide Vaſquez diſput. 129. cap. 1. num. 2. & cap. 3. nu. 35. Prior pars definita eſt in Concilio Florentino poſt ſeſſionem ultimam, in Decreto Eugenii Papæ. Et patet partim ex Scriptura, partim ex Traditione, & praxi Eccleſiæ. Nam Baptiſmus perficitur ablutione, & verbo baptizantis. (Matth. 28. v. 19.) Confirmatio, impoſitione manus, & oratione. (Act. 8. 15.) Euchariſtia, pane, ac vino, & verbo conſecrationis. (Matth. 26. 26.) Extrema unctio, unctione, & oratione. (Jac. 5. 14.) Pœnitentia, contritione, & abſolutione. Ordo, impoſitione manus, & verbo Epiſcopi ordinantis. Matrimonium, traditione corporum, & mutuo conſenſu, qui verbis exprimitur. Hæc tamen verba poſſunt ſuppleri per externum nutum, aut ſcripturam, juxta uſum Eccleſiæ.

25. Poſterior pars addita eſt, propter Euchariſtiam, quæ quidem perficitur rebus, & verbis, non tamen utriſque conſtituitur, ſed tantum corpore, & ſanguine Chriſti ſub ſpecie panis, & vini. Ratio eſt, quia Euchariſtia hoc habet peculiare præ aliis ſacramentis, quod conſiſtat in re permanente, cum alia conſiſtant in re tranſeunte, ſeu in uſu, & actione. Res autem permanens non poteſt conſtitui prolatione verborum, quæ eſt tranſiens, & ſucceſſiva. Eſt igitur magnum diſcrimen inter hæc verba, *Ego te Baptizo*, & iſta, *Hoc eſt corpus meum*. Nam priora non ſolum perficiunt, ſed etiam eſſentialiter conſtituunt Baptiſmum: poſteriora perficiunt quidem, non tamen eſſentialiter conſtituunt Euchariſtiam.

26. Calviniſtæ, qui admittunt duo tantum ſacramenta, Baptiſmum, & Euchariſtiam, diſcrepant a nobis circa verba utriuſque. Sic enim ſtatuunt. Primo, in Baptiſmo requiri duplex verbum. Unum ſolemne illud: *Ego te Baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Alterum concionale, quo Miniſter proponit, & explicat promiſſionem Dei, quæ baptiſmo annexa eſt. Secundo, in Euchariſtia non requiri aliud verbum, quam inſtructionis. Ita Calvinus in formula miniſtrandi ſacramenta. Et ſervatur apud Calviniſtas in praxi.

27. Nos contra ſic ſtatuimus. Primo, in Baptiſmo, præter verbum illud ſolemne, *Ego te Baptizo*, non requiri verbum concionale. Ratio eſt, quia baptiſmus Catholicorum datur ſine ulla concione, & tamen eſt verus baptiſmus, ut fatetur Calvinus l. 4. Inſtit. c. 15. §. 16. Secundo, in Euchariſtia requiri verbum conſecratorium, *Hoc eſt corpus meum*, non tamen verbum concionis, aut inſtructionis. Ratio eſt, quia Chriſtus adhibuit verbum conſecratorium, non autem inſtructorium. Quod tamen feciſſet, ſi fuiſſet neceſſarium.

rium. Habuit quidem, peracta celebratione Euchariſtiæ, longam concionem, quæ habetur apud Joannem c. 14. & duobus ſequentibus; ſed illa nihil pertinebat ad Euchariſtiam. Non ideo tamen negamus inſtructionem utilem eſſe, ſed ſolum aſſerimus, eam non requiri ad naturam, & eſſentiam Sacramenti.

De cauſa efficiente, & finali Sacramentorum.

28. PRIMA Concluſio. Deus eſt principalis Author, qui inſtituit ſacramenta novæ legis. Ita D. Tho. 3. p. q. 64. & alii paſſim, tam Catholici, quam Adverſarii. Ratio eſt, quia is ſolus poteſt inſtituere ſacramenta, tanquam principalis author, qui ſua authoritate poteſt illis dare vim ſignificandi, & efficiendi gratiam. Hoc ſolus Deus poteſt facere. Ergo &c. Nec obſtat, quod Chriſtus, ſecundum humanitatem, dicatur ea inſtituiſſe, ut definitum eſt in Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. Non enim inſtituit, ut principalis author, ſed ut commiſſarius, & delegatus. Præſtitit autem hæc tria. Primo, promulgavit voluntatem Dei in inſtitutione ſacramentorum. Secundo, determinavit materiam, & formam, quibus ſacramenta perficiuntur. Tertio, per ſua merita obtinuit illis vim conferendi gratiam juſtificantem.

29. SECUNDA Concluſio. Finis, ob quem ſacramenta a Deo inſtituta ſunt, eſt multiplex. 1. Sanctificatio noſtra. 2. Inſtructio. 3. Humiliatio. 4. Profeſſio Chriſtianæ Religionis. Nam primo inſtituta ſunt, ut conferant nobis gratiam ſanctificantem, qui eſt finis primarius. Secundo, ut nos inſtruant, quo ritu debeamus in novo Teſtamento Deum colere, & nobis reconciliare. Tertio, ut qui per res ſenſibiles a Deo receſſimus, cogamur per eaſdem ad eum reverti. Quarto, ut per uſurpationem ſacramentorum, quæ Chriſtus inſtituit, profiteamur nos eſſe Chriſtianos.

30. Lutherani, & Calviniſtæ in hoc puncto a nobis diſſentiunt. Putant enim ſacramenta principaliter inſtituta eſſe, ut excitent in nobis fidem, per quam juſtificemur: ſed errant; quia fides requiritur ante ſumptionem ſacramentorum. Eſt enim diſpoſitio prævia, qua debemus nos digne præparare, ut cum fructu accedamus ad ſacramenta. Quod patet primo ex verbis ſcripturæ, Matth. 28. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Doctrina fidei præcedit, baptiſmus ſequitur. Nec ſolum doctrina fidei, ſed etiam fides ipſa quoad actum. Marci 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

31. Deinde exemplis: Philippus non voluit baptizare Eunuchum, niſi prius crederet in Chriſtum. Act. 8. 36. *Ait Eunuchus:*

Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et Petrus in concione, quam habuit ad Judæos in die Pentecoſtes, prius excitavit illos ad fidem in Chriſtum, ac deinde hortatus eſt ad baptiſmum ſuſcipiendum. Nam cum multa dixiſſet de Chriſto, tandem ita concluſit, Act. 2. 36. *Certiſſime ergo ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis.* Quo eventu? mox loquitur: *His auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos; Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquiſque veſtrum in nomine Jeſu, in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Ecce audita Petri concione, compuncti ſunt corde, quia jam credebant illum ipſum, quem crucifixerunt, eſſe Chriſtum Redemptorem. Et hac fide prævia baptizati ſunt.

32. Accedit duplex ratio. Una, quia ſi finis ſacramentorum eſſet excitare fidem, baptiſmus non prodeſſet infantibus, ſed iis potius, qui præſentes ſunt. In his enim poteſt excitari Fides, in illis non poteſt. Altera, quia Baptiſmus non minus efficax eſt, ſi conferatur latino idiomate, quod rudes, qui baptizantur, non intelligunt, quam ſi conferatur lingua vulgari, quam omnes intelligunt. Ergo finis, & efficacia illius non conſiſtit in eo, ut excitet fidem in iis, qui baptizantur, ſed in eo, ut remittat peccata, ut jam probabimus. Antecedens patet, quia Lutherani, & Calviniſtæ admittunt noſtrum baptiſmum, qui latino idiomate conferri ſolet.

De effectu Sacramentorum.

33. Ex dictis conſtat, quid adverſarii ſentiant de effectu Sacramentorum, quid nos. Nam illi dicunt, ſacramenta ideo inſtituta eſſe, ut excitent fidem. Ex quo ſequitur, effectum illorum eſſe fidem. Hoc jam refutavi, quia Fides eſt diſpoſitio prævia. Nos dicimus, ideo inſtituta eſſe, ut conferant gratiam juſtificantem. Unde ſequitur, effectum illorum eſſe gratiam. Quod aperte docet Scriptura, Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Hinc enim colligimus, per baptiſmum nos renaſci, ſeu regenerari: quod ſine gratia juſtificante fieri non poteſt. Idem ex illo Actorum 2. verſ. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu, in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Et Act. 22. 16. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua.* At pec-

peccata non remittuntur, aut abluuntur, niſi per infuſionem gratiæ ſanctificantis.

34. Variæ ſunt adverſariorum objectiones. Prima ſumitur ex iis locis, ubi ſcriptura dicit, hominem juſtificari per fidem. Hinc inferunt, non juſtificari per ſacramenta, niſi quatenus excitant Fidem. Reſpondeo. Non ſequitur: quia poſſunt eſſe multæ cauſæ juſtificationis in diverſo genere. Nam homo juſtificatur per fidem, tanquam per præviam diſpoſitionem: per ſacramenta, tanquam per cauſas inſtrumentales: per Deum, tanquam per cauſam principalem: per Chriſtum, tanquam per cauſam meritoriam, per gratiam, tanquam per cauſam formalem.

35. Secunda ſumitur ex Apoſtolo Rom. 4. 10. ubi ait, Abrahamum non eſſe juſtificatum ex circumciſione, quæ erat ſacramentum veteris legis; ſed ex Fide, cujus ſignaculum fuit circumciſio: Ergo eodem modo ſacramenta novæ legis non juſtificant, niſi excitando Fidem. Reſpondeo. Circumciſio non excitabat Fidem in Abrahamo, ſed erat ſignaculum, ſeu teſtimonium Fidei jam antea habitæ. Prius enim Abraham Deo credidit, ac deinde circumciſus eſt. (Gen. 15. 6. & Gen. 17. 24.) Ex quo non poteſt inferri, quod Adverſarii inferunt, Fidem excitari per Sacramenta, ſed potius, Fidem requiri ante ſacramentorum ſuſceptionem, quod nos aſſerimus.

36. Tertia ſumitur ex illo Eph. 5. 26. *Ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. Ubi tota vis baptiſmi tribuitur Verbo: Verbum autem operatur excitando Fidem, juxta illud Roman. 10. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Reſpondeo. Per verbum vitæ non intelligitur verbum concionis, aut prædicationis, quo excitatur Fides, ſed intelligitur forma Baptiſmi, ſeu verbum illud ſolemne, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Itaque ſenſus eſt, Eccleſiam mundari per Baptiſmum, qui conſtat ablutione aquæ, & verbo baptizantis. Et ſic exponunt omnes interpretes, quando agunt de ſenſu litterali.

37. Quarta objectio. In omni ſacramento requiritur verbum promiſſionis. Sed ubi eſt promiſſio, ibi requiritur Fides. Ergo Fides eſt, quæ immediate operatur, & juſtificat. Reſpondeo: Verbum promiſſionis requiritur quidem in inſtitutione ſacramenti, non tamen in uſu ſacramenti. Sed demus requiri promiſſionem, & conſequenter fidem: inde non ſequitur fidem immediate juſtificare, ſed diſpoſitive.

38. Quinta. Multi per fidem ſalvantur ſine ſacramento baptiſmi, ut qui non habent, a quo baptizentur: Et contra, qui baptiſ-

ptiſmum habent ſine fide, damnantur: Ergo in Sacramento fides eſt, quæ juſtificat, non Sacramentum. Reſpondeo: Aliud eſt loqui de parvulis, aliud de adultis. Nam parvuli ſalvantur per baptiſmum ſine propria fide actuali. Adulti ſalvari debent per utrumque, & per propriam fidem actualem, & per baptiſmum, licet diverſo modo. Nam per fidem juſtificantur diſpoſitive: per baptiſmum active: Rurſus, per baptiſmum vel reipſa, vel voto, ſeu deſiderio ſuſceptum.

De Numero Sacramentorum.

39. NOS conſtanter docemus cum Concilio Tridentino, ſeptem eſſe ſacramenta novæ Legis: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Ordinem, Extremam unctionem, Matrimonium. Adverſarii, ut alias ubique, ita etiam in hoc puncto inconſtantes ſunt. Nam aliqui agnoſcunt ſolum Baptiſmum, ut Luther. in lib. de Captiv. Babyl. circa init. Alii Baptiſmum, & Euchariſtiam, ut Philippus in locis communibus, Illyricus in Confeſſione Antuerpienſi, Kemnitius in 2. p. exam. Alii Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, ut plerique Lutherani in ſuis Catechiſmis. Alii Baptiſmum, Cœnam, & Matrimonium, ut Zuvinglius in lib. de vera, & falſa relig. Alii Baptiſmum, Cœnam, & Ordinationem, ut Calvinus. Etſi enim lib. 4. inſtit. c. 19. §. 18. & 20. dicat eſſe duo tantum ſacramenta, nempe Baptiſmum, & Cœnam; tamen cap. 19. §. 31. numerat etiam Ordinationem inter vera ſacramenta, & ſimul monet, ſe, cum tantum duo eſſe dicit, loqui de ſacramentis ordinariis, & toti Eccleſiæ communibus. Hinc apparet nihil certi eſſe apud Adverſarios.

40. Neque ipſi poſſunt ſuas diſcrepantes ſententias ullo modo vel ex Scriptura, vel ex Traditione confirmare. Nam Traditio, quam ipſi rejiciunt, pro nobis eſt. Ex Scriptura, quam admittunt, nihil hactenus pro ſe attulerunt; nec deinceps allaturi ſunt. Nuſquam ſcriptura dicit, duo, vel tria tantum eſſe ſacramenta. Imo nuſquam vel Baptiſmo, vel Euchariſtiæ ſacramenti nomen attribuit. Nuſquam definit, quid proprie ſit ſacramentum novæ legis. Quid ergo præſidii ex ſcriptura ſperare poſſunt? Nos perpetua Eccleſiæ traditione nos tuemur. Semper in Eccleſia traditum, & creditum eſt, ſeptem eſſe novæ legis ſacramenta. In hac Traditione acquieſcimus, ſuadente Apoſtolo, 2. Theſſ. 2.14. *Itaque, fratres, ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis.* Stamus, & tenemus. Ut autem conſtet ex Traditione de numero ſeptenario,

con-

Digitized by Google

conſulendi ſunt antiqui Patres, & præſertim, qui omnium inſtar eſt, Auguſtinus, cujus teſtimonia ſubjiciemus.

41. Igitur de Baptiſmo, & Euchariſtia, lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 9. ſic ſcribit: *Pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & conſervatione caſtiſſima, ipſe Dominus, & Apoſtolica tradit diſciplina; ſicuti eſt Baptiſmi ſacramentum, & celebratio corporis, & ſanguinis Domini*. Et conc. 1. ſuper Pſal. 10. 3. *Reſpice ad munera ipſius Eccleſiæ: Munus ſacramentorum in Baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris ſanctis ſacramentis, quale munus eſt?*

42. De Confirmatione, lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. *In hoc unguento ſacramentum Chriſmatis vult interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus*. Et tract. 3. in Epiſt. Joannis: *Unctio ſpiritualis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cujus ſacramentum eſt in unctione viſibili*.

43. De Pœnitentia, lib. 1. de adulterinis conjugiis, cap. 26. & 28. *Eadem eſt cauſa Baptiſmi, & reconciliationis, ſine quibus ſacramentis homines credunt, ſe non debere exire de corpore*. Et Epiſt. 108. ad Honoratum: *An non cogitamus, cum ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſolet ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis Reconciliationem*: Et infra; *Si Miniſtri adſint, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur*.

44 De Ordine, libro 2. contra Epiſtolam Parmeniani c. 13. *Utrumque ſacramentum eſt, & quidem conſecratione utrumque homini datur; illud, cum baptizatur; iſtud, cum ordinatur: ideoque in Eccleſia Catholica utrumque non licet iterare*. Hanc poſtremam partem probat ex praxi Catholicorum. Nam ſicut is, qui recedit ab Eccleſia Catholica, & poſtea ad eam redit, non ſolet iterum baptizari; ita etiam non ſolet iterum ordinari. Et poſtea ſubjicit: *Sed ſi nos* (Catholici) *male facimus, ipſi* (adverſarii) *explicent, quomodo ſacramentum baptizati non poſſit amitti, & ſacramentum ordinati poſſit amitti?* Et paulo poſt: *Si enim utrumque ſacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & iſtud amittitur? Neutri ſacramento injuria facienda eſt*. Similia habet lib. 1. de Baptiſmo, contra Donatiſt. cap. 1.

45. De extrema Unctione, ſermone 215. de tempore: *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus, & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat, accipiat; ac deinde corpuſculum ſuum ungat, ut illud, quod ſcriptum eſt, impleatur in eo: Infirmatur aliquis? inducat presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo*. Similia

milia habet libro 2. de viſitatione infirmorum, capite 4. & alibi.

46. De Matrimonio, lib. 1. de Nuptiis, & concupiſc. cap. 10. *Hujus ſacramenti res eſt, ut mas, & fœmina connubio copulati, quandiu vivunt, inſeparabiliter perſeverent*. Et lib. 5. contra Julianum cap. 9. *Propter hoc in illo* (conjugio Joſephi, & Mariæ Virginis) *omnia tria bona nuptiarum dixi eſſe completa: fidem, quia nullum adulterium: prolem, ipſum Dominum Chriſtum: Sacramentum, quia nullum divortium*. Et in lib. de bono conjugali c. 24. *Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti*. Et in lib. de Fide, & operibus cap. 7. *In Eccleſia Dei nuptiarum non ſolum vinculum, verum etiam ſacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem ſuam alteri tradere*.

47. Hæc ex Auguſtino. Objectiones adverſariorum nullius momenti ſunt: *Prima* eſt Kemnitii: Scriptura nuſquam dicit, ſeptem eſſe ſacramenta. Reſpondeo. Nuſquam etiam dicit, duo, vel tria eſſe. Nos extra Scripturam habemus Traditionem Eccleſiæ pro ſeptenario numero: adverſarii non habent pro binario, vel ternario. *Altera* eſt ejuſdem: Scriptura negat ſeptem eſſe ſacramenta. nam Apoc. 17. 7. Angelus vocat ſacramentum beſtiam, quæ ſeptem capita habebat. Ergo ſeptenarius ſacramentorum numerus pertinet ad Antichriſtum, qui per illam beſtiam ſignificatur. Reſpondeo. Kemnitius oſtendit ſe blaſphemum eſſe, quia ſi ſeptem ſacramenta ſunt ſeptem capita Antichriſti, neceſſe eſt, etiam Baptiſmum, & Euchariſtiam eſſe capita Antichriſti, quod eſt contra ipſum Kemnitium. Deinde: Joannes loco cit. non dicit ſeptem capita beſtiæ eſſe ſeptem ſacramenta, ſed unum ſacramentum; ac proinde, ſi liceret nugari, id potius Luthero objiceretur, qui in libro de capt. Babylonica dicit, unum tantum eſſe ſacramentum: Denique ipſemet Joannes ſeptem illa capita, ſeptem Reges interpretatur. Itaque ruit fundamentum, quo nititur blaſphemia Kemnitii.

CAPUT XII.

De Vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ.

1. POpulus Dei tam in veteri, quam in novo Teſtamento, duobus modis regi, ac gubernari ſolet. Primo, in rebus politicis, quæ ſpectant ad externam reipublicæ juſtitiam, & tranquillitatem. Hoc fit per Reges, Principes, & alios Magiſtratus ſæculares. Secundo, in rebus fidei, ac religionis, quæ ſalutem animæ concernunt. Hoc fit per Miniſtros Eccleſiæ, de quibus nunc agimus. In utroque gubernandi genere neceſſaria eſt legitima vocatio. Nam neque Reges, & Principes ſæculares poſſunt uſurpare regimen temporale: neque Miniſtri Eccleſiæ Eccleſiaſticum, niſi legitimo titulo ad hoc officium deputati, & admiſſi ſint. Et ſi aliter faciant, priores quidem appellantur Tyranni: poſteriores autem, fures, & latrones, juxta illud Chriſti, Joan. 10. 1. *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro.*

2. Hoc loco, relicta Regum, ac Principum ſæcularium vocatione, ſolum agam de vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ, de qua Scriptura ſic loquitur, Rom. 10. 11. *Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur?* Et Hebr. 5. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron*: Id eſt, nemo debet ſe ingerere, & intrudere in officium ſacerdotale, ſed debet aſſumi, & eligi a Deo, ſicut Aaron, & ejus poſteri electi ſunt. Et Jer. 23. 21. *Non mittebam Prophetas* (inquit Deus de falſis Prophetis) *& ipſi currebant. Non loquebar ad eos, & ipſi prophetizabant.*

3. Agam autem hoc ordine. Primo, de ordinaria, & extraordinaria vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ veteris Teſtamenti. Secundo, de ordinaria, & extraordinaria vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ novi Teſtamenti. Tertio, quod Miniſtri Lutherani, & Calviniani nec ordinaria, nec extraordinaria vocatione legitime vocati ſint; ac proinde qui illos audiunt, non Paſtores audiant, ſed mercenarios, fures, latrones, de quibus Joan. 10.

De ordinaria Vocatione miniſtrorum Veteris Teſtamenti.

4. DUplex ſolet diſtingui vocatio. Altera ordinaria, quæ fit a Deo, ſeu Dei inſtitutione, mediante conſenſu, & cooperatione eorum hominum, quorum intereſt. Quo pacto Parochus vocatur ex conſenſu Epiſcopi, Epiſcopus ex conſenſu Pontificis,

Pon-

Pontifex ex conſenſu Cardinalium. Altera extraordinaria, quæ immediate fit a ſolo Deo. Quo pacto vocati ſunt Moyſes, Prophetæ, Apoſtoli.

5. Igitur Miniſtri Eccleſiæ, qui in veteri Teſtamento ordinarie vocabantur, erant triplices. 1. Pontifex, ſeu ſummus Sacerdos. 2. Alii Sacerdotes inferiores. 3. Levitæ. Omnes de tribu Levi, qui ſpeciatim deputati erant divino cultui, ut habetur Nu. 3. 12. & Num. 8. 13. In illorum vocatione multa ſpectari poſſunt. Primo, Electio, ſeu deſignatio certæ perſonæ. Secundo, Purificatio præcedens conſecrationem. Tertio, ipſa conſecratio. Quarto, applicatio ad uſum, ſeu exercitium miniſterii. Quinto, poteſtas, & officium.

6. Electio, ſeu deſignatio perſonæ fiebat per hæreditariam ſucceſſionem. Nam filii ſuccedebant parentibus, ut Aaroni Eleazar, Eleazaro Phinees, & ſic deinceps. (Eccleſi. 45. 7.)

Purificatio fiebat certis ritibus a Deo præſcriptis, cujuſmodi erant hi. 1. Aſperſio aquæ lùſtralis. 2. Raſio pilorum. 3. Lotio corporis, & veſtium. 4. Oblatio ſacrificii pro peccato. (Nu. 8. 6. & Exod. 29. 4.) Poſt purificationem ſequebatur

7. Conſecratio. Et quidem Levitæ conſecrabantur hoc modo. Primo, ſeparabantur de medio filiorum Iſrael. 2. Pontifex offerebat illos Deo in miniſterium Tabernaculi, & pro illis orabat, ut bene fungerentur ſuo officio. (Nu. 8. 9.) Cum hoc modo jam eſſent conſecrati, applicabantur ad uſum miniſterii, eo ipſo, quod intromitterentur in Tabernaculum fœderis Domini. (Num. 8. 22.)

8. Pontificis autem, & Sacerdotum conſecratio erat hujuſmodi. Primo, poſt lotionem Pontifex ornatu Pontificali, & Sacerdotes ſacerdotali induebantur. 2. Pontifex ungebatur oleo unctionis in capite; non item Sacerdotes. 3. Tam Pontifex, quam Sacerdotes, in extremo auriculæ dextræ, & ſimiliter in pollice manus, ac pedis dextri, tingebantur ſanguine arietis immolati. 4. Veſtes eorum aſpergebantur ſanguine arietis, & oleo unctionis. Denique, ex caniſtro panum, & ex ariete immolato dabantur illis aliqua in manus, ut ea levarent coram Deo. Quo ſigno non ſolum dabatur iis poteſtas ſacrificandi, ſed ſimul applicabantur ad uſum miniſterii. Hæc omnia habentur Exod. 29. 4. & ſequentibus.

9. Cæterum, ut major eſſet ſolemnitas hujus actionis, triplex in ea ſacrificium offerebatur. 1. Vitulus in hoſtiam pro peccato. 2. Aries in holocauſtum. 3. Aries alter in hoſtiam pacificam. (Exod. 29. 1. & Levit. 9. 2.) Cur autem tot ceremoniæ fuerint adhibitæ, triplex cauſa aſſignari poteſt. Una ex parte officii Sacerdota-

Pontificalis. Altera ex parte Sacerdotum, & Pontificum. Tertia ex parte populi, ſeu ſubditorum.

10. IGITUR prima cauſa eſt, quod Deus tot ritibus, ac ſolemnitatibus voluerit oſtendere præſtantiam, dignitatem, & ſanctitatem officii Sacerdotalis: & quod nemo ad officium tam ſanctum deberet accedere, niſi prius a Deo electus, & publice coram populo in hunc finem eſſet conſecratus. Hinc graviſſime puniti ſunt, qui ingeſſerunt ſe in officium ſacerdotale, cum non eſſent conſecrati. Exemplum habemus in Chore, Jeroboam, & Ozia. Chore vivus a terra abſorptus eſt. (Num. 16. 31.) Jeroboamo manus repente exaruit. (3. Reg. 13. 4.) Ozias lepra percuſſus eſt. (2. Paralip. 26. 19.)

11. ALTERA cauſa eſt, ut Pontifices, & Sacerdotes caperent aliquam utilitatem ex hujuſmodi ritibus, ac ceremoniis. Ac primo quidem, ut cogitarent, debere ſe ſanctos, & puros eſſe, qui ad tam ſanctum, & purum miniſterium a Deo eſſent electi, & conſecrati. Deinde, ut in adverſitatibus, & periculis, quæ ſæpe occurrunt in tali officio, poſſent ſe ipſos ſolari, & erigere. Nam ſicut illi, qui præſunt aliis in rebus temporalibus, ſæpe vel a ſuis ſubditis, vel ab hoſtibus affliguntur: ſic multo magis contingit illis, qui in cura animarum principatum tenent. Hoc in veteri Teſtamento experti ſunt Aaron, Zacharias, Azarias. Et in novo Apoſtoli Matth. 10. 16. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum.* Et Joan. 16. 2. *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Et nominatim ſanctus Paulus 2. Cor. 11. 23. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum.* Cum ergo hujuſmodi viri tot miſeriis expoſiti ſint, neceſſe eſt, ut habeant aliquid, quo ſe ſolentur, ne oneri ſuccumbant. Id in veteri Teſtamento factum eſt per ſolennes ritus, ac ceremonias, quibus Sacerdotes, & Pontifices, ex mandato Dei, conſecrabantur. Nam inde certo illis conſtabat, ſe a Deo ſpeciatim electos, ac deſignatos eſſe, ut in tali officio Deo miniſtrarent, ac proinde ut omnia adverſa, quæ tali officio annexa eſſent, libenti, ac forti animo ſuſtinerent. Ex quo ulterius facile ſibi perſuadebant, quidquid ratione vocationis acerbum, ac moleſtum eveniret, non niſi in bonum exitum divina ordinatione ceſſurum.

12. TERTIA cauſa eſt, ut etiam ſubditi ex tali ceremoniarum ſolennitate fructum aliquem perciperent. Qui quidem fructus erat duplex. Alter, quod ex publica conſecratione certo agnoſcerent ſuos paſtores, quibus ipſorum ſalus commiſſa eſſet. Alter, quod ſcirent, quantum honorem, ac reverentiam, propter ſanctitatem officii, præſtare illis oporteret.

13. Vo-

13. Venio ad officium, & poteſtatem Miniſtrorum. Pontifex habebat quædam officia communia cum aliis ſacerdotibus; quædam ſibi propria, ac peculiaria. Communia erant hæc decem. *Primum*, offerre victimas, ſeu ſacrificia ſuper altare holocauſti. Levit. 1. 2. & 3. *Secundum*, in eodem altari, in uſum ſacrificiorum, alere, ſeu nutrire perpetuum ignem, ſubjiciendo illi quotidie ligna. Levit. 6. 12. *Tertium*, bis quotidie, nempe mane, & veſperi, ponere, & adolere incenſum ſuper altare thymiamatis. Exod. 30. 1. *Quartum*, bis quotidie, affuſo oleo olivarum, concinnare lucernas, quæ erant in candelabro aureo, juxta altare thymiamatis. Exod. 25. 27. & Levit. 24. 2. *Quintum*, ſingulis ſabbatis duodecim panes calidos ponere ſuper menſam propoſitionis, & veteres inde removere, ac comedere. Exod. 25. 23. & Levit. 24. 5. *Sextum*, immolare vaccam rufam extra caſtra. Num. 19. 3. Ex cineribus hujus vaccæ fiebat aqua luſtrationis, ſeu expiationis. *Septimum*, adjurare mulieres in caſu zelotypiæ. Numer. 5. 11. ubi etiam deſcribitur ritus adjurandi. *Octavum*, diſcernere inter lepram, & lepram. Levit. 13. per totum, & Deuter. 17. 8. Priori loco continetur modus diſcernendi. *Nonum*, expiare, ſeu mundare leproſos; puerperas menſtruoſas, & ſeminifluos. Levit. 12. & ſequentibus. *Decimum*, legem Dei ſcire, interpretari, & alios docere. Aggæi 2. 12. & Malachiæ 2. 7.

14. Propria erant hæc quatuor. Primum, ſemel in anno, nimirum in ſolennitate expiationis, ſeu propitiationis, introire in ſanctuarium, ſeu in ſancta ſanctorum: (Heb. 9. 7.) Et inſtituere publicam totius populi expiationem ab omnibus peccatis, & immunditiis toto anno contractis. (Levit. 19. per totum) Ubi notandum eſt, duplicem fuiſſe expiationem in lege Moſaica. Unam privatam, & particularem, qua vel leproſi, vel puerperæ, vel alii, qui habebant aliquam immunditiam legalem, expiari ſolebant. Alteram publicam, & univerſalem, qua tota multitudo, ſeu ſynagoga Iſraelitarum mundabatur. Prior fiebat ſæpe in anno; poſterior, de qua hic agimus, ſemel duntaxat. Prior a quovis Sacerdote, poſterior a ſolo Pontifice. Prior extra ſanctuarium; poſterior partim in ſanctuario, partim extra. Fiebat autem hoc ritu. Primo, totus populus eo die ceſſabat ab omni opere ſervili, & jejunabat uſque ad veſperam. Secundo, Pontifex lavabat ſe aqua, & induebat veſtes Pontificales. Tertio, antequam inciperet publicam expiationem, præmittebat tres alias, quæ tamen publicæ ſubſerviebant: Unam ſui ipſius, ac familiæ ſuæ, oblatione vituli pro peccato, & arietis in holocauſtum: Alteram Tabernaculi, & ſanctuarii, partim vapore, ſeu nebula accenſorum aromatum;

partim ſeptena aſperſione ſanguinis ex immolato vitulo, & hirco: Tertiam, altaris thymiamatis, ſola aſperſione ſanguinis. His peractis, ſequebatur publica expiatio, hoc modo. Pontifex, quia ab initio miſerat ſortem ſuper duos hircos, ut alter immolaretur pro peccato, alter vivus mitteretur in deſertum; hunc ſtatuebat in conſpectu multitudinis, & poſita utraque manu ſuper caput ejus, confitebatur omnes iniquitates, & peccata filiorum Iſrael, eaque capiti aſtantis hirci imprecabatur. Et ſic mittebat eum in deſertum, quaſi auferentem, & portantem peccata totius populi. Unde & hircus, ſeu caper emiſſarius dictus eſt. Hæc omnia habentur Levit. 16. per totum.

15. Secundum officium Pontificis erat, conſecrare Sacerdotes, & Levitas, juxta eum ritum, qui deſcribitur Exodi 29. Levit. 8. Numer. 8. De quo ritu ſuperius actum eſt. Hoc officium Pontificis deſignabatur per unctionem capitis, ut recte notat D. Th. in 1. 2. q. 102. art. 5. ad 8. Et ratio eſt, quia ſicut oleum unctionis, ſeu ſacrum chriſma, quod effundebatur in caput Pontificis, defluebat inde ad alia membra, juxta illud Pſal. 132. 2. *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron:* Ita poteſtas offerendi ſacrificia, & miniſtrandi in Tabernaculo, deſcendebat a Pontifice ad Sacerdotes, & Levitas per conſecrationem, tanquam a capite Synagogæ in membra inferiora.

16. Tertium erat, in controverſiis legalibus agere ſupremum Judicem, & pronuntiare ultimam ſententiam, cui omnes ſub pœna mortis tenebantur obedire, & acquieſcere. (Deut. 17. 12. & 2. Paralip. 19. 11.) De quo officio multa dixi c. 5. de Judice Controverſiarum, §. 45. & ſeqq. quæ hic non repeto.

17. Quartum, in rebus gerendis, quæ majoris momenti eſſent, conſulere Deum, & ab eo reſponſum accipere. Hoc officium diſtinguitur a præcedente. Nam aliud eſt interpretari legem, & ex ejus interpretatione controverſias legales dirimere: aliud ſciſcitari a Deo, an hoc, vel illud negotium ſuſcipiendum ſit? De quo hic agimus.

18. Igitur in veteri Teſtamento, ſi quando circa res agendas aliqua dubitatio majoris momenti oriebatur, recurrendum erat ad Pontificem, qui, conſulto Deo, & accepto ab eo reſponſo, docebat alios, quid faciendum eſſet. Erat autem duplex obligatio in hoc officio. Una eorum, qui volebant rem aliquam majoris momenti aggredi. Nam antequam hoc facerent, tenebantur accedere ad Pontificem, & ab eo conſilium petere. Altera Pontificis; qui debebat rem illam Deo proponere, & ab eo ſciſcitari, an executioni mandanda eſſet, nec ne? (Num. 27. 21.) Sic David

Rex,

Rex, cum intellexiſſet inſidias ſibi parari a Saule, acceſſit ad Abiatar Pontificem, & per eum quæſivit a Deo, an contra inſidias poſſet ſecurus eſſe in urbe Ceila? an vero cives Ceilenſes eſſent eum tradituri Sauli? (1. Reg. 23. 9.) Idem David alio tempore per eundem Pontificem conſuluit Deum, an deberet perſequi Amalecitas, qui ſpoliaverant, & ſuccenderant oppidum Siceleg? (1. Reg. 30. 6.) Omitto alia ſimilia exempla.

19. Hoc addo, male actum fuiſſe cum illis, qui negligebant conſulere Deum per Pontificem. Ac primo Joſue, & alii Principes filiorum Iſrael decepti ſunt a Gabaonitis, eo quod fœdus cum illis pacti eſſent, non conſulto prius Deo. (Joſue 9. 14.) Deinde Saul elatus victoria, & præfiſus ſuis viribus, cum vellet inconſulto Deo perſequi Philiſthæos, monitus a Pontifice eſt, ne id faceret. Et cum poſtea conſuluiſſet Deum, nullum reſponſum ab eo impetravit. Itaque non potuit uti victoria, ſicut animo deſtinaverat. (1. Reg. 14. 36.) Denique filii Iſrael pugnaturi cum Beniamitis conſuluerunt quidem Deum per Pontificem; ſed tamen, quia magis confidebant ſuis copiis, quam Dei oraculo, bis cæſi, ac fugati ſunt. (Judic. 20. 22.)

20. Quæres, quo modo, vel ritu ſolitus ſit Pontifex conſulere Deum in hujuſmodi caſibus? Reſpondeo: Aliter Moyſes, qui erat extraordinarius Pontifex, aliter alii, qui erant ordinarii, ſoliti ſunt id facere. Nam Moyſes ingreſſus Tabernaculum fœderis, facie ad faciem cum Deo loquebatur, ſicut amicus cum amico loquitur. (Exod. 33. 11.) At alii Pontifices, qui poſtea ſecuti ſunt, induebant Ephod, & ſic loquebantur cum Deo, non facie ad faciem, ſed alio peculiari modo, qui tamen apud Scriptores, & Interpretes non ſatis compertus eſt.

De extraordinaria vocatione Miniſtrorum veteris Teſtamenti.

21. EXtraordinarie vocabantur illi, qui a ſolo Deo, ſine miniſterio aliorum hominum, mittebantur ad docendum, reformandum, & arguendum populum: quo pacto miſſi ſunt Moyſes, Helias, Heliſæus, & alii Prophetæ. Erat autem neceſſe, ut qui hoc modo dicebant ſe miſſos eſſe a Deo, certis, ac evidentibus ſignis confirmarent ſuam miſſionem, alioqui populus non crediſſet ipſis, ſed pro impoſtoribus eos habuiſſet. Quod fatetur Moyſes de ſeipſo. Cum enim Deus dixiſſet illud Exod. 3. 10. *Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Iſrael de Ægypto*; reſpondit Moyſes c. 4. v. 1. *Non credent*

mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: Non apparuit ſibi Dominus.

22. Dupliciter autem probabant, ſe a Deo miſſos eſſe. Primo per miracula: Sic probavit Moyſes, quando virgam in ſerpentem mutavit, aquas Ægypti in ſanguinem convertit, & alia prodigia patravit, quæ plagæ Ægypti appellari ſolent, Sic Samuel, ſic Heliſæus, ſic alii Prophetæ plures. Luculentum habemus exemplum in Helia, quod eſt hujuſmodi: Tempore Achab Regis fuit diſceptatio inter Heliam, & Prophetas Baal. Tam hi, quam ille, legitime ſe miſſos affirmabant. Quid factum? Helias, convocato univerſo populo, qui in duas partes claudicabat, non alio argumento uſus eſt, quam quod diceret, ſe ſuam miſſionem evidenti miraculo confirmare poſſe, Prophetas Baal non poſſe. Quod etiam contigit hoc modo: Duo boves in fruſta conciſi, & ſuper ligna poſiti ſunt in holocauſtum: alter pro Helia, alter pro Prophetis Baal: Hi, invocato nomine Dei ſui Baal, non potuerunt de cœlo impetrare ignem, quo holocauſtum conſumeretur. Helias, invocato Deo Iſrael, impetravit. Itaque holocauſtum ab eo poſitum, igne de cœlo miſſo, conſumptum eſt. Quo miraculo permotus populus Heliam, tanquam a Deo miſſum, acceptavit; & Prophetæ Baal, tanquam impoſtores, interfecti ſunt. (3. Reg. 10. 20.) Omitto ſimilia exempla.

23. Secundo probabant ſuam miſſionem per veracem prædictionem eorum, quæ brevi erant eventura. Sic Helias prædixit, tribus proximis annis fore rorem, & pluviam. (3. Reg. 17. 1.) Sic Michæas, Regem Achab infeliciter pugnaturum in Ramoth Galaad. (3. Reg. 22. 17.) Sic Heliſæus, poſt unum diem fore tantam annonæ vilitatem, ut duo modii hordei emantur uno ſtatere. (4. Reg. 7. 1.) Sic Iſaias, proximo anno fore abundantiam frugum, ſequenti pomorum copiam, tertio plenam meſſem, & vindemiam. (cap. 37. 30.) Sic Jeremias, brevi futurum, ut Nabuchodonoſor Rex vaſtaturus ſit terram Ægypti. (cap. 46. 13.) Et quia hæc omnia evenerunt eo modo, quo ab illis Prophetis dicta ſunt, ideo magnam authoritatem ſibi conciliarunt; ſicut e contrario, quia non eveniebant ea, quæ a falſis Prophetis prædicebantur, nulla illis fides habebatur. Et hoc ſigno diſcernendum eſſe inter veros, & falſos Prophetas, conſtat Deuter. 18. 21. Videatur etiam D. Hieronymus in cap. 37. Iſaiæ, ſuper illud, *Tibi autem hoc erit ſignum*, & Rupertus in Prologo in Oſeam.

De

De vocatione Miniſtrorum novi Teſtamenti, ac primo de ordinaria.

24. Miniſtri novi Teſtamenti generali nomine vocantur Clerici. Eorum varia ſunt genera. Primo Epiſcopi, inter quos eminet Pontifex, Secundo Presbyteri, ſeu Sacerdotes non Epiſcopi. 3. Diaconi, & Subdiaconi. 4. Reliqui inferiores, ut Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii. De quibus omnibus videri poteſt Concilium Carthaginenſe IV. cap. 2. & ſeq. Gratianus in Decret. diſt. 23. & alii paſſim.

25. Nos hic potiſſimum agimus de Sacerdotibus, & Epiſcopis, quorum nomine etiam Parochi, ſeu Paſtores intelliguntur. Igitur quod ad ordinariam eorum vocationem attinet, eadem fere in ea ſpectari debent, quæ in vocatione Miniſtrorum legis Moſaicæ. 1. Electio, ſeu deſignatio certæ perſonæ. 2. Purificatio. 3. Conſecratio, ſeu Ordinatio. 4. Applicatio ad uſum Miniſterii, quam nos in nova lege vocamus Miſſionem. 5. Poteſtas, & officium. Primo enim debet aliquis eligi vel in Parochum, vel in Epiſcopum, vel in Pontificem. Deinde qui eligitur, debet ſe diſponere per puritatem animi, ut ſit dignus tali ſtatu, ac miniſterio. Tertio, debet conſecrari, ſeu ordinari juxta ritum Eccleſiæ. Quarto debet mitti ad executionem ſui officii. Quinto debet ſcire quæ, & quanta ſit poteſtas ſui officii, ſeu miniſterii. Et ſic perficitur ipſius vocatio.

26. Electio non fit per naturalem propagationem, ſicut ſiebat in lege Moſaica, ſed per ſuffragium, & conſenſum Cleri, cujus eſt idoneas perſonas eligere ad Miniſterium Eccleſiaſticum. Quo pacto Cardinales eligunt Pontificem; Capitulares Epiſcopum; Epiſcopus; vel Vicarius illius Sacerdotes, & Parochos pro ſua diœceſi. Id multis jam ſæculis ſervatum eſt, quanquam initio naſcentis Eccleſiæ paulo aliter. Tunc enim Chriſtus, qui erat author Cleri, elegit Petrum in Pontificem: reliquos Apoſtolos in Epiſcopos: ſeptuaginta Diſcipulos in Sacerdotes, & Parochos. Poſt Aſcenſionem Chriſti Apoſtoli elegerunt Matthiam: Paulus Silam, & Timotheum: Barnabas Joannem, cognomento Marcum: & ſic deinceps. At progreſſu temporis aliquando populus elegit ſibi Parochum, aut Epiſcopum, ex conniventia, & conceſſione Cleri. Quod tamen poſtea, propter abuſum, in Concilio Laodiceno can. 13. & in ſeptima Synodo generali can. 3. fuit revocatum, ac ſtatutum, ut Miniſtri Eccleſiæ a Clero eligerentur, ſicut antea factum eſt. Vide Bellarminum lib. 1. de Clericis cap. 7.

27. Purificatio, ſi præciſe ſpectemus jus Divinum novi Teſtamenti, non neceſſario eſt externa, & ceremonialis, ſicut erat in lege Moſaica, ſed interna, & ſpiritualis, quæ potiſſimum conſiſtit in puritate animi, in probitate vitæ, in doctrina fidei, & in aliis virtutibus, quæ in Miniſtris Eccleſiæ requiruntur. De quibus Apoſtolus ad Tit. 1. 7. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Dixi, ſi præciſe ſpectemus jus divinum novi teſtamenti. Nam ſi ſpectemus jus Eccleſiaſticum, requiruntur etiam externæ quædam purificationes propter honeſtatem, & decentiam illius ſtatus: cujuſmodi ſunt, 1. Tonſura, ſeu raſio pilorum in capite. 2. Habitus Clericalis. 3. Abdicatio operum ſervilium, & ſi quæ aliæ ſunt ſimiles.

28. Conſecratio, ſeu Ordinatio debet fieri ab Epiſcopo per manuum impoſitionem, & nullo modo ab homine laico, vel ſæculari. Quod facile demonſtrari poteſt. Primò, quia Miniſtri novæ legis ſunt altioris gradus, ac dignitatis, quam erant Miniſtri Moſaici; ſicut nova lex eſt præſtantior, quam vetus, & Chriſtus excellentior, quam Moyſes. At Miniſtri Moſaici non poterant ordinari, ſeu conſecrari a Laicis: Ergo multo minus Miniſtri novæ legis. Secundo idem patet ex praxi primitivæ Eccleſiæ. Nam quotquot tempore Apoſtolorum conſecrati ſunt Sacerdotes, aut Epiſcopi, ſemper ab Epiſcopis, nunquam a Laicis conſecratos eſſe conſtat ex ſcriptura. Sic Presbyteri Lyſtræ, Iconii, & Antiochiæ conſecrati ſunt a Paulo, & Barnaba, Act. 14. 22. Sic Timotheus a cœtu Epiſcoporum conſecratus eſt Epiſcopus, juxta illud 1. Timoth. 4. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii*: Ubi per Presbyterium intelligitur cœtus majorum Presbyterorum, id eſt Epiſcoporum, ut Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus, & multi alii interpretantur. Nam Epiſcopus non poteſt ordinari, niſi a duobus, vel tribus Epiſcopis, ut can. 1. Apoſtol. definitum eſt. Et hoc ſervatum fuit in ordinatione Timothei. Plures enim Epiſcopi ordinarunt illum, inter quos etiam fuit Apoſtolus Paulus, ut ipſemet fatetur 2. Timoth. 1. 6. *Admoneo te*, inquit, *ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum*. Idem poſt tempora Apoſtolorum ſervatum eſt. Nullus enim unquam

vel

vel Sacerdos, vel Epiſcopus repertus eſt, qui ab alio, quam ab Epiſcopo conſecratus ſit: Sacerdos quidem ab uno: Epiſcopus vero a duobus, vel tribus. Videatur Concilium Ancyranum can. 12. Antiochenum can. 10. Epiphanius hær. 75. Damaſus epiſt. 4. Hieron. ep. 85. ad Evagrium, Chryſoſtomus, & alii in 3. & 4. cap. prioris ad Timoth.

29. Quod autem impoſitio manuum adhibenda ſit, æque certum eſt, neque ullus id negat. Eſt autem notandum, manuum impoſitionem in novo teſtamento ad varios effectus ſolitam eſſe adhiberi. Primo, ad ſanandos ægrotos, Marc. 16. 18. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Secundo, ad impertiendam benedictionem, Matth. 19. 13. *Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret*, nempe ad benedicendum, ut explicat Marc. 10. 16. *Et complexans eos, & imponens manus ſuper eos, benedicebat eos*. Tertio, ad felicem comprecationem. Sic aliqui intelligunt illud Act. 13. 3. *Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos*, nempe Paulum, & Barnab. Quarto, ad Spiritum Sanctum conferendum, Act. 8. 17. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Et Act. 19. 6. *Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos*. Quinto, ad conferendam gratiam in ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ, ut patet locis ſupra cit. 1. Tim. 4. 14. & 2. Tim. 1. 6.

30. Miſſio fit etiam a Prælatis Eccleſiæ, & differt ab Ordinatione, & Conſecratione. Nam in Ordinatione confertur Sacerdoti, vel Epiſcopo poteſtas Ordinis, cujuſmodi eſt poteſtas Sacramenta adminiſtrandi. At in miſſione confertur illi juriſdictio, ideſt aſſignantur illi ſubditi, quos ex officio, & cum authoritate doceat, gubernet, ſacramenta adminiſtret. Sic Parochus dicitur mitti in Parochiam, quando aſſignantur illi Parochiani: Epiſcopus in Epiſcopatum, quando aſſignantur Diœceſani. Sic olim Apoſtoli miſſi ſunt in omnem terram, quando Chriſtus commendavit illis omnes populos, ac gentes. De qua miſſione loquitur ipſe Matth. 10. 16. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*. Et cap. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et Marc. 16. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*.

31. Sequitur officium, & poteſtas Miniſtrorum. Et quidem Epiſcopi habent quædam officia communia cum Sacerdotibus; quædam propria, ac peculiaria. Communia ſunt hæc. 1. Baptizare. 2. Euchariſtiam conficere. 3. Abſolvere confitentes a peccatis. 4. Extremam unctionem conferre. 5. Euangelium prædicare.

6. Ca-

6. Catechiſmum docere. Propria ſunt iſta. 1. Dare ſacramentum Confirmationis. 2. Ordinare, ſeu conſecrare Miniſtros Eccleſiæ. 3. Regere Eccleſiam Dei, non ſolum quoad Laicos, ſed etiam quoad Presbyteros, ſeu Sacerdotes. 4. Agere Judicem Presbyterorum in externo foro Eccleſiaſtico. (1. Tim. 5. 19.) Hinc ſequitur, Epiſcopos ratione officii digniores eſſe Sacerdotibus. Primo, ex dictis. Secundo, quia ſuccedunt in locum Apoſtolorum; Sacerdotes autem in locum 70. Diſcipulorum. Tertio, quia ſunt quaſi Patres Sacerdotum. Hi enim ab illis ordinantur, & quodammodo generantur. Vide Anacletum Papam, qui vixit tempore Apoſtolorum, & a Petro Apoſtolo ordinatus eſt Presbyter, (ep. 3. §. 1.) Damaſum ep. 3. Leonem ep. 86. ad Epiſc. Germ. Auguſt. in Pſal. 44. ſuper illud, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*.

De extraordinaria vocatione Miniſtrorum novi Teſtamenti.

32. Conſtat Apoſtolos extraordinarie vocatos, & miſſos eſſe a Chriſto ad prædicandum Euangelium, & ſacramenta adminiſtranda. Qui tamen, ut ſupra de Moyſe, & Prophetis dictum eſt, ſuam vocationem, ac miſſionem multis ſignis, & miraculis coram univerſo mundo debuerunt conteſtari. Res omnibus nota eſt. Locuti enim ſunt variis linguis in die Pentecoſtes: Dæmonia ſæpe expulerunt: mortuos ad vitam revocarunt: omnia morborum genera vel verbo, vel tactu, vel umbra, vel ſemicinctio curarunt. Et, ut ſemel dicam omnia, *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. (Marci 16. 20.) Quod etiam ſpeciatim de ſe teſtatur Paulus Rom. 15. 19. cum ait, ſe gentibus Euangelium perſuaſiſſe *in virtute ſignorum, & prodigiorum*. Et 2. Cor. 12. *Signa*, inquit, *Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in ſignis, & prodigiis, & virtutibus*.

33. Et quid dico de Apoſtolis? Ipſemet Chriſtus non aliter perſuadere potuit a Deo Patre ſe miſſum eſſe, niſi per miracula. Habebat quidem ipſe pro ſe vaticinia Prophetarum. (Luc. 24. 27.) Habebat teſtimonium Joannis Baptiſtæ: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Habebat teſtimonium Patris cœleſtis: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite*: Et tamen inter tot Miſſionis ſuæ præſidia adhuc opus erat miraculis. Nec alio potentiori, quam miraculorum ſubſidio uſus eſt apud Judæos, ut ſe Filium Dei comprobaret. Sic enim ipſe de ſe loquitur, Joan. 10. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi cre-*

credere: Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre. Et rurſum cap. 14. 11. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioqui propter opera ipſa credite.* Et alibi ſæpius.

34. Objicies. Etiam Joannes Baptiſta extraordinarie miſſus eſt ad baptizandum, & prædicandum; & tamen ſuam Miſſionem nullo miraculo confirmavit. Nullum enim miraculum ab eo factum legimus. Reſpondeo. Tametſi ipſe nullum miraculum fecerit, Deus tamen multis miraculis illius Sanctitatem, Vocationem, & Miſſionem teſtatus eſt: Primo, quia natus eſt ex matre ſterili. 2. Quia clauſus adhuc utero materno præ gaudio exultavit propter præſentiam Beatæ Mariæ Virginis. 3. Quia mater ejus Eliſabeth Spiritu Sancto repleta eſt. 4. Quia Pater ejus Zacharias, qui antea mutus erat, viva voce prophetavit. Hæc, & ſimilia, quæ circa illius nativitatem contigerunt, manifeſte ſignificabant, quid de eo in poſterum eſſet ſentiendum. Unde vicini præ admiratione dicebant: *Quis putas puer iſte erit?* Accedebat ſumma vitæ auſteritas, vaticinium Iſaiæ, & alia ejuſdem generis. Matt. 3. 3. Et cap. 11. 7.

Quod Lutherani, & Calviniani Miniſtri non ſint legitime vocati.

35. HOc primo oſtendam de ipſo Luthero, qui eſt quaſi parens omnium Miniſtrorum Eccleſiæ, ut vocant, Reformatæ. Secundo de aliis, qui ipſum ſecuti ſunt, & adhuc ſequuntur. Igitur, ut incipiam a Luthero, variæ, & diſcrepantes de ipſius Vocatione ſunt ſententiæ. Quid ipſe ſentiat, non poteſt certo conſtare; quia quod uno loco affirmat, alio negat. Et ut bene a Doctore Piſtorio in epiſt. ad Germanos, & potiſſimum ad Auſtriacos data notatum eſt, decies, & ſepties ſuam de Vocatione propria ſententiam mutavit. Quid porro Lutherani de ipſo ſentiant, dicam, ut potero. Aliqui aſſerunt, extraordinarie, & immediate a ſolo Deo vocatum eſſe. Alii ordinarie, mediante poteſtate, & conſenſu Prælatorum Eccleſiæ. Alii denique partim ordinarie, partim extraordinarie. Unde triplex emergit quæſtio.

I. An Lutherus ordinario vocatus ſit.

36. Aliqui ex Lutheranis affirmant; quia Lutherus in Eccleſia Pontificia, ſeu Catholica fuit legitime ordinatus in Sacerdotem, & admiſſus ad prædicationem Euangelii, quæ duo ſufficiunt ad ordinariam vocationem. Hæc ſententia tametſi aliquo modo vera ſit, ut poſtea dicam, quatenus tamen aſſeritur a Lutheranis, dupliciter refelli poteſt.

37. Primo ex ipſo Luthero, qui in lib. de inſtituendis Miniſtris Eccleſiæ ad Senatum Pragenſem diſerte ait, Sacerdotium Papiſticum non eſſe verum Sacerdotium, ſed larvam, & figmentum. Quod etiam docent aliqui Lutherani. Si ita eſt, neceſſario ſequitur, ſi Lutherus per Sacerdotium Papiſticum vocatus eſt, non niſi per larvam, & figmentum vocatum eſſe; ideoque non niſi larvatum, ac fictum fuiſſe Eccleſiæ miniſtrum. Quomodo ergo Lutherani ex tali Sacerdotio poſſunt defendere legitimam Lutheri vocationem contra Lutherum ipſum? Ipſi viderint. Et ne dubites de Lutheri ſententia, verba ejus ſunt hæc: *Si igitur nulli negandi ſunt eſſe Sacerdotes, maxime negandi ſunt illi, quos Papiſtici ordines unxerunt*. Et paulo poſt: *Plane ſequitur, per ordines illos ſacros neminem fieri coram Deo aut Sacerdotem, aut Miniſtrum, ſed meram larvam quandam mendacii, & vanitatis*. Et iterum: *Atque qui hactenus ordinati ſunt, doleant ſeſe ſic fuiſſe per mendacii larvas illuſos*. Et infra: *Si ficti illi Sacerdotes, & larvati Epiſcopi, &c.* Quid clarius dici poteſt? Si ergo ſtandum judicio Lutheri, aſſerendum eſt, Lutherum per ordines Papiſticos nihil aliud obtinuiſſe, quam ut eſſet fictus, & larvatus Sacerdos; & conſequenter non niſi ficte, & larvate vocatum eſſe ad Miniſterium, ſi per Sacerdotium Papiſticum vocatus eſt.

38. Secundo refelli poteſt ex ipſis Lutheranis, qui defendunt ordinariam Lutheri vocationem. Nam illi ſupponunt, quod veriſſimum eſt, Eccleſiam Catholicam, ſeu Pontificiam, in qua Lutherus factus eſt Sacerdos, habere legitimam poteſtatem ordinandi veros Sacerdotes, & mittendi illos ad executionem Miniſterii. At hinc duo ſequuntur contra Lutheranos. Unum eſt, Eccleſiam Catholicam, ſeu Pontificiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Nam illa eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ a Chriſto habet legitimam poteſtatem ordinandi veros Sacerdotes, cum hæc poteſtas non ſit data niſi veræ Chriſti Eccleſiæ: ſicut in veteri Teſtamento poteſtas ordinandi Sacerdotes Leviticos non fuit data niſi Synagogæ: At vero Eccleſia Pontificia habet a Chriſto legitimam po-

poteſtatem ordinandi veros Sacerdotes ex conceſſione: Ergo eſt vera Chriſti Eccleſia. Et cum una ſit tantum vera Chriſti Eccleſia, neceſſe eſt Lutheranam non eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Alterum eſt, Miniſtros Lutheranos, qui extra Eccleſiam Pontificiam, & contra ritum illius vocati, & miſſi ſunt, non eſſe legitime vocatos, & miſſos, quod poſtea fuſius probandum eſt.

39. Hæc contra Lutheranos. Ego ſic ſtatuo: Primo Lutherum ordinarie, & legitime vocatum fuiſſe ad miniſterium Eccleſiaſticum, quod in Eccleſia Catholica, ſeu Pontificia exercuit ante defectionem. Secundo, non tamen ordinarie, & legitime vocatum fuiſſe ad miniſterium, quod exercuit in Eccleſia Lutherana poſt defectionem. Priorem partem probo, quia ad ordinariam vocationem, ut ſupra dixi, requiruntur, & ſufficiunt hæc quinque. Primo, Electio, 2. Purificatio. 3. Ordinatio, ſeu conſecratio. 4. Miſſio. 5. Poteſtas, & officium. At hæc omnia fuerunt in Luthero ante defectionem. Nam cum eſſet Monachus Ordinis D. Auguſtini, poſt factam profeſſionem votorum, electus, ſeu deſignatus fuit a ſuo Prælato ad ſuſcipiendum Sacerdotium: Et ad hoc digne ſuſcipiendum præparavit ſe, ut credibile eſt, per puritatem animi, quantum fieri potuit. Deinde legitime ab Epiſcopo Sacerdos ordinatus eſt. Poſtea, juxta morem monaſterii, miſſus eſt ad prædicandum Euangelium, & ſacramenta ritu Catholico adminiſtranda. Et tandem habuit in hoc genere poteſtatem, quam reliqui Monachi, ac Religioſi habere ſolent. Nihil ergo defuit illi ad ordinariam vocationem.

40. Poſteriorem probo, quia poſt defectionem cœpit oppugnare Eccleſiam Catholicam, ſeu Pontificiam, in qua ante vixerat; cœpit aliter docere, quam antea docuerat; cœpit abrogare feſta, jejunia, vota monaſtica, invocationem Sanctorum, ſacrificium Miſſæ, orationem pro defunctis, quæ antea approbaverat; cœpit mutare numerum Sacramentorum, quem antea publice fuerat profeſſus. Hæc non potuit facere per poteſtatem, quam acceperat in Eccleſia Catholica, ſeu Pontificia, quia talis poteſtas non fuit illi data ab Epiſcopo, a quo fuit ordinatus; nec a Prælato Monaſterii, a quo primum miſſus fuit ad prædicandum Catholice Euangelium. Ergo vel non habuit talem poteſtatem; vel ſi habuit, aliunde debuit accipere. At a quo? Explicent hoc Lutherani, qui volunt ordinariam ipſius vocationem defendere.

II. At

II. *An Lutherus extraordinarie vocatus ſit?*

41. NEgat ipſe in Epiſtola ad cives Molhuſanos. Multi tamen Lutherani videntur affirmare. Primo illi, qui ajunt, Lutherum eſſe unum ex duobus teſtibus Apocalypticis (Apoc. 11. 3.) Aut Angelum Apocalypticum de cœlo deſcendentem. (Apoc. 18. 1.) nam certum eſt & hunc Angelum, & duos illos teſtes extraordinarie a Deo mitti. Deinde illi, qui negant in Eccleſia Pontificia poteſtatem eſſe legitime ordinandi, & mittendi Miniſtros; eo quod Eccleſia Pontificia, ut ipſi loquuntur, ſit Meretrix Babylonica, ſedes Satanæ, & Antichriſti. Nam ſi ita eſt, Lutherus non potuit legitime ordinari, & mitti ab Epiſcopis, & Prælatis Pontificiis. Et cum ab aliis hominibus, extra Eccleſiam Pontificiam exiſtentibus, ordinatus, & miſſus non ſit, neceſſe eſt, vel miſſum non eſſe, vel immediate a ſolo Deo miſſum eſſe.

42. Hæc ſententia duplici argumento refellitur. Prius eſt, quia quicunque hactenus vel in veteri, vel in novo Teſtamento a Deo immediate, & extraordinarie vocati, & miſſi ſunt, debuerunt ſuam Vocationem, & Miſſionem aliquo evidenti miraculo apud populum comprobare; & qui non potuerunt id facere, pro falſis Prophetis, & impoſtoribus habiti ſunt, ut hactenus explicatum eſt. At Lutherus nunquam potuit evidenti miraculo probare, ſe immediate, & extraordinarie a Deo vocatum, & miſſum eſſe: Ergo pro falſo Propheta, & impoſtore habendus eſt, ſi dicatur immediate, & extraordinarie a Deo miſſus eſſe.

43. Reſpondent Lutherani, non opus eſſe novis miraculis, quando non affertur nova doctrina: Lutherum non attuliſſe novam doctrinam, ſed antiquam, & Apoſtolicam: Non ergo fuiſſe neceſſarium, ut illam novis miraculis confirmaret, cum jam antea tempore Chriſti, & Apoſtolorum ſat multis miraculis confirmata ſit. Sed fruſtra. Primo, quia Chriſtus, quando Judæis proponebat doctrinam Moyſis, & Prophetarum de Meſſia, non afferebat novam doctrinam, ſed antiquam: & tamen ad eam perſuadendam opus erat novis miraculis. Similiter Helias, Jeremias, & alii Prophetæ, qui extraordinarie mittebantur a Deo ad reformandam Synagogam, nihil novi afferebant, ſed revocabant populum ab idololatria ad cultum veri Dei, qui erat antiquiſſimus: Et nihilominus debebant miraculis ſuam miſſionem atteſtari. Certe Helias, quando Judæis dixit, *Quouſque claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum*: nihil novi dixit; Et tamen, niſi præſenti miraculo,

culo,

culo, nempe igne de cœlo miſſo, probaſſet ſe miſſum a Deo contra Prophetas Baal, nihil effeciſſet. Si ergo Deus, qui extraordinarie mittebat Heliam ad reformationem Synagogæ, miſit etiam Lutherum ad reformationem Eccleſiæ, cur non dedit huic poteſtatem miraculis confirmandi ſuam miſſionem, ſicut illi dedit?

44. Deinde falſum eſt, doctrinam Lutheri non fuiſſe novam, ſed Apoſtolicam. Certe novum, & non Apoſtolicum eſt, affirmare omnes Traditiones repudiandas eſſe, cum Apoſtolus diſerte dicat: *Tenete Traditiones, quas didiciſtis.* Et hæc, quæ ſequuntur, non Apoſtolica, ſed nova ſunt. 1. Duo tantum ſunt Sacramenta. 2. Non eſt orandum pro mortuis. 3. Infantes in Baptiſmo habent proprium actum fidei, quo credunt in Chriſtum. 4. Corpus, & Sanguis Chriſti eſt ubique. 5. Matrimonium magis eſt neceſſarium, quam cibus, & potus. 6. Si non vult uxor, veniat ancilla. 7. Vota Monaſtica non ſunt ſervanda. 8. Monachus poteſt ducere Monialem. Hæc, & ſimilia nec in ſcriptis Apoſtolicis, nec in antiquis Eccleſiæ Doctoribus reperiuntur. Nova ſunt.

45. Sed, ut hæc omnia diſſimulem, quid tam novum erat in orbe Chriſtiano, quam dicere, quod Lutherus dicebat: Tota Eccleſia jam multis ſæculis erravit: ego non erro. Majores noſtri non habuerunt veram fidem: ego habeo. Antiqui Patres, & Theologi cœcutierunt in tenebris: ego in luce ambulo. Illi ſcripturam non intellexerunt; ego intelligo. Item, *Hieronymus nibil ſcripſit de vera fide. Nullum ſcio ex Doctoribus, cui æque infeſtus ſim, ac Hieronymo, quia ſcribit de jejunio, de delectu ciborum, de virginitate. Origenem jamdudum diris devovi: Chryſoſtomum nullo loco habeo: non eſt, niſi loquaculus: Baſilius nihil valet, totus eſt Monachus: ne pilo quidem illum redimerem: Nihil curo, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani contra me ſtarent.* Sic paſſim Lutherus in colloquiis menſalibus, cap. 57. & 58. Et in libro contra Regem Angliæ, & in libro de abroganda Miſſa privata, & alibi.

46. Certe qui prudenter rem æſtimat, ſic tacitus apud ſe ratiocinabitur: Hic Monachus opponit ſe univerſo orbi, & præ ſe contemnit Auguſtinos, Cyprianos, Hieronymos, & totam venerandæ antiquitatis authoritatem; videt unanimem Chriſtianorum conſenſum, qui firmiſſime hactenus crediderunt, ſanctam Eccleſiam Catholicam non poſſe deficere a vera fide, propter promiſſionem Chriſti, & infallibilem Spiritus Sancti aſſiſtentiam. Quomodo ob unius Monachi aſſertionem contrarium nunc credam? Aut quomodo hic Monachus orbi Chriſtiano contrarium perſuadebit? Si a Deo miſſus eſt, aliquo ſaltem evidenti ſi-

gno,

gno, aut miraculo probet ſuam Miſſionem. Id hactenus, nec fecit, nec facere potuit. Fatuus ergo ſim, ſi relicta ſanctiſſimorum Patrum, ac Majorum noſtrorum ſententia, uni Monacho, qui voti reus eſt, temere aſſentiar. Nec veriſimile eſt plus illi, quam Prophetis, & Apoſtolis, privilegii conceſſum eſſe. Si illis creditum non eſt, niſi miraculis probarent, a Deo miſſos ſe eſſe; quomodo Luthero credam, qui id probare non poteſt? Et hæc ſufficiant de priori argumento.

47. Poſterius eſt: Quicunque hactenus immediate a Deo miſſi ſunt ad inſtruendum populum in vera fide, & religione, ſive Prophetæ, ſive Apoſtoli, nullum unquam errorem, aut falſitatem docuerunt, quia Deus immediate neminem mittit, niſi ad docendam veritatem: At Lutherus multos errores, aut falſitates docuit. Ergo non fuit immediate a Deo miſſus ad inſtruendum populum in vera fide, & religione. Minorem probo, quia Lutherus inter alios errores, aperte docuit, hominem in nulla actione, ſive bona, ſive mala, habere uſum liberi arbitrii: ſed a Deo tam ad bene, quam ad male operandum fatali quadam neceſſitate compelli. Sic enim ſcribit in aſſertione articuli 36. *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re; quia nulli eſt in manu ſua quippiam cogitare mali, aut boni, ſed omnia ſub Deo ſunt, contra quem nihil poſſumus. Quod & Poeta voluit, quando dixit: Certa ſtant omnia lege*. Hæc doctrina, ſine dubio, falſa, & erronea eſt. Et ex ea ſequuntur alii duo graviſſimi errores. Alter, Deum eſſe authorem peccati. Alter, fruſtra eſſe omnes conſultationes, exhortationes, mandata, prohibitiones, Judices, Tribunalia. Quis credat hanc doctrinam a Deo eſſe?

48. Reſpondet Meiſnerus Lutheranus, loco paulo poſt citando, Lutherum primis annis ſuæ reformationis *minus recte ſenſiſſe, ſequenti autem tempore & mentem, & linguam habuiſſe meliorem*. Idem accidiſſe Auguſtino, & aliis Patribus, qui libros retractationum ſcripſerunt. Hæc reſponſio nulla eſt. Primo, quia repugnat ipſi Luthero. Negat enim, ſe tempore reformationis minus recte aliquando ſenſiſſe. Nam in libro contra Regem Angliæ ſic ſcribit: *Certus ſum, dogmata mea habere me de cælo*. At dogma ipſius eſt, hominem in nulla actione habere uſum liberi arbitrii. Ergo hoc dogma, ſua quidem opinione, de cœlo habet. At Meiſnerus dicit eſſe falſum.

49. Deinde repugnat ipſi Meiſnero. Nam ſi ſemel concedatur, quod ipſe concedit, Lutherum primis annis reformationis docuiſſe falſum, plane ſequitur, illos annos non fuiſſe reformationis, ſed falſitatis, & deceptionis; neque tunc a Deo, ſed ab alio,

ſub

ſub prætextu reformandæ Eccleſiæ fuiſſe miſſum. Cui conſentaneum eſt, quod ipſemet ait in aſſertione Teutonica a. 25. *Qui ſemel mentitur, hic certiſſime ex Deo non eſt, & ſuſpectus in omnibus habetur*. Subſumo: Lutherus, quando aſſeruit, nullum eſſe liberum arbitrium in homine, mentitus eſt, ex conceſſione Meiſneri: Ergo non eſt ex Deo, ſed in omnibus habetur ſuſpectus. Vera confeſſio.

50. Nec eſt ſimile de Auguſtino, & aliis Patribus. Primo, quia illi non fuerunt a Deo extraordinarie miſſi ad reformandam Eccleſiam, ſicut Lutherus fingitur fuiſſe miſſus, ſed ordinarie ad docendum. Eſt autem magna differentia inter utramq; Miſſionem. Nam qui extraordinarie mittuntur a ſolo Deo, ſicut Prophetæ, & Apoſtoli miſſi ſunt, numquam docent errorem, aut falſitatem tempore ſuæ Miſſionis, alioqui non eſſent immediate miſſi a ſolo Deo, qui non poteſt eſſe author erroris, aut falſitatis. Qui autem ordinarie mittuntur, aliquando errant. Non enim mittuntur immediate a Deo, ſed ab hominibus, qui non poſſunt illos interius ita illuminare, ut in omnibus attingant veritatem. Deinde, Auguſtinus ſigillatim, & diſtincte ſuos errores retractavit. Hoc non fecit Lutherus, ſed contrarium. Nam anno Chriſti 1520. ſcripſit doctrinam ſuam de libero arbitrio, quam ſupra recenſui. Poſtea anno 1522. non retractavit, ſed confirmavit his ipſis verbis, quæ antea poſui: *Certus ſum dogmata mea habere me de cælo*. Maneat ergo, Lutherum non eſſe a Deo extraordinarie vocatum, ac miſſum.

III. *An Lutherus partim ordinarie, partim extraordinarie vocatus ſit?*

51. Recentiores Lutherani, qui vident, nec ſolam ordinariam, nec ſolam extraordinariam Lutheri vocationem defendi poſſe, utramque conjungunt, aſſerentes, illum & ordinarie, & extraordinarie vocatum eſſe: ordinarie quidem ad prædicationem verbi: Extraordinarie vero ad reformationem Eccleſiæ. Et quidem ordinariam vocationem conſiſtere in his. Primo, in ordinatione Sacerdotii. 2. In admiſſione ad profeſſionem Theologicam. 3. In gradu Doctorali. 4. In juramento, quod præſtitit, cum illum gradum ſuſciperet. Nam vi illius juramenti obſtrictum fuiſſe ad veram Evangelii doctrinam publice profitendam. Extraordinariam vero, qua uſus eſt in reformatione Eccleſiæ, in eo conſiſtere, quod peculiariter a Deo excitatus ſit, ut Antichriſtum detegeret, & ab ejus jugo, ac ſervitute Chriſtianos

liberaret. Ita Balthaſar Meiſnerus in Conſultatione de fide Lutherana capeſſenda, pag. 260. & 381.

52. Sed facile refellitur hic Author. Primo, quia circa ordinariam Lutheri vocationem duo ſupponit, quæ multi Lutherani ægre admittent. Unum eſt, quod in Eccleſia Pontiſicia, in qua Lutherus ordinatus eſt Sacerdos, ſit legitima poteſtas ordinandi veros Sacerdotes. Vide, quæ ſupra dixi §. 37. & 38. Alterum, quod juramentum præſtitum Eccleſiæ Pontificiæ a Luthero fuerit validum, & jurantem obligaverit. At juramentum illud non potuit ad aliud obligare, quam ad præſtandum id, quod ipſe intendebat præſtare, cum jurabat. Hoc autem intendebat præſtare, (niſi ficte egerit,) quod ab ipſo petebatur, ideſt, profiteri, ac defendere eam doctrinam fidei, quæ tunc vigebat in Eccleſia Pontificia. Ad hoc ergo, & ad nihil aliud, vi illius Sacramenti, potuit obligari. Jam quæro ex Meiſnero, an vere fuerit obligatus, nec ne? Si fuit, perjurus eſt Lutherus, qui validam obligationem violavit. Si non fuit, quomodo invalida obligatio potuit Lutheri conſcientiam obſtringere?

53. Quæ addit de extraordinaria Lutheri vocatione, non ſubſiſtunt. Primo, quia illa extraordinaria deſtruit ordinariam. Nam in ordinaria juravit ſe defenſurum doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, ſeu Pontificiæ, in qua erat nutritus. In extraordinaria, ad eandem oppugnandam miſſus eſt. Secundo, quia, ut ſupra argumentatus ſum, quicunque extraordinarie a Deo mittitur, debet evidenti miraculo ſuam Miſſionem confirmare, ſicut fecerunt Apoſtoli, & Prophetæ. Hoc Lutherus non fecit.

54. Ad hoc poſterius dupliciter reſpondet Meiſnerus. Primo, non opus eſſe miraculis, quando non affertur nova doctrina, Lutherum non attuliſſe novam doctrinam. Hoc ſupra refutavi. Secundo, non deeſſe tamen clara, & evidentia ſigna extraordinariæ Miſſionis Lutheri, qualia ſunt. Primo, puritas doctrinæ Lutheranæ, & cum ſcripturis ſacris conformitas. 2. Excellentia donorum, quibus Deus electum illud organum (Lutherum) clementer ditavit. 3. Singularis in convertendis hominibus efficacia, & ſucceſſus. 4. Prædictiones Apoſtolicæ de Luthero, quæ extant Apoc. 11. 3. & Apoc. 14. 6.

55. Excutiamus hæc ſigna. Primum eſt, puritas doctrinæ, & conſpiratio cum ſcripturis. Ego contra objicio, doctrinam Lutheri non eſſe puram, ſed falſam: nec conſpirare cum Scripturis, ſed iiſdem repugnare. Hoc patet ex iis, quæ ſupra dixi. Et ſpeciatim ex eo, quod docuit Lutherus de libero arbitrio. Nam hoc ipſius dogma falſum eſt, & Scripturæ con-

contrarium, ut fatetur Meiſnerus ſupra §. 47. & ſeq.

56. Alterum eſt, Excellentia donorum, quibus a Deo ornatus eſt Lutherus. Fateor, Lutherum habuiſſe a Deo quædam dona ante defectionem. Erat enim a Deo vocatus ad ſtatum religioſum, & ad vovendam perpetuam caſtitatem, paupertatem, & obedientiam: Quod ſane donum non omnibus conceſſum eſt, juxta illud Chriſti: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Erat eloquens, ac diſertus: erat imbutus varia cognitione, ac ſcientia, & ſi quæ ſunt ſimilia dona. Hæc tamen non erant majora in illo, quam in multis aliis Monachis, ac Religioſis. Habuit multos, non ſolum pares, ſed etjam in hoc genere ſuperiores, ut D. Auguſtinum, D. Bernardum, D. Thomam Aquinatem, D. Bonaventuram, & ſexcentos alios. Quæ autem dona acceperit a Deo poſt defectionem, non video. Priora vel amiſit ſua culpa, vel abuſus eſt. Amiſit donum caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ: Et in eorum locum ſucceſſerunt ſacrilegæ nuptiæ cum Moniali, proprietas bonorum temporalium, rebellio contra Pontificem, Reges, & Principes. Abuſus eſt eloquentia, & cognitione ad ſuam ipſius, & aliorum perniciem, ſicut multi alii abutuntur. Hoccine laudabile eſt apud Meiſnerum? Certe apud prudentes non eſt.

57. Tertium eſt, ſingularis in convertendis hominibus efficacia, & ſucceſſus. Nam infiniti prope homines, ſtatim a principio, doctrinam Lutheri amplexi ſunt; quod eſt evidens divinæ Miſſionis teſtimonium. Inde enim colligi poteſt, doctrinam fuiſſe efficacem, & a Deo inſpiratam. Reſpond.: Nihil minus. Nam etiam olim infiniti prope homines amplexi ſunt doctrinam Arrii, qui negabat Chriſti divinitatem. Imo multo plures, quam hoc tempore Lutheri. Et tamen ex eo non ſequitur, doctrinam Arrii fuiſſe a Deo inſpiratam, aut evidens divinæ miſſionis teſtimonium. Ex triplici enim capite provenire poteſt, quod aliquis Doctor habeat multos aſſeclas, & ſectatores. Primo, quia doctrina ipſius eſt divina, & miraculis confirmata. 2. Quia eſt grata carni, & ſanguini. 3. Quia nova, ſubtilis, ingenioſa. Ex primo capite, Prophetæ, & Apoſtoli traxerunt ad ſe homines, quia docebant verbum Dei, & miraculis ſuam doctrinam ſtabiliebant. Ex ſecundo, falſi Prophetæ in veteri Teſtamento, & Lutherani in novo alliciunt ſuos auditores, quia docent, quæ populo placent. Lutherani quidem hæc, & ſimilia proponunt ſuis diſcipulis: *Per ſolam fidem ſalvabimini: Bona opera neceſſaria non ſunt: Non opus eſt jejuniis, & caſtigatione corporis: ſervite ventri, & libidini: Creſcite, & multiplicamini.* Has voces plerique libentius

audiunt, quam illas ex Evangelio: *Pœnitentiam agite : Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona : Fides ſine operibus mortua eſt : Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud : Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Ex tertio capite, Arriani, & Calviniſtæ non paucos ad ſe pelliciunt, quia Arriani multa nova, & ſubtilia de Chriſto; Calviniſtæ multa de prædeſtinatione, de gratia, de authore peccati, ſupra communem vulgi captum, ſolent ingenioſe diſceptare. Quæ omnia tendunt ad ipſorum perniciem.

58. Quartum eſt, prædictiones Apoſtolicæ, quæ extant Apocal. 11. 3. de duobus teſtibus. Et cap. 14. 6. de Angelo volante per *medium cæli*, habente *Evangelium æternum*. Nam illæ prædictiones, ut Meiſnerus ſibi perſuadet, impletæ ſunt in Luthero. At quis ſanæ mentis id credat? Nemo, opinor, ne ipſe quidem Lutherus. Primo, quia ipſe docet, Apocalypſin, in qua habentur illæ prædictiones, non eſſe Apoſtolicam, ſed apocrypham. Ergo ex mente Lutheri nec prædictiones ſunt, Apoſtolicæ, ſed apocryphæ. Parum igitur juvat cauſam Lutheri, ſi dicamus, quaſdam apocryphas, & nullius fidei prædictiones in illo impletas eſſe. Sed ad rem. Nego, in illo impletas eſſe. Ac primo, quod Lutherus non fuerit unus ex teſtibus Apocalypticis, jam ſupra cap. 6. §. 27. oſtenſum eſt. Secundo, quod non fuerit Angelus volans per medium cœli, ſic probo. Joannes eo loco ſcribit vidiſſe ſe tres Angelos ſibi ſuccedentes, quorum primus hortatus ſit omnes ad pietatem: alter ruinam Babylonis prædixerit: tertius, Antichriſtum detexerit. Si ergo Lutherus, ut Meiſnero placet, fuit primus Angelus, neceſſe eſt, tertium, qui Antichriſtum detexit, fuiſſe alium a Luthero, eoque poſteriorem. Quomodo ergo verum eſt, quod ſupra aſſeruit Meiſnerus, Lutherum detexiſſe Antichriſtum? Iſta inter ſe non cohærent.

59. Ex dictis concludo, Lutherum nec ordinarie, nec extraordinarie vocatum fuiſſe a Deo ad exercitium Miniſterii, quod uſurpavit poſt defectionem; ſed unum ex illis, de quibus dictum eſt Jerem. 23. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Videamus nunc de aliis Miniſtris, qui Lutherum ſecuti ſunt.

De

De aliis Miniſtris.

60. Lutherani, & Calviniani Miniſtri ſunt duplices. Nam alii qui ante defectionem fuerunt legitime ordinati Sacerdotes in Eccleſia Catholica, ſeu Pontificia: Alii non item. De prioribus idem dicendum eſt, quod de Luthero: Nec ordinarie, nec extraordinarie vocatos eſſe ad Miniſterium Lutheranicum, aut Calviniſticum. Non quidem extraordinarie, quia nullo evidenti ſigno, aut miraculo poſſunt hoc oſtendere, ſicut Prophetæ, & Apoſtoli oſtenderunt. Nec ordinarie, quia qui ordinarie vocantur, & mittuntur a Prælatis Eccleſiæ Catholicæ, ſeu Pontificiæ, non vocantur, aut mittuntur ad Miniſterium, quod Eccleſiæ Catholicæ, aut Pontificiæ contrarium eſt. At Miniſterium, quod exercent hujuſmodi Miniſtri poſt defectionem, contrarium eſt Eccleſiæ Catholicæ, ſeu Pontificiæ. Ergo, &c.

61. De poſterioribus, qui in Eccleſia Catholica, ſeu Pontificia non ſunt ordinati Sacerdotes, ſic ſtatuo. Primo non eſſe vocatos extraordinarie, ſeu immediate a ſolo Deo, propter rationem ſæpe allatam, quæ ſumitur ex defectu miraculorum. Secundo, nec eſſe vocatos ordinarie, ſeu mediante conſenſu, & cooperatione hominum. Quod tripliciter probo. Primo, ex conceſſione Meiſneri, & quorundam aliorum Lutheranorum, qui docent, ordinariam Lutheri vocationem conſiſtere in Sacerdotio, quo in Eccleſia Catholica, ſeu Pontificia initiatus eſt. Nam ſi ordinaria vocatio conſiſtit in tali Sacerdotio, neceſſe eſt, eos, qui tali Sacerdotio initiati non ſunt, ordinarie vocatos non eſſe. At illi miniſtri, de quibus agimus, non ſunt initiati tali Sacerdotio ex ſuppoſitione: Ergo nec ordinarie vocati.

62. Deinde ex perpetua praxi Eccleſiæ. Nam a tempore Apoſtolorum uſque ad ortum Lutheri nullus ordinarie vocatus fuit ad miniſterium Verbi, & Sacramentorum adminiſtrationem, niſi qui ab Epiſcopo ordinatus eſſet Sacerdos per manuum impoſitionem, ut ſupra oſtenſum eſt. Ergo Miniſtri Lutherani, & Calviniani, qui non ſunt ab Epiſcopo ordinati Sacerdotes per manuum impoſitionem, non ſunt etiam ordinarie vocati ad miniſterium Verbi, & Sacramentorum adminiſtrationem. Videant ipſi quomodo vocati ſint.

63. Tertio ex eorum, contra quos agimus, conſenſu. Nam ipſi, velint, nolint, fateri debent, ſe non eſſe vocatos eo ritu, ac modo, qui in Eccleſia Catholica, ſeu Pontificia uſitatus eſt, ſed alio

longe diverſo . Non enim ordinati ſunt Sacerdotes ab Epiſcopo, ſicut apud nos fieri ſolet, ſed vel a Principe ſæculari, vel a Magiſtratu, vel a populo promoti ad Miniſterium, ſine ullius veri Epiſcopi conſenſu, & cooperatione. Cum ergo hi duo ritus inter ſe diſcrepent, non poſſunt ambo eſſe legitimi, & a Chriſto inſtituti. Si ergo noſter legitimus eſt, ut fatetur Meiſnerus, alterum ſubreptitium eſſe neceſſe eſt; aut ſi noſter ſubreptitius eſt, quomodo Lutherus, qui noſtro ritu ordinatus eſt Sacerdos, potuit legitime vocatus eſſe? Rurſum, ſi noſter ſubreptitius eſt, oportet conſequenter aſſerere, multis ſæculis ante Lutheri ortum non fuiſſe verum Sacerdotium in Eccleſia Catholica, ſed tantum ſubreptitium; ac proinde nullos fuiſſe veros Sacerdotes, ac Miniſtros; & quod inde ſequitur, nullam fuiſſe veram Eccleſiam. Hæc enim ſine Sacerdotibus, & Miniſtris in hac vita conſiſtere non poteſt. Ecce quomodo ex uno errore in alium prolabantur adverſarii.

CAPUT XIII.

De Cœlibatu Miniſtrorum Eccleſiæ.

1. QUæſtio eſt, an Miniſtri Eccleſiæ teneantur ad cœlibatum? Negant adverſarii, inter quos M. Antonius de Dominis prolixiſſime hanc rem proſequitur lib. 4. de Republica Eccleſiaſtica, cap. 10. cujus titulus eſt: *Sacros Miniſtros ad cœlibatum jure non teneri*. Qui titulus, cum ſit negativus, perinde valet, ac ſi dicas: Sacros Miniſtros ad cœlibatum nullo jure nec divino, nec humano teneri. Quod an verum ſit, diſcutiendum eſt. Ut tamen certo ordine progrediamur, oſtendam primo, Sacerdotes veteris Teſtamenti divino jure obligatos fuiſſe ad continentiam, non quidem perpetuam, ſed pro certo tempore. 2. Apoſtolos ſervaſſe perpetuam continentiam, non quidem jure divino, ſed partim conſilio Chriſti, partim ſua ſponte. 3. Eoſdem Apoſtolos ſuaſiſſe, & decreviſſe, ut alii deinceps Miniſtri Eccleſiæ ſervarent continentiam. 4. Eam deinceps ſervatam eſſe, ac poſtea etiam lege Eccleſiaſtica non ſemel, ſed ſæpius præſcriptam. 5. Hanc legem Eccleſiaſticam aliter ſervari in Eccleſia Occidentali, aliter in Orientali. Sit ergo

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

2. SAcerdotes veteris Teſtamenti jure divino tenebantur ad aliquam continentiam ab uſu matrimonii, præſertim pro illis diebus, quibus Deo in Templo, vel Tabernaculo miniſtrabant. Hoc probo ex Scripturis, & Patribus. Ex Scripturis habemus aliquot teſtimonia. Primum Exod. 19. 22. *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur*, id eſt, abſtineant ab uxoribus. In eo enim potiſſimum conſiſtebat ſanctificatio, ut patet ex eodem capite. Nam verſ. 10. dicebat Deus ad Moyſen: *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, laventque veſtimenta ſua*. Moyſes autem intellexit illam ſanctificationem de abſtinentia ab uxoribus. Nam mox accedens ad populum, & explicans illi voluntatem Dei, dixit: *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris*. Ubi notandum eſt, illam ſanctificationem, ſeu abſtinentiam ab uxoribus, de qua agitur citato capite, tam populo, quam Sacerdotibus fuiſſe præceptam: quia tam populus, quam Sacerdotes debebant audire promulgationem legis Moſaicæ, & ad illam toto biduo ſe diſponere per abſtinentiam ab uxoribus, & per lotionem veſtimentorum, & caſtrorum purgationem. Speciali tamen titulo præceptam fuiſſe Sacerdotibus pro omni eo tempore, quo fungebantur officio ſacerdotali, ſive orando pro populo, ſive hoſtias, & ſacrificia offerendo, ſive aliquod aliud ſacrum miniſterium exhibendo. Hoc enim ſignificabatur illis verbis: *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur*. Nam tunc dicebantur accedere ad Dominum, quando vel erant oraturi, vel ſacrificium oblaturi, vel aliquid ſimile acturi. Nemo dubitat.

3. Secundum teſtimonium, 1. Reg. 21. 1. *Venit autem David in Nobe ad Achimelech Sacerdotem*. Et infra: *Reſpondens Sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctum, ſi mundi ſunt pueri, maxime a mulieribus. Et reſpondit David Sacerdoti, & dixit ei: Equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum ſancta*. Hinc conſtat, non licuiſſe laicis comedere panem ſanctificatum, niſi præmiſſa ſanctificatione, quæ potiſſimum conſiſtebat in abſtinentia ab uxoribus. Et certe, ſi homines laici debebant hoc modo ſanctificari, multo magis Sacerdotes; quippe qui ad majorem puritatem ratione ſtatus, ac officii obligabantur.

4. Quod ſic ulterius declaro. Duo hic præcepta diſtinguenda ſunt. Unum, quo Laici prohibebantur comedere panes ſanctificatos, vel, ut in Evangelio vocantur, *panes propoſitionis*. De quo Chriſtus Matth. 12. 3. *Non legiſtis*, inquit, *quid fecerit David, quando eſuriit, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis Sacerdotibus?* Alterum, quo jubebantur abſtinere ab uxoribus, qui manducaturi erant hujuſmodi panes. Hoc poſterius non ſolum obligabat Laicos, ſed etiam Sacerdotes. Et quidem per ſe, ac primario. Quod tripliciter probo. Primo ex dictis, quia Sacerdotes tenebantur ad majorem puritatem, quam Laici. Secundo, quia eſus panum propoſitionis per ſe pertinebat ad ſolos Sacerdotes: Ergo etiam ſanctificatio requiſita ad eſum iſtorum panum per ſe pertinebat ad ſolos Sacerdotes. Unde ſicut Laici non poterant comedere hujuſmodi panes, niſi tantum per accidens, & in caſu neceſſitatis; ita non tenebantur ſe ſanctificare pro comeſtione, niſi tantum per accidens, & in cauſa neceſſitatis. Tertio, quia ſi præceptum de abſtinentia ab uxoribus pertinuiſſet ad ſolos laicos, vel fuiſſet illis datum a Deo, antequam Achimelech loquebatur cum Davide, vel ab ipſo Achimelech, cum jam loqueretur cum ipſo. Non prius; quia nuſquam legimus in Scriptura, quod Deus dederit tale præceptum pro ſolis Laicis, antequam Achimelech loquebatur cum David: Nec poſterius, quia Achimelech cum dicebat Davidi, *Si mundi ſunt pueri, maxime a mulieribus*, non dabat novum præceptum, ſed ſupponebat, jam ante a Deo datum eſſe. At non erat aliud a Deo datum, niſi quo Sacerdotes obligabantur abſtinere ab uxoribus, quotieſcumq; fungerentur officio Sacerdotali, ſeu quotieſcunque aliquid ſacri miniſterii, ſive orando, ſive hoſtias offerendo, ſive panes ſanctos comedendo, peragerent. Itaq; ſenſus Achimelech eſt hic: Vobis quidem non licet comedere panes ſanctificatos, ſed ſolis Sacerdotibus. Si autem vultis propter præſentem neceſſitatem comedere, cum alii panes haberi non poſſint, neceſſe eſt vos ea puritate, & ſanctitate id præſtare, qua Sacerdotes facere conſueverunt, qui abſtinent ab uxoribus, quotieſcunque hujuſmodi panes comeſturi ſunt. Idem ergo a vobis exigo.

5. Tertium teſtimonium, 1. Par. 24. 7. *Exivit autem ſors prima Jojarib, ſecunda Jedei, tertia Harim*, &c. Ubi recenſentur vigintiquator familiæ Sacerdotum, qui per vices debebant miniſtrare in domo Domini, juxta illud Luc. 1. v. 5. *Fuit Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia*. Et paulo poſt: *Factum eſt autem, cum Sacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante*

Deum,

Deum ſecundum conſuetudinem Sacerdotii, ſorte exiit, ut incenſum poneret. Conſtat autem, Sacerdotes, quando miniſtrabant Domino, debuiſſe multos dies perſeverare in miniſterio. Nam ibidem v. 23. de Zacharia ſic legimus: *Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam*. Plerique authores putant, fuiſſe octo dies unicuique deſtinatos, nempe a ſabbato uſque ad ſabbatum, ut Joſephus, Ambroſius, Theophylactus, & alii apud Maldonatum in commentario illius loci. Et colligitur ex illo 2. Paralip. 23. 8. *Fecerunt ergo Levitæ, & univerſus Juda juxta omnia, quæ præceperat Jojada Pontifex: & aſſumpſerunt ſinguli viros, qui ſub ſe erant, & veniebant per ordinem ſabbati cum his, qui impleverant ſabbatum, & egreſſuri erant*.

6. Igitur Sacerdotes per octo dies, relictis domibus, & uxoribus ſuis, permanebant in templo, & ibi miniſtrabant. Et quidem tempore ſacrificii erant in ea parte templi, ubi ſacrificia offerebantur. Reliquo tempore habitabant in atrio templi, in domunculis ad id deſtinatis, quo non licebat uxores introducere. Unde conſequens eſt, debuiſſe a cohabitatione uxorum abſtinere. De qua re ſic ſcribit Siricius Papa in Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 7. *Dicat mihi nunc, quiſquis ille eſt ſectator libidinum, præceptorque vitiorum, ſi æſtimat, quod in lege Moyſis paſſim ſacris ordinibus a Domino laxata ſint fræna luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet dicens: Sancti eſtote, quia & ego Sanctus, ſum Dominus Deus veſter? cur etiam procul a ſuis domibus, anno vicis ſuæ, in templo habitare juſſi ſunt Sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus poſſent carnale exercere commercium, ut conſcientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam, expleto deſervitionis ſuæ tempore, uxoribus uſus ſolius ſucceſſionis cauſa fuerat relaxatus, quia non ex alia, niſi ex tribu Levi, quiſquam ad Dei miniſterium fuerat præceptus admitti*. (tom. 1. Conciliorum)

7. Idem, quod ad rem attinet, ſentiunt alii Patres. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, longe poſt medium: *Nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus ab uxoribus ſeparati; & vinum, & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem provocare*.

8. Et Innocentius I. Epiſt. 2. ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum cap. 9. *Præterea, quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt, tenere Eccleſia omni modo debet, ut Sacerdotes, & Levitæ cum uxoribus ſuis non coeant, quia miniſterii quotidiani neceſſitatibus occupantur. Scriptum eſt enim: Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter. Nam ſi priſcis temporibus de templo*

Dei

Digitized by Google

Dei Sacerdotes anno vicis ſua non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omnino tangebant, quibus utique propter ſobolis ſucceſſionem uxorius uſus fuerat relaxatus: quanto magis hi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel ſacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præteris dies, qua vel a ſacrificiis divinis, vel a Baptiſmatis officio vacent? (tom. I. Conciliorum.)

9. Et Beda ad cap. I. Luc. *Hoc eſt, quod dixi, quod vicis ſuæ tempore Pontifices, templi tantum officiis mancipati, non ſolum a complexu uxorum, ſed ab ipſo quoque domorum ſuarum abſtinerent ingreſſu: ubi noſtri temporis Sacerdotibus, quibus ſemper Altari ſervire jubetur, perpetuum ſervandæ caſtitatis exemplum datur. Quia enim tunc Sacerdotum ex ſtirpe Aaron ſucceſſio quærebatur, neceſſario tempus ſuſtinendæ ſobolis procurabatur. At quia nunc non carnalis ſucceſſio, ſed perfectio ſpiritualis inquiritur, conſequenter Sacerdotibus, ut ſemper Altari queant aſſiſtere, ſemper ab uxoribus abſtinendum, ſemper caſtitas obſervanda præcipitur.*

CONCLUSIO SECUNDA.

10. APoſtoli ſervarunt perpetuam continentiam, non quidem ex præcepto divino, ſed partim ex conſilio Chriſti, partim ſua ſponte, ac propoſito. Ac primo, quod ſervaverint perpetuam continentiam, conſtat ex illo Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Jeſus autem dixit illis: Amen dico vobis.* Et infra; *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, &c.* Ex quo loco conſtat, Apoſtolos reliquiſſe omnia, quæ habebant. Ac proinde, qui antea habebant uxores, reliquiſſe etiam uxores; & qui antea habebant filios, aut filias, reliquiſſe etiam filios, aut filias, & ſic deinceps. Et Paulus, qui poſt alios Apoſtolos ſeparatim vocatus eſt a Chriſto, de ſe ſcribit 1. Cor. 7. 7. *Volo vos omnes eſſe ſicut meipſum*, id eſt, vellem, ſeu optarem, ſi commode fieri poſſet, vos omnes eſſe cœlibes, & continentes, ſicut ego ſum. Et ibidem: *Dico autem non nuptis, & viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego;* nempe in ſtatu continentiæ.

11. Quod autem non ſervaverint continentiam ex præcepto divino, ſed ex Chriſti conſilio, & propria voluntate, clarum eſt. Nullum enim extat præceptum divinum novi Teſtamenti, quo vel Apoſtoli, vel alii Eccleſiæ miniſtri obligentur ad cœlibatum. Extat tamen conſilium Chriſti Matth. 19. 10. *Dicunt ei diſcipuli ejus:*

jus: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt. Et ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus. Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat. Hic ponit triplex genus continentium, & abſtinentium ab uxoribus. Nam aliqui a natura, alii a neceſſitate, alii a propria voluntate habent, quod abſtineant. Ad tertium genus hortatur Chriſtus, cum ait: *Qui poteſt capere, capiat.* Et hoc Chriſti conſilium, tanquam ſanum, & meritorium, propria voluntate amplexi ſunt Apoſtoli.

CONCLUSIO TERTIA.

12. Apoſtoli & ſuaſerunt, & ſtatuerunt, ut alii deinceps miniſtri Eccleſiæ ſervarent continentiam. Audi Paulum ad Tit. 1. 7. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem.* Ubi inter cæteras virtutes præſcribit etiam continentiam, diſtinctam a ſobrietate, id eſt, continentiam ab uxoribus, ut D. Hieronymus recte interpretatur.

13. Et 2. Timoth. 2. 3. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.* Alludit ad milites, qui ut placeant ſuo Imperatori, toti intenti ſunt in bellum, & abſtinent ſe ab omnibus curis ſæcularibus, etiam ab uxoribus. Nam ut ſcribit Cornelius Tacitus lib. 14. & Dion. lib. 60. olim prohibitum fuit militibus conjugium, ut tanto facilius vacare poſſent militiæ. Et ſimiliter Tertullianus in exhortatione ad caſtitatem docet, ſuo tempore milites fuiſſe cœlibes, ſicut etiam multi hoc tempore ſunt, præſertim milites ordinis Teutonici, & alii, qui regulam certam profitentur. Vult igitur Apoſtolus, multo magis milites Chriſti debere intentos eſſe in miniſterium divinum, & abſtinere ab aliis omnibus, quæ hoc miniſterium quocumque modo impediunt. Maxime autem impedit uſus matrimonii. Nam, ut alibi loquitur idem Apoſtolus: *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.*

14. Et 1. Corinth. 7. 5. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi.* Ex quo loco D. Hieronymus ad cap. 1. Epiſt. ad Titum ſic argumentatur: *Si laicis imperatur, ut propter orationem abſtineant ſe ab uxorum coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis, populique peccatis illibatas Deo obla-*

oblaturus eſt victimas? Et l. 1. contra Jovinianum, longe poſt medium: *Si laicus, & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali: Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio*. Similia habent Origines Hom. 23. in Num. Epiphanius hæreſi 49. Innocentius I. in Epiſt. ad Exuperium, cap. 1. & alii.

15. Dices forte: Apoſtolum quidem ſuaſiſſe continentiam, ſed non præcepiſſe. Reſpondeo. Certum eſt, quod in hoc genere plus exegerit a Sacerdotibus, quam a Laicis. At a Laicis dupliciter exegit continentiam. Primo, per modum conſilii, & deſiderii. 1. Corint. 7. 7. *Volo vos omnes eſſe ſicut me ipſum*. Secundo, per modum præcepti, ibidem v. 5. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*, ut interpretantur Patres jam citati. Ergo per modum majoris cujuſdam obligationis debuit exigere continentiam a Sacerdotibus. Quæ major obligatio exprimitur illis verbis: *Oportet Epiſcopum eſſe continentem*. Item: *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu*. Item: *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*. Unde ſic concludo: Tanta eſt obligatio Sacerdotum, ut abſtineant ab uxore, quanta eſt, ut ſerviant Deo, & non mundo: At majori obligatione tenentur ad ſerviendum Deo, quam laici. Imo ſicut ratione officii obligati ſunt, ut totos ſe tradant ſervitio Dei, & non ſint diviſi; ita ratione officii obligati ſunt, ut abſtineant ab uxoribus, & caveant diviſionem.

16. Hæc ex Paulo. Accedit commune decretum Apoſtolorum his verbis. *Innuptis autem, qui ad clerum provecti ſunt, permittimus, ut, ſi voluerint, uxores accipiant: ſed Lectores, Cantoreſque tantummodo*. Ubi nomine lectorum, & cantorum comprehenduntur etiam alii minores ordines, ut fatetur M. Antonius cap. 10. num. 6. Eſt enim omnium par ratio. Excipiuntur autem ii, qui ſunt in majoribus ordinibus conſtituti, quibus non licet uxores accipere: Quod ſimiliter fatetur num. 8.

17. Habemus ergo ſanctionem Apoſtolicam de cœlibatu clericorum, quæ negari non poteſt. De qua loquuntur Patres Concilii Carthaginenſis II., can. 2. ubi ſtatuentes, vel potius confirmantes legem cœlibatus, addunt hanc rationem: *Ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.*

CON-

CONCLUSIO QUARTA.

18. Continentia, quam Apoſtoli Miniſtris Eccleſiæ præſcripſerunt, ſtatim in Eccleſia ſervata eſt: ac poſtea etiam lege Eccleſiaſtica non ſemel, ſed ſæpius præſcripta. Prior pars conſtat ex verbis Concilii jam citatis: *Ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit Antiquitas, &c.* Et ex conceſſione M. Antonii, l. 4. c. 10. n. 3. ubi ſic ſcribit: *Eccleſia ſemper vel ab ipſis ipſius incunabulis, ut mox oſtendam, in ſuis Miniſtris plurimum amavit, commendavit, & etiam interdum præcepit continentiam.* Et ibidem n. 9. ait fuiſſe *decretum commune totius Eccleſiæ*. Poſterior probatur, quia ſubſecutæ ſunt variæ leges Eccleſiaſticæ, quibus eadem continentia Miniſtris Eccleſiæ imperata eſt. Et quidem dupliciter. Primo, ut non liceat illis uxores ducere poſt ſuſceptos ordines. Secundo, ut ſi ante ſuſceptos ordines duxerint uxores, & poſtea ſuſceperint ordines, non liceat uti uxoribus, ſed debeant perpetuam ſervare continentiam. Hujuſmodi leges latæ ſunt hoc fere ordine.

19. Primo, a Concilio Iliberitano, Anno Chriſti 313. aut 315. can. 33. *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe a conjugibus ſuis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* (tom. 1. Concil.)

20. Secundo, a Concilio Carthaginenſi II. (circa Annum Chriſti 396.) can. 2. *Omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab uxoribus ſe abſtineant.* Et ratio additur. *Ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit Antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* (tom. 1. Concil.)

21. Tertio, a Siricio Papa (circa idem tempus) in Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 7. *Plurimos Sacerdotes Chriſti, atque Levitas, poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in veteri Teſtamento Sacerdotibus, ac Miniſtris generandi facultas legitur attributa.* Ecce vocat crimen, quod Sacerdotes Chriſti utuntur propriis uxoribus. Et illorum defenſionem mox refutat, aſſerens, Sacerdotes in veteri Teſtamento habuiſſe etiam legem continentiæ pro eo tempore, quo miniſtrabant in templo: [verba illius §. 6. adducta ſunt] ac deinde ſubjicit: *Quarum ſanctionum Sacerdotes omnes, atque Levitæ inſolubili lege conſtringimur, ut a die ordinationis noſtræ, ſobrietati, ac pudicitiæ & corda noſtra man-*

mancipemus, *& corpora*. Hinc habes legem pudicitiæ corporis, qua Sacerdotes conſtringuntur. Audi etiam pœnam, ſi hanc legem non ſervent. *Hi vero* (pergit Siricius) *qui illiciti privilegii excuſatione nituntur, & ſibi aſſerunt veteri hac lege conceſſum, noverint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indigne uſi ſunt, Apoſtolicæ ſedis authoritate deiectos, nec unquam poſſe veneranda attrectare myſteria*. (tom. 1. Concilior.)

22. Quarto, ab Innocentio I. circa annum Chriſti 400. in Epiſt. ad Exuperium, c. 1. ubi repetit, & confirmat legem a Siricio latam, his verbis: *Propoſuiſti, quid de his obſervari debeat, quos in Diaconi miniſterio, aut in officio presbyterii poſitos, incontinentes eſſe, aut fuiſſe, generati filii prodiderunt. De his & divinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricii Epiſcopi monita evidentia commemorarunt, ut incontinentes in officiis talibus poſiti, omni Eccleſiaſtico honore privarentur, nec admitterentur accedere ad miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri. Eſt enim vetus admodum ſacræ legis authoritas, iam inde ab initio cuſtodita, quod in templo anno vicis ſuæ habitare præcepti ſunt Sacerdotes, ut ſervientes ſacris oblationibus puri, & ab omni labe purgati ſibi vendicent divina miniſteria, neque eos ad ſacrificia fas ſit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale conſortium, &c.* (Tom. 1. Conc.)

23. Quinto, a Concilio Agathenſi (Anno Chriſti 506.) can. 9. *Placuit etiam, ut ſi Presbyteri, vel Diaconi conjugati ad torum uxorum ſuarum redire voluerint, Papæ Innocentii ordinatio, vel Siricii Epiſcopi authoritas, quæ eſt his canonibus inſerta, ſervetur*. (Tom. 2. Concil.)

24. Sexto, a Concilio Aurelianenſi tertio (Anno Chriſti 337.) can. 7. *Clerici vero, qui cum uxores non haberent, benedictione ſuſcepta, conjugia crediderint eligenda, qui volentes abſque ulla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipſis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione percellantur*. (tom. 2. Concil.)

25. Septimo, a Concilio Aurelianenſi quarto (Anno Chriſti 547.) can. 17. *Ut Sacerdotes, ſive Diaconi cum conjugibus ſuis non habeant communem lectum, & cellulam, ne propter ſuſpicionem carnalis conſortii religio maculetur. Quod qui fecerint, juxta priſcos canones ab officio degradentur*. Omitto reliquos canones, & decreta, quæ poſterioribus ſæculis ſtatuta ſunt. Omitto teſtimonia ſanctorum Patrum, quæ habentur apud Bellarminum, & Coccium.

CONCLUSIO QUINTA.

26. Lex continentiæ, ſeu cœlibatus, de qua hactenus dictum eſt, ſemper viguit in Eccleſia Occidentali (niſi quod in quibuſdam locis particularibus aliquantulum fuerit neglecta) at in Orientali non item. Nam Græci tametſi poſt ſuſceptos ordines non ſoliti ſint uxores ducere, tamen ſi antea duxerint, poſſunt ordines ſuſcipere, & ſimul uxores retinere. Nec tenentur ab earum conſortio abſtinere, niſi tempore vicis ſuæ, ſicut in veteri teſtamento factum eſt. Hæc illorum conſuetudo, in qua differunt ab Occidentalibus, cœpit tempore ſextæ Synodi Generalis, aut circiter, & huc uſque perſeverat. Vide Vaſquez 3. p. diſp. 248. cap. 2.

27. Multa objicit M. Antonius. Primo, ſextam Synodum, hoc eſt, Patres Trullanos, permittere Presbyteris uxores. Reſpondeo: Falſum eſt; nam ſexta Synodus nullos Canones, aut Decreta promulgavit. Synodus autem Trullana, quam Antonius confundit cum ſexta ſynodo, poſt ſextam ſynodum celebrata eſt in Palatio Imperatoris Juſtiniani, quod Trullum dicebatur, ſed non fuit legitima.

28. Secundo objicit, Siricium Papam commendaſſe quidem Clericis continentiam, non tamen præcepiſſe. Reſpondeo: Et hoc falſum eſt: nam & præcepit continentiam, & pœnam conſtituit iis, qui præceptum continentiæ non ſervarent. Utrumque colligitur ex verbis illius ſupra citatis. Nam præceptum continetur illis verbis: *Quarum ſanctionum Sacerdotes omnes, atque Levitæ inſolubili lege conſtringimur*. Pœna vero illis: *Noverint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore dejectos*.

29. Tertio objicit, abſolutam, & perpetuam continentiam primum omnium indictam eſſe Presbyteris, & Diaconis conjugatis a Concilio Agathenſi can. 9. Reſpondeo: Non ita eſt. Nam Concilium Agathenſe can. cit. profitetur ſe id ſtatuere, quod jam antea a duobus Pontificibus, Siricio, & Innocentio fuerat ſtatutum, ut patet ex verbis Concilii allatis: *Placuit*, &c.

30. Quarto objicit, Eccleſiaſticas leges, quæ præcipiunt cœlibatum, ponere hominibus laqueum. Reſpondeo: Non ponunt laqueum, ſed exigunt eam ſanctitatem, & ſanctimoniam a Sacerdotibus, quæ ipſorum officio conſentanea eſt.

31. Quinto objicit, Eccleſiam non poſſe ſtatuere legem, quæ certo hominum ſtatui generatim adimat libertatem contrahendi matrimonium. Reſpondeo: Verum quidem eſt, quod abſolute loquen-

quendo, non poſſit hoc facere; ſed falſum eſt, quod non poſſit hoc facere eo modo, quo nunc facit, nempe ſub hac conditione: Si quis velit eſſe Presbyter, aut Epiſcopus, debet ſervare continentiam. Nam per hujuſmodi legem non cogit quempiam ad continentiam, ſed relinquit unicuique liberum, ut poſſit amplecti ſtatum Eccleſiaſticum, vel non amplecti; & conſequenter, ut poſſit uxorem ducere, vel non ducere, prout placuerit.

CAPUT XIV.

De Peccato Originali, Mortali, & Veniali.

DUplex eſt controverſia inter nos, & adverſarios. Una, quid ſit peccatum originale? Adverſarii docent, eſſe concupiſcentiam; quod nos negamus. Altera, an peccatum mortale, & veniale inter ſe diſtinguantur? Adverſarii negant diſtingui, aſſerentes, omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia; nullum veniale. Nos contra aſſerimus, quædam ex natura ſua eſſe mortalia, quædam venialia: Eſt & tertia controverſia: An detur peccatum originale? Sed illa pertinet ad quartum librum, ubi contra Anabaptiſtas diſputandum eſt.

PRIOR QUÆSTIO.

Quid ſit peccatum Originale? An ſit concupiſcentia?

1. NOmen Concupiſcentiæ ſumitur tribus modis. Primo pro naturali inclinatione, ſeu pronitate ad concupiſcendum malum. 2. Pro motu concupiſcentiæ involuntario, qui prævenit conſenſum. 3. Pro motu concupiſcentiæ voluntario, cui accedit conſenſus voluntatis. Eſt ergo quæſtio: An concupiſcentia primo modo ſumpta ſit peccatum originale? Affirmant Lutherani, & Calviniſtæ, qui hanc concupiſcentiam alio nomine appellant hæreditariam naturæ noſtræ corruptionem, ſeu pravitatem, quæ nos faciat reos æternæ damnationis: nos aliter ſentimus, ut ſequitur.

2. Prima Concluſio. Peccatum originale, quod ex Adamo contrahimus, non eſt concupiſcentia, ſeu inclinatio ad concupiſcendum malum, quam nos vocamus concupiſcentiam in actu primo. Ratio eſt, quia quidquid habet rationem peccati, hoc per Chriſti gratiam in baptiſmo tollitur, ac deletur. Concupiſcentia in actu primo non tollitur: Ergo non eſt peccatum originale. Major propoſitio fuſe probabitur c. 16. de Juſtificatione. Minor patet ex

quo

quotidiana experientia, quia ſentimus in nobis inclinationem; & pronitatem ad concupiſcendum malum, juxta illud Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ:* Et ex illa inclinatione prorumpit motus concupiſcentiæ ad malum. Gal. 5. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.*

3. Nota. Per concupiſcentiam in actu primo non ſolum intelligitur inclinatio, ſeu pronitas ad malum, quæ eſt in appetitu ſenſitivo, ſed etiam quæ eſt in intellectu, & voluntate. Nam hæ tres potentiæ, ſeu facultates animæ, natura ſua pronæ ſunt ad quoſdā motus inordinatos, & rectæ rationi repugnantes; v. g. Intellectus ad falſa, & erronea judicia: Voluntas ad odium, invidiam, deſperationem: Appetitus ſenſitivus ad carnalia, & terrena deſideria. Hæc ergo pronitas, ſeu inclinatio iſtarum potentiarum non eſt peccatum originale, ut probatum eſt; quia peccatum originale tollitur per baptiſmum; iſta inclinatio non tollitur, ſed manet. (2. Cor. 12. verſ. 7.) Manet autem ad exercitium virtutis. Quid igitur eſt, inquies, hæc inclinatio? Eſt quædam imperfectio, quæ homini, ſi in puris naturalibus crearetur, eſſet naturalis: Poſt lapſum vero primi parentis eſt effectus peccati. (Gen. 3. verſ. 7.) Et a Theologis vocari ſolet morbus, ſeu languor naturæ, infirmitas, fomes peccati, vis appetendi immoderata, fons tentationis, juxta illud Jacobi 1. verſ. 14. *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.*

4. Multæ ſunt Adverſariorum objectiones. Prima eſt: Apoſtolus concupiſcentiam vocat peccatum. (Rom. 6. verſ. 12.) *Non regnet peccatum in corpore veſtro mortali.* Reſpondeo: Nomen peccati ſumitur quatuor modis in Scriptura. Primo, proprie pro peccato, ut Joan. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et alibi ſæpiſſime. Secundo improprie, pro cauſa peccati, ut loco citato. Nam concupiſcentia incitat ad peccatum. Tertio improprie, pro effectu, vel pœna peccati. ut Zach. 14. 19. *Hoc erit peccatum Ægypti*, ideſt pœna. Quarto improprie, pro ſacrificio quo expiatur peccatum, (ut 2. Corinth. 5. 21.) ubi Chriſtus vocatur peccatum, quia fuit ſacrificium pro expiatione peccati. *Eum*, inquit Apoſtolus, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, ſupple, Deus. Ubi nomen peccati bis ponitur, ſemel proprie, ſemel improprie.

5. Secunda objectio. D. Auguſt. l. 1. de nuptiis, & concupiſc. c. 25. dicit concupiſcentiam carnis remitti in baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut non imputetur in peccatum. Ergo vult concupiſcentiam eſſe peccatum originale. Reſpondeo: Concupiſcentia poteſt dupliciter ſpectari ſecundum Auguſtinum. Primo, quatenus eſt conjuncta reatui peccati originalis, quo quaſi extrinſecus informatur. Et hoc modo eſt in infidelibus, qui non ſunt baptizati. Secundo,

quatenus eſt ſeparata a reatu peccati originalis, & ſic eſt in iis, qui baptizati ſunt. Igitur Auguſtinus loco citato docet, concupiſcentiam remitti in Baptiſmo, quoad reatum, non quoad ſe: Vel, ut alibi loquitur, concupiſcentiam *tranſire reatu, & manere actu*, (lib. 6. contra Julianum cap. 3. & 8.) quod perinde eſt, ac ſi dicat, Concupiſcentiam in homine ante baptiſmum conjunctam eſſe cum peccato originali, poſt baptiſmum ſeparatam eſſe. Quod veriſſimum eſt.

6. Tertia objectio. Deus nihil odit, niſi peccatum; ſed odit concupiſcentiam, quæ remanet in baptizatis, ut docet Auguſtinus in Pſal. 35. circa illa verba, *Malitiam autem non odivit;* Ergo concupiſcentia eſt peccatum. Reſpondeo: Major falſa eſt, quia Deus non ſolum odit peccatum, ſed etiam morbum, & languorem relictum ex peccato, licet non eodem modo. Nam odium, quo Deus proſequitur peccatum, redundat in perſonam: quia Deus propter peccatum vult damnare perſonam. Odium autem, quo proſequitur concupiſcentiam, & ſimiles morbos ex peccato relictos, non redundat in perſonam, quia Deus non vult hominem baptizatum damnare, etiamſi videat in illo eſſe concupiſcentiam incitantem ad malum, modo abſit conſenſus in malum. Hinc facile intelliges, quo ſenſu dixerit Concilium Trid. ſeſſ. 4. Deum *in renatis nihil odiſſe*: Et quo ſenſu dixerit Auguſtinus loco citato, Deum *in renatis odiſſe concupiſcentiam*. Nam Concilium loquitur de odio, quod redundat in perſonam, non item Auguſtinus.

7. Quarta objectio. Quidquid non eſt a Deo, peccatum eſt: Sed concupiſcentia non eſt a Deo. Ergo peccatum eſt. Minor patet ex illo 1. Joan. 2. 16. *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre.* Reſpondeo. Minor diſtinguenda eſt. Nam concupiſcentia non eſt a Deo creante, ſed a Deo puniente. Deus enim quando creavit primos parentes, creavit illos cum juſtitia originali, ſine omni concupiſcentia, ſeu pronitate ad malum. Quando vero primi parentes peccarunt, tunc abſtulit illis juſtitiam originalem, in pœnam peccati: qua ablata, cœpit concupiſcentia inſurgere per modum pœnæ. (Geneſ. 3. 7.)

8. Quinta objectio. Chriſtus aſſumpſit omnes humanas miſerias, excepto ſolo peccato: Sed non aſſumpſit concupiſcentiam. Ergo concupiſcentia eſt peccatum. Major patet ex illo Hebr. 2. 17. *Debuit per omnia fratribus ſimilari*. Et cap. 4. 15. *Habemus Pontificem tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Reſpondeo: Major falſa eſt, quia non aſſumpſit ignorantiam, fomitem peccati, febrim, podagram, & alios morbos. Ratio eſt, quia hæc non proderant

derant ad redimendum genus humanum. Vide D. Tho. in 3. parte quæſt. 15. art. 2. & 3. Nec contrarium docet Apoſtolus locis citatis. Nam in priori ſolum dicit, Chriſtum non aſſumpſiſſe naturam Angelicam, ſed humanam, ac proinde debuiſſe nobis ſimilem fieri per omnia, quæ ad naturam humanam ſpectant; ſeu, quod idem eſt, debuiſſe eſſe verum, & perfectum hominem. *Nuſquam*, inquit, *Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus aſſimilari.* In poſteriori ſic habet: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Senſus eſt, Chriſtum poſſe compati noſtris infirmitatibus, id eſt ærumnis, & perſecutionibus, quia ipſe jam ante expertus eſt ſimiles infirmitates, quibus tamen ad peccatum impatientiæ adduci non potuit.

9. Secunda Concluſio. Peccatum originale eſt privatio juſtitiæ originalis. Ita D. Thom. in 1. 2. quæſt. 82. art. 3. Ratio eſt, quia omne malum, & conſequenter omne peccatum conſiſtit in privatione alicujus boni, ſeu rectitudinis. Sicut ergo peccatum actuale eſt privatio rectitudinis actualis; ita peccatum habituale eſt privatio rectitudinis habitualis: Sed peccatum originis eſt habituale: Ergo eſt privatio rectitudinis habitualis: At non poteſt eſſe alterius, quam juſtitiæ originalis, qua privati ſunt poſteri Adæ propter peccatum Adæ: Ergo

10. Nota. Juſtitia originalis, quæ data fuit primis parentibus in paradiſo, erat duplex: Altera ſubjiciebat mentem Deo: altera carnem ſpiritui. Prior continebat habitus ſupernaturales fidei, ſpei, charitatis, & gratiæ juſtificantis: quibus intellectus, & voluntas bene diſponebantur. Poſterior donum quoddam ſupernaturale, quo appetitus ſenſitivus refrænabatur, & perfecte ſubjiciebatur rectæ rationi. Hac tota juſtitia privati ſunt poſteri Adæ propter ipſius prævaricationem. Nec tamen peccatum originale conſiſtit in privatione totius juſtitiæ, ſed ſolum in privatione illius juſtitiæ, quæ fuit in intellectu, & voluntate; non autem illius, quæ fuit in appetitu ſenſitivo. Ratio eſt, quia peccatum originale tollitur per baptiſmum: At non tollitur privatio totius juſtitiæ originalis, ſed tantum illius, quæ fuit in intellectu, & voluntate; non autem illius, quæ fuit in appetitu ſenſitivo. Nam in baptiſmo infunditur homini fides, ſpes, & charitas, quibus ſanatur intellectus, & voluntas, non tamen infunditur donum illud ſupernaturale, quo appetitus ſenſitivus refrænatur. Alioqui non diceret Apoſtolus: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.*

POSTERIOR QUÆSTIO.

An peccatum mortale, & veniale diſtinguantur ex natura rei.

1. DUo certa ſunt. 1. Eſſe aliqua peccata mortalia. 2. Ea dici mortalia, quæ mortem animæ afferunt, & æterna punitione per ſe digna ſunt. Quo ſpectat illud Rom. 6. 23. *Stipendium peccati mors.* Et cap. 8. 13. *Si ſecundum carnem vixeritis, morіemini.* Et Galat. 5. 21. *Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

2. Quæſtio eſt, an præter mortalia ſint etiam aliqua venialia? Ut hoc intelligatur, notandum eſt ex D. Thoma in 2. 2. quæſt. 88. art. 2. nomen peccati venialis tripliciter uſurpari. Primo, pro veniali ex eventu. 2. Pro veniali ex cauſa. 3. Pro veniali ex natura. Veniale ex eventu dicitur, cujus veniam conſequimur. Veniale ex cauſa, quod aliquo modo venia dignum eſt, eo quod non ex malitia, ſed ex paſſione, vel ignorantia commiſſum eſt, juxta illud Apoſtoli, 1. Timoth. 1. 13. *Fui blaſphemus, & perſecutor, ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Veniale ex natura dicitur, quod nec mortem animæ affert, nec æterna pœna per ſe dignum eſt. De hoc ſolo agimus, quia hoc proprie opponitur peccato mortali, & oppoſitas habet conditiones. Nam mortale, ut dixi, habet has duas. 1. Quod afferat mortem animæ. 2. Quod inducat reatum æternæ pœnæ, Neutra conditio convenit peccato veniali, quod ex natura ſua veniale eſt.

3. Eſt ergo quæſtio, an ſit aliquod tale peccatum veniale. Negarunt olim Jovinianus, & Pelagius. Et nunc negant plerique Lutherani, & Calviniſtæ, aſſerentes omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia, & mereri æternam damnationem: quædam tamen eſſe venialia non ex natura ſua, ſed quia non imputantur nobis a Deo. Et quidem Lutherani affirmant, omnia peccata infidelium eſſe mortalia, & imputari a Deo: fidelium eſſe venialia, id eſt, non imputari a Deo, excepto peccato infidelitatis: Calviniſtæ vero, omnia reproborum eſſe mortalia, omnia prædeſtinatorum venialia.

4. Prima Concluſio. Præter peccata mortalia dantur etiam aliqua, quæ ex natura ſua venialia ſunt. Hæc eſt communis ſententia Patrum, & totius Eccleſiæ, quam copioſe probat Bellarminus lib. 1. de ſtatu peccati, cap. 9. & ſequentibus. Ego breviter ex dictis ſic probo. Dantur aliqua peccata, quæ nec mortem animæ afferunt,

nec

nec æterna pœna per ſe digna ſunt; ergo dantur aliqua, quæ non ſunt mortalia, ſed venialia. Prior pars antecedentis probatur; quia mors animæ conſiſtit in privatione gratiæ, & charitatis. (Nam qui gratia, & charitate privatus eſt, non vivit coram Deo, ſed mortuus eſt, juxta illud 1. Joan. 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte*) At ſunt quædam peccata, quæ non privant hominem gratia, & charitate, ſed cum gratia, & charitate in homine juſto poſſunt conſiſtere, juxta illud Proverb. 24. 16. *Septies in die cadit juſtus*. Et de his peccatis loquuntur juſti, cum dicunt: *Dimitte nobis debita noſtra*. De iiſdem intelligitur illud Jacobi 3. 2. *In multis offendimus omnes*. Poſterior pars colligitur ex illo Matth. 5. 22. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit Concilio; qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis*. Ubi diſtinguuntur tria peccata iracundiæ: quorum tertium æterna pœna dignum eſt, ac proinde mortale, reliqua duo non item.

5. Dices. Hinc ſolum convincitur, quædam peccata de facto non afferre mortem animæ, nec puniri in gehenna. At non convincitur, id fieri ex natura peccatorum, & non potius ex eo, quia prædeſtinatis non imputantur a Deo. Reſpondeo: Id maxime convincitur. Quando enim Chriſtus diſtinguit triplex peccatum iracundiæ, & dicit duo priora non mereri pœnam æternam, ſed tantum tertium; non loquitur præciſe de prædeſtinatis, ſed generatim de omnibus, ac proinde loquitur de natura peccati, non de extrinſeca conditione peccantium. Id clarius explicat Luc. 6. 41. cum ait: *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* Ubi peccatum mortale comparat cum trabe, quæ oculum extinguit, veniale cum feſtuca, quæ non extinguit, ſed leviter lædit. Quæ differentia non ſumitur ex prædeſtinatione, ſed ex natura rei.

6. Addo, fundamentum Calviniſtarum de imputatione falſum eſſe. Supponit enim, prædeſtinatis nullum peccatum imputari, reprobis nullum remitti, quod aperte eſt contra veritatem, & efficaciam ſacramentorum, Baptiſmi, & Pœnitentiæ. Nam ſi reprobis nullum unquam peccatum remittitur, jam Baptiſmus, & Pœnitentia nullam vim habent. Item, ſi prædeſtinatis nullum peccatum imputatur, jam Baptiſmus, & Pœnitentia non ſunt illis neceſſaria. Tollantur ergo duo hæc ſacramenta, ſi nec reprobis proſunt, nec prædeſtinatis neceſſaria ſunt. Sed de hoc plura, partim cap. 16. de juſtificatione, partim lib. 3. cap. 7. de Baptiſmo infantium.

7. Secunda Concluſio. Duplicia ſunt peccata venialia. Alia ſunt

venialia ex ſuo genere, ut verbum otioſum. Alia ex imperfectione operis, cujuſmodi ſunt partim illa, quæ fiunt ex ſubreptione, ut ſubiti, & indeliberati motus concupiſcentiæ, iræ, odii, ſuperbiæ: partim illa, quæ cenſentur venialia ex parvitate materiæ, ut furtum unius oboli, quod neminem notabiliter lædit. Hinc confirmatur præcedens concluſio. Nam in his venialibus, quæ jam recenſui, non habetur ratio perſonæ peccantis, an illa ſit prædeſtinata, nec ne: ſed ſolum ſpectatur natura actionis, an ſcilicet actio ſit indeliberata? Vel an verſetur circa objectum parvi momenti?

8. Multa objiciunt Adverſarii contra hanc doctrinam, ut videre eſt apud Bellarminum loco citato. Ego pauca ex iis eligam. Primo objiciunt illud Ezech. 18. 4. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Et Rom. 6. 23. *Stipendium peccati mors.* Utrumque generatim aſſeritur de quovis peccato; quia nulla fit exceptio: Ergo quodvis peccatum eſt mortale. Reſpondeo. Neutrum generatim aſſeritur. Nam Ezechiel expreſſe loquitur de certis tantum peccatis, nempe de idololatria, adulterio, homicidio, uſura, & rapina; quæ ex genere ſuo mortalia ſunt. Similiter Apoſtolus de immunditia, & iniquitate. (v. 19.)

9. Secundo objiciunt illud Jacobi 2. 10. *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus.* Ergo homo per quodvis peccatum incurrit reatum æternæ mortis: Ergo quodvis peccatum eſt mortale. Reſpondeo. Jacobus loquitur de peccato contra legem Decalogi, ac nominatim de adulterio, & homicidio, quæ ex natura ſua mortalia ſunt. Sic enim ait: *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* q. d. Qui committit unum peccatum mortale contra legem Decalogi, etiamſi plura non committat, reus eſt mortis: Sicut qui accipit unum vulnus lethale, etiamſi plura non accipiat, obnoxius eſt morti corporali. Vide Chryſoſtomum hom. 35. Operis imperfecti ſuper Matthæum.

10. Tertio objiciunt. Omne peccatum offendit Deum, qui eſt infinita bonitas; Ergo omne peccatum eſt dignum infinita pœna: Ergo eſt mortale. Reſpondeo. Non omne peccatum ſic offendit Deum, ut diſſolvat amicitiam cum Deo. Eſt enim duplex offenſio: Una gravis, quæ eſt contra charitatem, & amicitiam, de qua loquitur Jacobus loco citato, cum ait: *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus.* Altera levis, quæ non diſſolvit charitatem, & amicitiam, de qua idem Apoſtolus cap. 3. 2. *In multis offendimus omnes.* Et ibidem: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.*

11. Quar-

11. Quarto objiciunt: Omne peccatum eſt contra legem Dei; ergo omne peccatum eſt mortale, juxta illud Deuter. 27. 26. *Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis hujus*. Reſpondeo: Tametſi omne peccatum ſit contra legem Dei, non tamen omne peccatum eſt contra finem legis, ideſt contra charitatem. 1. Tim. 1. 5. *Finis præcepti eſt charitas*. Locus Deuteronomii intelligitur de illo, qui ſciens volens non ſervat ea præcepta, quorum ſit mentio in illo capite; nempe præcepta, quæ prohibent idololatriam, inceſtum, homicidium, & ſimilia peccata mortalia. Igitur qui committit hujuſmodi mortalia, ſubjectus eſt maledictioni, non autem qui committit tantum venialia. Alioqui juſtus, qui *ſepties in die cadit*, multis maledictionibus eſſet obnoxius.

CAPUT XV.

De Libero Arbitrio.

1. USus liberi arbitrii conſiſtit in his tribus. Primo, ut poſſis agere, vel non agere. 2. Ut poſſis bene, vel male agere. 3. Ut ex duobus poſſis alterum præ altero eligere. Hunc uſum habuit homo in ſtatu innocentiæ, ut fatentur Lutherani, & Calviniſtæ. Et conſtat ex illo Eccleſ. 15. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata, & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.*

2. Quæſtio eſt, An etiam nunc habeat? Lutherus, & Calvinus abſolute negant. Sic enim ſcribit Lutherus in aſſertione articuli 36. *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re, quia nulli eſt in manu ſua quippiam cogitare mali, aut boni, ſed omnia ſub Deo ſunt, contra quem nihil poſſumus. Quod & Poeta voluit, quando dixit: Certa ſtant omnia lege.* Similiter Calvinus lib. 1 inſtit. cap. 23. §. 8. ponit hæc duo principia. Unum: Nihil fieri Deo permittente; ſed quæcunque fiunt, fieri Deo volente. Alterum: Voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem. Ex quibus infert, omnia fieri neceſſario, nihil libere.

3. Nos utimur diſtinctione. Sunt enim duplices actiones hominis, de quibus an liberæ ſint, diſputari poteſt. Aliæ morales, ſeu politicæ, quæ pendent a viribus naturæ, ut comedere, ambulare, confabulari, mercari, matrimonium contrahere, bellum gerere, agros colere, litteris operam dare. Aliæ ſupernaturales, quæ pen-

Digitized by Google

dent a viribus gratiæ, ut credere myſteria fidei, ſperare vitam æternam, diligere Deum ex toto corde. Hoc poſito, duo aſſerimus.

4. Primo, nos habere uſum liberi arbitrii in actionibus moralibus, ſeu politicis, quæ pendent a viribus naturæ. Hoc docet experientia. Quotidie pro arbitratu ſurgimus, aut ſedemus, ambulamus, aut quieſcimus, loquimur, aut ſilemus, conſentimus proximo, vel repugnamus. Hæc experientia tam certa eſt, ut alio argumento opus non ſit; recteque dixit Scotus, non rationibus, ſed verberibus refutandum eſſe, qui arbitrii libertatem neget. Nam eo uſque fuſtibus contundendus eſſet, donec fateretur, in noſtra ſitum eſſe poteſtate a verberando abſtinere. Quod ſi de injuria ſibi facta conquereretur, occurrendum eſſet, fruſtra conqueri, ſi nihil libero arbitrio, ſed omnia neceſſitate geruntur.

5. Secundo aſſerimus, Nos etiam habere uſum liberi arbitrii in actionibus ſupernaturalibus, quæ pendent a gratia Dei. Ut hoc recte intelligatur, diſtinguenda ſunt hæc tria. Primo, nos nihil boni operis, quod ad vitam æternam conducat, facere poſſe ſine gratia Dei. (Joan. 15. 5. & 2. Cor. 3. 5.) Secundo, nec eſſe in noſtra poteſtate, ut habeamus gratiam Dei prævenientem, qua excitemur ad bene operandum. (Rom. 9. 16.) Tertio, eſſe tamen in noſtra poteſtate, ut quando habemus gratiam Dei, cum illa bene operemur. Hoc tertium eſt, quod ponimus in noſtra aſſertione, & infra lib. 3. cap. 3. & 4. contra Calvinum probabimus.

6. Obiicit Lutherus illud Iſaiæ 41. 23. *Bene, aut male, ſi poteſtis, facite*. Unde colligit, non eſſe in noſtra poteſtate bene, vel male operari. Reſpondeo: Valde craſſe id colligit. Nam Iſaias non loquitur de hominibus, ſed de idolis gentium. Et ſicut David irridet idola gentium, cum ait Pſal. 113. 12. *Simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum: Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt*: ſic Iſaias exprobrat illis imbecillitatem, quod cum Dii habeantur a ſtultis hominibus, non poſſint tamen bene, aut male facere, ideſt non poſſint cultoribus ſuis prodeſſe, nec contemptoribus nocere. Itaque vis argumenti Lutheranici eſt hæc: Idola, ſeu ſtatuæ ex auro, & argento factæ non poſſunt ſuis cultoribus prodeſſe, nec aliis nocere; ergo nos non habemus liberum arbitrium. Perinde ac ſi dicas: Idola non poſſunt ambulare: ergo nos non habemus pedes. Cur non etiam ſic? Idola non habent cerebrum: ergo Lutherus non ſapit. Reliqua videantur lib. 3. cap. 4.

CA-

CAPUT XVI.

De juſtificatione, & Fide juſtificante.

1. JUſtificatio nihil aliud eſt, quam mutatio, qua quis ex impio, ſeu peccatore fit juſtus: ſicut ſanatio eſt mutatio, qua quis ex ægroto fit ſanus. Eſt ergo quæſtio inter nos, & adverſarios, quomodo, & quo ordine fiat iſta mutatio? Id eſt, quomodo, & quo ordine is, qui ante erat impius, & peccator, fiat juſtus?

2. Nos ita ſentimus. Ante juſtificationem requiruntur aliquæ diſpoſitiones animi in homine peccatore, quæ illum præparent, ac diſponant ad internam juſtificationem: ut fides, timor, ſpes, dilectio, contritio, propoſitum melioris vitæ, & obſervationis mandatorum Dei. (Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.) His diſpoſitionibus præmiſſis, ſequitur ipſa juſtificatio, id eſt, acquiſitio, ſeu infuſio juſtitiæ inhærentis. Cujus juſtitiæ duplex eſt effectus formalis: alter expulſio, ſeu remiſſio peccatorum; alter ſanctificatio, & renovatio interioris hominis. Uterque, reſpectu noſtri, gratuitus. (Trident. ibidem cap. 7.)

3. Cauſæ juſtificationis ſunt hæ. Formalis, eſt juſtitia inhærens, quæ nos formaliter facit juſtos. Materialis, anima hominis, quæ in ſe recipit juſtitiam inhærentem: Efficiens principalis, Deus: inſtrumentalis, ſacramentum Baptiſmi, & abſolutionis: Finalis, vita æterna: Meritoria, Chriſtus. (Trident. ibidem.)

4. Juſtitia inhærens, quæ eſt cauſa formalis juſtificationis, conſervatur, & augetur per obſervationem mandatorum Dei, & alia pia opera. Amittitur autem per quodlibet peccatum mortale. Et quia nemo certus eſt, an aliquando non peccaturus ſit mortaliter, non poteſt certus eſſe, an perſeveraturus ſit in juſtitia inhærente. (Trid. ibidem cap. 9. & ſequentibus.)

5. Simile eſt in ſanatione corporis. Nam primo requiruntur aliquæ diſpoſitiones in homine ægroto, quæ illum præparent, ac diſponant ad ſanitatem: ut ſectio venæ, vel potio medicinalis, vel balneatio, vel ambulatio, vel aliquid aliud, prout morbus exigit. Deinde ſequitur ipſa ſanatio, id eſt, acquiſitio ſanitatis. Cujus ſanitatis duplex eſt effectus formalis: alter expulſio ægritudinis: alter bona corporis habitudo. Cauſæ ſanitatis ſunt hæ: Formalis, eſt ipſa ſanitas. Materialis, corpus, quod in ſe recipit ſanitatem. Efficiens, medicus cum ſuis inſtrumentis, & pharmacis. Finalis, vita temporalis. Porro ſanitas, quæ acquiſita eſt, con-

conſervatur per obſervationem præceptorum medici; amittitur per neglectum eorundem. Et nemo certus eſt, quandiu manſurus ſit ſanus.

6. Hæc noſtra ſententia eſt. Adverſarii in multis diſcrepant a nobis. Sic enim ſtatuunt. Ante juſtificationem requiritur una tantum diſpoſitio, nempe fides. Et hoc ſenſu *ſola fides dicitur juſtificare*. Deinde ſequitur juſtificatio, quæ non eſt acquiſitio juſtitiæ inhærentis, ſed imputatio juſtitiæ Chriſti. Nec effectus ejus formalis conſiſtit in expulſione peccatorum, & ſanctificatione interioris hominis; ſed in eo, quod peccata tegantur, & non imputentur. Cauſæ juſtificationis ſunt hæ: Formalis, juſtitia Chriſti imputativa. Materialis, anima hominis, cui imputatur juſtitia Chriſti. Efficiens, Deus. Finalis, vita æterna. Meritoria, Chriſtus. Porro juſtitia Chriſti imputativa, ut nobis proſit per imputationem, non indiget obſervatione mandatorum Dei, ſed ſola fide. Huculque conveniunt Lutherani, & Calviniſtæ; in eo diſcrepant, quod Lutherani putent, fidem amitti poſſe; Calviniſtæ amitti non poſſe; ideoque unumquemque, qui fidem habet, certum eſſe de perſeverantia, & vita æterna.

7. Hæc adverſariorum doctrina poteſt eodem quidem ſenſu, ſed alia methodo ſic proponi. Primo, in juſtificatione non tolluntur peccata, ſed tantum teguntur, & non imputantur. Secundo, nec infunditur homini juſtitia inhærens, qua interius renovetur, & in ſe fiat juſtus; ſed imputatur illi juſtitia Chriſti, qua non in ſe, ſed extra ſe juſtus eſt. Tertio, manet igitur in ſe peccator, immundus, & impius: & ſolum habetur pro juſto, pio, & mundo, propter alienam juſtitiam ipſi imputatam. Quarto, ut autem imputetur illi hæc juſtitia, opus eſt ſola fide, quæ illam apprehendat, & credenti communicet. Quinto, hæc fides in eo conſiſtit, ut certo credas omnia peccata tibi remitti propter merita Chriſti; & te juſtum reputari apud Deum, etiamſi revera peccator, & injuſtus ſis. Sexto, differt autem a fide miraculorum, & hiſtoriarum. Septimo, facitque nos certos non ſolum de præſenti juſtitia, (in quo conveniunt Lutherani, & Calviniſtæ) ſed etiam de futura perſeverantia, & vita æterna, quod ſoli Calviniſtæ contendunt. Hæc omnia deinceps examinanda ſunt.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An peccata vere tollantur in juſtificatione?

1. ADverſarii docent, non tolli, ſed tantum tegi, & non imputari. Ita Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 5. his verbis: *Manet vere peccatum in nobis, neque per Baptiſmum extinguitur, ſed quia deletur reatus, imputatione nullum eſt.* Et lib. 4. inſtit. cap. 15. §. 10. *Jam perſpicuum eſt, quam falſum ſit, quod docuerunt pridem nonnulli, per Baptiſmum ſolvi nos, & eximi ab originali peccato.* Et ibidem §. 11. *Nemo ſibi in ſuo malo blanditur, cum audis peccata ſemper in nobis habitare.* Et in libro 3. cap. 11. §. 2. *Juſtificabitur ille fide, qui Chriſti juſtitiam per fidem apprehendit, qua veſtitus in conſpectu Dei, non ut peccator, ſed tanquam juſtus apparet.* Et §. 22. *Ne poſthac dubites, quomodo nos Deus juſtificet, cum audis, reconciliare nos ſibi, non imputando delicta.* Idem ſentiunt Calvini diſcipuli Vvithakerus ad rationem octavam Campiani Martyris: *Neque nos*, inquit, *illius verbi pudet, quando juſtitiam delicti occultationem eſſe dicimus*: Et Catechiſmus Palatinus quæſt. 16. *Chriſtus mediator ſua innocentia, ac perfecta ſanctitate, mea peccata tegit, ne in conſpectum Dei veniant.* Et q. 126. *Remitte nobis debita noſtra, id eſt omnia peccata noſtra, quæ in nobis etiam nunc hærent, propter Chriſti ſanguinem ne imputes.* Et David Paræus in ſuis theſibus de peccato: *Peccata in nobis non tolluntur, ſed in judicio Dei, id eſt, non imputantur.* Idem etiam docuit Proclus hæreticus apud Epiphanium, hæreſi 64. aſſerens peccatum in renatis ſemper vivere, neque tolli per Baptiſmum, ſed ſopiri per fidem.

2. Hic error continet tres partes. Prima eſt, peccata in juſtificatione non tolli, ſed manere. Altera, manere quidem, ſed tamen tegi, & occultari, ne in conſpectum Dei veniant. Tertia, non imputari ad pœnam. Prima aperte pugnat cum verbis, & ſenſu Scripturæ, derogat meritis Chriſti, tollit vim, & efficaciam baptiſmi. Verba Scripturæ clara, & aperta ſunt, Joan. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Actor. 3. 19. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Heb. 9. 28. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Michææ 7. 19. *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Ex his teſtimoniis ita concludo: Id, quod tollitur, deletur, exhauritur, & longiſſime projicitur ab homine, certe non manet in homine: Sed in juſtificatione peccatum tollitur, deletur, ex-

hau-

hauritur, & longiſſime projicitur ab homine, ut teſtatur Scriptura: ergo peccatum, teſte Scriptura, non manet in homine juſtificato: errant ergo adverſarii, qui aſſerunt manere.

3. Habemus verba Scripturæ. De ſenſu videamus. Solet Scriptura res ſpirituales, quia nobis occultæ ſunt, explicare per corporeas, & ſenſibiles, ut manifeſtæ evadant. Peccata inter res ſpirituales numerantur. Horum ergo naturam, & fœditatem, non uno, ſed variis modis, ac metaphoris Scriptura nobis proponit. Ac primo vocat maculas, ſordes, inquinamenta, quibus homo maculatur, inquinatur, ac ſordidus efficitur. Joſ. 22. 17. *Uſque in præſentem diem macula hujus ſceleris in vobis permanet.* Jerem. 2. 22. *Maculata es in iniquitate tua coram me.* Apocal. 22. 11. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Matth. 15. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod procedit de ore.* Secundo vocat vincula, funes, & compedes, quibus homo ligatur, conſtringitur, & captivus tenetur. Pſalm. 115. 7. *Dirupiſti, Domine, vincula mea.* Prov. 5. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Tertio, vocat vulnera, livores, & plagas, quibus homo ſauciatur, vulneratur, & ægre afficitur. Iſaiæ 30. 26. *In die, qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ ejus ſanaverit.* Michææ 1. 9. *Deſperata eſt plaga ejus.* Quarto, vocat mortem, & interitum, quo vita ſpiritualis deperditur. 1. Joannis 3. 14. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam.* Quinto, vocat vomitum, qui nauſeam, & faſtidium parit. 2. Petri 2. 22. *Contigit eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum.*

4. Hinc ſumo tot argumenta contra adverſarios, quot ſunt metaphoræ. Primum eſt. Quando maculæ, ſordes, & inquinamenta corporis eluuntur, abſterguntur, & emundantur per externam lotionem, tunc certe non manent in corpore, ſed evaneſcunt: neque corpus dicitur amplius maculatum, ſordidum, inquinatum; ſed mundum, purum, immaculatum: ergo ſimiliter, ſervata proportione, quando maculæ, ſordes, & inquinamenta animæ, quæ ſunt peccata, per internam lotionem eluuntur, abſterguntur, & mundantur, quod fit in juſtificatione, certe non manent in anima, ſed omnino diſparent. Neque anima dicitur maculata, ſordida, & inquinata; ſed pura, munda, & immaculata. De hac lotione loquebatur David, Pſalm. 50. 9. *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Et Ezechiel. cap. 36. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis* ve-

veſtris. Hac lotione mundati erant, de quibus Apoſtolus 1. Corinth. 6. 11. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*. Ad hanc hortatur nos idem Apoſtolus 2. Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus*.

5. At quando, & quomodo fit hæc ablutio? Perſiſtam in allata ſimilitudine. Solent in Civitatibus, ad maculas, & ſordes corporis extergendas, eſſe balnea. Idem fit in Eccleſia. Habet publica balnea, Baptiſmum, & Pœnitentiam. In priori omnium peccatorum, tam originalis, quam actualium; In poſteriori, actualium tantum ſordes eluuntur. In priori purgatus eſt Saulus, cui dixit Ananias, (Act. 22. 16.) *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*. In poſteriori, David, Petrus, & Magdalena loti ſunt, quando lacrymis ſua peccata deteſtabantur. Porro hæc balnea non aqua naturali, ſed pretioſo Chriſti ſanguine plena, ac referta ſunt, quo abluimur. (1. Joan. 1. 7.) *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*. (Et Apocal. 1. 6.) *Lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo*. (Et Hebr. 9. 13.) *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi?*

6. Hinc patet, quantam injuriam Adverſarii faciant Chriſto, & ſanguini ejus, cum aſſerunt ſordes peccatorum non ablui in Baptiſmo, ſed manere. Et ideo multi revocant ſuum errorem, præſertim Calviniſtæ Heidelbergenſes in Catechiſmo Palatino, quæſt. 69. ubi ſic ajunt: *Chriſtus externum aquæ lavacrum mandavit, addita hac promiſſione, me non minus certo ipſius ſanguine, & ſpiritu a ſordibus animæ, hoc eſt, ab omnibus meis peccatis lavari, quam aqua extrinſecus ablutus ſum, qua ſordes corporis expurgari ſolent*. Et quæſt. 73. *Cur Spiritus ſanctus Baptiſmum appellat ablutionem peccatorum? Ut nos doceat, quemadmodum ſordes corporis aqua purgantur, ſic peccata noſtra ſanguine, & Spiritu Chriſti expiari*. Et ibidem: *Ut nobis hoc divino ſymbolo certum faciat, nos non minus vere a peccatis noſtris interna lotione ablui, quam externa, & viſibili aqua abluti ſumus*. Hæc verba, licet a Calviniſtis prolata, mire nobis favent, & aperte pugnant cum illis Calvini verbis, in antidoto Concil. Trident. ad ſeſſ. 5. *Manet vere peccatum in nobis, neque per Baptiſmum extinguitur*. Nec mirum eſt, diſcipulos præceptori non conſentire, qui ſecum ipſi diſſentiant. Nam in eodem Catechiſmo docent, peccata in hac vita non tolli, ſed tegi; tolli autem, ſeu aboleri in diſceſſu ex hac vita per mortem. Verba illorum ſunt hæc, quæſt. 36.

Quem

Quem fructum percipis ex ſancta conceptione, & nativitate Chriſti? Quod is noſter ſit Mediator, & ſua innocentia, ac perfecta ſanctitate mea peccata tegat, ne in conſpectum Dei veniant. Et quæſt. 42. *Mors noſtra non eſt pro peccatis noſtris ſatisfactio, ſed peccati abolitio, & tranſitus in vitam æternam.* At quo modo hæc duo cohærent; nos vere ablui a peccatis noſtris in hac vita per ſanguinem Chriſti; & peccata noſtra jam tegi, ac in morte demum aboleri? Nimirum, *Omne regnum diviſum contra ſe deſolabitur.* (Matth. 12.)

7. Alterum argumentum. Qui a corporis vinculis, funibus, & catenis, quibus conſtrictus erat, plane eximitur, & liberatur, is certe non retinet illa in ſuis membris, nec amplius circumfert: Ergo ſimiliter qui a ſpiritualibus vinculis, funibus, & catenis, quæ ſunt peccata, quibus conſtrictus, & captivus erat ſub poteſtate Satanæ, eximitur, & liberatur, quod fit in Juſtificatione, is certe non retinet apud ſe ejuſmodi vincula, nec amplius circumfert. Hoc modo liberatus erat David, cum dixit, Pſal. 115. *O Domine, quia ego ſervus tuus.* Quare? cauſam addit: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis,* q. d. Domine, hactenus fui ſervus, & mancipium Satanæ, qui me vinculis peccatorum conſtrictum, & captivum tenebat. Nunc, quia me ab his vinculis eripuiſti, non amplius Diaboli, ſed tuus ſervus ſum. Notanter autem dixit, *Dirupiſti vincula mea,* ut ſignificaret, non modo ſe vinculis exutum eſſe, ſed ipſa quoque vincula eſſe diſrupta, id eſt, peccata ſua penitus abolita. Porro ſicut olim David, ita nos quotidie per Chriſtum liberamur, & diſruptis peccatorum vinculis, e captivitate Satanæ eripimur, & in libertatem filiorum Dei reſtituimur, juxta illud Apoſtoli (Rom. 6. 22.) *Nunc vero liberati a peccato, ſervi facti eſtis Deo.* (Et ad Col. 1. 13.) *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ.* Hinc Chriſtus appellatur in Scriptura noſter Redemptor, & Redemptio, quia ſcilicet per ipſum a vinculis peccatorum, & Diaboli poteſtate redempti ſumus. (1. Timoth. 2. verſ. 6.) *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem.* At quo pretio redemit nos? Non alio, quam ſuo ſanguine. (Epheſ. 1. 7.) *In quo habemus Redemptionem per ſanguinem ejus.* (Et 1. Corinth. 6. 20.) *Empti eſtis pretio magno.* (Et 1. Petri 1. 18.) *Scientes, quod non corruptibilibus auro, & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine Chriſti.* (Et Apocal. 5. 9.) *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo, in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

Hinc

Hinc apparet, ſicut peccata non modo ſordes, & inquinamenta ſunt, quibus contaminamur; ſed etiam vincula, quibus captivi tenemur: ita ſanguinem Chriſti non modo vim habere abluendi, ſed etiam redimendi; ac proinde non ſolum aquæ in abluendis ſordibus, ſed etiam lytro in redimendis captivis, ſimilem eſſe. Hoc quia adverſarii negant, Chriſto injuriam faciunt.

8. Tertium argumentum ſumitur ex proportione morborum corporis, & animi in hunc modum: Medicus corporalis, qui in ſua arte peritiſſimus eſt, ita novit curare omnes morbos, ac vulnera, quæ ipſius arti ſubjecta ſunt, ut omnino non maneant in corpore, ſed plane pereant ac deſtruantur: Ergo etiam medicus ſpiritualis, qui peritiſſimus ſit, ita poterit curare omnia peccata, quæ ſunt morbi, ac vulnera animorum, ut omnino pereant, ac deſtruantur. At peritiſſimus in hoc genere eſt Chriſtus Dominus, qui propterea Salvator dictus eſt: Ergo Chriſtus poteſt plane tollere peccata omnia, quibus animus vulneratur, & affligitur. Ergo in homine per Chriſtum juſtificato, & ſanato non manent amplius præcedentia vulnera, & plagæ peccatorum, ut Adverſarii volunt. In hac argumentatione nihil obſcurum, nihil ambiguum, omnia clara, & certa ſunt. Ac primo conſtat ex Euangelio, Chriſtum medicum eſſe. Nam cum Phariſæi quærerent ex Apoſtolis, cur magiſter ipſorum cum Publicanis, non cum Phariſæis ageret; præſertim cum hi juſti, illi peccatores eſſent; reſpondet Chriſtus, medicos non ad ſanos, ſed ad ægros ire ſolitos: Quid hoc reſponſo aliud ſignificavit, quam ſe medicum eſſe animorum? Non enim de corporum, ſed animorum vitiis, ac morbis agebatur. Jam quod peritiſſimus in hac arte ſit, ex duplici capite oſtendi poteſt. Primo, quia quos ſanat, ita ſanat, ut nihil morbi, vel condemnationis reliquum in iis ſit, juxta illud Rom. 8. 1. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant*. Secundo, quia omnia hominum, ac morborum genera ſanare poteſt. *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos*. Nullum hominum, nullum morborum genus excipit. Et hoc teſtatus eſt in Euangelio, quando claudos, cæcos, mutos, ſurdos, aridos, leproſos, hydropicos, febricitantes, paralyticos, & reliquam ægrorum turbam ſanavit. Nimirum voluit ſignificare, ut nullum corporum, ita nullum animorum morbum eſſe, quem curare non poſſit. Hoc quia Phariſæi non credebant, miraculo comprobavit. Cum enim dixiſſet Paralytico jacenti in grabato: *Filii, remittuntur tibi peccata tua;* Et Phariſæi putarent plus poteſtatis ſibi illum arrogare, quam haberet; reſpondit ipſis: *Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? Quid eſt facilius, dicere,*

Dimit-

Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula? Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico: Tibi dico, ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et ſtatim ſurrexit ille, & ſublato grabato abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum. Phariſæis videntur eſſe ſimiles noſtri adverſarii. Non credunt Chriſtum ſanare peccata in hac vita: nec agnoſcunt medicum, qualem ex ſacris litteris deſcripſimus. Alium nobis obtrudunt, qui ægrotum non ſanat, ſed pallio tectum, & involutum dimittit, nec plagas, aut vulnera tollit, ſed tegit ſolum, & occultat. Quid agamus cum hoc hominum genere? *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum.*

9. At quis ſanandi modus eſt, quo utitur hic medicus? In corporibus alia vulnerum, alia morborum curandorum ratio eſt: & hic medici, illic chirurgi peritiores eſſe ſolent. Chriſtus in curandis animis medicos, & chirurgos videtur imitari. Et quidem chirurgo ſimilem eſſe, docent plerique Patres ex illa parabola de Samaritano, qui alligavit vulnera hominis deſcendentis in Hiericho, quem latrones impoſitis plagis ſemivivum reliquerunt. Quis eſt homo, qui incidit in latrones? Adamus cum tota poſteritate. Quibus vulneribus affectus eſt? D. Thomas quatuor enumerat, malitiam voluntatis, ignorantiam intellectus, infirmitatem, & concupiſcentiam utriuſque appetitus. Quis medelam attulit? Chriſtus verus Samaritanus. Quo pacto? Infudit vinum, & oleum; vinum, quo lavaret vulnera; oleum, quo ungeret, & ſanaret. At hoc vinum, hoc oleum, quid aliud, quam pretioſum Chriſti ſanguinem interpretemur? Hoc loti, & abluti, hoc uncti, hoc ſanati ſumus. Jam vero Apoſtolus Paulus non Chirurgi, ſed Medici officium illi tribuit, dum ait (Hebr. 1. 3.) *Purgationem peccatorum faciens.* Nam ſicut medicus, infuſa potione, purgat corpus interius a noxiis humoribus, ut iis ſubductis, & morbi radice ſublata ſanitas conſequatur, ita omnino Chriſtus animorum Medicus facit. Potionem e ſuo ſanguine confectam adhibet, qua interior animus a vitiis, & concupiſcentiis purgatus priſtinum recipit vigorem, & ad bonorum operum exercitium vegetus, ac robuſtus efficitur. Hinc iterum apparet, ſanguinem Chriſti & potioni, & vino, & oleo ſimilem eſſe. Quod non phyſice, ſed moraliter, ac meritorie intelligendum eſt. Chriſtus enim ſua morte, & ſanguinis effuſione meruit nobis a Deo, ut ſanaremur a peccatis noſtris. At peccata non curantur phyſice per ſanguinem, ſed per gratiam, & per ſanctitatem inhærentem, de qua in ſequenti quæſtione dicturi ſumus.

10. Quar-

10. Quartum argumentum ſumitur ex proportione mortis corporalis, & ſpiritualis hoc modo: Quando corpori mortuo reſtituitur vera vita, mortem penitus extingui neceſſe eſt, quia idem corpus ſimul vivum, & mortuum eſſe non poteſt. Exemplum habemus in Lazaro mortuo, qui cum ad vitam rediit, a morte liberatus eſt. Ergo ſimiliter, quando animæ mortuæ reſtituitur vita ſpiritualis, mortem penitus deleri neceſſe eſt; quia fieri non poteſt, ut eadem anima vivat ſpiritualiter, & ſimul mortua ſit: At peccatum eſt mors animæ: ergo quando vita reſtituitur animæ, neceſſe eſt peccatum aboleri. Hoc autem fit in Baptiſmo, juxta illud Rom. 6. 4. *Conſepulti ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Et infra v. 6. *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati*. Et iterum v. 11. *Exiſtimate vos mortuos eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. Et poſtea v. 22. *Liberati a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*. Verba clara ſunt, ſenſus apertus. Per Baptiſmum morimur peccato, vivimus Deo: mors deſtruitur, vita revocatur.

11. Hinc duo colligi poſſunt: Alterum quare Baptiſmus vocetur generatio, ſeu nativitas. Ad Titum 3. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Joan. 2. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei*. Ratio eſt, quia ſicut in naturali generatione aliud corrumpitur, aliud generatur: homo generatur: embrio corrumpitur ita fit in baptiſmo. Vetus homo corrumpitur: novus homo generatur. Quid eſt vetus homo, niſi filius Diaboli, ſervus peccati, hæres gehennæ? Quid novus homo, niſi filius Dei, ſervus juſtitiæ, hæres æternæ vitæ? Hujus generatio, illius corruptio eſt: hic naſcitur, ille moritur. Alterum eſt, quare Baptiſmus rubro mari comparatus ſit. Nam ſicut Ægyptii in illo mari ſuffocati, & extincti ſunt, ita peccata omnia in Baptiſmo ſuffocantur, & extinguuntur. Recte D. Greg. lib. 9. ep. 39. *Qui dicit peccata in Baptiſmate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos*. Et D. Aug. concione 1. in Pſal. 115. *Sicut Ægyptios in mari obrutos, ita in Baptiſmo delicta noſtra demerſa, & extincta, luce clarius intimat Propheta dicens: Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*. Quid Calvinus, & ejus ſectatores? Non norunt hæc myſteria. Malunt manere filii gehennæ, & ſervi peccati, quam nobiſcum fateri, peccata deleri, & extingui per Baptiſmum.

12. Quintum argumentum. Monet Sapiens Eccleſ. 31. 25. *Erome,*

me, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. Prudens, ac ſalubris monitio. Nam qui apud ſe retinet vomitum, morbo, & infirmitati fit obnoxius: qui rejicit, refrigeratur. Sic etiam, qui peccatum, quod per vomitum ſignificatur, teſte Apoſtolo, apud ſe retinet, ægrum, & nauſeantem animum habeat neceſſe eſt: qui projicit, ſanitatem recuperat. At ſi projicit, quomodo manet in homine? Niſi adverſarii, contra conſilium Sapientis, malint apud ſe vomitum ſuum retinere, quam abjicere.

13. Et hæc quidem argumenta ex ſenſu ſcripturæ petita ſunt. Unum aliud addam in gratiam Davidis Paræi Calviniſtæ. Is in ſuis theſibus, theſi 18. definit peccatum originale his verbis: *Eſt pravitas naturæ humanæ: hoc eſt, cæcitas mentis, & averſio voluntatis a Deo, cum reatu æternæ mortis*, &c. Hinc ita argumentor: Peccatum originale vere manet in Paræo, & aliis Calviniſtis, ut ipſi cum Calvino fatentur: Ergo in Paræo, & aliis Calviniſtis vere manet cæcitas mentis, & averſio voluntatis a Deo, cum reatu æternæ mortis: ergo Paræus, & alii Calviniſtæ ſunt vere cæci mente, & averſi a Deo, & rei æternæ mortis. Nollem ego hæc aſſerere, ſed ex ipſorum fundamentis efficaciter id ſequitur.

14. Refutavi hactenus primam partem erroris Adverſariorum. Altera eſt, peccata manere quidem, ſed tamen tegi, & occultari juſtitia Chriſti, ne appareant in conſpectu Dei Patris. Hoc facile ex dictis refellitur. Nam ſi peccata vere tolluntur, delentur, abluuntur, ut probatum eſt; optime ſequitur, non tegi tantum, & occultari. Nec puto quenquam fore tam inſipidum, qui Scripturæ verba eludat in hunc modum. *Agnus Dei, qui tollit*, id eſt, tegit, *peccata mundi*. Et, *convertimini, ut deleantur*, id eſt, tegantur *peccata*. Et, *Ablue*, id eſt, tege *peccata tua*. Et, *Chriſtus oblatus eſt ad multorum exhaurienda*, id eſt, occultanda *peccata*. Et, *Projiciet*, id eſt, teget, *in profundum maris omnia peccata veſtra*. Et, *diruptſti*, id eſt, occultaſti, *vincula mea*. Nimis inſulſa ſunt hæc.

15. At objicit Calvinus illud Pſalm. 31. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Hinc confici vult, peccata non tolli, ſed tegi. Miror hominis ingenium. Citavi ego plurima Scripturæ teſtimonia, quæ aſſerunt peccata tolli. Calvinus unum citat, quo aſſeritur peccata tegi. Quæro, an hoc unum illis contrarium ſit, nec ne? Si contrarium eſt, cur Calvinus uni potius, quam pluribus acquieſcit? an putat ſcripturam in uno verum, in pluribus falſum aſſeverare? Si contrarium non eſt, cur Calvinus aſſerit tegi peccata, negat tolli?

tolli? cur non potius fatetur & tegi, & ſimul tolli, cum utrumque dicatur a Spiritu ſancto; & alterum alteri non repugnet? Hoc pulchre explicat Auguſtinus in enarratione ſecunda ſuper Pſalm. 31. ex proportione vulnerum corporis; qua ſuperius uſi ſumus. Vulnera corporis duobus modis tegi poſſunt, inquit Auguſtinus. Primo ab ipſo vulnerato. Secundo a medico. Vulneratus tegit ea pallio, non tollit: Medicus emplaſtro tegit, ac tollit: Idem fit in peccatis. Tegi poſſunt & ab ipſo peccatore, & a Deo. Peccator tegit, quando diſſimulat, & quæ intus in animo latent; exterius non prodit: quo pacto ſua texit Phariſæus Luc. 18. cum dixit: *Non ſum, ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri.* Deus tegit, quando infuſione gratiæ ſanat, & tollit; quo pacto texit peccata Publicani, qui *deſcendit juſtificatus in domum ſuam.* Quinam ergo beati ſecundum Prophetæ teſtimonium? Illine, quorum peccata priori, an quorum poſteriori modo tecta ſunt? Videant adverſarii, quomodo beati eſſe velint. Nos certe poſteriori modo eſſe cupimus, ut etiam Auguſtinus loco citato, cum ait: *Deus ergo tegat vulnera; non tu. Nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, medicus non curabit. Medicus tegat, & curet: emplaſtro enim tegit. Sub tegmine medici ſanatur vulnus, ſub tegmine vulnerati non ſanatur vulnus.* Hinc patet, alio modo tegi peccata ſecundum Catholicos, alio ſecundum adverſarios. Catholici docent tegi per internam infuſionem gratiæ, & ſanctitatis, qua non modo teguntur, ſed etiam ſanantur. Adverſarii docent, tegi per externam Chriſti juſtitiam, fide peccatoris apprehenſam, qua teguntur quidem, ſed non ſanantur.

19. Quid porro dicent adverſarii ad illud Apoſtoli, Hebr. 4. 13. *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis Dei?* Quæro enim: Cum peccator tegit ſua peccata per juſtitiam Chriſti, fide apprehenſam, & ſic venit in conſpectum Dei, an Deus videat peccata illius, nec ne? ſi videt, quomodo in conſpectu ejus tecta ſunt? Si non videt, quomodo verum eſt illud Apoſtoli, *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus?* Niſi dicant adverſarii, Iſaaco ſimilem eſſe Deum. Venerat ad eum filius ejus Jacob, petiturus benedictionem; ſed ita venerat, ut piloſis pellibus tectus, & obvolutus videretur eſſe Eſau. Quid vero Pater? agnovit filium, nec ne? Geneſ. 27. 22. *Vox quidem*, inquit, *vox Jacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau.* Ita plane contingit Deo Calviniſtico. Venit ad illum homo peccator; qui tectus, & obvolutus pallio Chriſti benedictionem petit. Quid porro ille? *Vox quidem*, inquit, *vox peccatoris eſt, ſed pallium Chriſti eſt.*

17. Forte occurrent adverſarii, non proprie, ſed metaphorice ſe loqui, cum ajunt, peccata tegi, ſeu occultari, ne appareant in conſpectu Dei: & perinde valere, ac ſi dicant, peccata a Deo non imputari. Hoc jam examinabo.

18. Igitur tertia pars erroris ipſorum eſt, peccata, quæ per juſtitiam Chriſti tecta ſunt, nobis non imputari: Vel, ut Paræus interpretatur, peccata manere quidem in homine, tolli tamen in judicio Dei. Hoc dupliciter intelligi poteſt. Primo, peccata non imputari ad culpam, vel, ſecundum Paræum, tolli in judicio Dei, quoad culpam. Secundo, non imputari ad pœnam: vel, cum Paræo, tolli in judicio Dei, quoad pœnam. Prior ſenſus, quibuſcunque verbis exprimatur, falſus eſt. Et refellitur primo, quia ſi peccata vere manent in homine quoad culpam, quomodo poſſunt non imputari ad culpam? ideſt, ſi homo in ſe retinet reatum culpæ, ita ut vere ſit culpabilis, peccator, injuſtus; quomodo pro tali non habetur in judicio Dei? *Judicium Dei eſt ſecundum veritatem*, inquit Apoſtolus Rom. 2. 2. At quomodo erit ſecundum veritatem, ſi Deus non judicat, ſicut res in ſe eſt? ſi culpam, quæ revera culpa eſt, cenſet non eſſe culpam; ſi hominem, qui ſordibus, & ſpurcitiis plenus eſt, pronunciat eſſe juſtum, mundum, & incontaminatum? Hæc myſteria Calviniſtica ſuperant captum Chriſtianæ ſimplicitatis.

19. Secundo refellitur ex illo Sap. 14. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*. Hic quæro ex adverſariis, an Deus oderit peccatorem, qui pallio Chriſti ſuam nequitiam tegit? Si odit, certe propter culpam odit. Quomodo ergo non imputat illi peccatum ad culpam? quomodo judicat culpæ expertem, & innocentem? quomodo favore illum proſequitur? quomodo inter filios, & hæredes adſcribit? ſi non odit, quomodo verum eſt, quod ait Scriptura, *Odio eſt Deo impius?* Eadem quæſtio eſt de ipſa impietate. Vel enim Deus odit impietatem, quæ Chriſti veſte tegitur, vel non odit. Si odit, quomodo in ejus judicio ſublata eſt? Si non odit, quomodo dicit Scriptura, *Odio eſt Deo impietas*? Sane ſi rationem ſpectes, impoſſibile eſt peccatum manere in homine, quod Deus non oderit. Eſt enim inter utrumque naturalis repugnantia. Deus natura ſua bonitas infinita eſt, peccatum natura ſua malitia eſt. At fieri nequit, ut malitia non adverſetur bonitati infinitæ, aut bonitas infinita non repugnet malitiæ cuicunque. Hoc alibi fatetur Calvinus. Nam lib. 3. inſtit. cap. 23. §. 4. de Deo ſic ait: *Juſtitiam naturaliter amat, injuſtitiam averſatur*. Vide infra lib. 3. cap. 5.

20. Po-

20. Poſterior ſenſus, qui aſſerit peccata manere in homine, & tolli in judicio Dei quoad pœnam, æque improbabilis eſt. Quanquam duobus modis accipi poſſit. Primo, ut Deus judicet hominem non eſſe dignum pœna, qui revera in ſe dignus eſt; quod aperte pugnat cum illo Apoſtoli, *Judicium Dei eſt ſecundum veritatem*. Secundo, ut judicet quidem eſſe dignum pœna; ſtatuat tamen illum non punire, quod partim verum, partim falſum eſt. Cum enim ſint multa pœnarum genera, poteſt quidem ſtatuere Deus, non punire peccatorem quavis pœna, quam ipſe meritus eſt: non tamen ſtatuere poteſt, nullo genere pœnæ illum afficere. An non pœna eſt, & quidem graviſſima, Dei odium ſuſtinere? hanc peccator, quamdiu culpam in ſe habet, evadere non poteſt: neque in judicio Dei tollitur, niſi culpa ab homine auferatur.

21. Patet igitur falſum eſſe, quod Adverſarii docent, peccata manere in homine juſtificato, ſed non imputari. At objiciunt illud Rom. 4. 8. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Facilis eſt reſponſio. Deus non imputat peccatum, quando ablatum eſt, quod libenter concedimus: imputat tamen, quando ablatum non eſt, ut paulo ante probavi. Apoſtolus ergo vocat illum beatum, cui peccatum, quia jam remiſſum, & tectum eſt, non imputatur. Sic enim ait: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates; & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* At cur utitur tot vocabulis? Quia in peccato tria ſpectari poſſunt. Primo, quod ſit offenſa Dei. Secundo, quod ſit macula, & fœditas animæ. Tertio, quod annexum habeat reatum pœnæ æternæ. Beatus ergo eſt, cui offenſa a Deo remittitur; cujus macula, & fœditas tegitur; cui reatus æternæ pœnæ non imputatur. Hæc autem non contingunt, niſi peccatum aboleatur, & extinguatur.

QUÆSTIO II.

De juſtitia inhærente, & imputativa.

1. Adverſarii docent, in juſtificatione non infundi gratiam, & juſtitiam inhærentem, qua homo interius renovetur, & in ſe fiat juſtus; ſed tantum imputari illi externam Chriſti juſtitiam, qua extra ſe juſtus eſſe cenſeatur. Ita Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 11. §. 23. cum ait: *Vides non in nobis, ſed in Chriſto eſſe juſtitiam noſtram.* Et cap. 16. §. 1. *Quare ergo fide juſtificamur? quia fide apprehendimus Chriſti juſtitiam, qua una Deo reconciliamur.* Et

In antidoto Concil. Trident. ſeſſ.6. cap.8. *falſum eſſe contendo, ullam juſtitiæ partem in qualitate ſitam eſſe, vel habitu, qui in nobis reſideat*. Plura citabo in ſequenti quæſtione.

2. Hic error habet duas partes. Unum de juſtitia inhærente, quam negat: alteram de imputativa, quam aſſerit. Prima refellitur variis modis. Ac ne longe abeam, ex ipſo Calvino refelli poteſt. Nam in libro de vera ratione reformandæ Eccleſiæ, non longe a principio, ſic habet: *Nunquam reconciliamur Deo, quin ſimul donemur inhærente juſtitia*. Quid clarius? Deinde non negat Calvinus, infundi homini donum fidei. Hoc autem donum, cùm ſit firmum, ac permanens, teſte Calvino, non poteſt eſſe in alio prædicamento, quam in qualitate. Habemus ergo infuſionem unius doni, ſeu qualitatis. Secundo, admittit Calvinus, cum hoc dono connexum eſſe donum ſpei, & charitatis. Et quidem de dono ſpei ſic habet lib.3. inſtit. cap. 2. §. 42. *Ubicumque viva erit hæc fides, fieri non poterit, quin ſpem æternæ ſalutis comitem ſecum habeat individuam*. Similiter de dono charitatis lib. 3. cap. 11. §. 20. *Fatemur cum Paulo non aliam fidem juſtificare, quam illam charitate efficacem*. Et in antidoto Concil. Trident. ſeſſ. 6. ad can. 9. *Fidem non fingimus charitate vacuam*. Hinc ſequitur ex ſententia Calvini, infundi nobis tria dona ſupernaturalia, quibus animus renovatur, nempe fidei, ſpei, & charitatis. Hæc autem dona diſtincta eſſe docet Apoſtolus 1. Cor. 13. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas*. Hinc ulterius colligitur, præter hæc dona, infundi etiam alias virtutes, quæ charitati annexæ ſunt; juxta illud 1. Cor. 14. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*. Ecce, quot, & quantis virtutibus renovatur animus in juſtificatione. Hæc ſi negat Calvinus, ſeipſum, & Paulum negat; ſi admittit, ſeipſum jugulat.

3. Atque hæc abunde ſufficerent ex Calvino ad Calvinum refellendum: addam tamen ex Scripturis alia argumenta. Primum ſumi poteſt ex illo Epheſ. 4.24. *Renovamini Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*. Et ad Coloſſ. 3. 9. *Nolite mentiri invicem, exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum*. Hic hortatur nos Apoſtolus ad interiorem animi renovationem. In quo hæc conſiſtit? ut redeamus ad illum

ſta-

ſtatum, ex quo per peccatum Adæ excidimus. Et quis fuit ille ſtatus? Omittam Scripturas: ex ſolo Calvino explicabo. Is lib. 2. Inſtitutionum cap. 1. §. 5. ait: *Poſtquam in Adamo obliterata fuit cæleſtis imago, non ſolus ſuſtinuit hanc pœnam, ut in locum ſapientiæ, virtutis, ſanctitatis, veritatis, juſtitiæ, quibus ornamentis veſtitus erat, teterrimæ cederent peſtes, cæcitas, impotentia, impuritas, vanitas, injuſtitia, &c.* Habemus ex Calvino, in illo ſtatu, quem peccando amiſimus, fuiſſe hominem ornatum ſapientia, virtute, ſanctitate, veritate, juſtitia. Ad hunc ſtatum redimus per merita Chriſti, qui nos, ut verbis Calvini lib. 1. Inſtit. cap. 15. §. 4. utar, *in veram, & ſolidam integritatem reſtituit.* Ergo per Chriſtum acquirimus, & recuperamus ſapientiam, virtutem, ſanctitatem, veritatem, juſtitiam, quæ ſano eſt interior animi renovatio, quam quærimus. Niſi velit Calvinus ſuos filios carere hac renovatione, & teterrimis peſtibus infectos manere, cæcitate, impotentia, impuritate, vanitate, injuſtitia.

4. Alterum argumentum ſumitur ex illo 1. Corinth. 3. 17. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Et 1. Cor. 6. 19. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt.* Et 2. Corinth. 6. 16. *Vos eſtis templum Dei vivi.* Hic ſingula pene verba vim habent. Ac primo quæri poteſt, quare non Pater, non Filius, ſed Spritus ſanctus nominatus ſit? Res non caret myſterio. Nimirum agebatur de ſanctificatione, quæ ad Spiritum Sanctum attinet. Tritum eſt apud Theologos, tametſi attributa Deitatis communia ſint toti Trinitati, ſingulis tamen perſonis ſingula per modum proprietatis accommodari: ut potentiam Patri, ſapientiam Filio, ſanctificationem Spiritui Sancto. Hoc ſpectavit Apoſtolus, quando 1. Corinth. 12. 4. dixit: *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt: idem autem Dominus: Et diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus.* Hic Patri tribuit diviſiones operationum, quæ ſpectant ad potentiam, Filio diviſiones miniſtrationum, quæ pertinent ad ſapientem gubernationem: Spiritui ſancto diviſiones gratiarum, quæ ad ſanctificationem referuntur. Nec ſine ratione id fit: Nam Pater eſt principium ſine principio; & ideo potentia, quæ eſt principium operandi, optime illi congruit. Filius procedit a Patre per intellectum; & ideo ſapientia, & veritas illi adſcribuntur. Spiritus ſanctus procedit a Patre, & Filio per voluntatem, & ideo bonitas, amor, & ſanctificatio illi accommodatur. Hinc ſequitur, Apoſtolum non aliam ob cauſam dixiſſe, Spiritum ſanctum habitare in hominibus juſtis, niſi quia voluit

ſignificare, homines juſtos renovari, & ſanctificari a Spiritu ſancto per infuſionem donorum ſupernaturalium, quod paulo poſt latius explicabimus.

5. Secundo quæri poteſt, quare Spiritus ſanctus non dicatur eſſe, ſed potius habitare in juſtis. Aliud eſt, eſſe in domo, aliud in ea habitare. Qui habitat, habet ibi theſauros ſuos. Theſauri Spiritus ſancti non ſunt alii, quam gratia, charitas, ſanctitas, juſtitia. Hi theſauri ſunt in hominibus juſtis. Unde Apoſtolus 2. Corinth. 4. 7. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Ubi illud notandum eſt ex dictis, non dixiſſe Apoſtolum, Deum Patrem habitare in nobis, aut Chriſtum, ſed Spiritum ſanctum. Non enim eſt eadem omnium habitatio. Deus Pater habitabat olim in medio filiorum Iſrael. Per quid? per potentiam, qua faciebat ſigna, & prodigia, & tuebatur populum ab armis infidelium. Chriſtus habitat in Eccleſia. Per quid? per ſapientem gubernationem, & veritatem fidei. Spiritus ſanctus habitat in juſtis. Per quid? per ſanctitatem, juſtitiam, & charitatem. Unde ſequitur Patrem perinde poſſe habitare in medio bonorum, ac malorum; quia apud utroſque poteſt ſuam potentiam, edendis ſignis, & portentis, oſtendere. Similiter Chriſtum & apud juſtos, & injuſtos poſſe commorari, quia tam his, quam illis poteſt donare ſapientiam in adminiſtratione communitatis. At Spiritus ſanctus nonniſi in juſtis habitare poteſt, quia in illis ſolis poteſt eſſe ſanctitas, juſtitia, innocentia.

6. Tertio quæri poteſt, quare Spiritus ſanctus dicatur habitare in nobis, tanquam in templo? Nimirum, quia templum locus ſanctus eſt, ac Deo conſecratus, qui nonniſi divinis laudibus, & officiis ſervire debet. Ita homo fidelis, in quo Spiritus ſanctus velut in ſuo templo habitat, ſanctitate, ac juſtitia præditus eſt, omneſque ſuas actiones dirigit ad laudem, & gloriam unius Dei, cujus impulſu ad recte, pieque agendum excitatur. Unde Apoſtolus Roman. 8. *Vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu; ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis.* Et infra: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.*

7. Poſtremo quæri poteſt, quomodo incipiat Spiritus ſanctus habitare in nobis? In Scripturis invenio hunc modum, & ordinem. Primo, venit, & pulſat ad oſtium cordis noſtri, Apocalyp. 3. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Quæ eſt vox ejus? Illa, quæ apud Zachariam cap. 1. 3. exprimitur: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Simul atque hanc vocem audierimus, ingreditur ad nos Spiritus ſanctus

ctus, & locum habitationis ſibi parat, Joan. 14.23. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Quid autem agit in hac ſua manſione? Primo, diffundit ſe in cor hominis per donum gratiæ, & charitatis, Roman. 5.5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Secundo, hac diffuſione expellit omnes peccatorum tenebras, & novam quandam, ac inuſitatam lucem introducit. 2. Corinth. 4. 6. *Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris.* Et Epheſ. 5.8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* 1. Theſſ. 5. 4. *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, ſed filii lucis eſtis.* Tertio, hac diffuſione reſtituitur nobis vita, quam per peccatum amiſeramus. 1. Joann. 3.14. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam.* Et in hac conſiſtit regeneratio, cujus in præcedenti quæſtione mentio facta eſt. Nam cum antea eſſemus filii iræ, mortis, & damnationis, renaſcimur filii reconciliationis, vitæ, & hæreditatis. Propter hanc cauſam vocat nos Apoſtolus novam creaturam. Galat. 6.15. *In Chriſto Jeſu neque circumciſio valet, neque præputium, ſed nova creatura.* Et alibi hortatur nos ut in novitate vitæ ambulemus. Quarto, hac eadem diffuſione vindicamur a ſervitute, & in libertatem reſtituimur. Nam, ut ait Apoſtolus, Rom. 8.2. *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati, & mortis.* Et 2. Cor. 3. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et Galat. 4.31. *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ.*

8. Jam vero donum illud charitatis, quod Spiritus Sanctus diffundit in cordibus noſtris, ſortitur varia nomina ratione diverſorum effectuum. Ac primo vocatur gratia, non ſolum quia gratis datur, ſed quia nos Deo gratos & acceptos facit. Eph. 1.6. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua glorificavit nos in dilecto filio ſuo.* Secundo, vocatur juſtitia, quia per eam reddit homo unicuique, quod ſuum eſt; Deo cultum, & obedientiam; proximo amorem, & obſequium; ſibi ipſi excluſionem vitiorum, & virtutum incrementa. Rom. 6.18. *Liberati a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Tertio, vocatur imago, & ſimilitudo Dei. 1. Cor. 15. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis*, ideſt, ſicut per peccatum fuimus ſimiles Adamo, ita per gratiam, & charitatem efficiamur ſimiles Chriſto. Nam, ut idem Apoſtolus ait Roman. 8. 29. *Deus prædeſtinavit nos conformes fieri imaginis filii ſui.* Hæc autem imago inſcribitur in cordibus noſtris, *non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Quarto vocatur pignus hæreditatis, quia videlicet ſanctitas, quam in nobis Spiritus Dei operatur, ſpem

ſpem certam futuræ hæreditatis nobis facit. 2. Cor. 1. 22. *Dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Et Epheſ. 1. 13. *Signati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Quinto, vocatur ſemen Dei, 1. Joan. 3. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet*. Nam ſicut ex ſemine, quod in terram projicitur, non ſolum arbores, ſed & fructus proveniunt: ita ex gratia, & dono Spiritus ſancti, quod diffunditur in cordibus noſtris, naſcuntur bona opera in vitam æternam. Hoc clarius expreſſit Chriſtus alia voce, qua uſus eſt Joannis 4. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Quis eſt ille fons, qui in viſceribus animi noſtri tam alte ſalit? Gratia, & charitas. Hanc qui habent, fontem, & ſcaturiginem bonorum omnium habent, etiam vitæ æternæ. Sexto, vocatur veſtis nuptialis, Matth. 22. 12. *Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Sicut enim qui ad nuptias invitati ſunt, veſtem loco illo dignam geſtare debent: ita qui ad cœnam Agni vocantur, dono gratiæ, aut charitatis ornatos eſſe oportet. Huc ſpectat illud Luc. 15. 22. *Proferte ſtolam primam, & induite illum*.

9. Tertium argumentum ſumi poteſt ex illo Roman. 12. 5. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*. Et 1. Corinth. 12. 11. *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*. Hic ita argumentor: Viva membra non tantum habent vitam, & vitales operationes in ſuo capite, ſed etiam in ſeipſis; ut per ſe notum eſt; quia anima, quæ vita corporis eſt, non in ſolo capite, ſed in ſingulis membris exiſtit, & operatur. Atqui homines juſtificati ſunt viva membra ſub capite Chriſto, ut conſtat ex allatis teſtimoniis. Ergo homines juſtificati non tantum in Chriſto capite, ſed in ſe ipſis quoque vitam, & vitales operationes habent. Quæ autem hæc vita eſt, niſi juſtitia, gratia, ſanctitas, quam Spiritus ſanctus diffundit in cordibus noſtris? Et quæ iſtæ vitales operationes, niſi bonorum operum exercitia? Nec eſt, quod quiſquam pro Calvino objiciat, vitam illam, qua ſpiritaliter vivimus ſub Chriſto capite, non aliam eſſe, quam fidem, juxta illud Rom. 1. 17. *Juſtus ex fide vivit*. Non enim agimus de inſtrumento, quo vitam acquirimus, quod Calvino eſt ſola fides, ut infra videbimus; ſed de principio, quo formaliter vivimus, & viva membra conſtituimur, quod ſine dubio eſt donum gratiæ, juſtitiæ, ſanctitatis, quo a Spiritu Sancto donamur, & vivificamur.

10. Simile argumentum fundatur in illis Chriſti verbis, Joannis 15. 4. *Ego ſum vitis, vos palmites. Manete in me, & ego in vobis:*

bis; Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Chriſtus non ſolum caput eſt, nos membra, ſed etiam vitis eſt, nos palmites. Sunt autem duplicis generis palmites in vite. Quidam aridi, mortui, exſucci, qui fructum non ferunt, quia licet in vite ſint, non tamen vitis in illis eſt, ideſt non tribuit illis ſuccum, & humorem vitalem. Alii contra, florentes, vivi, ſucculenti, frugiferi, qui non modo adhærent viti, ſed ab ea vitam quoque, & humorem trahunt. Similiter fit in fidelibus. Alii quidem Chriſto adhærent per fidem, ſed quia ſuccum vitalem ab eo non trahunt, bene operari non poſſunt, quos Apoſtolus ad Tit. 3. vocat *infructuoſos*. Alii & fide conjuncti illi ſunt, & humorem gratiæ, ac ſanctitatis ab eo participant; ideoque, ut idem Apoſtolus 1. Timoth. 6. & ad Philipp. 2. loquitur, *divites fiunt in operibus bonis, & cum metu ſalutem ſuam operantur*. Hoc ergo eſt, quod contendit Chriſtus, neminem poſſe recte agere, niſi ſpiritualem illum infuſæ ſanctitatis humorem in ſe conſervet, a quo bonorum operum fructus omnis proficiſcitur.

11. Et hactenus de juſtitia inhærente, qua interius renovamur, & nova creatura efficimur. Sequitur altera pars de juſtitia imputativa, de qua Calvinus tria docet. Primo juſtitiam Chriſti vocari imputativam, quia nobis imputatur: imputari autem nobis, quando eam fide apprehendimus. Secundo, hac ipſa juſtitia, & non alia coram Deo nos juſtificari; ſeu juſtos cenſeri. Tertio, hanc Chriſti juſtitiam, qua juſti efficimur, non eſſe increatam, ſed creatam; nec habitualem, ſed actualem, nempe ipſam Chriſti obedientiam, qua ſe morti obtulit, & legem Dei implevit.

12. Sed errat Calvinus. Primo, quia jam oſtenſum eſt, infundi nobis juſtitiam inhærentem, qua intrinſecus juſti conſtituimur. Ergo falſum eſt, ſola Chriſti iuſtitia nos juſtos cenſeri. Hoc argumentum Calvinus eludere non poteſt. Nam verba illius, quæ paulo ante citavi, ſic habent: *Numquam reconciliamur Deo, quin ſimul donemur inhærente juſtitia*. Ex quibus ita concludo: Sicut ab albedine inhærente revera albi efficimur, ita a juſtitia inhærente revera juſti efficimur. At Calvinus concedit juſtitiam inhærentem juxta verba citata: Ergo concedit per eam nos revera juſtos effici: Ergo repugnat ſibi ipſi, cum alibi ait, ſola Chriſti juſtitia nos juſtos effici.

13. Secundo, quæro ex Calvino, an ullus locus in Scriptura inveniri poſſit, qui aſſerat, Chriſti juſtitiam nobis imputari, ſeu noſtram cenſeri? Certe non poteſt. Scio, quædam produci, ſed nihil

hil ad hanc rem. Ac primum objici ſolet illud Roman. 4. 5. *Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam*. Sed fruſtra. Nam aliud eſt, fidem, quæ in nobis eſt, imputari nobis ad juſtitiam; aliud, juſtitiam Chriſti, quæ extra nos eſt, imputari nobis ad juſtitiam. Illud prius aſſerit Paulus: hoc poſterius non aſſerit. Quid porro ſit, fidem, quæ in nobis eſt, reputari nobis ad juſtitiam, patet ex ſcopo Apoſtoli. Vult in illo capite probare, non ex operibus, ſed ex fide hominem juſtificari apud Deum. Hoc inter cætera probat exemplo Abrami, cui non opera, ſed fides reputata eſt ad juſtitiam. Igitur hæc tria, quæ ſæpe occurrunt in Apoſtolo, pro eodem ſumuntur. 1. Non ex operibus, ſed ex fide juſtificatur homo. 2. Fides juſtificat, non opera. 3. Non opera, ſed fides reputatur ad juſtitiam. Hinc apparet, quam frivolum ſit argumentum Calvini, cum ſic colligit: Fides imputatur ad juſtitiam: ergo juſtitia Chriſti nobis imputatur. Perinde ac ſi dicat: Fides juſtificat. Ergo juſtitia Chriſti nobis imputatur: Aut, ex fide juſtificatur homo; ergo juſtitia Chriſti nobis imputatur. Hæ conſequentiæ vanæ ſunt.

14. Objicitur & illud Rom. 5. 19. *Per unius obeditionem juſti conſtituuntur multi*. Hinc confici putant, ipſam Chriſti obedientiam noſtram eſſe juſtitiam; quia ſcilicet per illam nos juſti conſtituimur. At non recte. Quod probo ex antitheſi, qua utitur Apoſtolus. Opponit enim obedientiam Chriſti inobedientiæ Adami, & ſicut per hanc injuſtos, ita per illam juſtos conſtitui nos aſſerit. At vero per inobedientiam Adami, non formaliter, ſed efficienter, & meritorie conſtituimur injuſti: ergo ſimiliter per obedientiam Chriſti, non formaliter, ſed efficienter, & meritorie conſtituimur juſti. Hinc ſumo novum argumentum contra Calvinum. Nam ſicut Adam per ſuam inobedientiam meritus eſt poſteris, qui ex illo carnaliter naſcuntur, ut ſinguli in ſeipſis contrahant peccatum originale, & in ſeipſis injuſti, ac peccatores exiſtant: ita e contrario Chriſtus per ſuam obedientiam meritus eſt omnibus, qui per illum ſpiritualiter renaſcuntur, ut ſinguli in ſeipſis juſtitiam, & ſanctitatem participent, qua in ſeipſis, & non tantum extra ſe, juſti, & ſancti cenſeantur. De hac re vide D. Aug. l. 1. de peccatorum meritis, & remiſſ. c. 9.

15. Tertio, objicitur illud 1. Cor. 1. 30. *Chriſtus factus eſt nobis a Deo ſapientia, & juſtitia, & redemptio*. Reſpondeo: Non quæritur, an Chriſtus ſit noſtra juſtitia; ſed an juſtitia Chriſti ſit noſtra juſtitia. Illud prius fatemur cum Apoſtolo, hoc poſterius negamus contra Calvinum. Ratio eſt, quia quo ſenſu dici-

dicitur eſſe noſtra juſtitia, eodem dicitur eſſe noſtra ſapientia, & redemptio: At non dicitur eſſe noſtra ſapientia, & redemptio imputative, quaſi per illius ſapientiam, & redemptionem fide apprehenſam efficiamur ſapientes, & redemptores: ſed effective, quia ſcilicet nos redemit, ac ſapientes fecit: Ergo ſimiliter non dicitur eſſe noſtra juſtitia imputative, quaſi per illius juſtitiam fide apprehenſam fiamus juſti: ſed effective, quia ſcilicet nos juſtos effecit. Similes locutiones ſunt uſitatæ in Scripturis. Pſalm. 17. verſ. 1. *Diligam te, Domine, fortitudo mea*. Et Pſalm. 70. verſ. 5. *Tu es patientia mea Domine*. Et Pſalm. 26. v. 1. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea*. At quomodo Deus eſt fortitudo noſtra, patientia noſtra, illuminatio noſtra, ſalus noſtra? An imputative? Minime; ſed effective, quod alio loco explicat Scriptura, cum ait Pſalm. 36. verſ. 39. *Salus autem juſtorum a Domino*. Et Joannis 1. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et Pſalm. 61. verſ. 6. *Veruntamen Deo ſubjecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea*. Et 2. Reg. 22. verſ. 38. *Deus, qui me accinxit fortitudine*. Ergo eodem ſenſu Chriſtus eſt juſtitia, & ſapientia noſtra, quia juſtitiam, & ſapientiam nobis impertivit.

16. Hic quæri poteſt, an nullo modo concedi poſſit, juſtitiam Chriſti nobis imputari? omnino poteſt; ſed non eo ſenſu, quo Adverſarii id aſſerunt. Nam ex eorum ſententia juſtitia Chriſti ita nobis imputatur, ut per eam formaliter juſti cenſeamur, quod hactenus refutatum eſt. At Catholicorum ſententia eſt, Chriſtum ſua paſſione pro nobis ſatisfeciſſe Deo Patri, & impetraſſe remiſſionem peccatorum, & omnia dona gratiæ, & juſtitiæ inhærentis: Et hoc ſenſu, paſſionem Chriſti, quia pro nobis facta eſt, nobis imputari, non quod per illam formaliter juſti ſimus, ſed quia ex merito, & efficacia ejus donatur nobis gratia, ſanctitas, & juſtitia inhærens, qua Deo grati, ſancti, & juſti conſtituimur. Hoc modo intelligendus eſt D. Bernardus in epiſt. 190. ad Innocentium, cum ait: *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, ut videlicet ſatisfactio unius omnibus imputetur, ſicut omnium peccata unus ille portavit*.

17. Quarto objicitur illud 2. Corinth. 5. verſ. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*. Hinc colligunt Adverſarii, nos ita juſtos eſſe juſtitia Dei, quæ eſt in Chriſto, ſicut ipſe dicitur peccatum, id eſt, peccator, per peccata, quæ ſunt in nobis: at noſtra peccata imputantur illi: ergo ſimiliter ipſius juſtitia nobis imputatur. Reſpondeo. Hic duo explicanda ſunt. Unum, quomodo

Chriſtus

Chriſtus dicatur factus eſſe pro nobis peccatum. Alterum, quo modo nos efficiamur juſtitia Dei in Chriſto. Adverſarii ſic interpretantur, quod peccatum noſtrum Chriſto imputetur, & ab eo vocetur ipſe peccator, ſeu peccatum: & ſimiliter, quod juſtitia Chriſti nobis imputetur, & ab eo vocemur nos juſti, ſeu juſtitia. At non ita eſt. Nam quamvis concedi poſſit, peccatum noſtrum Chriſto imputari quoad debitum ſatisfaciendi, quod ille ſponte ſuſcepit; non tamen concedendum eſt, ita illi imputari, ut ab eo peccator, aut iniquus cenſeri poſſit. Similiter, quamvis verum ſit, juſtitiam Chriſti nobis imputari quoad ſatisfactionem, quam pro nobis præſtitit; falſum tamen eſt, ita nobis imputari, ut ab ea juſti, & ſancti cenſeamur.

18. Catholici melius rem explicant. Ac primum ajunt, Chriſtum vocari peccatum duplici ſenſu. Uno, quia participavit carnem ſimilem carni peccati, juxta illud Rom. 8. verſ. 3. *Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*. Et Hebr. 2. verſ. 14. *Quia ergo pueri communicarunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem*. Altero, quia factus eſt hoſtia pro peccato. Nam hoc ſenſu interdum accipi nomen peccati, conſtat ex illo Oſeæ 4. verſ. 7. *Peccata populi mei comedent*. Loquitur de Sacerdotibus, qui comedebant hoſtias pro peccato populi oblatas. Chriſtus ergo factus eſt pro nobis peccatum, id eſt, aſſumpſit ſimilitudinem carnis peccati, ut fieret victima pro peccato: quod aliis verbis dixit Apoſtolus Roman. 8. verſ. 3. *Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne*. Quaſi dicat: Ideo Chriſtus venit in carne paſſibili, ut in carne ſua poſſet pati, & mori pro nobis, & pro offenſa Deo Patri ſatisfacere. Hinc jam facile intelligitur altera pars citati teſtimonii. Nos enim efficimur juſtitia Dei per ſimilem loquendi modum, quia ſcilicet accipimus juſtitiam inhærentem, quæ eſt ſimilitudo quædam, & effectus juſtitiæ Dei, ut exponit Auguſtinus in lib. de ſpiritu, & littera, cap. 18. At cur dicimur potius juſtitia, quam juſti? Nimirum ut ſervetur antitheſis. Quia enim dixerat Apoſtolus, Chriſtum factum eſſe peccatum, id eſt, aſſumpſiſſe ſimilitudinem carnis peccati, ut eſſet hoſtia pro peccato, maluit ſubjungere, nos eſſe juſtitiam, quam juſtos. Neque hic loquendi modus inuſitatus eſt. Nam ſicut homines juſti ſolent appellari lux, juxta illud Matth. 5. verſ. 15. *Vos eſtis lux mundi*: & ad Epheſ. 5. verſ. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: ita etiam poſſunt vocari juſtitia.

19. Quinto objicitur illud Epheſ. 4. verſ. 24. *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia, & ſanctitate.*

Hic

Hic utitur Apoſtolus ſimilitudine ab indumento petita, quę omnino videtur indicare, nos juſtificari per juſtitiam extrinſecam, quam fide apprehendimus, & induimus ad tegendam turpitudinem noſtram, ne oculos Dei offendat. Et poteſt confirmari exemplo Jacob, qui indutus veſtimento primogeniti, ac pro primogenito reputatus, benedictionem, & hæreditatem a Patre obtinuit. Reſpondeo: Apoſtolus expreſſe loquitur de interna renovatione per juſtitiam inhærentem, ut patet ex ipſo contextu, qui ſic habet: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, &c.* Et ſimilitudo indumenti aptiſſime convenit juſtitiæ inhærenti ex duplici capite. Primo, quia ſicut indumentum non eſt naturale corpori, neque cum eo naſcitur, ſed extrinſecus aſſumitur; ita juſtitia, & ſanctitas ſe habet reſpectu animi, non enim illi naturalis eſt, ſed extrinſecus advenit ex infuſione Spiritus ſancti. Hoc ſenſu D. Auguſtinus ſer. 13. de verb. Domini explicat illud Pſal. 131. verſ. 6. *Sacerdotes tui induantur juſtitiam*, cum ait: *Veſtis accipitur, non cum capillis naſcitur: pecora de ſuo veſtiuntur*. Secundo, quia ſicut indumenta diſtinguunt homines, ut alii ab aliis diſcernantur; ita juſtitia diſtinguit juſtos ab impiis per exercitium bonorum operum, juxta illud Matth. 7. 17. *Omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit*. Item in eodem loco: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Hæc reſponſio confirmatur ex illo Coloſſ. 3. verſ. 13. *Induite viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, &c.* Hic etiam utitur Apoſtolus ſimilitudine indumenti, & tamen non licet inde colligere, eum loqui de externa benignitate, humilitate, & patientia, quam fide apprehendimus, ut per ſe clarum eſt: Ergo illa ſimilitudo non repugnat juſtitiæ inhærenti, neque aſtruit juſtitiam imputativam.

10. Quod attinet ad exemplum Jacob, poteſt dupliciter accommodari ad propoſitum. Primo, ut referatur ad juſtitiam, qua formaliter juſtificamur: & hoc modo rejiciendum eſt. non enim formaliter juſti ſumus per externam Chriſti juſtitiam, quam fide apprehendimus, ut ſæpe dictum eſt. Secundo, ut referatur ad juſtitiam ſatisfactionis, qua Chriſtus pro culpa noſtra Deo Patri ſatisfecit; & ſic admitti poteſt. Dum enim ſumus in ſtatu peccati, non poſſumus ipſi per nos reconciliari Deo; & ideo fide apprehendimus merita Chriſti, quibus quaſi tecti, ac induti remiſſionem culpæ, & infuſionem gratiæ juſtificantis conſequimur. Hæc ex dictis perſpicua ſunt. Aliæ objectiones, quæ occurrunt, commodius diluentur inferius, præſertim qu. 3. & 5.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An homo poſt juſtificationem maneat peccator & injuſtus?

1. ADverſarii docent, hominem in juſtificatione non fieri juſtum in ſeipſo, ſed manere peccatorem, injuſtum, immundum, & ſolum cenſeri juſtum in Chriſto. Ita Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 11. §. 3. ubi ait: *Ut pro juſtis in Chriſto cenſeamur, qui in nobis non ſumus*. Et §. 4. *Nec ſane, quod alibi tradit, ſtaret, obedientia Chriſti nos conſtitui juſtos, niſi in ipſo, & extra nos juſti reputaremur coram Deo*. Et §. 11. *Hoc modo juſtus eſt, non re ipſa, ſed imputatione*. Et §. 23. *Hinc & illud conficitur, ſola interceſſione juſtitiæ Chriſti nos obtinere, ut coram Deo juſtificemur: quod perinde valet, ac ſi diceretur, hominem non in ſe ipſo juſtum eſſe, ſed quia Chriſti juſtitia imputatione cum illo communicatur*. Et in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 6. ad cap. 5. *Confugiamus ad ſolum Chriſtum, ut in ipſo juſti cenſeamur, quod in nobis non ſumus*. Et alibi plura.

2. Hic error refellitur primo ex dictis. Nam ſi Chriſti pretioſo ſanguine vere lavamur, & ſanamur a peccatis noſtris; item ſi juſtitia, & ſanctitas ex Chriſti merito per Spiritum Sanctum nobis infunditur, certe non manemus peccatores, & injuſti, ſed efficimur mundi, juſti, innocentes, in quibus nihil damnationis reliquum eſt. Et hoc aperte teſtatur Scriptura Pſalm. 50. 9. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Sane qui mundatur, & dealbatur, non manet immundus, & contaminatus. Neque illud effugium hic valet, hominem mundari, & dealbari in Chriſto, non in ſe ipſo. Non enim dixit David, *Aſperges Chriſtum, & mundabor in Chriſto: lavabis Chriſtum, & in Chriſto dealbabor*: Sed ita potius, *Aſperges me, & in me mundabor: lavabis me, & in me dealbabor*. Hoc confirmant verba ſequentia: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis*. Nota has particulas, *In me*, & *in viſceribus meis*. Conſpirat Apoſtolus 1. Corinth. 6. 11. *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis*. Quaſi dicat: Fuiſtis in vobis ipſis peccatores, nunc eſtis abluti, ſancti, juſti, utique in vobis ipſis. Unde & illud Epheſ. 1. verſ. 4. *Elegit nos, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus*.

3. Res non indiget longiori refutatione. Solum miror, Calvinum non advertiſſe, ex hac ſua doctrina aperte ſequi, Calviniſtas ſimi-

ſimiles eſſe ſepulchris dealbatis, quæ intus plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Similes Virginibus fatuis, quæ non habent oleum juſtitiæ in lampadibus ſuis, exiſtimantes alienum oleum ſibi ſufficere. Similes hædis fœtentibus, qui ovium numero a paſtore cenſentur. Similes lupis, qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt feræ rapaces. Quid enim aliud eſt homo juſtificatus apud Calviniſtas? Interius peccatis, ac flagitiis plenus eſt: oleum juſtitiæ, ac ſanctitatis in corde non habet: hirci inſtar fœtorem flagitiorum exhalat, contumeliis, & conviciis non aliter quam lupus mordacitatem oſtendit. Et tamen, quia innocentis agni veſtimento ſe texit, inter agnos, ſi Diis placet, reputari vult: quia ſtulte præſumit, alienum oleum ſibi profuturum, de acquirendo proprio ſollicitus non eſt, quia exteriorem parietem veſte candida obduxit, internam ſpurcitiam latere poſſe exiſtimat.

4. Illud magis miror, homines, qui ſuo judicio ſpurci, & inquinati ſunt, etiam ex ſcripturis patrocinium pro ſe quærere. Nimirum citant illud Epheſ. 1. 6. *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*. Unde colligunt, nos juſtos, & gratos eſſe in Chriſto, non in nobis ipſis: At nos contra colligimus. Nam Græcus textus ita habet, ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, ideſt, *fecit nos gratioſos in dilecto*, ut interpretatur Chryſoſtomus. At quomodo fecit gratioſos, niſi infundendo gratiam, & juſtitiam, ut idem autor exponit: Et hoc *in dilecto Filio ſuo*, ideſt propter merita Chriſti.

5. Ex dictis patet diſcrimen inter Catholicorum, & Adverſariorum doctrinam. Illi docent, nos fieri juſtos, & ſanctos per inhærentem juſtitiam, & ſanctitatem; quo pacto Chriſtus in ſe juſtus, & ſanctus eſt: nempe, ut membra ſint conformia ſuo capiti; ut ſponſa ſit formoſa, cujus ſponſus formoſus eſt; ut fratres non ſint diſſimiles primogenito, & verum ſit illud Apoſtoli Romani 8. 29. *Prædeſtinavit nos conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. Adverſarii contra ſentiunt, nos manere immundos, & inquinatos in nobis ipſis, & ſolum cenſeri juſtos extra nos in Chriſto. Unde ſequitur, ex Chriſto, & fidelibus conflari mirabile monſtrum: Caput eſſe formoſiſſimum, reliqua membra fœdiſſima: Sponſum pulcherrimum, ſponſam inquinatiſſimam.

QUÆSTIO IV.

An ſola Fides juſtificet?

1. AFfirmant Adverſarii. Poteſt autem dupliciter intelligi. Primo, quod ſola fides juſtificet formaliter, ſeu quod ſola fides ſit illa forma, a qua homo formaliter vocatur juſtus: ſicut ſola albedo eſt illa forma, a qua homo vocatur albus. Secundo, quod ſola fides juſtificet, non formaliter, ſed diſpoſitive, vel antecedenter, vel cauſaliter, ideſt quod ſola fides efficiat, ut juſtitiam acquiramus. Hoc poſteriori modo docent adverſarii, ſolam fidem juſtificare, non priori. Putant enim hominem formaliter juſtificari per juſtitiam Chriſti, quatenus nobis imputatur; per fidem vero, quatenus apprehendit juſtitiam Chriſti, ut nobis imputetur.

2. Hæc doctrina continet duas partes. Prior aſſerit, ſolam fidem juſtificare. Poſterior explicat modum, quo ſola fides juſtificat. Utraque refutanda eſt. Et quidem prior tribus argumentis refutari poteſt. Primum eſt: Nihil ab adverſariis debet aſſeri, præſertim in rebus ad ſalutem ſpectantibus, niſi habeatur in ſcriptura, ut ipſi contendunt: At nuſquam habetur in ſcriptura, ſolam fidem juſtificare. Ergo hoc non debet aſſeri ab adverſariis. Minor probatur, quia nullus locus in tota ſcriptura citari poteſt, in quo ſola fides dicatur juſtificare.

3. Hoc argumentum nec Lutherus, nec Calvinus potuit diſſolvere. Et quidem Lutherus, cum illam particulam (*ſola*) non poſſet uſpiam in ſacris literis reperire, uſus eſt ſua authoritate, & audacter illam poſuit in tertio capite Epiſtolæ ad Romanos: Et cum poſtea de hac remonitus eſſet, nihil aliud, quam hoc reſponſum dedit: *Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas*. Calvinus autem lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 19. producit quædam loca ex D. Paulo; quibus aſſeritur, fidem juſtificare ſine operibus. Unde confici vult, ſolam fidem juſtificare. Sed quam recte, videbimus paulo poſt in ſolutione objectionum.

4. Alterum argumentum. Scriptura non minus requirit actum timoris, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ ab eo, qui vult juſtificari, quam actum fidei: ergo ſola fides ſecundum ſcripturam non ſufficit ad juſtificationem. Antecedens patet ex illo Eccleſ. 1. 28. *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari*. Et Prov. 28. 25. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur*. Et 1. Joan. 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte*. Et Actor. 2. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque*

veſtrum in remiſſionem peccatorum. Et Actor. 3. 19. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.*

5. Reſpondet Calvinus, ſe non negare, quin præter fidem requirantur actus aliarum virtutum; ſed hoc negare, alios actus habere vim juſtificandi, ſicut habet fides. Sic enim loquitur in Antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. ad Can. 9. *Adde, quod hominem ſola fide juſtificari cum dicimus, fidem non fingimus charitate vacuam, ſed ipſam ſolam juſtificationis cauſam eſſe intelligimus*. Et ad Can. 11. *Fides ergo ſola eſt, quæ juſtificat: fides tamen, quæ juſtificat, non eſt ſola*. Sed hoc Calvini effugium nullum eſt; nam ſcriptura non minus aliarum virtutum actibus tribuit vim juſtificandi, & remittendi peccata, quam fidei.. Eccleſ. 1. 27. *Timor Domini expellit peccatum*. Quid apertius? Si ergo timor habet vim expellendi peccata: Ergo non ſola fides. Et Luc. 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Hic quæro, quare Magdalenæ remiſſa ſunt multa peccata? An quia multum credidit? Non negaverim. Sed tamen Chriſtus reſpondet: *Quia multum dilexit*. Vides ergo, etiam dilectioni tribui, quod Calvinus ſoli fidei tribuendum contendit. Omitto alia teſtimonia, quæ paſſim obvia ſunt.

6. Forte occurret Calvinus, nec timorem, nec charitatem, nec ſimiles actus juſtificare, niſi in virtute fidei; ac proinde ſoli fidei totum eſſe adſcribendum. Ego contra objicio, fidem potius in virtute charitatis juſtificare. Hoc aperte docet Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 18. cum ait: *Ipſam fidem non facit utilem, niſi charitas: ſine charitate quippe fides poteſt quidem eſſe, ſed non prodeſſe*. Et probat ex illo Apoſt. ad Galat. 5. 6. *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur*. Quare Apoſtolus nominat fidem, quæ per charitatem operatur? quia fides non eſt efficax ad juſtificandum ſine charitate. Unde idem Auguſt. in Enchirid. cap. 8. *Sine amore*, inquit, *fides nihil prodeſt*. Hinc apparet calumnia Calvini, qui in materia de juſtificatione ridet Catholicos, quod diſtinguant fidem informem, & formatam, cum ipſe potius ſit ridendus. Nam Catholici docent, fidem non juſtificare, niſi ſit formata charitate: imo non eſſe efficacem, niſi quatenus per charitatem operatur. Calvinus vero, dum ait fidem juſtificare ſine charitate, quamvis non ſit ſine charitate, videtur potius fidem informem agnoſcere, & ei tribuere vim juſtificandi. Nam ſi ſola juſtificat ſine charitate, neceſſe eſt informem juſtificare: & ſi ſola non exiſtit, ſed cum charitate, neceſſe eſt formatam exiſtere. Catholici contra docent cum Auguſtino, fidem poſſe informem exiſtere, non tamen, niſi formatam juſtificare.

7. Tertium argumentum. Fides, quæ juſtificat, in eo conſiſtit juxta adverſarios, ut quis certo ſibi perſuadeat ſe juſtum eſſe, & per Chriſtum remiſſa ſibi eſſe peccata. Si ergo hæc ſola fides juſtificat, neceſſe eſt omnes eos juſtificari, & ſalvari, qui hanc fidem habent: at omnes adverſarii, tam Lutherani, quam Calviniſtæ habent hanc fidem ex propria ipſorum confeſſione: Ergo omnes juſtificantur, & ſalvantur. Ergo nec Lutherani à Calviniſtis, nec hi ab illis debent haberi pro hæreticis. Cur ergo ſibi mutuo infenſi ſunt, & alii alios tanquam hæreticos perſequuntur? Ut perſiſtam in hoc argumento, quæram iterum ex Calviniſtis: Si quis certo credat remiſſa ſibi eſſe peccata per Chriſtum, & hac ſola fide ſe juſtificari, an is ſit actus veræ, & juſtificantis fidei: Si eſt, cum Lutherani hoc credant, veræ, & ſanctificantis fidei actum habent: Si non eſt, cum Calviniſtæ idem credant, veræ, & ſanctificantis fidei actum non habent. Occurrent forte: hunc quidem veræ fidei actum eſſe, ſed in Lutheranis conjunctum eſſe cum variis erroribus, quia ſcil. prave ſentiunt de Prædeſtinatione, de Euchariſtia, de Ubiquitate. Sed quid hoc ad rem? Nam ſi tuo judicio ſola illa fides, qua quis credit remiſſa ſibi eſſe peccata, juſtificat, certe qui hanc habet, perire non poteſt, aut ſi perit, ſola illa non juſtificat. Adde, ſi adulteria, furta, homicidia, cæteraque id generis flagitia non obſtant, quo minus ſalvus ſit is, qui credit ſibi omnia remitti per Chriſtum: nec error circa Prædeſtinationem, Euchariſtiam, & Ubiquitatem obſtare poteſt, quominus ſalvus ſit Lutheranus, qui credat ſibi omnia remitti per Chriſtum.

8. Et ex hac Doctrina ſequitur, nihil eſſe neceſſarium anxie diſputare de controverſiis fidei; ſed unicuique ſufficere, ſi ſibi perſuadeat, juſtum ſe eſſe in Chriſto, & peccatorum remiſſionem certo conſecutum. Hæc enim ſola fides juſtificandi, & ſalvandi vim habet. Quorſum ergo litigant inter ſe Calviniſtæ, & Lutherani de præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia: De æterno Dei conſilio, & electione ad Gloriam: De humanitate Chriſti ubiq; exiſtente? Cur alii alios hæreticos vocantur: cur ſempiternum interitum minantur, niſi reſipiſcant: cur ex eodem Regno, Provincia, Civitate, Senatu ſe mutuo exturbant? Nihil his odiis, ac turbis opus eſt, ſi ſola fides, quæ utriſque communis eſt, vim ſalvandi habet: ſi ſola electionis, ac prædeſtinationis ſignum eſt infallibile. Nam ſi ita eſt, omnes fratres ſunt, & ad idem cœlum præordinati, ad quod infallibiliter pervenient. Credis hoc? *Domine, adauge mihi fidem.*

De modo quo ſola Fides juſtificat.

9. HÆc de ſola fide juſtificante: ſequitur de modo, quo ſola juſtificat. Igitur adverſarii docent, ſolam juſtificare, quia ſola apprehendit juſtitiam Chriſti actualem, qua juſtificamur. At quomodo id facit? hoc explicant duplici ſimilitudine; altera manus, altera ollæ. Nam ſicut manus pauperis apprehendit eleemoſynam a divite porrectam: ita fides peccatoris apprehendit juſtitiam Chriſti a Deo Patre oblatam. Item ſicut olla continet in ſe theſaurum, & hac ratione hominem locupletat; ita fides comprehendit juſtitiam Chriſti, & ſic hominem juſtificat. Priori ſimilitudine uſus eſt Philippus Melancthon in locis communibus, titulo de bonis operibus, in dilutione argumentorum; & Kemnitius in examine Concilii Trident. ſeſſ. 6. Poſteriori utitur Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 11. §. 7. his verbis: *Fides etiamſi nullius per ſe dignitatis ſit, vel pretii, juſtificat nos, Chriſtum afferendo, ſicut olla pecuniis referta hominem locupletat*. Hinc apparet, quid ſit fides illa Calviniſtica juſtificans, toties laudata, toties defenſa, toties ſimplici vulgo obtruſa, & inculcata. Quid ergo eſt? Olla fictilis; ſcabioſa manus pauperis. Rident Catholici Doctores, quando hæc audiunt; & merito. Solent enim adverſarii apud imperitos jactare, fidem in ſcholis Papiſtarum vileſcere; nullo loco haberi, paſſim contemni; omnia tribui operibus, fidei parum, aut nihil: apud ſuos vero fidem eſſe in honore; omnia illi tribui: operibus nihil. Verba, nugæ, fraudes. Quis, obſecro, plus tribuit fidei? Calvinus, qui dicit eſſe ollam fictilem, nullius pretii, & dignitatis? an Catholici, qui dicunt eſſe baſim, fundamentum, & radicem juſtificationis? ſtolidus ſit, qui hoc non videat.

10. Sed propius rem inſpiciamus. Ait Calvinus, ſolam fidem juſtificare, eo modo, quo ſola olla locupletat hominem. Audio verba, non capio myſteria. Quæro ergo, an ſit cauſa effectiva juſtificationis, an meritoria? an diſpoſitiva, an inſtrumentalis? an ſolum relative juſtificet? Hic plane inconſtans, & perplexus eſt Calvinus. Nunc hoc, nunc illud aſſerit; ubique incertus, ubique ſui immemor. Proferam ipſius verba. Et quidem lib. 3. inſtit. c. 11. §. 7. ſic ait: *Fides eſt duntaxat inſtrumentum percipiendæ juſtitiæ*. At cap. 13. §. 5. *Quoad juſtificationem, res eſt mere paſſiva, fides*. Iterum cap. 14. §. 17. *Efficientem cauſam vitæ æternæ nobis comparandæ ubiq; Scriptura prædicat Patris cœleſtis miſericordiam, & gratuitam erga nos dilectionem: materialem vero, Chri-*

ſtum cum ſua obedientia, per quam nobis juſtitiam acquiſivit: formalem quoque, vel inſtrumentalem, quam eſſe dicemus, niſi fidem? Et Paragrapho 21. *Ut ſtet inconcuſſum, quod antea poſuimus, effectum noſtræ ſalutis in Dei Patris dilectione ſitum eſſe, materiam in filii obedientia, inſtrumentum in ſpiritus illuminatione, hoc eſt fide.* Et in Antidoto Concilii Trident. ſeſſ. 6. ad Canonem 9. *Solam fidem juſtificationis cauſam eſſe intelligimus*, Et ad Canonem 11. *Vim juſtificandi, ac facultatem fidei in ſolidum vindicamus*. Quid ex his colligimus? Nempe fidem eſſe cauſam juſtificationis. At quam cauſam? Nunc formalem, nunc inſtrumentalem, ut vis; Ergone aliquid efficit fides in negotio juſtificationis? Minime, ſed mere paſſive ſe habet. Quomodo mere paſſive, ſi inſtrumentum eſt? Hoc tu videris; ſatis eſt Calvinum hoc aſſerere.

11. Pergamus ulterius. Sola fides, Calvino teſte, juſtificat, quia ſola Chriſti juſtitiam apprehendit. Hic multa paucis verbis implicantur. Quæro enim, quis ſit proprie ille actus fidei, qui juſtificat? Nam varios actus apud Calvinum invenio. Primus eſt, apprehendere mortem, & paſſionem Chriſti, ſeu juſtitiam ejus actualem. Secundus eſt, credere promiſſionem Dei Patris, qua promiſit ſe fore nobis propitium propter mortem, & paſſionem Chriſti. Tertius eſt, hanc promiſſionem tibi applicare, & certo credere, ac ſtatuere, omnia peccata tibi remiſſa eſſe a Deo Patre, propter merita Chriſti, ac proinde te juſtum eſſe. Quartus eſt, certo credere, te perpetuo juſtum manſurum, & non poſſe excidere a juſtitia ſemel adepta. Et, quod inde conſequens eſt, te prædeſtinatum eſſe ad vitam æternam. Ex his actibus, quis tandem eſt, qui juſtificat? An unus? an plures? an ſimul omnes? Nihil certi apud Calvinum. Aliquando affirmat, ſolum primum juſtificare, ut lib. 3. cap. 11. §. 2. *Juſtificabitur ille fide, qui Chriſti juſtitiam per fidem apprehendit*. Et c. 16. §. 1. *Quare ergo fide juſtificamur? quia fide apprehendimus Chriſti juſtitiam*. Hic totam vim juſtificandi tribuit primo actui, nempe apprehenſioni. Alibi ad ſecundum recurrit, ut libro 3. capite 2. §. 2. *Ex eo ſalutem conſequimur, quando Deum agnoſcimus nobis eſſe propitium Patrem*, Et §. 16. *Vere fidelis non eſt, niſi qui ſolida perſuaſione Deum ſibi propitium, benevolumque Patrem eſſe perſuaſus, de ejus benignitate omnia ſibi pollicetur*. Alibi tertium actum requirit, ut libro 3. capite 2. §. 11. *Peccatorum remiſſionem Spiritus Sanctus proprie in ſolis electis obſignat, ut eam ſpeciali fide in uſum ſuum applicent*. Interdum etiam quartum, ut ibidem §. 16. *Vere fidelis non eſt, niſi qui confidenter ſe regni cæleſtis hæredem gloriatur*.

12. In

12 In hac varietate quid rudi populo ſuadendum eſt? quis illorum actuum præcipue commendandus? ſi uno contenti ſunt, non poterunt juſtificari, quia Calvinus ſingulos requirit. Si vero omnes neceſſarii ſunt, quomodo id probari poterit ex Scripturis? Certe adverſarii, cum aſſerunt ſolam fidem juſtificare, ſolent hæc teſtimonia proferre. Luc. 7. 50. *Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace*. Et Matth. 9. 22. *Filia, fides tua te ſalvam fecit.* Alterum Magdalenæ, alterum mulieri fluxum ſanguinis patienti dictum eſt: Utramque volunt adverſarii ſola fide juſtificatam eſſe. At oſtendant nobis, utramque habuiſſe omnes actus fidei ſupra enumeratos. Quomodo Magdalena poterat ſibi perſuadere, remiſſa ſibi peccata, & habere Deum Patrem propitium propter mortem, & paſſionem Chriſti, cum adhuc nihil ſciret de morte & Paſſione Chriſti? Ipſimet Apoſtoli, qui procul dubio juſtificati erant, non credebant Chriſtum paſſurum, & cruci affigendum, ut teſtatur Luc. cap. 18. 31. *Aſſumpſit autem Jeſus duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellaverint, occident eum: & tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt, &c.* Et Matth. c. 16. 21. *Exinde cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum multa pati a ſenioribus, & occidi, & tertia die reſurgere. Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Abſit a te, Domine, non erit tibi hoc, &c.* Dicat nunc Calvinus, an Apoſtoli, & Magdalena juſtificati fuerint? At non credebant propter Chriſti mortem, & paſſionem ſibi remiſſa eſſe peccata. Non apprehendebant actualem Chriſti obedientiam, & juſtitiam. Non erant certi, ſe perpetuo manſuros juſtos, alioqui Petrus poſtea non negaſſet Chriſtum.

13. Explicata, & rejecta eſt adverſariorum ſententia de ſola fide juſtificante, & de modo, quo ſola juſtificat. Catholici docent, non ſolam fidem, ſed præterea timorem, ſpem, contritionem, & dilectionem juſtificare, ideſt ad juſtificationem diſponere. Senſus eſt, hominem impium non poſſe juſtificari, ideſt, juſtitiam inhærentem, & remiſſionem peccatorum conſequi, niſi per prævias diſpoſitiones, quæ ſunt actus fidei, timoris, ſpei, contritionis, dilectionis: non quod hujuſmodi actus coram Deo mereantur remiſſionem peccatorum, & juſtitiæ infuſionem, in quibus juſtificatio conſiſtit, alioqui non juſtificaremur gratis, ſed quod Deus decreverit non remittere peccata, nec infundere gratiam juſtificantem, niſi homo per ejuſmodi actus ſupernatu-

tales ſit diſpoſitus, & præparatus. Hoc ideo explico, ut facilius appareat, quam inanes ſint hæreticorum contra nos objectiones.

14. Primo objiciunt illud Rom. 3. 28. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis*. Et Epheſ. 2. 5. *Salvati eſtis per fidem, non ex operibus*. Hinc concludunt, ſola fide hominem juſtificari. Quare? quia Apoſtolus fidem opponit operibus: ergo, cum dicit hominem juſtificari fide ſine operibus, excludit omnia opera præter fidem: ergo etiam excludit actum timoris, ſpei, dilectionis, & pœnitentiæ. Reſpondeo. Duplicia ſunt opera: alia precedunt fidem, alia ſequuntur. Priora excludit Apoſtolus, non poſteriora. Cum ergo actus timoris, ſpei, dilectionis, & pœnitentiæ ſequantur fidem, & in fide fundati ſint, certum eſt, non excludi. Quæres. Unde conſtat, hanc eſſe mentem Apoſtoli? Reſpondeo. Inde conſtat, quia vult oſtendere, nec Judæos ex nuda obſervatione legis Moſaicæ, nec gentiles propter bona opera ante Chriſti fidem ſuſceptam perpetrata, juſtitiam a Deo conſequi potuiſſe, aut conſecutos eſſe, ſed ex fide in Chriſtum; fidem eſſe initium ſalutis, & juſtificationis; nec dari ex operibus præcedentibus, ſed eſſe donum Dei. Vide Auguſt. lib. 1. de præd. Sanct. c. 7. & in præf. Pſal. 31. & alibi.

15. Secundo objiciunt ex eodem Apoſtolo, hominem juſtificari gratis, ac proinde ſola fide, ſine ullis aliis operibus. Rom. 3. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*. Reſpondeo. Juſtificatio dicitur gratuita, non quia fit ſola fide, ſed propter alias tres cauſas. Primo, quia nec Judæi, nec Gentiles merentur illam, propter opera fidem præcedentia, ut jam explicatum eſt. Secundo, quia quicquid conducit ad juſtificationem, gratuitum Dei donum eſt. Calvinus vult ſolam fidem conducere; nos etiam ſpem, & charitatem. Sed ſi fides non obſtat, quominus gratuita maneat juſtificatio, certe nec ſpes, aut charitas obſtare poſſunt. Nam ſicut fides eſt gratuitum Dei donum, ita etiam ſpes, & charitas. Tertio, quia poſito actu fidei, ſpei, & charitatis, adhuc ex mera Dei liberalitate ſequitur infuſio gratiæ, & peccatorum remiſſio. Licet enim aliqui putent, fidem de congruo mereri juſtificationem, omnes tamen ſentiunt non mereri de condigno, ac proinde juſtificationem eſſe mere gratuitam.

16. Tertio objiciunt, ſcripturam ſolius fidei mentionem facere, quando agit de juſtificatione, & remiſſione peccatorum. Luc. 7. 50. *Fides tua te ſalvam fecit*. Et Joannis 1. 12. *Dedit ei poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus*. Et Joan. 3. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam*. Reſpondeo. Sicut Scriptura aliquando meminit ſolius fidei; ita aliquando meminit ſolius

lius ſpei, aut timoris, aut dilectionis, aut pœnitentiæ, ut §. 5. oſtenſum eſt. Sicut ergo non excludit fidem, quando meminit ſolius dilectionis, aut pœnitentiæ; ita non excludit dilectionem, aut pœnitentiam, quando meminit ſolius fidei. Imo, inquies, excludit omnia præter fidem, ut patet ex illo Luc. 8. verſ. 50. *Crede tantum, & ſalva eris.* Propter hunc locum gratulantur ſibi multi Lutherani, aſſerentes, ſe tandem inveniſſe particulam, *ſola*, quam Lutherus de ſuo addiderat in c. 3. ad Romanos, ut ſupra dictum eſt. Sed inaniter gloriantur. Non enim intelligitur locus iſte de remiſſione peccatorum, ſed de excitatione puellæ mortuæ. Nec exigebat Chriſtus fidem a puella, quam volebat excitare, ſed a parente, qui pro ſua filia deprecabatur.

17. Quarto objiciunt, omnes eos juſtificari, & ſalvari, qui fidem habent, ac proinde ſola fide. Act. 13. 39. *In hoc omnis, qui credit, juſtificatur*. Et Rom. 10. 12. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur*. Reſpondeo: Scriptura ſignificat, nullam eſſe perſonarum acceptionem apud Deum, ſed omnes homines, ſive Judæi, ſive Græci ſint, ſalvari poſſe per fidem Chriſti, juxta illud Roman. 3. v. 29. *An Judæorum Deus tantum? Nonne & gentium? Imo & gentium; quia unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*. Et Galat. 5. 6. *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur*. Hinc non recte concluditur, ſolam fidem ſufficere; præſertim cum Apoſtolus præter fidem requirat etiam charitatem, ut patet ex ultimo teſtimonio citato, ubi ait, *Fides, quæ per charitatem operatur*. Imo D. Petrus Actor. 10. 34. non facit mentionem fidei, ſed tantum timoris, & aliorum operum, quæ in fide fundantur. Sic enim loquitur: *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*.

QUÆSTIO V.

In quo conſiſtat fides juſtificans?

1. ADverſarii docent in eo conſiſtere, ut quis firmiter, ac certo credat, peccata omnia ſibi eſſe remiſſa propter merita Chriſti, ac ſe juſtum eſſe in conſpectu Dei; qui hoc non credit, fidem non habere. Ita Calvinus l. 3. Inſt. c. 2. §. 16. his verbis. *Vere fidelis non eſt, niſi qui ſolida perſuaſione Deum ſibi propitium, benevolumque patrem eſſe perſuaſus, de ejus benignitate omnia ſibi pollicetur*. Et ibid. *Fidelis non eſt, niſi qui ſuæ ſalutis ſecuritati innixus,*

Dia-

Diabolo, & morti confidenter inſultes. Vide plura in eodem capite.

2. Sed refelluntur his argumentis. Primo, nihil fide Catholica, & juſtificante credendum eſt, niſi quod Deus revelavit: ſed Deus non revelavit huic, aut illi Calviniſtæ, quod peccata ſint ipſi remiſſa, ac proinde juſtus ſit: ergo non poteſt hoc credere fide Catholica, & juſtificante. Major certa eſt, quia adæquatum objectum fidei eſt veritas a Deo revelata. Ergo actus, qui non verſatur circa illud objectum, aut aliquam ejus partem, non poteſt eſſe actus fidei. Minor æque certa eſt: quia licet tempore Chriſti nonnullis revelata ſit peccatorum remiſſio, ut Paralytico, Magdalenæ, Zachæo, Latroni in cruce; Calviniſtis tamen hoc tempore non revelatur: Ubi enim legis in Scriptura, Calvino, Bezæ, aut Paræo remiſſa eſſe peccata? volunt quidem ipſi, revelationem contineri in his verbis Act. 13. 39. *In hoc omnis, qui credit, juſtificatur*. Et Rom. 3. 22. *Juſtitia Dei per Fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum*. Sed nihil ad rem. Nam hæc revelatio, & promiſſio generalis eſt. Non enim dicit Scriptura, *Calvinus juſtificatur*, aut, *juſtitia Dei ſuper Calvinum*: ſed generatim: *Omnis, qui credit, juſtificatur*, Et, *juſtitia Dei ſuper omnes, qui credunt*. Porro hæc generalis promiſſio non poteſt applicari huic, aut illi in particulari, niſi hoc modo ratiocinando: Omnis, qui habet veram fidem in Chriſtum, juſtificatur: ſed Calvinus, aut Lutherus habet veram fidem in Chriſtum: ergo Calvinus, aut Lutherus juſtificatur. Hæc applicatio non eſt ſufficiens; Nam licet ſyllogiſmus bonus ſit, & major propoſitio revelata, tamen aſſumptio incerta, & ambigua eſt, etiam Calvino teſte. Sic enim habet lib. 3. inſt. cap. 2. §. 10. *Tot vanitatis receſſus habet, tot mendacii latebris ſcatet cor humanum, tam fraudulenta hypocriſi obtectum eſt, ut ſeipſum ſæpe fallat*. Hic fatetur Calvinus, ſæpe hominem falli, ac decipi, cum putat ſe habere veram fidem, quam tamen non habet. Et clarius §. 11. *Etſi in fide non illuminantur, niſi qui præordinati ſunt ad ſalutem, experientia tamen oſtendit, reprobos interdum ſimili fere ſenſu, atque electos affici, ut ne ſuo quidem judicio quicquam ab electis differant*. Si ita eſt, quomodo poteſt Calvinus certo credere, ſe habere veram fidem: quid ſi ſeipſum fallat? quid ſi inter reprobos ſit, & non vero ſenſu fidei, ſed ſimili afficiatur? quid ſi ſuo judicio, cum reprobus ſit, putet ſe ab electis non differre? Vides, opinor, ut omnia incerta ſunt, etiam in ſententia Calvini. Quomodo ergo certo tibi perſuadeas, remiſſa tibi eſſe peccata per fidem in Chriſtum? Nam ſi certus non es, te habere fidem, quomodo potes certus eſſe, te per fidem juſtificari?

3. Al-

3. Alterum argumentum. Actus fidei juſtificantis debent præcedere juſtificationem, ſeu remiſſionem peccatorum: ſed ille actus, quo quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata, & ſe juſtificatum eſſe, non præcedit juſtificationem, & remiſſionem: ergo non eſt actus fidei juſtificantis. Major patet, quia omnis cauſa eſt prior ſuo effectu, ut notum eſt ex Philoſophia: fides autem eſt cauſa juſtificationis, ut conſtat ex illo Rom. 5. 1. *Juſtificati ex fide, pacem habeamus ad Deum*. Et fatetur Calvinus in Antidoto Conc. Trident. ſeſſ. 6. ad Canonem 9. his verbis, *ſolam fidem juſtificationis cauſam eſſe intelligimus*. Unde concludo, fidem juſtificantem eſſe priorem ipſa juſtificatione, ſicut cauſa eſt prior effectu. Quod etiam docet Auguſt. lib. de Spiritu, & littera, cap. 30. ubi ſtatuit hunc ordinem in juſtificatione, ut primo loco ſit lex, per quam eſt cognitio peccati: ſecundo fides, quæ impetrat gratiam contra peccatum; tertio gratia, quæ juſtificat a peccato. Verba Auguſt. ſunt hæc: *Per legem cognitio peccati: per fidem impetratio gratiæ contra peccatum: per gratiam ſanatio animæ abolitione peccati*. Et in Epiſt. 106. & alibi ſæpe repetit, per fidem impetrari remiſſionem peccatorum, ac proinde fidem eſſe priorem juſtificationem. At vero, quod actus ille, quo quis credit remiſſa ſibi eſſe peccata, non ſit prior juſtificatione, ac proinde non ſit actus fidei juſtificantis (quod probandum nobis eſt) ex eo convincitur, quia ſi eſſet prior juſtificatione, & remiſſione peccatorum, jam is, qui crederet remiſſa ſibi eſſe peccata, falſum crederet. Nam dum ita crederet, non eſſent remiſſa, ſed per illum ipſum actum remittenda. Reſponderi poteſt, illum actum fidei, & remiſſionem eſſe ſimul: ita ut eodem inſtanti remittantur peccata, quo quis credit ea ſibi remitti. Sed de inſtanti temporis non diſputo. Loquor de ordine naturæ, ſeu cauſalitatis. Juxta hunc ordinem dici non poteſt, actum illum credendi, & remiſſionem peccati eſſe ſimul. Imo fateri coguntur adverſarii, actum illum, & priorem eſſe, & poſteriorem remiſſione peccati, quantumvis abſurdum id ſit. Priorem quidem, quia eſt cauſa remiſſionis, ut ipſi aſſerunt; Poſteriorem vero, quia remiſſio peccati eſt objectum illius actus: actus autem præſupponit ſuum objectum. Hinc neceſſario debent concedere has duas propoſitiones: Remiſſionem factam eſſe prius natura, quam credas factam eſſe: alioqui judicium fidei non ſupponeret veritatem objecti: Et remiſſionem non eſſe factam prius natura, quam credas factam eſſe, quia per illum ipſum actum credendi, tamquam per cauſam fieri debet. Hæ autem propoſitiones contradictoriæ ſunt.

4. Tertium argumentum. Actus fidei juſtificantis non debet

tol-

tollere, aut impedire orationem, ſacramenta, & alia pia opera in ſacris litteris commendata, & ad ſalutem pertinentia, ut per ſe manifeſtum eſt: atqui ille actus, quo quis certo credit, ſibi remiſſa eſſe peccata, tollit, & impedit omnia ſupra dicta: ergo non eſt actus fidei juſtificantis, ſed potius impedientis juſtificationem. Minor probatur, quia ſi certa, & Catholica fide credis peccata tibi remiſſa eſſe, quomodo poteris adhuc orare, ut remittantur? quomodo dices cum Apoſtolis: *Dimitte nobis debita noſtra*? Aut cum Publicano: *Deus propitius eſto mihi peccatori?* Exemplo res fiet clarior. Sit Calviniſta, qui heri adulterium commiſerit: hodie per fidem apprehendat juſtitiam Chriſti, & certo ſtatuat, peccatum illud ſibi remiſſum eſſe per Chriſtum. Deinde, cum cæteris templum adeat, & orationem Dominicam pronunciet. Quo ſenſu, quo animo is dicat: *Domine, dimitte mihi adulterium*? Cur non potius metuat hanc, aut ſimilem reprehenſionem: Stulte, & fatue, quid agis? ſi certo credis, hoc peccatum tibi remiſſum eſſe, quid ultra mihi moleſtus es? qui precaris, ut remittam? ſi autem dubitas, & firmam fidem non habes de remiſſione, quomodo poſtulas tibi remitti, quod ſine firma fide remitti non poteſt? Ut perſiſtam in hoc argumento, res a ſimili explicanda eſt. In ſchola Calvini tam certo, & firmiter unuſquiſque debet credere, remiſſa ſibi eſſe peccata propter Chriſtum, quam certo, ac firmiter credit, Chriſtum eſſe natum, & pro nobis mortuum, ac crucifixum. At, ſi quis Deum oraret, ut Chriſtus naſceretur, moreretur, & crucifigeretur, is procul dubio infidelis eſſet; quia judicaret Chriſtum non eſſe natum, mortuum, & crucifixum, quod repugnat fidei; ergo ſimiliter, ſi oraret Deum, ut remittantur ſibi peccata, non minus eſſet infidelis, quia judicaret peccata non eſſe remiſſa, quod repugnat fidei Calviniſtarum. De ſacramentis, & piis operibus idem dicendum eſt. Nam quorſum hæc neceſſaria ſunt, ſi certo perſuaſus es, te coram Deo juſtificatum eſſe, nec amplius indigere ullo remedio ad peccatorum remiſſionem impetrandam? fruſtra Ananias dixit Saulo, Act. 26. 16. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*. Quare fruſtra? quia juxta Calvinum jam certo credebat Saulus, peccata eſſe abluta.

5. Quartum argumentum. Quando ſcriptura loquitur de fide juſtificante, non loquitur de illo actu Calviniſtico, quo quis certo credat, remiſſa ſibi eſſe peccata, ſed de aliquo actu: ergo actus ille Calviniſticus non eſt actus juſtificans. Antecedens probatur ex variis locis ſcripturæ. Primus eſt ille Hebr. 11. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum*, quia

quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Hic ſine dubio agit Apoſt. de fide juſtificante, ut colligitur ex illis verbis: *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo*. Et fatetur Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 14. §. 4. in fine. At quis eſt actus hujus fidei juſtificantis? An ille Calviniſticus, quo quis certo credit peccata ſibi remiſſa eſſe per Chriſtum? At de hoc nulla hic fit mentio. Quis ergo? Audi ipſum Apoſtolum: *Oportet credere, quia inquirentibus ſe remunerator ſit.* Alter locus eſt Roman. 10. verſ. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitavit illum a mortuis, ſalvus eris.* Hic etiam conſtat agi de fide juſtificante, ut oſtendit illa particula, *ſi credideris, ſalvus eris.* Sed quid oportet credere, ut ſis ſalvus? an remiſſa tibi eſſe peccata? non hoc dicit Apoſtolus. Quid ergo: *Jeſum eſſe a mortuis reſuſcitatum.* Tertius locus eſt Joan. 20. verſ. 21. *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Certe hæc fides, de qua loquitur Euangeliſta, juſtificans eſt, quia affert vitam; & eſt illa, de qua Paulus Rom. 17. *Juſtus ex fide vivit.* Quis vero hujus fidei actus? Non Calviniſticus, ſed Euangelicus, *Credere Chriſtum eſſe Filium Dei.* Hunc actum habuit D. Petrus, cum dixit, Matth. 16. verſ. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Et quidem a Deo habuit, ut ibidem teſtatur Chriſtus: *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Omitto multa alia ſimilia loca, quæ intelliguntur de fide juſtificante, & tamen non poſſunt explicari de ſpeciali fide remiſſionis peccatorum, ſed de fide divinitatis, & aliorum myſteriorum.

6. Imo, quod mirum eſt, ea ipſa teſtimonia, quibus adverſarii contra nos contendunt, ſolam fidem ſufficere ad juſtificationem, nihil minus, quam actum illum Calviniſticum præſeferunt, ut Matth. 9. 2. *Videns Jeſus Fidem illorum, dixit Paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et infra v. 22. *Confide filia, Fides tua te ſalvam fecit.* Et Luc. 17. 19. *Vade, quia Fides tua te ſalvum fecit.* Et Luc. 18. 42. *Reſpice, Fides tua te ſalvum fecit.* Hæc, & id genus alia, quæ importune objiciunt nobis adverſarii pro ſola fide juſtificante, nullo modo intelligi poſſunt de illo actu, quo quis credit remiſſa ſibi eſſe peccata per Chriſti mortem, ac paſſionem; ſed de illo, quo qui a Chriſto ſanati ſunt, credebant eum habere vim ſanandi, & ſe poſſe ab eo juvari, ut ex ipſo contextu patet.

7. Ne ſim prolixior in citandis ſcripturis, quæ paſſim occurrunt, unum duntaxat peto a Calvino, & ejus diſcipulis, ut vel unicum locum oſtendant in ſacris litteris, ubi fides juſtificans ſumatur pro illa

illa ſpeciali fide, qua quis certo ſibi perſuadet, ſe a peccatis juſtificatum eſſe. Si aliquis ejuſmodi eſt, cur non exhibent? ſi non eſt, quid perſiſtunt in errore? quare pertinaciter tuentur, quod ex ſcripturis tueri non poſſunt? Celebre apud illos eſt illud Apoſt. Rom. 4. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Sed hoc ipſo textu confodiuntur. Nam fides Abrahæ, quæ ad juſtitiam illi reputata eſt, non conſiſtebat in eo, quod certo crederet, remiſſa ſibi eſſe peccata, (hoc enim nuſquam aſſerit ſcriptura) ſed in eo, quod crederet ſe futurum patrem multarum gentium ex filio, quem ſibi centenario uxor nonagenaria, & ſterilis, præter ſolitum naturæ curſum, paritura eſſet: id autem credere, nihil aliud erat, quam credere Deum, qui promiſerat, omnipotentem, ac fideliſſimum eſſe. Hoc expreſſe explicat Apoſt. in eodem cap. v. 18. ubi de fide Abrahæ ſic loquitur: *Qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum, ſicut ſtellæ cœli, & arena maris. Et non infirmatus eſt fide: nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cum fere centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ, ſed confortatus eſt fide, pleniſſime ſciens, quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt facere*. Neſcio, an aliquid clarius adduci poſſit ad refellendum Calviniſtarum errorem de actu fidei juſtificantis. Sed cæci ſunt, & in tenebris ambulant, oculos habent, & non vident.

8. Objici poteſt illud ex Symbolo: *Credo remiſſionem peccatorum*. Sed fruſtra: Nam ſenſus illius articuli non eſt: Credo mihi remiſſa eſſe peccata; ſed credo, & confiteor in Eccleſia Catholica eſſe donum remiſſionis peccatorum, quod per baptiſmum, & alia Sacramenta percipitur. Unde quod in Symbolo Apoſtolico dicitur, *Credo remiſſionem peccatorum*, in Conſtantinopolitano explicatur, *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*. Et Catechumeni, qui ante Baptiſmum recitant, & credunt totum Fidei Symbolum, non jam habent, ſed adhuc expectant remiſſionem per baptiſmum obtinendam.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

An fides juſtificans differat a fide hiſtorica, & miraculorum?

1. ADverſarii diſtinguunt triplicem fidem; Unam hiſtoricam, qua credimus vera eſſe, quæ narrantur in ſcripturis: Alteram miraculorum, qua credimus nihil eſſe, quod a Deo fieri non poſſit: Tertiam promiſſionum, qua credimus veras eſſe Dei promiſſiones de gratuita peccatorum remiſſione per merita Chriſti. Has tres fides reſpondere tribus a Deo proprietatibus: hiſtoricam, veritati: miraculorum, potentiæ: promiſſionum, bonitati. Nos nec prima, nec ſecunda, ſed ſola tertia juſtificari. Addunt fidem promiſſionum eſſe duplicem; unam generalem, qua generatim credimus promiſſam eſſe remiſſionem peccatorum iis omnibus, qui in Chriſtum credunt; alteram ſpecialem, qua unuſquiſque in particulari promiſſionem illam ſibi applicat, credendo, certoq; ſtatuendo, omnia peccata propter Chriſti meritum ſibi eſſe remiſſa. Hanc ſpeciem proprie eſſe illam, qua juſtificamur. Vide Calvinum lib. 3. inſtitut. cap. 2. per multos paragraphos, Kemnitium 1. parte examinis Concilii Tridentini, & alios paſſim.

2. Hæc ſententia plane nova eſt, & antiquis Patribus incognita, de qua doctiſſimus noſter Maldonatus in c. 9. Matth. ſic habet: *Iſta triplex fides, quam iſti nuper invenerunt, figmentum eſt, ſomnium, portentum eſt, Chimæra eſt: Et ſi unam haberent fidem, omnem haberent; quia triplicem habent, nullam habent.* Aptiſſime.

3. Et facile refelli poteſt. Primo, quia illa fides ſpecialis jam exploſa eſt. oſtendi, neminem poſſe certo credere, ſibi in particulari remiſſa eſſe peccata. Hoc enim revelatum non eſt. Secundo, quia falſum eſt, fidem miraculorum non juſtificare. Certe fides illa, de qua loquitur Chriſtus Matth. 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur:* Hæc, inquam, fides juſtificans eſt: quia qui illam habet, ſalvus erit; qui non habet, condemnabitur. Et tamen eadem fides miraculorum eſt, ut patet ex verbis ſequentibus: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis, ſerpentes tollent*, &c. Similiter Apoſtol. 1. Corinth. 13. 13. cum ait, *Nunc autem manent tria hæc, fides, ſpes, charitas*, loquitur de fide juſti-

juſtificante, ut fatetur Calvinus lib. 3. inſtit. c. 18. §. 8. Et tamen loquitur de illa fide, de qua paulo ante locutus erat in eodem c. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Hæc autem eſt fides miraculorum.

4. Falſum quoque eſt, fidem hiſtoricam non juſtificare. An non fides hiſtorica eſt, qua credimus Chriſtum eſſe crucifixum, mortuum, ſepultum, deſcendiſſe ad inferos, reſurrexiſſe a mortuis, & ad cœlos aſcendiſſe? Niſi Calviniſtæ velint fabulam, non hiſtoriam eſſe, quæ ab Euangeliſtis de Chriſti morte, ſepultura, reſurrectione, & aliis myſteriis accurate ſcripta ſunt. Atqui eadem illa fides, qua hæc omnia de Chriſto credimus, fides juſtificans eſt, ut partim ex ſymbolo Apoſtolico, & Athanaſii, partim ex ſcripturis clariſſime oſtenditur. Rom. 10. 9. *Si in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris*. Et 1. Corith. 15. 1. *Notum facio vobis Euangelium, per quod ſalvamini, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris; & quia ſepultus eſt; quia reſurrexit tertia die, &c.* Nec opus eſt pluribus teſtimoniis in re clara.

5. Ad extremum quæro ex adverſariis, cum dicunt triplicem eſſe fidem, an loquantur de habitu fidei, an vero de actu: Si de habitu, non plures, ſed unus tantum eſt: Si de actu, non tres tantum, ſed infiniti ſunt. Nam ſicut alio actu credimus promiſſiones Dei de remiſſione peccatorum; alio, hiſtorias a Deo revelatas; alio omnipotentiam Dei: ſic etiam alio credimus minas, & terrores Dei; alio Unitatem, & Trinitatem Dei; alio Eccleſiam Catholicam; alio futurum judicium, & ſic deinceps.

6. Unde recte Catholici docent, fidem, ſi ſumatur pro dono habituali, ac permanente, quod a Deo nobis infunditur, unam tantum eſſe, & extendi ad ea omnia credenda, quæ divinitus revelata ſunt: Sortiri autem varia nomina, ratione diverſarum partium ſui objecti adæquati. Et quidem, quatenus fertur in hiſtorias a Deo revelatas, vocari fidem hiſtoricam; quatenus in omnipotentiam Dei, cui nihil impoſſibile eſt, fidem miraculorum; quatenus in promiſſiones a Deo factas, fidem promiſſionum. Itaque non eſſe tres fides, ſed unam, quæ variis nominibus efferri poſſit. Porro eandem fidem, tametſi una ſit, habere tamen diverſos actus, quorum uno credatur unus articulus, alio alius, & ita deinceps. Nullum tamen eſſe, quo quis certo perſuaſus ſit, peccata ſibi eſſe remiſſa, eo quod hic actus non verſetur circa rem a Deo revelatam.

QUÆSTIO VII.

An homo ſit certus de ſua juſtitia, perſeverantia, & vita æterna?

1. AFfirmat Calvinus in Antidoto Concilii Trid. ſeſſ. 6. ad c. 10. 13. & 14. Et aperte ſequitur ex ipſius fundamentis, quæ ſunt hæc. Primum, fidem eſſe propriam electorum. Alterum, fidem nunquam amitti. Tertium, ſola fide hominem juſtificari. Quartum, qui fidem habet, certum eſſe de ſua fide. Hinc ſequitur, ſi is, qui fidem habet, certus eſt de ſua fide, certum quoque eſſe de ſua juſtitia, quia ſola fides juſtificat: certum de ſua perſeverantia, quia fides non amittitur: certum de ſua electione, quia fides propria electorum eſt.

2. Hic error refellitur primo generatim ex iiſdem principiis, quibus innititur. Nam tria priora manifeſte falſa ſunt, ut probatum eſt hactenus. Quartum porro, ſive verum, ſive falſum ſit, nihil ad rem facit. Nam etſi is, qui fidem habet, certus eſſet de ſua fide, non ideo quoque certus eſſet de ſua juſtitia, ſi ſola fides non juſtificat: nec certus de perſeverantia, ſi fides amitti poteſt: nec certus de prædeſtinatione, ſi fides communis eſt reprobis, & prædeſtinatis.

3. Deinde refellitur ſpeciatim quoad ſingulas partes. Et quidem prima pars de certitudine juſtitiæ, ac remiſſionis peccatorum aperte pugnat cum Scripturis. Eccleſiaſt. 9. 1. *Neſcit homo, utrum odio, vel amore dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta*. Et Eccleſiaſt. 5. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*. Et Pſal. 18. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine*. Et Proverb. 21. 2. *Omnis via viri recta ſibi videtur, appendit autem corda Dominus*. Et 1. Corinth. 4. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Qui autem judicat me, Dominus eſt*.

4. Hæc & ſimilia ſcripturæ teſtimonia proferunt Catholici contra certitudinem præſentis juſtitiæ. Ego primum, & ultimum duntaxat urgebo. Inquit ergo Salomon: *Neſcit homo, utrum odio, vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta, eo quod univerſa æque eveniant juſto, & impio*. Verba clara ſunt, & clariſſime explicantur a D. Hieronymo, & aliis. Sed conatur Calvinus l. 3. inſt. c. 2. §. 38. ſe expedire. Ait Salomonem non loqui de notitia fidei, ſed de ea, quæ haberi poteſt ex eventu externo, ut ſenſus ſit: ex beneficiis, & flagellis, quæ homini quotidie

obveniunt a Deo, non poſſe cognoſci, quos diligat Deus, aut quos odio proſequatur. Quare? quia tam beneficia, quam flagella æque eveniunt bonis, & malis. Si ergo quæras ex Calvino, an homo poſſit certo cognoſcere, ſe juſtum eſſe, & a Deo diligi; reſpondebit cum hac diſtinctione, poſſe eum cognoſcere per internam fidem, non poſſe per externa beneficia.

5. Sed facile refellitur Calvinus. Primo, ex ſcopo, & argumento Salomonis. Voluit is probare, non poſſe hominem in hac vita cognoſcere de ſe ipſo, an diligatur a Deo, nec ne. Probavit autem hoc modo: ſi id poſſet cognoſcere, maxime ex beneficiis Dei cognoſceret: at hinc non cognoſcit, cum beneficia Dei ſint communia bonis, & malis: ergo non poteſt certo cognoſcere. In hoc ſyllogiſmo ſupponit Salomon non poſſe eum id cognoſcere per internam fidem; alioqui major propoſitio non eſſet ſufficienter diſtributa. Deberet enim diſtribui hoc modo: ſi homo poſſet certo cognoſcere ſe eſſe juſtum, & a Deo diligi; vel id cognoſceret per internam fidem, vel per externa ſigna. At Salomon omiſit prius membrum de interna fide: ergo cenſuit nihil ad rem pertinere.

6. Secundo refellitur Calvinus ex illa particula: *Omnia in futurum ſervantur incerta*. At quomodo incerta omnia, ſi quiſque per notitiam fidei certus eſt, ſe diligi a Deo, & non odio haberi? Tertio refellitur ex propriis verbis: Nam lib. 3. inſtit. c. 2. § 38. aſſignans cauſam, cur Deus nolit hominem cognoſcere de ſeipſo, an juſtus ſit, nec ne, ſic habet: *Id facit ad vanitatem humani ingenii arguendam, cum in rebus ſcitu maxime neceſſariis tanta hebetudine teneatur*. At quomodo tenetur hebetudine, ſi habet certam, & indubitatam notitiam fidei de ſua juſtitia, & amicitia cum Deo? Hæc minime inter ſe cohærent. Nec mirum: quia ab hæretico prolata ſunt.

7. Jam D. Pauli teſtimonium non minus efficax eſt. *Mihi*, inquit, *pro minimo eſt, ut a vobis judicer*, ideſt, non magni facio aliena de me judicia, quia ſcio, quam ſint incerta: *Sed neque meipſum judico*, ideſt, nec meo judicio fidere audeo. Nam etſi *nihil mihi conſcius ſim*, *non tamen in hoc juſtificatus ſum*, ideſt, non ideo juſtus ſum, quia bonam conſcientiam habeo. Fortaſſe enim Deus videt aliquid in mea conſcientia, quod ego ibi non video. *Qui autem judicat me, Dominus eſt*, ideſt, ſolus Deus eſt verus judex, qui omnia novit. Hactenus verba Apoſtoli. Hinc colligunt Patres incertitudinem gratiæ, & remiſſionis peccatorum. Et merito. Nam ſi Paulus fatetur, nec ſe, nec quenquam aliorum hominum ſcire, an ipſe ſit fidelis diſpenſator myſteriorum Dei, quod ve-

veniebat in quæſtionem : ſane & nos fateri debemus , neque nos, neque alium quenquam de ſeipſo ſcire, an ſit juſtus, & amicus Dei. Niſi Calviniſtæ plura cognoſcant de ſeipſis, quam de ſe Apoſtolus; quod non credo.

8. Sane Auguſtinus in Pſalm. 41. expendens verba Apoſtoli jam citata, ſic exclamat: *Tantamne profunditatem creditis eſſe in Domino, quæ lateat ipſum hominem, in quo eſt?* Et ibidem: *Cor hominis abyſſus eſt. Quid enim eſt profundius hac abyſſo? Loqui homines poſſunt, videri poſſunt, audiri in ſermone: ſed cujus cogitatio penetratur? cor inſpicitur?* Et ſerm. 23. de verbis Domini: *Fortaſſe tu nihil invenis in conſcientia tua: invenit ille, qui melius videt.* Et hom. 35. *Quamdiu vivimus hic, de nobis ipſis nos ipſi judicare non poſſumus: non dico, quid cras erimus, ſed quid hodie ſimus.*

9. Similia habent alii Patres. Sed Calvinus vult plus ſapere, quam ipſi. Nec deſunt Scripturæ loca, quibus ſe defendat. Ac primum objicit illud Rom. 8. 16. *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei*: Ex quo videtur concludi, nos infallibiliter certos eſſe de juſtitia noſtra, quia teſtimonium Spiritus ſancti infallibile eſt. Reſpondeo. Teſtimonium Spiritus ſancti eſt duplex. Alterum fit per revelationem, ſeu verbum expreſſum ex parte intellectus. Alterum per experimentalem quendam affectum, & motionem ex parte voluntatis. De poſteriori loquitur Apoſtolus. Hoc autem poſterius non efficit, ut quis infallibiliter ſciat, ſe a Spiritu ſancto moveri, & Dei amicum eſſe. Nam aliquando ſpiritus malus transfigurat ſe in Angelum lucis. Unde fit, hominem falli, ac decipi poſſe. Deinde, conſtet ſane homini ſe impelli a Spiritu ſancto: nondum conſtabit, ſe eo modo affici, quo amici Dei afficiuntur. Nam & peccatores interdum a Spiritu ſancto pulſantur, & impelluntur. Hoc fatetur Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 2. cum ait: *Experientia oſtendit, reprobos interdum ſimili fere ſenſu atque electos affici, ut ne ſuo quidem judicio quicquam ab electis differant.*

10. Secundo objicit illud Rom. 8. 38. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita poterit nos ſeparare a charitate Dei.* Reſpondeo. Non loquitur Apoſtolus de certitudine fidei, ſed tantum de morali, quæ ex ſignis, & conjecturis gignitur. Nam græce eſt, *πέπεισμαι*, ideſt, *perſuaſus ſum*, ſeu *confido*. Unde etiam Ambroſius hoc loco, & Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam, qu. 8. non legunt, *Certus ſum*, ſed, *confido*. Et ipſemet D. Paulus in eadem epiſt. cap. 15. 14. utitur eodem verbo, cum dicit: *Certus ſum,*

fratres mei, quoniam pleni eſtis dilectione. Ubi ſane non vult ſignificare, ſe habere certitudinem fidei de dilectione Romanorum; ſed moralem tantum perſuaſionem.

11. Tertio objicitur illud 1. Cor. 2. 12. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus; ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ donata ſunt nobis*. Reſpondeo. Duplicia ſunt dona Dei. Quædam gratiæ, quæ donantur in hac vita, quædam gloriæ, quæ in altera. Nos hic diſputamus de priori genere; Apoſtolus loquitur de poſteriori. Senſus ergo eſt, nos a ſolo Dei ſpiritu didiciſſe, quæ dona ab æterno Deus præparaverit nobis poſt hanc vitam. Hoc patet ex verbis præcedentibus, quæ ſic habent: *Oculus non vidit, nec auris audivit quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum*.

12. Quarto objicitur illud 1. Joan. 3. 14. *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Et cap. 4. 13. *In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis*. Et cap. 5. 19. *Scimus, quoniam ex Deo ſumus*. Reſpondeo. Non loquitur Joannes de notitia fidei, ſed de conjecturali. Nam notitia fidei fundatur in revelatione Dei ex parte intellectus. Ideo enim intellectu aſſentimur alicui rei per notitiam fidei, quia a Deo revelata eſt. Notitia vero, de qua Joannes agit, non fundatur in revelatione, ſed in ſigno, ſeu effectu, quem in nobis experimur ex parte voluntatis. Ait enim nos ſcire, quod ſimus *tranſlati de morte ad vitam, & quod in Deo maneamus, quia diligimus fratres*, id eſt, quia experimur in nobis affectum charitatis circa proximos, qui affectus non poteſt eſſe niſi a Deo. Unde ſubdit ibidem: *Qui non diligit fratrem, manet in morte*. Quaſi dicat: Sicut ex præſentia amoris colligimus, nos eſſe Dei amicos; ita ex defectu amoris colligimus, nos eſſe in morte, id eſt, in ſtatu peccati mortalis. Jam vero quod hujuſmodi notitia, quæ per internum experimentum habetur, non ſit omnino infallibilis, patet ex iis, quæ dicta ſunt ad primam objectionem.

13. Quinto objicitur illud 2. Cor. 13. 5. *Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide; an non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus in vobis eſt? niſi forte reprobi eſtis*. Hinc videtur ſequi, reprobos eſſe, qui non agnoſcunt ſe eſſe in fide, & gratia Chriſti: & e contrario, quotquot prædeſtinati ſunt, hoc agnoſcere. Reſpondeo. Nihil convincit hic locus. Primo quia Apoſtolus tantum loquitur de fide, non de juſtitia: quæ diſtincta ſunt. Nec ſequitur, eum, qui certus eſt de ſua fide, conſequenter certum eſſe de ſua juſtitia.

Secun-

Secundo loquitur de Chriſto habitante in Corinthiis per potentiam, & miracula, quæ apud illos faciebat, non autem de Chriſto habitante in ipſis per gratiam juſtificantem. Hinc tertio apparet, illum hortari Corinthios, ut tentent ſeipſos, ſi ſint in fide, non quod cupiat ſingulos certos eſſe de ſua fide, quam quiſq; in ſe habet: ſed quod velit eos attendere, an non credant, Chriſtum apud ipſos virtutes, & miracula operari. Denique, etſi daremus Apoſtolum loqui de fide, & juſtitia cujuſque in particulari, nihil eſſet incommodi. Non enim dicit: *Vos ipſi certi eſtis de fide, & remiſſione peccatorum; & certo creditis, Chriſtum in vobis eſſe*; ſed multo aliter: *Voſmetipſos*, inquit, *tentate, ſi eſtis in fide*. At quid opus eſſet hoc tentare, ſi ipſi certi eſſent, ſe habere fidem, & eſſe juſtos coram Deo?

14. Sat multa de prima parte. Sequitur altera pars, quæ aſſerit, nos certos, ac ſecuros eſſe de perſeverantia. Et refellitur primo, quia ſi nemo certus eſt de præſenti juſtitia, ut jam probavi; quomodo poteſt eſſe certus de perſeverantia in juſtitia? ſane nemo certus eſt, ſe perſeveraturum in bona fama, & exiſtimatione, ſi dubius eſt, an habeat bonam famam, & exiſtimationem. Secundo, quia ſcriptura hortatur nos ad timorem, non ad ſecuritatem. Rom. 11. 20. *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time*. Et Philip. 2. 12. *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini*. Et Pſal. 2. 11, *Servite Domino in timore: apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta*. Hic clamabunt Calviniſtæ, Davidem eſſe Papiſtam, & inſanire, quod jubeat ipſos eſſe in timore, ſe vero ſecuros eſſe de vita æterna: non poſſe perire de via juſta, nec Deum iraſci poſſe prædeſtinatis.

15. Et argumentantur hoc modo: Quicunque orat pro dono perſeverantiæ, certo debet credere ſe accepturum perſeverantiam: Sed omnes fideles orant pro dono perſeverantiæ. Ergo, &c. Major patet ex illo Jacobi 1. 6. *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans*. Hic jubemur petere a Deo ſine hæſitatione: Ergo jubemur eſſe certi, nos impetraturos, quod petimus. Reſpondeo. Hæc duo diſtinguuntur: Credere ſine hæſitatione, Deum poſſe præſtare, quod petis: Et credere ſine hæſitatione, Deum reipſa præſtiturum, quod petis. Illud prius tenemur abſolute credere: hoc poſterius cum conditione, ſi nimirum ex parte noſtra non ſit defectus, vel ſi Deo viſum eſt expedire. Hoc patet exemplo Divi Pauli, qui non hæſitavit fide, quando ter Deum rogavit, ut liberaretur a ſtimulo carnis, & tamen reipſa non impetravit. Quæres, quomodo ergo verum eſt illud Matth. 11. 24. *Quæcun-*

que orantes petitis, credite, quia accipietis? Reſpondeo: Hoc verum eſt ſub conditione, ſi bene petamus, & ſi nobis expediat. Et quidem expedit habere perſeverantiam, non tamen ſemper bene eam petimus. Quare? quia nemo bene petit perſeverantiam, niſi qui eam petit perſeveranter uſque ad finem vitæ. At quis certus eſt ſe perſeveranter petiturum?

16. Tertia pars de certitudine prædeſtinationis, & vitæ æternæ eodem modo refutatur. Si enim certo neſcias te perſeveraturum in gratia, quomodo certo ſcias te ſalvum fore, & prædeſtinatum eſſe? Et ſane, ſi unicuique fideli certo conſtaret, ſe ad vitam æternam eſſe prædeſtinatum, cur non abjiciat omnem timorem, & ſollicitudinem, præſertim cum prædeſtinatio mutari, aut falli non poſſit?

17. Obiiciunt illud 1. Joan. 5. 13. *Hæc ſcribo vobis, ut ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei*, Reſpondeo: Qui credunt, habent vitam æternam in ſpe, non in re, juxta illud Rom. 8. 26. *Spe ſalvi facti ſumus*. Ut autem reipſa accipiant vitam æternam, opus eſt perſeverantia, juxta illud Heb. 3. 14. *Participes Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus*.

CAPUT XVII.

De Obſervatione Legis.

Controverſia eſt, an homo juſtus in hac vita, non quidem ſuis viribus, ſed cum auxilio divinæ gratiæ, poſſit obſervare legem Decalogi? Affirmant Catholici. Negant Adverſarii. Primo, quia illud præceptum, *Non concupiſces*, ſervari non poteſt. Deinde nec illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Denique nec reliqua præcepta. Hinc inferunt, juſtum non obligari ad Decalogi obſervationem. Et quidem duplici titulo non obligari, tum quia Lex Decalogi obſervatu impoſſibilis eſt, tum quia Chriſtus liberavit juſtum ab obligatione legis, juxta illud 1. Timoth. 19. *Juſto non eſt lex poſita*. Et Gal. 3. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis*. Hæc omnia examinanda ſunt. Eſt igitur

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An præceptum illud, Non concupiſces, ſit impoſſibile?

1. SEnſus eſt, an homines juſti per auxilium gratiæ Dei poſſint ſervare hoc præceptum Decalogi, *Non concupiſces*. Ut intelligatur, quid Adverſarii, quid Catholici ſentiant, tria hic ſpectari debent, ut ſupra dixi. 1. Concupiſcentia in actu primo, ſeu pronitas quædam ad concupiſcendum. 2. Motus concupiſcentiæ in actu ſecundo præveniens rationem. 3. Conſenſus, qui a libera voluntate proficiſcitur. Hoc poſito adverſarii docent, hæc omnia eſſe peccata. Et quidem concupiſcentiam in actu primo dicunt eſſe ipſum peccatum originale, motum vero concupiſcentiæ, qui prævenit advertentiam rationis, & præterea conſenſum, qui ſequitur, eſſe peccata actualia, & quidem mortifera, contra illud præceptum: *Non concupiſces*. Volunt enim hoc præcepto prohiberi non ſolum conſenſum, ſed etiam ipſos motus concupiſcentiæ conſenſum prævenientes. Unde concludunt præceptum hoc ſervari a nobis non poſſe in hac vita, quia non poſſumus vitare motus concupiſcentiæ; qui hoc præcepto prohibentur. Sed errant.

2. Catholici contra docent. Primo, concupiſcentiam in actu primo non eſſe peccatum originale, ſed naturalem quandam pronitatem, quæ per ſe culpabilis non eſt. (Supra cap. 14. quæſt. 1.) Secundo, motus concupiſcentiæ, rationem prævenientes, non eſſe peccata mortalia, nec prohiberi hoc præcepto, *Non concupiſces*; ſed ſolum conſenſum. Hinc inferunt, præceptum hoc non eſſe impoſſibile, ſed ſervari poſſe a juſtis per gratiam Dei, cum nihil aliud illo prohibeatur, quam liber conſenſus, qui libere vitari poteſt. Hoc conſtat ex ipſa ſcriptura. Quod enim uno loco dicit, *Non concupiſces*, alibi explicat Eccleſiaſt. 5. 2. *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui*. Et cap. 18. 30. *Poſt concupiſcentias tuas non eas*. Et Rom. 6. 12. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*. Certe in his locis ſermo eſt de conſenſu.

3. Idem frequenter docet Auguſtinus, præſertim lib. 1. de nuptiis, & concupiſcent. cap. 23. cum ait: *Nam ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur*. Et in expoſitione quarundam propoſitionum ex Epiſt. ad Romanos, expoſitione 17. *Non enim*

In ipſo deſiderio pravo, ſed in noſtra conſenſione peccamus. Et lib. 5. contra Julianum c. 3. *Aliud eſt habere mala deſideria carnis: aliud tradi eis conſentiendo*, &c. & lib. 1. de civit. Dei c. 25. *Quod ſi illa concupiſcentialis inobedientia abſque culpa eſt in corpore dormientis, quanto magis abſque culpa in corpore non conſentientis?* Ex his, & ſimilibus locis aperte patet, motus concupiſcentiæ, ex ſententia Auguſtini, non eſſe peccata, niſi accedente libero hominis conſenſu: ac proinde non prohiberi illo præcepto, *Non concupiſces*, niſi ſolum conſenſum. Et hanc eſſe mentem illius fatetur Calvinus lib. 3. inſtit. c. 3. §. 10.

4. Accedunt duo efficaciſſima argumenta. Primum. Deus ſuo præcepto non obligat nos ad id, quod non eſt in noſtra poteſtate; ſed non eſt in noſtra poteſtate vitare motus concupiſcentiæ rationem prævenientes: ergo Deus ſuo præcepto non obligat nos ad eos vitandos. Minor per ſe nota eſt. Major probatur, quia eſſet ſtulta, & crudelis obligatio. An non ſtultum eſt, obligare alium ad id præſtandum, quod præſtare non poteſt? An non crudele, punire illum, quia non præſtiterit, quod præſtare non potuit? Perinde eſt, ac ſi famulo tuo imperes, ut non eſuriat, non ſitiat, non frigeat, non caleat: & niſi obtemperet, crucem, ac ſupplicium intentes.

5. Alterum eſt. Id, quod homini in puris naturalibus conſtituto eſſet connaturale, & ſine culpa, non poteſt in nobis eſſe culpabile, niſi aliunde fiat tale; ſed motus rationem prævenientes eſſent homini in puris naturalibus conſtituto connaturales, & ſine culpa; ergo in nobis non poſſunt eſſe culpabiles, niſi aliunde fiant tales. Major eſt evidens. Minor probatur, quia ſi homo crearetur a Deo in puris naturalibus, proculdubio conſtaret duabus partibus repugnantibus, ſpiritu, & carne, & haberet duos appetitus contrarios, rationalem, & ſenſitivum: ergo naturaliter haberet quoſdam motus repugnantes rationi. Hi autem non eſſent peccata in tali homine. Cur ergo in nobis ſint, niſi aliunde fiant tales? At aliunde non fiunt, niſi per liberum conſenſum, præſertim in homine renato: ergo ſolus conſenſus eſt, qui culpam habet, & prohibetur illo præcepto: *Non concupiſces*.

6. Objicit Calvinus. In duobus illis Decalogi præceptis, *Non mœchaberis*, & *non furtum facies*, prohibitus fuit conſenſus in concupiſcentiam uxoris, & rei alienæ: ergo in hoc præcepto, quod in eodem Decalogo ſequitur, *Non concupiſces*, prohibetur motus concupiſcentiæ ſine conſenſu: alioqui idem bis prohiberetur. Reſp. In prioribus duobus prohibitum fuit adulterium, & furtum, quod externo opere committitur: in alio, quod ſolo

con-

conſenſu perficitur: voluit enim Deus ſignificare, non ſolum peccari externo opere, ſed etiam interno conſenſu, contra divinam legem. Hoc diſerte explicat Chriſtus Matth. 5. 22. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Et infra, v. 28. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Hinc colligi poteſt differentia inter legem divinam, & humanam, quod hæc circa externa tantum, illa etiam circa interna verſetur. Et ratio eſt, quia ſolus Deus penetrat internas hominum cogitationes. Apocal. 2. 23. *Ego ſum ſcrutans renes, & corda.*

7. Ex dictis colligo contra Calviniſtas, hoc præceptum, *Non concupiſces*, ſervari poſſe in hac vita ab homine juſto. Non enim illo prohibetur motus concupiſcentiæ rationem præveniens, qui vitari nequit, ſed conſenſus voluntatis, qui eſt in noſtra poteſtate. Idem convincitur ex illo Sap. 8. 21. *Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, adii Dominum, & deprecatus ſum illum.* Quaſi dicat: Scio, Domine, quod quando inſurgunt in me motus concupiſcentiæ, non poſſum iis reſiſtere, & continens eſſe, niſi tua gratia me adjuvet. Supponit ergo, poſſe aliquem eſſe continentem, & reſiſtere illis motibus, ut non conſentiat, ſi adſit Dei gratia. Eodem ſpectat illud Apoſt. 2. Cor. 12. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me; & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.*

8. Objici ſolet authoritas Auguſtini lib. 1. de nuptiis, & concupiſcent. cap. 23. ubi ait. *Ut ſi non fit, quod ſcriptum eſt, Non concupiſces; ſaltem fiat, quod alibi legitur; Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Ubi diſtinguit inter illa duo præcepta, *Non concupiſces, & , Poſt concupiſcentias tuas non eas*, aſſerens hoc ſervari poſſe in hac vita, illud non poſſe. Unde in l. de ſpiritu, & litt. c. 36. dicit, alterum pertinere ad vitam mortalem, alterum ad immortalem. Reſpondeo. Hoc præceptum, *Non concupiſces*, poteſt ſpectari dupliciter. 1. Quoad verba, quibus proponitur. 2. Quoad ſenſum, & obligationem, quam inducit Auguſtinus: ergo cum ait non poſſe impleri in hac vita, intelligendus eſt, quoad verba præcepti, non quoad obligationem. Hoc evidenter oſtendo ex duobus principiis. Alterum eſt, quod motus concupiſcentiæ rationem prævenientes non ſint peccata ſecundum Auguſt., ut ſupra monui, & fatetur Calvinus l. 3. inſt. c. 3. §. 10. Alterum eſt, quod præceptis divinis nihil prohibeatur, niſi peccatum,

tum, quod ne adverſarii quidem negant. Hinc concludo, ejuſmodi motus non prohiberi hoc præcepto, *Non concupiſces*, ſed ſolum conſenſum, ac proinde hoc præceptum ſervari poſſe quoad obligationem, ex ſententia Auguſtini, cum conſenſus, qui prohibetur, ſit in noſtra poteſtate.

QUÆSTIO II.

An præceptum illud, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ſervari poſſit.

1. OStendi hactenus, ſervari poſſe illud Decalogi præceptum, quod difficillimum videbatur; *Non concupiſces*. Nunc de hoc altero videndum eſt: *Diliges Deum ex toto corde tuo*. Et quidem Calvinus ait, non poſſe impleri in hac vita. Catholici contra ſtatuunt. Et probant exemplo Davidis, & aliorum ſanctorum, qui illud ſervarunt. Pſal. 118.10. *In toto corde meo exquiſivi te*. Et 3. Reg. 14. 8. *Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſt in conſpectu meo*. Et 4. Reg. 23. 25. de Joſia: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua juxta omnem legem Moyſis*. Et rurſus Eccleſiaſtici 47. 10. de Davide: *De omni corde ſuo dilexit Deum*. Hic aperte vides Davidem, & Joſiam dilexiſſe Deum ex toto corde juxta præceptum Decalogi. Nec dubium, quin idem fecerit Abraham, Moyſes, Samuel, Helias, Eliſæus, Jeremias, & alii Prophetæ; & in novo teſtamento B. Virgo, Apoſtoli, Stephanus, Timotheus, Titus, & alii non pauci, præſertim cum de his prædictum ſit Deut. 30. 6. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas eum in toto corde, & in tota anima, ut poſſis vivere*.

2. Porro, ut res tota clarius percipiatur, explicandum eſt, qui ſit ſenſus præcepti, quo jubemur diligere Deum ex toto corde. Sic enim facile conſtabit, an ſervari poſſit, nec ne. Poteſt autem triplex eſſe ſenſus. Primus, ut diligamus Deum ex toto corde, ideſt, ut totum cor noſtrum, quantum eſt, in eo ſolo diligendo occupetur, nec aliud amemus, aut diligamus, quam ipſum. Hoc ſenſu non præcipitur Dei dilectio: alioqui non liceret proximum diligere, quod tamen facere jubemur. Alter eſt, ut diligamus Deum ex toto corde, non quod totum cor noſtrum in eo diligendo debeat occupari; ſed quod tanto conatu in eum ferri debeat, quanto fieri poteſt. Nec hoc ſenſu præcipitur, quam-

quamvis ſi præciperetur, ſervari poſſet. Quis enim dicat impoſſibile ſibi eſſe, diligere Deum tanto conatu, quanto diligere eum poteſt? Tertius eſt, ut diligamus Deum ex toto corde, ideſt, ut diligamus eum ſuper omnia; ut præferamus illum rebus aliis, ut nullius rei amorem Dei amori anteponamus; ut nullius creaturæ timore, vel amore velimus Deum offendere, & ab illius amore recedere. Hic verus, ac germanus ſenſus eſt. Hunc expreſſit Apoſt. Rom. 8. 39. *Nulla creatura poterit nos ſeparare a charitate Dei*, ideſt, nulla poterit efficere, ut ei poſtponamus dilectionem Dei. Et Chriſtus Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non eſt me dignus*, ideſt, qui amorem parentum præfert amori Dei, non diligit Deum ſuper omnia. Unde e contrario qui amori parentum (qui in filiis ſolet eſſe maximus) præfert amorem Dei, convincitur diligere Deum ſuper omnia.

3. Hoc ſenſu laudatur Abraham (Gen. 22.) quod cum haberet unicum filium Iſaac, quem intime diligebat, ejus tamen dilectioni præferret dilectionem Dei. Nam ſi inter omnes creaturas nullam tantopere amabat, ſicut filium ſuum unigenitum, & nihilominus hunc ipſum filium paratus erat offerre Deo in ſacrificium; evidens ſignum erat eum dilexiſſe Deum *ſuper omnia*, vel quod idem eſt, *ex toto corde*. Hinc concludo, hoc præceptum non eſſe impoſſibile, ſi eo ſenſu explicetur, quo jam explicatum eſt.

4. Sed objicitur Auguſt. in lib. de ſpiritu, & littera, cap. ultimo, & in lib. de perfectione juſtitiæ, reſp. 17. ubi ait, hoc præceptum non poſſe impleri in hac vita, ſed in alia. At prompta eſt reſponſio. Nam duo nititur oſtendere Auguſtinus, quæ veriſſima ſunt. Unum eſt, præceptum illud, *Diliges Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus*, poſſe quidem impleri in hac vita, quoad obligationem, quam inducit, non tamen quoad verba, quibus proponitur. Alterum eſt, in hac vita non tam perfecte diligi Deum, quam in altera, quod probat hac ratione. Dilectio ſupponit cognitionem. In hac vita cognoſcimus Deum obſcure per fidem, in altera clare per viſionem. Quid ergo mirum, ſi in hac vita minus perfecte, in altera perfectius Deum diligamus? Hanc eſſe mentem Auguſtini, ex ipſo textu colligitur. Nec in minimo nobis repugnat.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An tota lex Decalogi ſervari poſſit?

1. EX dictis facile demonſtrari poteſt, totam legem ſervari poſſe ab homine juſto. Primo, quia ſi duo præcipua præcepta, quæ videbantur omnium difficillima, ſervari poſſunt, cur non etiam reliqua? Secundo, quia qui diligit Deum ex toto corde, præfert illum omnibus creaturis, nec intuitu ullius creaturæ vult illum offendere: ergo ſervat omnia illius præcepta; quia ſi vel unum non ſervaret, jam illum offenderet. At homo juſtus poteſt illum diligere ex toto corde, ut probatum eſt: Ergo poteſt omnia illius præcepta ſervare. Imo, ſi proprie loquamur, hæc duo, *amare Deum ex toto corde, & mandata Dei cuſtodire*, reipſa idem ſunt: vel certe alterum cum altero neceſſario connexum. Fieri enim non poteſt, ut quis diligat Deum ex toto corde, & non ſervet omnia ejus præcepta. Hinc in ſcripturis fere ſemper conjunguntur: ut Exod. 20. 6. *Faciens miſericordiam his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea*. Et Deut. 10. 12. *Et nunc Iſrael, quid Dominus Deus petit a te, niſi ut diligas eum in toto corde tuo, & cuſtodias mandata ejus?* Et cap. 11. v. 1. *Ama Dominum Deum tuum, & obſerva præcepta ejus*. Et Joſue 22. 5. *Ut diligatis Dominum Deum veſtrum, & obſervetis mandata illius*. Et Chriſtus Joan. 15. 10. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea*. Et alibi ſæpe.

2. Quid multis? Scriptura aperte teſtatur, quoſdam totam legem cuſtodiviſſe, ut 3. Reg. 14. 8. *Non fuiſti, ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo*. Et Luc. 1. 6. de Zacharia, & Eliſabeth: *Erant juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela*. Et Joan. 17. 6. de Apoſtolis: *Tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt*. Quis neget idem feciſſe B. Virginem, ſanctum Stephanum, Timotheum, & non paucos alios?

3. Et ſane, ſi lex impoſſibilis eſſet, neque ſervari poſſet, cur eam Deus Opt. Max. nobis imponeret? Cur clamaret Chriſtus, Matth. 11. 30. *Tollite jugum meum ſuper vos: Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*? Cur Apoſtolus 1. Joan. 5. 3. *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt?* Cur Propheta David de ſeipſo, Pſal. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*? Cur alius Propheta de omnibus juſtis, Ezech. 36. 27. *Spiritum meum*

ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis? Certe ex his, & ſimilibus patet, legem Dei non modo poſſibilem eſſe, ſed etiam facilem, & jucundam iis, qui gratia Dei adjuvantur. Blaſphema igitur vox Calvini in antidoto Concilii Trident. ſeſſ.6. c.12. cum ait: *Prophetas, & Patriarchas, & pios reges, utcunque Dei Spiritu adjuvarentur, ferendo legis jugo pares non fuiſſe.* Quid hoc aliud eſt, quam palam pronunciare, omnia Scripturæ teſtimonia jam citata eſſe falſa? Et Spiritum ſanctum non poſſe hoc efficere per dona gratiæ in cordibus juſtorum, ut legi ſatisfaciant? Multo aliter Apoſtolus ad Phil. 4. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* An hic regeret Calvinus, mentiri Apoſtolum, & debuiſſe dicere, *Non poſſum omnia in eo, qui me confortat*, quia legem ſervare non poſſum? Apage.

4. Sed preſſius ad rem. Cum lex Decalogi contineat decem præcepta, quæram ex Calvino, an omnia, & ſingula, an aliqua duntaxat ſint impoſſibilia? Scio dicturum, duo hæc potiſſimum ſervari non poſſe, *Diliges Deum ex toto corde*, &, *Non concupiſces.* Sed de his ſeorſim jam egi. De reliquis quæro, ſintne poſſibilia, nec ne? Negat in antidoto loco citato, cum ait: *Minimum legis mandatum onus eſſe Ætna gravius.* Quid? Nemo ergo juſtorum non homicida eſt? Nemo non fur, & adulter? Nemo non falſus teſtis? Abſit. Multi commendantur in Scripturis, qui ab iis vitiis fuerunt immunes. Quis audeat dicere, Joſephum Patriarcham, & Suſannam fuiſſe adulteros, qui tam fortiter pro caſtitate pugnarunt? Quis Apoſtolos fuiſſe fures, qui etiam propria reliquerunt? Quis Euangeliſtas fuiſſe falſos teſtes, qui teſtandæ veritati deputati ſunt? Dicet, opinor, Calviniſta quiſpiam, eos externo opere non fuiſſe tales, ſed tamen animo, & cogitatione. Sed quiſquis hoc dicit, metitur alios ſuo ingenio, & ſicut ipſe plenus eſt dolo, ira, fraude, nequitia, pravis cupiditatibus; ſic alios omnes eſſe malitioſe confingit. Sane Chriſtus in Euangelio, cum dicebat, juſtitiam Chriſtianorum debere perfectiorem eſſe, quam fuerit juſtitia Phariſæorum, hoc agebat, ut non tantum externo opere ſervaremus mandata legis, ſicut Phariſæi ſervabant, ſed etiam interno affectu, & propoſito. Unde volebat, diſcipulos ſuos non tantum non occidere, ſed nec iraſci; non tantum non mœchari, ſed nec mulierem concupiſcere. Et quis neget eos cum Dei gratia præſtare id potuiſſe?

5. Hæc ſufficiunt contra adverſarios. Videamus nunc, quid pro ſe afferant. Primum objiciunt illud Act. 15. 10. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Hæc ſunt verba Petri Apoſtoli, qui-

quibus teſtatur legem eſſe jugum importabile, neque nos poſſe ſalvari per obſervationem legis, cum ea impoſſibilis ſit; ſed per gratiam Dei, quæ a legis jugo nos liberat. Reſp. Certum eſt, Petrum non loqui de lege morali, quæ continetur in Decalogo, & de qua hic diſputamus; ſed tantum de ceremoniali. Contendit enim, Chriſtianos non eſſe obligandos ad circumciſionem, & ſimiles Ceremonias Judaicas, idque propter duas cauſas. Primo, quod ſint jugum grave, & importabile. Secundo, quod ſint inutiles ad juſtificationem. Hanc poſteriorem cauſam clarius expreſſit D. Paulus ad Gal. 4. 9. *Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti ſitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* Porro lex ceremonialis vocatur *jugum importabile*, non quod portari omnino non poſſit, ſed quod ægre, ac difficulter, ut recte exponit D. Thom. in 2. diſt. 28. qu. 1. art. 4. ad 3. Lyranus in hunc locum, & alii. Nam ſi omnino portari non potuiſſet, mentitus eſſet Euangeliſta, cum dixit de Zacharia, & Eliſabeth Luc. 1. 6. *Erant ambo juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela.* Eodem ſenſu Chriſtus traditiones Phariſaicas vocat onera importabilia. Matth. 23. v. 4. *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere.*

6. Secundo objiciunt illud Apoſtoli ad Galat. 3. 10. *Quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Hic ſupponit Apoſtolus legem Dei eſſe impoſſibilem, ut colligitur ex ipſius diſcurſu, qui eſt hujuſmodi. Quicunque non ſervat totam legem, eſt maledictus: ergo qui volunt juſtificari ex operibus legis, ſeu ex obſervatione legis, ſunt maledicti. Quæ conſecutio nulla eſſet, niſi ſubintelligatur aſſumptio iſta: atqui nullus poteſt ſervare totam legem. Totum ergo argumennum erit tale: Quicunque non ſervat totam legem, eſt maledictus; at nemo poteſt ſervare totam legem; ergo maledictus omnis, qui ex obſervatione legis vult juſtificari. Reſp. Hic ſyllogiſmus non eſt Apoſtoli Pauli, ſed eſt alicujus Calviniſtæ. Et in multis peccat: Primo, in forma. Nam, ſervata majori, & minori propoſitione, deberet hoc modo concludere: Quicumque non ſervat totam legem, eſt maledictus: ſed nullus ſervat totam legem: ergo omnes ſunt maledicti. Vel ſic: Quicunque non ſervat totam legem, eſt maledictus: ſed fideles (præſertim Calviniſtæ) non ſervant totam legem: ergo fideles (præſertim Calviniſtæ) ſunt maledicti. Secundo, peccat in explicatione

ne verborum Pauli. Nam illa verba, *Qui ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt*, non ſignificant eos eſſe maledictos, qui legem implendo juſtificari volunt, cum dicat idem Apoſtolus Rom. 2. 13. *Factores legis juſtificabuntur*, ſed eos eſſe maledictos, qui ſuis viribus ſine fide, & gratia legem implere, & juſtificari ſe poſſe credunt. Hoc patet ex antitheſi. Nam opera legis opponit fidei, ut patet ex illis verbis, *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* Similiter eos, qui ſunt ex fide, opponit iis, qui ſunt ex operibus legis. De prioribus dicit: *Qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham*. De poſterioribus vero: *Qui ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt*. Hinc ſequitur, minorem propoſitionem, quam Apoſtolus ſubticuit, non eſſe hanc Calviniſticam, *Atqui nemo poteſt ſervare legem*, ſed illam Catholicam: *Atqui nemo ſuis viribus ſine fide, & gratia poteſt ſervare legem*. Itaque argumentum Apoſtoli habet hanc vim: Quicunque vult juſtificari ex operibus legis, debet totam legem ſervare. (nam ſi totam non ſervat, maledictus eſt, vel ut loquitur Jacobus, *qui offendit in uno, factus eſt omnium reus*) ſed ſine fide per ſolas naturæ vires nemo poteſt ſervare totam legem: ergo ſine fide, per ſolas naturæ vires, nemo poteſt ex operibus legis juſtificari. Hinc patet, quo ſenſu intelligendum ſit, quod ſequitur: *Chriſtus nos liberavit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Non enim ſignificat, Chriſtum nos liberaſſe ab obſervatione legis, quaſi ea impoſſibilis ſit, ut falſo interpretantur adverſarii: ſed liberaſſe a maledictione, quæ prævaricatoribus legis impendet; quia ſcilicet per ſua merita obtinuit nobis fidem, & gratiam, per quam poſſimus implere legem, & maledictionem evadere.

7. Tertio objiciunt illud Rom. 7. 18. *Velle quidem adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Hinc ſequitur, etſi cupias legem implere, non tamen poſſe. Reſpondeo: Non loquitur Apoſtolus de obſervatione legis, ſed de carentia motuum concupiſcentiæ. Quaſi dicat: Vellem quidem carere inordinatis concupiſcentiæ motibus, ſed non eſt in mea poteſtate. Vel ſic: Bonum eſt carere motibus concupiſcentiæ, & hoc bonum appeto, & deſidero, ſed non poſſum perficere.

8. Quarto objiciunt. Nemo poteſt vitare omnia peccata: ergo nemo poteſt implere totam legem. Si enim totam impleret, jam vitaret omnem tranſgreſſionem legis, & conſequenter omne peccatum. Antecedens patet ex illo Jac. 3. 2. *In multis offendimus omnes*. Et 1. Joan. 1. 8. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus*. Reſp. cum diſtinctione. Nam hæc propoſi-

poſitio, ***Nemo poteſt vitare omnia peccata***, poteſt dupliciter intelligi. Primo, de peccatis mortalibus, & ſic falſa eſt. Secundo, de venialibus, & ſic vera eſt. Quilibet enim juſtus poteſt vitare peccata omnia mortalia; nemo autem omnia venialia, ſaltem ſecundum communem, & ordinarium modum divinæ providentiæ. De quo plura infra in ſeq. cap.

9. Quinto objiciunt. Chriſtus eſt mediator noſter, non ſolum in prima juſtificatione, qua Deo reconciliamur, ſed etiam poſtea in toto vitæ noſtræ tempore: ergo ſemper egemus interceſſione Chriſti: ergo ſemper peccamus, & legem tranſgredimur: alioqui poſt primam reconciliationem Chriſtus eſſet otioſus. Reſp. Chriſtus ſemper eſt mediator noſter, & nunquam eſt otioſus, duplici de cauſa. Primo, quia ſemper nobis vires, & gratiam ſubminiſtrat, per quam non peccemus, & bona opera faciamus. Secundo, quia emundat nos a quotidianis peccatis venialibus, in quæ frequenter incidimus, juxta illud: *Septies in die cadit juſtus*.

QUÆSTIO IV.

An juſti obligentur ad obſervationem Decalogi?

1. ADverſarii putant non obligari. 1. Quia talis obſervatio eſt impoſſibilis. 2. Quia Chriſtus ab ea nos liberavit. Nos contra ſtatuimus. Primo, obſervationem Decalogi non eſſe impoſſibilem. Hoc jam probatum eſt. Secundo, nos non eſſe liberos ab obſervatione Decalogi, ſed potius obligari ad illius obſervationem. Hoc diſerte habemus in Euangelio, Matth. 11. 29. *Tollite jugum meum ſuper vos*. Et Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Et Joan. 15. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis*. Et Jacobi 2. 8. *Si tamen legem perficitis regalem*. An hic dicent adverſarii: Non tollimus jugum tuum, quia nimis grave eſt: volumus ad vitam ingredi, ſed per ſolam fidem, non per obſervationem mandatorum: erimus amici tui, etiamſi non fecerimus, quæ nobis præcipis; non perficimus legem regalem. Plane novum Euangelium.

2. Accedit efficax ratio in hunc modum: Deus in ſcripturis indicat ſe velle, ut legem ſervemus, ut patet ex teſtimoniis citatis: vel ergo ſerio vult,ut eam ſervemus,vel joco.Si ſerio vult,ſerio tenemur illam ſervare: ſi joco vult, cur ſerio punit tranſgreſſores? Forte non pudebit hic Calviniſtas dicere, Deum joco, & ironice loqui,cum proponit nobis obſervationem legis. Sic enim explicant illud Chriſti, Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: quaſi Chriſtus ironice deluſerit adoleſcentem, qui ab ipſo quærebat,

bat, quo pacto poſſet ſalvari. Sed valeant hujuſmodi ſcripturarum interpretes, ſeu potius depravatores.

3. Objici ſolet illud Galat. 3. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis*. Reſpondeo: Aliud eſt dicere, Chriſtus liberavit nos ab obſervatione legis, quod falſum eſt: aliud, Chriſtus redemit nos de maledicto legis, quod verum eſt. Nam per ſua merita obtinuit nobis fidem & gratiam, per quam poſſimus implere legem, & maledictionem evadere, ut explicatum eſt in præcedenti quæſtione.

4. Secundo objicitur illud 1. Timoth. 1. 9. *Juſto non eſt lex poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis*. Reſpondeo: Duplex eſt vis, ſeu poteſtas legis, ut recte docet D. Thomas in 1. 2. quæſt. 96. art. 5. Una directiva, altera coactiva. Lex ergo poſita eſt omnibus, tam juſtis, quam injuſtis quoad vim directivam; quia ſcilicet dirigit, & præſcribit omnibus quid agere, vel non agere debeant; at quoad vim coactivam non eſt poſita juſtis, ſed tantum impiis, quia juſti ſponte, libenter, & alacriter ex inſtinctu charitatis faciunt ea, quæ a lege præſcribuntur, nec opus eſt eos cogere ad legis obſervationem. Impii contra ſæpe recalcitrant, & a legis obedientia ſe ſubducunt, & ideo cogi quodammodo ad obſequium debent.

CAPUT XVIII.

De Merito Bonorum Operum.

Controverſia eſt: An homo juſtus cum gratia Dei poſſit facere bona opera, quę apud Deum meritoria ſint vitę ęternæ. Negant Adverſarii. Fundamentum illorum eſt, quia putant peccatum originale manere in hominibus juſtis, & ejus contagione inſici omnia eorum opera. Itaque omnia juſtorum opera eſſe contagioſa, infecta, inquinata, damnabilia, meram iniquitatem, & conſequenter non eſſe meritoria vitæ æternæ, ſed mortis, & damnationis. Ita Calvinus lib. 2. inſtit. cap. 1. §. 9. & lib. 3. cap. 15. §. 3. & in antidoto Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. & 16. & alibi. Nos contra aſſerimus. Primo: quædam juſtorum opera eſſe bona, honeſta, & Deo grata. Secundo: eadem eſſe meritoria vitæ æternæ. Utrumque probandum eſt.

QUÆSTIO I.

An juſti poſſint bene, recte, & laudabiliter operari?

1. NOs affirmamus contra Calvinum, & alios Adverſarios. Et probamus primo ex contrario fundamento. Nam ex fide certum eſt, in juſtificatione tolli omnia peccata, & infundi gratiam, ſeu juſtitiam inhærentem, quæ faciat hominem Deo gratum, & amicum, & ab omni contagione mundum, ac liberum, ut cap. 16. probatum eſt. Hinc contra Calvinum ſic argumentor: Sicut ab homine injuſto, immundo, & peccatis obnoxio procedunt opera injuſta, immunda, & vitioſa; ita ab homine juſto, mundo, & internis gratiæ donis ornato procedunt opera juſta, munda, & Deo grata.

2. Huc ſpectat illud Chriſti Matth. 7. 18. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*. Et Joan. 15. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Ex quibus verbis eliciuntur hæc duo argumenta contra Calvinum. Alterum: Arbor bona non poteſt facere malos fructus: ſed homo juſtus eſt arbor bona. (Pſal. 91. 13.) Ergo homo juſtus non poteſt facere malos fructus. Quomodo igitur Calvinus docet, omnia ipſius opera eſſe damnabilia? Alterum: Omnis palmes, qui eſt in fœcunda vite, poteſt facere bonum fructum: Sed Apoſtoli erant palmites in Chriſto, tanquam in fœcunda vite: Ergo Apoſtoli poterant facere bonum fructum: Ergo falſum eſt, omnia juſtorum opera eſſe ſordes, inquinamenta, meram iniquitatem.

3. Poteſt hoc clarius explicari in hunc modum. Ut palmes ferat fructum, requiruntur, & ſufficiunt hæc pauca. 1. Ut ſit in vite. 2. Ut ſuccum, & humorem ab ea trahat. 3. Ut habeat ſufficientem Solem, a quo excoquatur. 4. Ut nullum ſit impedimentum, quo lædi, aut impediri poſſit: cujuſmodi eſt nimium frigus, gelu, pruina, ventus turbulentior, vermis corrodens, aut aliquid ſimile. At hæc omnia locum habent in homine juſto. Nam primo eſt in Chriſto, tanquam in vite. Joan. 15. 4. *Ego ſum vitis, vos palmites: manete in me, & ego in vobis*. Secundo, trahit ab illo ſuccum, & humorem divinæ gratiæ. Joan. 4. 14. *Aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Tertio, habet ſufficientem calorem, quo excoquatur. Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* Et cap. 24. 32. *Nonne cor noſtrum*

erat ardens in nobis? Quarto, nullum eſt impedimentum. Non internum. Rom. 8. 1. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant.* Nec externum. Rom. 8.38. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Sequitur ergo, nihil deeſſe homini juſto, quominus poſſit facere bonum fructum.

4. Idem poteſt demonſtrari & hoc modo. Ubicunque ſunt ſufficientia principia rectæ operationis, ibi poteſt eſſe recta, & honeſta operatio: at in homine juſto ſunt ſufficientia principia rectæ operationis: ergo in homine juſto poteſt eſſe recta operatio. Major per ſe nota eſt. Minor probatur; quia ad rectam operationem ſufficiunt hæc tria principia. 1. Intellectus, qui intelligat, quid agendum ſit, quid fugiendum. 2. Voluntas, quæ amplectatur id, quod ab intellectu, tanquam bonum, & honeſtum proponitur. 3. Potentia exterior, quæ exequatur id, quod voluntas amplexa eſt, & exequendum imperavit. Hæc autem ſunt in homine juſto. Nam intellectus ejus lumine divinæ fidei illuſtratus eſt, ut facillime poſſit cognoſcere, quid honeſtati ſit conſentaneum. Similiter voluntas a Deo excitatur, & juvatur per internam motionem, qua prompta, & robuſta efficitur ad deſiderandum, & amplectendum id, quod recta ratio faciendum dictat. Denique potentiæ exteriores poſſunt illud exequi. Nihil ergo deeſt ad bonam, & honeſtam operationem exercendam.

5. Exemplo res fiet clarior. Sit homo juſtus, qui audiat, vel legat hæc verba Chriſti: *Date Eleemoſynam*. Certe, ſi fidem habet, facile advertet, honeſtum, & præclarum opus id eſſe. Accedat divina motio, qua cor ejus tangatur, & exſtimuletur, ut velit conſentire, & excutionem imperare. Poſito hoc conſenſu, & imperio, quid impedit, quin, ſi dives ſit, & pecunias apud ſe habeat, poſſit pauperi porrigere eleemoſynam? Et quod hic peccatum, aut ubi? Non in intellectu, qui fide colluſtratus judicat, & proponit id, quod honeſtum, laudabile, & Deo beneplacitum eſt. Nec in voluntate, quæ a Deo mota, & corroborata vult illud ipſum executioni mandare. Nec in manibus, quibus eleemoſyna porrigitur, quia obtemperant juſto voluntatis imperio.

6. At, inquit Calvinus, deeſt bona intentio. Imo non deeſt. Cum enim Deus movet voluntatem hominis juſti, ut ex vera dilectione præbeat pauperi eleemoſynam, & huic motioni ipſe acquieſcit; ſane non eſt mala, ſed bona intentio. Hinc ſumo novum

argumentum contra Calvinum, hoc modo: Quando homo juſtus facit aliquod opus, quod a Deo præcipitur, & laudatur, & in eo faciendo habet bonam intentionem, tunc certe totum opus bonum, honeſtum, & laudabile eſt: ſed hoc fit, quando ex amore Dei præbet pauperi eleemoſynam: ergo tunc facit opus bonum, honeſtum, & laudabile. Major patet ex illis Chriſti verbis Matth. 6. 22. *Lucerna corporis qui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*, id eſt, ſi intentio tua ſit bona, totum opus tuum erit bonum. Minor etiam patet ex eodem capite, ubi reprehendit Phariſæos, quod facerent eleemoſynas, quod orarent, quod jejunarent, non bona, ſed mala intentione, nempe ad captandam inanem gloriam ex bonis operibus. Contra vero hortatur Apoſtolos, & alios juſtos, ut ipſi bona, non mala intentione in iiſdem ſe exerceant: ſic enim fore, ut omnia ipſorum opera ſint grata coram Deo. *Attendite*, inquit, *ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*, &c. Et infra: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat manus ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua; ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

7. Hactenus ex contrario fundamento Calvini ſententiam refutavi. Secundo refelli poteſt ex variis abſurdis, quæ ſequuntur ex illius fundamento, quo aſſerit omnia juſtorum opera eſſe inquinata, & conſequenter eſſe peccata. Ac primo ſequitur, hominem per peccatum juſtificari: quod ſic oſtendo: Omnia juſtorum opera ſunt peccata, & mera iniquitas: ſed fides eſt opus juſtorum: ergo fides eſt peccatum, & mera iniquitas: at ſola fide juſtificamur: ergo ſolo peccato, & iniquitate juſtificamur. Quis hoc credat? Et tamen admittunt Calviniſtæ. Secundo ſequitur, juſtos non debere credere: nam omnia peccata ſunt prohibita: at ſi omnia opera juſtorum ſunt peccata, etiam opus fidei eſt peccatum: ergo opus fidei eſt prohibitum: ergo non licet credere. Tertio ſequitur, Deum præcipere, & mandare, ut fiant peccata. Præcipit enim & mandat, ut fiant quædam opera a juſtis: at omnia illorum opera ſunt peccata, teſte Calvino: Ergo præcipit fieri quædam peccata: Omitto cætera.

8. Videamus quid adverſarii pro ſe afferant. Primo, objiciunt illud Eccleſ. 7. v. 21. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Hinc colligitur juſtorum opera non eſſe bona, ſed peccata. Reſpondeo. Illa verba dupliciter intelligi poſſunt. Primo, nullus eſt juſtus, qui faciat aliquod bonũ, & non ſemper peccet omnibus ſuis actibus. Secundo, nullus eſt juſtus, qui ſemper faciat bonum, & non aliquando peccet. Prior ſenſus aperte falſus eſt, ut ex

dictis

dictis patet. Poſterius poteſt iterum duobus modis accipi. Primo non eſt juſtus, qui ſemper faciat bonum, & non aliquando peccet mortaliter. Hoc falſum eſt, & contra illud 1. Joan. 3. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*: Secundo, non eſt juſtus, qui ſemper faciat bonum, & non aliquando peccet venialiter. Hoc verum eſt, juxta illud Prov. 24. 16. *Septies in die cadet juſtus, & reſurget.*

9. Secundo objiciunt illud Iſaiæ 64. 6. *Et facti ſumus, ut immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* In hoc teſtimonio ponunt victoriam, ſed fruſtra. Nihil enim ad rem facit. Primo, quia non intelligitur de hominibus juſtis, de quibus eſt noſtra quæſtio, ſed de impiis, & ſceleratis; nec de omnibus, ſed tantum de Judæis. 2. Nec de omnibus illorum operibus, ſed ſolum de ſacrificiis, & neomeniis, in quibus illi maxime juſtitiam ſuam collocabant, quæ tamen Deus execrabatur, juxta illud Iſaiæ 1. 13. *Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi*, &c.

QUÆSTIO II.

An juſti bene operando poſſint mereri vitam æternam?

1. NOs aſſerimus contra Adverſarios, ex Scripturis, ubi vita æterna vocatur merces, ſeu præmium bonorum operum, Matth. 5. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis.* Et Matt. 20. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* Et Roman. 2. 6. *Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua: iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*, &c. Et 1. Corinth. 3. 8. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Et Gal. 6. 8. *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Et 2. Cor. 4. 17. *Quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur.* Et 2. Tim. 4. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Et Apoc. 3. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.*

2. Hæc teſtimonia tam clara, & aperta ſunt, ut nullo modo ab adverſariis eludi poſſint. Nam perſpicue tradunt vitam æternam eſſe mercedem, & coronam, quæ danda ſit juſtis intuitu

tuitu bonorum operum. Unde valde miror Calvinum fuiſſe tam impudentem, ut hoc auſus ſit negare. Nimirum odio Catholicorum id fecit. Nam cum Patres Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 16. definiviſſent juxta verba, & ſenſum Scripturæ, vitam æternam eſſe mercedem bonorum operum; ille audacter contradicit in Antidoto his verbis: *Quod vitam æternam faciunt mercedem, in eo ab illis diſſentio*. Cur non dixit: in eo ab illis, & a Scripturis diſſentio? Moderatiores ſunt alii quidam ex Calvini diſcipulis, qui quidem fatentur, vitam æternam eſſe mercedem, & dari intuitu bonorum operum; (cum hoc expreſſe dicat Scriptura) non tamen dari ex merito, & dignitate ipſorum operum, ſed ex mera Dei promiſſione, & liberalitate, & indulgentia. Sed & ipſi errant. Primo, quia ſi datur intuitu bonorum operum, ſeu propter bona opera, certe datur ex merito bonorum operum. Hæc enim idem ſignificant. Secundo, quia datur iis, qui digni ſunt. 2. Theſſalon. 1. 5. *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini*. At ſi digni ſunt propter bona opera, certe datur illis ex merito, & dignitate bonorum operum. Tertio, non ſolum datur illis ut merces, ſed etiam ut corona juſtitiæ. (2. Timoth. 4. 8.) At corona juſtitiæ non datur ex mera liberalitate, vel indulgentia, alioquin non juſtitiæ, ſed liberalitatis corona eſſet. Quarto, ſicut ſe habet æterna damnatio reſpectu impiorum, ita vita æterna reſpectu juſtorum: at illa datur impiis pro merito malorum operum: ergo hæc juſtis pro merito bonorum operum. Recte Auguſtinus epiſt. 105. ad Sixtum: *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors: ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna*. Sed fruſtra hæremus in re clara, & perſpicua, in qua omnes Patres nobiſcum ſentiunt. Nec negat Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 15. §. 2. ſed dolet.

3. Variæ ſunt adverſariorum objectiones. Prima. Vita æterna in Scriptura vocatur hæreditas: at hæreditas debetur filiis, non ex merito, & labore, ſed ex ſolo jure filiationis, ſeu adoptionis; ergo, &c. Hoc argumento utitur Calvinus in antidoto ſeſs. 6. cap. 16. cum ait. *Quod vitam æternam faciunt mercedem, in eo ab illis diſſentio. Quin potius hæreditatem eſſe ubique Scriptura clamat, quæ non alio, quam gratuitæ adoptionis jure nobis obvenit*. Sed retorqueo dupliciter. Primo, vita æterna in Scripturis vocatur etiam merces, ut ſupra oſtendi: Ergo datur intuitu meritorum: Ergo non ſolo jure adoptionis. Secundo, adoptio idem eſt, quod prædeſtinatio apud Calvinum, & prædeſtinationi opponitur reprobatio: utraque autem facta eſt, ſecundum Calvinum, ex ſolo Dei beneplacito, nullo reſpectu bonorum, aut malorum operum.

Si

Si ergo ex eo, quod vita æterna debetur titulo adoptionis, ſeu prædeſtinationis, bene ſequitur, non dari merito bonorum operum; etiam ex eo, quod pœna æterna debetur titulo reprobationis, bene ſequetur, non dari ex merito malorum operum. At hoc poſterius non audent Calviniſtæ concedere. Unde patet, Calvini argumentum nullius eſſe roboris. Hæc ad hominem.

4. Quod ad rem attinet, ita ſentiendum eſt. Primo. Non ſumus Filii Dei per naturam, ſed per adoptionem. 2. Alii reipſa adoptantur ante uſum rationis in baptiſmo, ut parvuli: alii poſt uſum rationis in prima juſtificatione, ut adulti. 3. Parvuli, qui ante uſum rationis adoptantur, & moriuntur, accipiunt vitam æternam ſolo titulo hæreditatis. 4. Adulti qui uſu rationis utuntur, & in adoptione filiorum uſque ad mortem perſeverant, duplici titulo accipiunt vitam æternam; altero mercedis; altero hæreditatis. Hoc indicavit Apoſtolus ad Coloſs. 3. v. 23. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus: ſcientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* ubi aperte ſignificat, vitam æternam non ſolo titulo hæreditatis, ſed etiam mercedis, ſeu retributionis conferri adultis. Nec hoc mirum, aut novum. Primo, quia cum non ſint per naturam filii, ſed per adoptionem; potuit eos hac conditione Deus adoptare, ut non adirent hæreditatem, niſi vellent mandatis Dei obtemperare, & obtemperando hæreditatem promereri. Secundo, quia ſimile quid Chriſto accidit. Nam jure hæreditatis (ſuppoſita unione hypoſtatica) debebatur ei gloria corporis, & exaltatio nominis: & tamen ſuis meritis eam obtinuit, juxta illud Apoſtoli ad Philippenſ. 2. 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum*, &c. Si ergo Chriſto, qui fuit Filius Dei naturalis, data eſt gloria corporis, & exaltatio nominis duplici titulo, nempe hæreditatis, & mercedis; quid mirum, ſi nobis, qui ſumus filii tantum adoptionis, utroque titulo conferatur vita æterna?

5. Quod vero non nulli ex Calviniſtis ajunt, vitam æternam vocari quidem in Scripturis & hæreditatem, & mercedem, ſed hæreditatem proprie, mercedem improprie, omnino frivolum eſt. Nam primo, unde hoc probant? cur non e contrario dicunt, vocari proprie mercedem, improprie hæreditatem? Secundo, ſi gloria corporis, quæ Chriſto data eſt, proprie habuit rationem mercedis, & hæreditatis, cur non gloria animæ, quæ nobis datur? Non enim repugnat, aliquid eſſe proprie hæreditatem, & ſimul proprie mercedem. At ſi ita eſt, inquies, feliciores ſunt parvuli, quam adulti. Nam hi ſuis laboribus debent acquirere, quod illis

liberali donatione conceditur. Imo adulti feliciores duplici de cauſa. Primo, quia ſuo merito adeunt hæreditatem, quod magis honorificum eſt. Secundo, quo plura, & majora ſunt illorum bona opera, eo majorem hæreditatem conſequuntur. Hinc oritur magnum diſcrimen inter illos, & parvulos. Nam parvuli debent eſſe contenti illa parte hæreditatis, quæ illis divina liberalitate obvenit. Adulti poſſunt ad majorem adſpirare: quo magis creſcunt eorum merita, eo major illis portio deputatur, juxta illud 1. Cor. 3. 8. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.*

6. Secunda objectio. Scriptura teſtatur vitam æternam, etſi corona ſit, dari tamen ex miſericordia, non ex juſtitia. Pſal. 102. v. 4. *Qui coronat te in miſericordia, & in miſerationibus.* Et Matth. 5. 7. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Reſpondeo. Sicut hic vocatur corona miſericordiæ, ita alibi vocatur corona Juſtitiæ. 2. Tim. 4. 8. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Jam ergo explicandum eſt, quomodo utrumque verum ſit. Nam cum utrumque a Spiritu ſancto aſſeratur, neutrum falſum eſſe poteſt. Res ita ſe habet. Vita æterna eſt corona juſtitiæ, quia ex meritis, & propter merita confertur, ſervato ordine juſtitiæ commutativæ, & diſtributivæ. Nam unicuique pro quantitate meritorum major, aut minor portio tribuitur: ut ex dictis patet. Unde Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap. 2. *Non eſt injuſtus Deus, qui juſtos fraudet mercede juſtitiæ.* Cæterum, quia ipſa merita, quibus debetur corona juſtitiæ, habent vim ſuam ex gratia Dei, & gratia Dei datur ex miſericordia Dei, hinc fit, ut corona, quæ illis tribuitur, vocari etiam poſſit corona miſericordiæ; non quidem reſpectu ipſorum meritorum (quia illis debetur ex juſtitia) ſed reſpectu noſtri, quibus ipſa quoque merita ex miſericordia conceſſa ſunt. Ita explicat D. Auguſtinus libro de correptione, & gratia, cap. 13. & in epiſtola 105. ad Sixtum.

7. Tertia objectio ſumitur ex illo Rom. 6. 23. *Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna.* Hinc apparet, mortem æternam dari propter mala opera: at vitam æternam non propter bona opera, ſed ex mera gratia. Quod ſi Catholicorum ſententia eſſet vera, debuiſſet Apoſtolus ſic dicere: *Stipendium peccati mors; Stipendium bonorum operum vita æterna.* At excluſit bona opera. Reſpondeo. Solutio hujus argumenti patet ex dictis. Nam Apoſtolus vitam æternam vocat gratiam eo ſenſu, quo vocatur corona miſericordiæ, quia ſcilicet datur ex meritis, quę habentur ex gratia, & miſericordia. Ita explicat D. Auguſt. partim

locis

locis citatis, partim lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 8. & 9. Ubi etiam aperte fatetur, Apoſtolum recte potuiſſe dicere: *Stipendium juſtitiæ vita æterna*, ſicut dixit, *Stipendium peccati mors*. (Notent hoc Calviniſtæ.) Imo jam ante hec dixerat Apoſtolus, ſi non iiſdem verbis, ſaltem eodem ſenſu, Roman. 2. 6. *Reddet unicuique ſecundum opera ejus: iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, ira, & indignatio:* Id eſt, ſicut Deus damnabit impios propter mala, ita coronabit juſtos propter bona opera. Ergo ſimili modo, ſicut impiorum ſtipendium erit mors, ita juſtorum ſtipendium erit vita æterna.

8. Quarta objectio ſumitur ex illo Iſaiæ 55. 1. *Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac*. Hic offertur nobis vita æterna ſine noſtris meritis. Reſpondeo. Per vinum, & lac non intelligitur hic vita æterna, ſed gratia præſentis vitæ, ut interpretatur D. Hieronymus, & patet ex ipſo contextu, qui ſic habet: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento*, &c. Simile eſt illud Joan. 7. 37. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*. Ubi certum eſt, Chriſtum loqui de gratia præſentis, non de gloria futuræ vitę. Fatemur autem primam gratiam gratis dari ſine meritis, quamvis non ſine opere, & labore noſtro. Nam ſicut illę particulę, *abſque argento, & ulla commutatione*, excludunt noſtra merita; ita iſtę, *venite, & emite*, requirunt noſtrum laborem. Hoc ergo intereſt inter gratiam, & gloriam, quod licet neutra conferatur adultis ſine propria cooperatione: gratia tamen confertur ſine propriis meritis: gloria per propria merita.

9. Quinta ſumitur ex illo Luc. 17. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus*. Certe ſi inutiles ſumus, quid meremur? Reſpondeo. Hinc clare apparet, quomodo adverſarii abutantur ſcripturis. Nam paulo ante objecerant, nos eſſe filios, & vitam ęternam deberi nobis titulo hereditatis, ſine ullo noſtro labore. Nunc objiciunt, nos eſſe ſervos inutiles, quibus nihil debeatur. Nimirum hoc ajunt, ut veritatem oppugnent, quocunq; modo id fiat. Deinde quæro ex ipſis, an Chriſtus vocet illos ſervos inutiles, qui ſervant omnia præcepta, an eos, quid non ſervant? ſi prius, ergo ſervi Dei poſſunt omnia præcepta ſervare, quod eſt contra Calvinum: ſi poſterius, nihil contra nos concluditur. Fatemur enim eos, qui non ſervant mandata, ſervos eſſe inutiles, & non mereri vitam

æter-

æternam, quales ſunt Calviniſtæ. Sed ad rem. Verba Chriſti poſſunt habere triplicem ſenſum. Primus eſt, nos ex nobis eſſe ſervos inutiles, quia licet faciamus omnia, quæ præcepta ſunt, non tamen noſtris viribus, ſed gratia Dei facimus. Ita explicat Ambroſius libro octavo in Lucam. Unde dupliciter poſſumus nos ipſos conſiderare. Primo, quoad noſtras vires, quatenus ex Adamo naſcimur: Et ita ſumus ſervi inutiles. Secundo, quoad cooperationem gratiæ divinæ, quatenus in Chriſto renaſcimur. Et ita ſumus ſervi utiles, juxta illud 2. Timoth. 2. 21. *Si quis emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino*, &c. Secundus ſenſus eſt, nos eſſe ſervos inutiles reſpectu Dei, etiamſi omnia præcepta ſervemus, quia nullam utilitatem Deo præſtamus, nec ipſe bonorum noſtrorum indiget. Ita exponit Beda in commentario. Hinc etiam patet, nos poſſe vocari ſervos utiles, & inutiles, diverſo reſpectu: utiles reſpectu noſtri, quia quicquid boni facimus per obſervationem mandatorum, cedit in noſtrum commodum, & utilitatem; nobis ſerimus, & metimus, inutiles reſpectu Dei, quia nihil utilitatis illi accedit ex noſtro labore, & induſtria. Tertius ſenſus eſt, nos eſſe ſervos inutiles, etiamſi omnia præcepta exequamur, quia, niſi Deus liberali pacto nobiſcum convenire voluiſſet, nullam mercedem ex juſtitia potuiſſemus a Deo petere. Ita exponit Auguſtinus ſerm. 2. de verb. Domini. Unde rurſum apparet, quomodo dicamur utiles, & quomodo inutiles. Nam quicquid facimus, inutiles ſumus ad mercedem vitæ æternæ, ſecluſo divino pacto: utiles interveniente pacto, & promiſſione. Ex his ſenſibus eligant adverſarii, quem velint, & facile advertent, ſe nihil contra bona opera efficere. Hoc miror, cum tam diligenter inquirant teſtimonia Scripturæ, quibus vocamur ſervi inutiles, cur diſſimulent ea, quibus vocamur utiles. Sane idem Chriſtus, qui dixit, Luc. 17. 10. *Dicite, ſervi inutiles ſumus*, alibi dixit, Matth. 25. 23. *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam*.

10. Sexta ſumitur ex illo Romanorum 8. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*. Hinc patet, nullam eſſe proportionem inter noſtra opera, & vitam æternam; at inter meritum, & præmium debet eſſe proportio. Reſpondeo. Sicut ſcriptura videtur hic ſignificare, noſtra opera non eſſe digna præmio vitæ æternæ: ita alibi videtur contrarium aſſerere, Lu. 20. v. 35. *Qui vero digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione*, &c. Et 2. Theſſ. cap. 1. v. 5. *Ut*

digni

digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Et quia ſcriptura non eſt ſibi ipſi contraria, explicandum eſt, quo ſenſu utrumque verum ſit. Ac primo, ſi ſpectemus durationem temporis, nulla eſt proportio inter opera præſentia, & futuram gloriam. Nam hæc perpetua eſt, illa momentanea ſunt. Si vero ſpectemus gratiam, a qua procedunt opera meritoria, jam inter illa, & gloriam cœleſtem eſt proportio, quia gratia eſt ſemen gloriæ; ut loquuntur Theologi. Sicut ergo ſufficiens eſt proportio inter ſemen, & arborem, ita inter gratiam, & gloriam. Quod autem hæc proportio ſufficiat, licet nulla ſit proportio durationis, patet ex illo 2. Corinth. 4. 17. *Id, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hic utrumque, quod diximus, fatetur Apoſtolus. Alterum, quod opera noſtra ſint momentanea, gloria vero æterna. Alterum, quod nihilominus opera momentanea operentur pondus æternæ gloriæ. At quomodo operantur? procul dubio non phyſice, ſed meritorie. Hæc autem vis merendi eſt a gratia. Secundo, idem patet exemplo Chriſti. Nam paſſio ejus fuit momentanea, & tamen per eam meritus eſt nobis vitam æternam. Tertio, poteſt idem confirmari a contrario. Nam peccata impiorum in hac vita tranſitoria ſunt, at pœna, quam merentur, æterna eſt: quare? quia ſicut opera bona procedunt a gratia Dei, ita peccata ex formali, vel virtuali contemptu Dei. Hic autem contemptus habet proportionem cum æterna pœna, ſicut gratia cum æterna gloria.

11. Septima objectio. Chriſtus meruit nobis vitam æternam. Ergo eam noſtris operibus non meremur. Confirmatur, quia vel Chriſti meritum per ſe ſufficit, vel non. Si ſufficit, fruſtra exiguntur noſtra merita. Si non ſufficit, facimus illi injuriam. Reſpondeo: Hoc argumento valde triumphant adverſarii, cum revera nullius ſit roboris. Putant enim merita noſtra opponi meritis Chriſti, ac proinde quantum laudis tribuitur noſtris, tantum detrahi meritis ipſius. Non ita eſt. Contra potius res habet. Merita noſtra naſcuntur ex meritis Chriſti, & omnem vim ſuam inde accipiunt. Unde quicquid laudis, & dignitatis habent, totum redundat in laudem, & dignitatem meritorum Chriſti. Hoc optime declarat ſimilitudo, qua utitur Chriſtus Joan. 15. 4. *Ego ſum vitis, vos palmites. Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Quis dicat detrahi aliquid de gloria vitis, ſi palmites ipſius multum fructum afferant? nemo ſanæ mentis. Nam quidquid vivi ſucci, & humoris habent palmites, hoc totum habent a vite.

Unde,

Unde, quo palmites magis frugiferi, eo vitis magis laudanda? Inſani ergo Calviniſtæ, qui clamant detrahi de gloria Chriſti, ſi ſervi ejus fructum faciant. Quomodo enim fructum faciant, niſi quia in Chriſto ſunt, & ab eo ſuccum, & humorem divinæ gratiæ participant? Quidquid ergo laudis eſt in meritis noſtris, totum Chriſto adſcribendum eſt.

12. Cum autem objiciunt, alterutrum ſequi, aut meritum noſtrum non requiri, aut, ſi requiritur, meritum Chriſti non eſſe ſufficiens, neganda eſt conſequentia. Nam ex eo, quod meritum noſtrum requiritur, non recte colligunt, meritum Chriſti eſſe inſufficiens. Non enim noſtrum requiritur propter alterius inſufficientiam, ſed quia Deus ſic ordinavit. Imo hinc colligitur meritum Chriſti eſſe efficaciſſimum. Nam non ſolum obtinuit nobis jus vitæ æternæ, ſed etiam vim, & virtutem acquirendi vitam æternam per propria merita.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS
DE
CONTROVERSIIS
LUTHERANORUM.

T Ria ſunt propria dogmata Lutheranæ religionis. Primum, quod corpus, & ſanguis Chriſti ſint ubique, in cælo, in terra, in inferno: & ſpeciatim in pane, vino, lacte, oleribus, carnibus, in culina, macello, foro. Et ab hoc dogmate vocantur Ubiquiſtæ *ſeu* Ubiquetarii. *Alterum, quod infantes, dum baptizantur, habeant internum actum fidei, quo credant in Chriſtum, & quod per illum actum juſtificentur. Tertium, quod in Euchariſtia maneat ſubſtantia panis, & vini cum ſubſtantia corporis, ac ſanguinis Chriſti: ita ut ſub ſpecie panis ſit duplex ſubſtantia, altera panis, & corporis Chriſti; ſub ſpecie vini, altera vini, altera ſanguinis Chriſti: Et quod hæc ſit vera propoſitio:* Panis eſt caro, vinum eſt ſanguis. *Hæc tria, inquam, ſunt propria Lutheranorum, & ex his tanquam propriis, ac nativis conflata eſt illorum ſecta. De quibus hoc libro diſputandum eſt.*

CAPUT PRIMUM.

De Ubiquitate.

1. LUtherani docent, Chriſtum ſecundum humanitatem eſſe ubique. Quod probant variis rationibus. Prima ſumitur ex unione hypoſtatica, hoc modo. Quando duæ res inſeparabiliter, & indiſtanter inter ſe unitæ ſunt, tunc ubi eſt una, ibi neceſſe eſt alteram eſſe; alioqui ſi una eſſet alicubi, ubi altera non eſt, jam non eſſent unitæ inſeparabiliter, & indiſtanter, ſed una ab altera diſtaret, & ſeparata eſſet. At humanitas Chriſti, & perſona Verbi ſunt inſeparabiliter, & indiſtanter inter ſe unitæ: Ergo ubi eſt perſona Verbi, ibi eſt humanitas Chriſti. At perſona Verbi eſt ubique: Ergo & humanitas Chriſti eſt ubique.

2. Se-

2. Secunda ſumitur ex communicatione idiomatum, hoc modo: Per unionem hypoſtaticam non ſolum perſona, & divinitas Verbi communicata eſt humanitati; ſed etiam eſſentialia attributa divinitatis, ut omnipotentia, omniſcientia, & immenſitas, ſeu omnipræſentia illi communicata ſunt. Ergo humanitas per communicatam ſibi omnipotentiam facta eſt omnipotens; & per omniſcientiam omniſciens; & per immenſitatem, ubique præſens. Antecedens patet ex illo Coloſſ. 2. 9. *In ipſo*, id eſt in Chriſto ſecundum humanitatem, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. At plenitudo divinitatis complectitur omnia attributa eſſentialia. Item ex illo Matth. 11. 27. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Si omnia: ergo etiam attributa divina, & conſequenter immenſitas, ſeu omnipræſentia. Item ex illo Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra:* nempe per communicationem attributorum eſſentialium.

3. Tertia ſumitur ex illo Eph. 4. 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſupra omnes cælos, ut impleret omnia*. Hinc colligunt Lutherani, Chriſtum poſt aſcenſionem cœpiſſe eſſe ubiq; ſecundum humanitatem, quia cœpit omnia loca implere. Ideo enim aſcendit, ut omnia impleret.

4. Quarta ſumitur ex iis locis, ubi Chriſtus dicitur ſedere ad dexteram Dei Patris. Rom. 8. 34. *Chriſtus Jeſus, qui eſt ad dexteram Dei*. Et Coloſſ. 3. 1. *Quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*. Et Heb. 1. 13. *Sede a dextris meis*. Hinc etiam colligunt, Chriſtum ſecundum humanitatem eſſe ubique, quia ſedet ad dexteram Dei, quæ eſt ubique.

5. Quinta ſumitur ex verbis Chriſti, Matth. 18. 20. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Ubi Chriſtus promittit Apoſtolis, & bonis omnibus, qui in nomine ipſius congregantur, perſonalem ſuam præſentiam: quaſi dicat: Ego quidem aſcenſurus ſum in cœlum, ſed non ideo vos deſeram, quia ero ubique præſens, & apud vos, & in cœlo, & alibi.

6. Hæ ſunt rationes Lutheranorum pro ubiquitate. Porro quæ fuerit occaſio hujus erroris, ſic accipe. Erat lis inter Lutheranos, & Sacramentarios de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, quam negabant Sacramentarii, aſſerebant Lutherani. Utebantur Sacramentarii hoc argumento. Unum idemq; corpus non poteſt ſimul eſſe in diverſis locis: ſed corpus Chriſti poſt aſcenſionem eſt in cœlo: ergo non poteſt ſimul eſſe in altari, ſeu in

Eu-

Euchariſtia. Lutherani non videbant ſe poſſe evadere, niſi adhibita diſtinctione. Itaque concedebant unum idemque corpus non poſſe ſimul eſſe in diverſis locis, quando non eſt ubique. Negabant non poſſe eſſe ſimul in diverſis locis, quando eſt ubique. Ut ergo ſalvarent præſentiam corporis Chriſti in cœlo, & in altari; dixerunt corpus illius eſſe ubique; ſed diverſo modo: in cælo, localiter, & viſibiliter: in Euchariſtia, ſacramentaliter: ubique illocaliter, & inviſibiliter.

7. In hac ipſa tamen aſſertione inter ſe diſcrepant. Nam aliqui aſſerunt, Chriſtum ſecundum humanitatem eſſe ubiq; vi unionis hypoſtaticæ. Hi conſequenter debent aſſerere, illum ab inſtanti conceptionis fuiſſe ubique. Nam unio hypoſtatica cæpit ab inſtanti conceptionis. Alii cœpiſſe eſſe ubique poſt reſurrectionem, quando cępit habere corpus glorioſum, ac immortale. Itaque ante reſurrectionem, ſeu, ut ipſi loquuntur, tempore mortalitatis, & exinanitionis non fuiſſe ubique. Alii, cępiſſe eſſe ubiq; poſt aſcenſionem, quod colligitur ex illis verbis ſupra citatis: *Qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia*, nempe per ſuam realem præſentiam, ut ipſi interpretantur. Alii denique, quando cępit ſedere ad dexteram Dei Patris, quæ eſt ubique. Atque hæc eſt prima diſſenſio. Rurſum, aliqui putant, illum neceſſario eſſe ubique: alii pro ſuo arbitrio, quando vult. Hæc eſt altera, quæ ſequitur ex priori. Nam qui dicunt illum ab inſtanti conceptionis fuiſſe ubiq; vi unionis hypoſtaticæ, coguntur fateri, neceſſario eſſe ubiq; durante unione hypoſtatica. Qui vero aſſerunt, non fuiſſe ubique tempore mortalitatis, ſed poſt reſurrectionem cœpiſſe eſſe ubique, conſequenter putant, in illius eſſe arbitrio, ut ſit ubique, quando vult; non ſit, quando non vult: voluiſſe autem poſt reſurrectionem; non voluiſſe tempore mortalitatis.

Hæc ſententia Lutheranorum de ubiquitate refellitur ex Euangelio, & Symbolo Fidei.

8. HÆc ſententia variis modis refelli poteſt. Primo, quia repugnat Euangelio, & Symbolo fidei. Secundo, quia nititur falſo fundamento. Tertio, quia deſtruit Sacramentum Euchariſtiæ. Ac primo, conſtat ex clariſſimis verbis Evangelii, Chriſtum ſecundum humanitatem non eſſe ubique. Joan. 6.24. *Cum vidiſſet turba, quod Jeſus non eſſet ibi, neque Diſcipuli ejus; aſcenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum, quæren-*

tes Jeſum. Et Marci 16. 6. *Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum: ſurrexit, non eſt hic*. Certe, qui non eſt hic, non eſt ubique. Et ſimiliter, qui non erat ibi, ubi turba eum quærebat, non erat ubique.

9. Idem patet ex decurſu totius Euangelii, & ſymboli Apoſtolici. Nam ex utroque conſtat, Chriſtum ſecundum humanitatem ſæpe locum mutaſſe. Ac primo fuiſſe in utero materno, deinde extra uterum in ſtabulo; mox in Ægypto; iterum ex Ægypto rediiſſe; habitaſſe cum Joſepho, & Maria in Nazareth; aſcendiſſe cum illis Hieroſolymam ad templum: inde in Galilæam reverſum eſſe; iviſſe ad Jordanem, ut baptizaretur a Joanne; mox in deſertum seceſſiſſe: ac deinde mutato identidem loco, nunc fuiſſe in Judæa, nunc in Galilæa, nunc in Samaria, nunc in cœna ultima, mox in horto: poſtea ductum eſſe ad Caipham, & Herodem, inde in Montem Calvariæ: denique pependiſſe in cruce, poſitum fuiſſe in ſepulchro, ſurrexiſſe, ad cœlos aſcendiſſe. Quæ omnia manifeſte docent, non fuiſſe ubique. Nam ſi ſecundum humanitatem fuiſſet ubique, ſeu in omnibus locis, ſicut Deus ſecundum divinitatem eſt ubique, non potuiſſet de loco in locum migrare, ſicut nec Deus poteſt.

10. Dupliciter reſpondent Lutherani. Aliqui dicunt, hoc ſolum colligi ex dictis, Chriſtum nec eſſe, nec fuiſſe ubique localiter, & viſibiliter: eſſe tamen, & fuiſſe ubique illocaliter, & inviſibiliter. Sed hæc diſtinctio non juvat. Primo, quia ex illa ſequitur, corpus, & ſanguinem Chriſti in inſtanti conceptionis fuiſſe localiter in utero materno, & illocaliter in toto mundo: ac proinde Chriſtum in utero conceptum eſſe localiter, in toto mundo illocaliter. Item in cruce paſſum eſſe viſibiliter, & localiter, in toto mundo inviſibiliter, & illocaliter. Imo duplici modo paſſum eſſe in cruce, ſemel viſibiliter, & localiter; & ſemel inviſibiliter, & illocaliter. Nam ſi eo tempore, quo fuit viſibiliter, & localiter in cruce, fuit ubique inviſibiliter, & illocaliter, neceſſe eſt fuiſſe etiam in cruce inviſibiliter, & illocaliter. Quæ omnia inaudita, & abſurda ſunt.

11. Deinde diſtinctio illa non habet locum in anima Chriſti, quando in triduo mortis fuit ſeparata a corpore. Tunc enim nuſquam fuit localiter, & viſibiliter; ſed ubicunque tunc fuit, ibi fuit illocaliter, & inviſibiliter. At certum eſt, non fuiſſe tunc ubique, quia quando deſeruit corpus, & deſcendit ad inferos, non manſit in corpore: Et ſimiliter quando ab inferis rediit ad corpus, non manſit apud inferos. Quomodo ergo potuit eſſe ubique? ſi enim inviſibiliter, & illocaliter diſceſſit

a cor-

a corpore, certe inviſibiliter: & illocaliter non manſit in corpore. Et rurſus, ſi inviſibiliter, & illocaliter rediit ad corpus, certe inviſibiliter, & illocaliter non manſit apud inferos.

12. Denique hæc diſtinctio non ſolvit difficultatem, quæ ſumitur ex motu locali. Nam ſi humanitas Chriſti ſecundum ſubſtantiam ſuam eſt ubique, certum eſt, quod ſecundum ſubſtantiam ſuam non poſſit de loco migrare in locum. Subſtantia enim, quæ ubique eſt, locum mutare non poteſt: Nec ſatis eſt dicere, non poſſe locum mutare, quatenus ubique eſt inviſibiliter, & illocaliter; poſſe tamen, quatenus alicubi eſt viſibiliter, & localiter. Non enim diſputo de modis, vel accidentibus humanitatis Chriſti, cujuſmodi ſunt eſſe viſibile, vel inviſibile, eſse locale, vel illocale, ſed de ipſa ſubſtantia. Nam ſi hæc reipſa eſt ubique, non poteſt reipſa moveri de loco in locum. Quod manifeſte patet in ſubſtantia Dei, quæ cum reipſa ſit immenſa, & ubique præſens, nullo modo nec viſibiliter, nec inviſibiliter poteſt de loco migrare in locum (intellige de motu, vel mutatione proprie dicta) nam metaphorice poteſt, juxta illud Gen. 18. 10. *Dixit itaque Dominus: Deſcendam, & videbo.* At humanitas Chriſti proprie, & non tantum metaphorice poteſt moveri de loco in locum. Non ergo proprie eſt ubique.

13. Alii ergo reſpondent, Chriſtum non fuiſse ubique tempore ſuæ mortalitatis, & hoc bene probatum eſse ex Euangelio, & Symbolo fidei; nihilominus cœpiſse eſse ubique poſt reſurrectionem. Hæc etiam reſponſio non valet. Primo, quia ex Euangelio, & Symbolo fidei conſtat, Chriſtum poſt reſurrectionem aſcendiſse ad cœlos, ac proinde locum mutaſse: Similiter in die judicii venturum ad nos, & ſic iterum locum mutaturum. Secundo, quia plerique Lutherani docent, Humanitatem Chriſti eſse ubique vel vi unionis hypoſtaticæ, vel per realem communicationem immenſitatis, ſeu omnipræſentiæ, quæ in inſtanti unionis hypoſtaticæ facta eſt. Si ergo nunc eſt ubique, neceſse eſt fuiſse ubique ab inſtanti conceptionis. Tunc enim hypoſtatice unita fuit perſonæ Verbi, ut omnes fatentur: & tunc vi iſtius unionis communicata eſt illi immenſitas, ſeu omnipræſentia, ut Lutherani contendunt. Eſt autem impoſſibile, alicui realiter communicari omnipræſentiam, & non eſse actu omnipræſentem: ſicuti impoſſibile eſt, alicui realiter communicari albedinem, & non eſse actu album.

Ubiquitas nititur falſo fundamento communicationis idiomatum.

14. Lutherani putant communicationem idiomatum in eo conſiſtere, quod ſicut Perſona Divina realiter unita, ſeu communicata eſt humanitati Chriſti, ſic etiam attributa divina: nempe omnipotentia, omniſcientia, & omnipræſentia realiter illi unita, ſeu communicata fuerint. At hoc falſum eſt eo ſenſu, quo ab illis aſſeritur, licet alio ſenſu ſit verum. Poteſt enim tripliciter intelligi. Primo, quod communicata ſint humanitati, non in ſe, ſed in ſuppoſito, ſeu perſona Verbi. Sic verum eſt. Nam humanitati datum eſt, ut ſubſiſtat in perſona Verbi, quæ eſt omnipotens, omniſcia, ubique præſens. Vel, ut alii loquuntur, per unionem hypoſtaticam factum eſt, non quidem ut humanitas in ſe ſit omnipotens, omniſcia, & ubique præſens; ſed ut ſit humanitas illius perſonæ, quæ eſt omnipotens, omniſcia, & ubique præſens. Vide Bellarm. lib. 3. de Chriſto, cap. 15.

15. Secundo, quod communicata ſint humanitati non ſolum in perſona Verbi, ſed etiam in ipſa humanitate, non tamen proxime, immediate, & formaliter, ſed tantum mediate, conſequenter, & identice. Sic etiam verum eſt. Nam ſola ſubſtantia Verbi proxime, immediate, & formaliter communicata eſt humanitati in ſe; & per illam proxime, immediate, & formaliter ſubſiſtit humanitas. Sed quia illa ſubſiſtentia reipſa idem eſt cum eſſentia, & attributis divinis, ideo conſequenter, & identice eſſentia, & attributa divina communicata ſunt humanitati; non ut humanitas per illa ſit omnipotens, omniſcia, & ubique præſens, ſed ut per illa, quatenus identificatur cum ſubſiſtentia, ſubſiſtat. Vide Valen. to. 4. qu. 2. puncto 3. §. 3.

16. Tertio, quod communicata ſint ipſi humanitati in ſe proxime, immediate, & realiter, ſicut ſubſiſtentia illi communicata eſt: ac proinde ſicut recte dicimus humanitatem Chriſti ſubſiſtere ſubſiſtentia divina; ſic etiam recte dici humanitatem Chriſti omnipotentem eſſe omnipotentia divina, & ubique præſentem immenſitate divina. Sic intelligunt Lutherani. Et hoc ſenſu nos illos impugnamus.

17. Dicimus ergo, attributa divina hoc ſenſu non eſſe communicata humanitati Chriſti. Ratio eſt, quia quodlibet attributum divinum intrinſece, & eſſentialiter includit reliqua, ut ex communi ſententia ſuppono; ergo ſi unum uniatur, ſeu communicetur humanitati, neceſſe eſt, ut reliqua omnia illi unian-

tur,

tur; ſeu communicentur: at omnia non poſſunt illi uniri: ergo nullum poteſt. Minor probatur; quia conſtat; hæc tria non poſſe. 1. Eſſe actum purum. 2. Eſſe æternum. 3. Eſſe independentem. Cum enim humanitas eſſentialiter ſit compoſita; non poteſt eſſe actus purus; & cum ſit dependens a Deo, non poteſt eſſe independens.

18. Dices 1. Subſiſtentia divina poteſt ſubſtantialiter communicari humanitati, & reipſa communicata eſt; ergo etiam poteſt illi communicari eſſe actum purum, eſſe æternum, eſſe independentem. Nam ſubſiſtentia divina eſt actus purus, eſt æterna, eſt independens. Reſpondeo: Non ſequitur; quia licet ſubſiſtentia communicetur humanitati in ratione ſubſiſtentiæ, non tamen in ratione puri actus, aut æterni, aut independentis. Non enim repugnat humanitati ſubſiſtere per ſubſiſtentiam divinam, ſicut repugnat illi eſſe actum purum, æternum, independentem.

19. Dices 2. Ergo falſum eſt, quod ante diximus, ſi unum attributum divinum poſſet communicari humanitati; reliqua omnia poſſe. Nam ſubſiſtentia poteſt illi communicari, & tamen reliqua non poſſunt. Reſpondeo: Subſiſtentia non eſt attributum divinum: Primo, quia attributa divina ſunt aliquid abſolutum in Deo; ſubſiſtentia eſt relativa. 2. Unum attributum eſt de intrinſeca ratione alterius: at ſubſiſtentia Verbi nec eſt de intrinſeca ratione ſubſiſtentiæ Patris, aut Spiritus Sancti, nec de intrinſeca ratione ullius attributi. Hinc ſequitur: Primo, ſubſiſtentiam relativam Verbi poſſe communicari; & reipſa communicatam eſſe humanitati Chriſti ſine ſubſiſtentia relativa Patris, aut Spiritus Sancti, quia una alteram intrinſece, & eſſentialiter non includit. 2. Eandem ſubſiſtentiam relativam communicari poſſe, & reipſa communicatam eſſe humanitati Chriſti ſine attributis divinis, quia relativa ſubſiſtentia non includit intrinſece, & eſſentialiter attributa divina. Nec obſtat, quod ſupra dixi, ſubſiſtentiam relativam eſſe realiter idem cum eſſentia, & attributis divinis. Eſt quidem realiter idem cum illis, ſed tamen intrinſece, & eſſentialiter non includit illa.

Ubiquitas deſtruit Euchariſtiam, & neceſ-ſitatem illius.

20. QUod ſic oſtendo. Si enim Corpus, & Sanguis Chriſti eſt ubique; ſi eſt in omni pane, & vino; in omni cibo, & potu: quid neceſſe eſt ire ad templum pro corpore, & ſanguine Chriſti? Domi haberi poteſt. Quid neceſſe eſt conſecrare panem, & vinum, ſi ſine conſecratione corpus, & ſanguis Chriſti præſens eſt? Quid conqueruntur adverſarii de ſubtracto calice? Quid tantopere urgent utramque ſpeciem? Domi ſumant calicem, ſumant utramque ſpeciem, ceſſent conqueri de nobis. Hoc argumentum objicit ſibi ipſe Lutherus in libello, qui inſcribitur: *Quod verba Chriſti, Hoc eſt Corpus meum, adhuc firma ſtent.* Sic enim habet: *Si corpus Chriſti eſt in omnibus locis, agedum devorabo, & helluabor ipſum in omnibus hoſpitiis, & in omnibus ſcutellis, poculis, cantharis.* Poſtea ſic reſpondet: *Audi tu porce, canis fanatice, aut quiſquis fueris, inſulſe aſine, etiamſi corpus Chriſti ſit in omnibus locis, non tamen tu ſtatim ipſum devorabis, vel helluaberis.* Et infra, *Ablego te in haram tuam porcorum, vel in tuum ſterquilinium.*

21. Vult dicere, Corpus quidem Chriſti eſſe ubique, non tamen ubique ſumi, aut comedi poſſe. Alii addunt, non poſſe ubique efficaciter, & utiliter capi, ſed in ſola Euchariſtia. Unde ajunt, hoc diſcrimen eſſe inter panem Euchariſticum, & panem domeſticum, quod licet Chriſtus in utroque ſit æque præſens, non tamen æque proſit nobis in utroque; quia in pane Euchariſtico confert aliquem fructum ſpiritualem, quem non confert in pane communi, & domeſtico. Sed quæro, quis ſit ille fructus ſpiritualis? ſane ſecundum Lutheranos duo ſpectari poſſunt in hac re. Unum eſt, ut quis excitet in ſe fidem juſtificantem, & actu credat peccata ſibi remiſſa per merita Chriſti. In hoc enim conſiſtit ratio fidei juſtificantis ſecundum Adverſarios. Alterum eſt, ut revera conſequatur hunc fructum remiſſionis peccatorum. Sed utrumque fieri poteſt in cibo, & potu domeſtico extra Euchariſtiam. Hoc oſtendo; quia Lutherani credunt, Chriſtum eſse ubique: ergo credunt illum eſse in cibo, & potu domeſtico: ergo cum manducant cibum domeſticum, poſsunt excitari ad fidem juſtificantem, ut credant ſibi remiſsa eſse peccata per merita Chriſti, qui ibi præſens eſt. Hæc autem fides eſt certa, infallibilis, ut ipſi volunt: ergo reipſa conſequuntur fructum remiſſionis peccatorum. Quid ergo neceſse

ceſſe eſt, ad hunc fructum conſequendum, ire ad Eccleſiam, & Euchariſticum panem manducare? Vides, tolli neceſſitatem Euchariſtiæ, ſi admittatur Ubiquitas.

Solvitur prima Ratio Lutheranorum ſumpta ex unione hypoſtatica.

22. PRima ratio fundatur in hac propoſitione; quando duæ res inſeparabiliter, & indiſtanter inter ſe unitæ ſunt, tunc ubi eſt una, ibi neceſſe eſt alteram eſſe. Quæ propoſitio, ſi nihil addatur, ſine dubio falſa eſt. Nam unio duarum rerum inſeparabilium, & indiſtantium non requirit, ut ubicunque eſt una, ibi ſit altera; ſed ſolum, ut alicubi ſint ſimul, & non diſtent. Si enim nullibi eſſent ſimul, jam eſſent ſeparatæ, & diſtantes. Hoc patet primo in anima, & capite Chriſti, quæ inſeparabiliter, & indiſtanter unita ſunt: & tamen non ubicunque eſt anima, ibi eſt caput; cum anima ſit in pedibus, ubi caput non eſt: Sunt tamen alicubi ſimul, & non diſtant; quod ſatis eſt ad unionem. Secundo, idem patet in Sole, & orbe ſolari, quæ eodem modo unita ſunt, & tamen Sol non eſt in toto terræ circuitu, ſicut eſt orbis ſolaris.

23. Dices. Hoc exemplum de Sole non eſt ad rem, quia Sol non eſt unitus toti orbi ſolari, ſed tantum parti. At humanitas Chriſti unita eſt toti Verbo. Reſpondeo: Hoc non obſtat, quia etiam caput Chriſti unitum eſt toti animæ; & tamen non ubicunque eſt anima, ibi eſt caput. Itaque hæc regula tenenda eſt. Quando duæ res totaliter, & adæquate inter ſe unitæ ſunt, tunc ubi eſt una, ibi eſt altera. Quando autem non totaliter, & adæquate unitæ ſunt, tunc una poteſt eſſe alicubi, ubi altera non eſt. Priori modo unita ſunt ſuperficies chartæ, & albedo; materia, & forma ſolis; materia, & forma aquæ; intellectus, & voluntas Angeli: Poſteriori caput, & anima: ſol, & orbis ſolaris: clavus, & rota: finitum, & infinitum.

24. Dices 2. Si perſona Verbi eſt alicubi, ubi non eſt humanitas, jam Verbum alicubi eſt homo, & alicubi non eſt homo, quod eſt abſurdum. Reſpondeo: Non ſequitur; nam hæ duæ propoſitiones ſunt diſtinctæ: Verbum alicubi eſt ſine humanitate, & Verbum alicubi exiſtens non eſt homo. Prior vera eſt, & bene ſequitur ex illo antecedente. Poſterior falſa eſt, & non bene ſequitur.

Solvitur ſecunda ratio ſumpta ex communicatione idiomatum.

25. Secunda ratio fundatur in communicatione idiomatum, quam Lutherani putant in eo conſiſtere, quod attributa divina, cujuſmodi ſunt omnipotentia, omniſcientia, & omnipræſentia, realiter communicata ſint humanitati Chriſti, ac proinde quod vera ſit hæc propoſitio: *Humanitas Chriſti eſt omnipotens, omniſcia, ubique præſens.* Hoc jam refutatum eſt. Vera communicatio idiomatum, quam antiqui Patres, & Concilia agnoſcunt, ſic explicanda eſt: Unio hypoſtatica hoc efficit, ut humana Chriſti natura immediate uniatur perſonæ Verbi, & conſequenter ut duæ naturæ, divina, & humana uniantur in eadem perſona Verbi, & in illa ſimul ſubſiſtant. Hinc oritur duplex communicatio reſpectu illius perſonæ; una duarum naturarum, altera proprietatum, ſeu attributorum utriuſque naturæ. Et hæc Græce vocatur κοινωνία τῶν ἰδιωμάτων. Prior in eo conſiſtit, quod duæ naturæ prædicentur de perſona Verbi in concreto: poſterior in eo, quod etiam attributa utriuſque naturæ prædicentur de eadem perſona in concreto.

26. Juxta priorem recte dicimus: Perſona Verbi eſt Deus, & perſona Verbi eſt homo. Item: Verbum eſt Deus, & Verbum eſt homo. Item: Filius Dei eſt Deus, & Filius Dei eſt homo. Item: Chriſtus eſt Deus, & Chriſtus eſt homo. Item: Jeſus eſt Deus, & Jeſus eſt homo. Denique: Deus eſt homo, & homo eſt Deus. Juxta poſteriorem: Chriſtus eſt æternus, immortalis, infinitus: & Chriſtus eſt temporalis, mortalis, finitus: Quod ſic intellige: Eſt æternus ſecundum divinam naturam, temporalis ſecundum humanam; & ſic de cæteris. Et hoc modo conciliantur illa duo Scripturæ teſtimonia: *Ego, & Pater unum ſumus.* & *Pater major me eſt.* Nam in priori loquitur Chriſtus de ſe ſecundum divinitatem, in poſteriori ſecundum humanitatem. Vide Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 11. & 13.

27. Hæc eſt recepta Catholicorum ſententia apud D. Thomam in 3. p. quæſt. 16. art. 4. Et ratio eſt, quia quando plures naturæ, vel formæ uniuntur in una eademque perſona, tunc poſſunt de illa in concreto prædicari: Sicut in perſona Petri uniuntur corpus, anima, intellectus, ſcientia, probitas, albedo; & ideo recte dicimus: Petrus eſt corporeus, animatus, intellectualis, ſcientificus, probus, albus. Eodem modo fit in perſona Chriſti, in

in qua uniuntur humanitas, & divinitas, mortale, & immortale, finitum, & infinitum. Unde ſimiliter recte dicimus: Chriſtus eſt homo, & Deus, mortalis, & immortalis, finitus, & infinitus. Quæ omnia perinde valent, ac ſi dicas: Petrus, ſeu perſona Petri, habet corpus, animam, intellectum, virtutem, ſcientiam, probitatem, albedinem. Item, Chriſtus, ſeu perſona Chriſti habet divinitatem, humanitatem, mortalitatem, & immortalitatem, finitatem, & infinitatem, quod veriſſimum eſt.

28. Nec teſtimonia Scripturæ, quæ ſuperius allata ſunt a Lutheranis, pro reali communicatione attributorum facta humanitati, quicquam convincunt. Primum eſt: *In ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Reſpondeo. Hoc dupliciter poteſt intelligi. Primo, quod plenitudo divinitatis habitet in humanitate Chriſti. Hoc quidem Apoſtolus expreſſe non dicit; ſed tamen aliquo ſenſu verum eſt. Habitat enim in humanitate, non per ſe, & formaliter, ſed identice, ſeu per aliquid, quod eſt idem cum divinitate, nempe per ſubſiſtentiam relativam verbi. Nam hæc ſubſiſtentia per ſe, & formaliter communicatur eſt humanitati, & quia identificatur cum eſſentia, & attributis, ideo eſſentia, & attributa ſunt ipſi communicata per ſubſiſtentiam, quæ eſt realiter idem cum illis. (Vide ſupra §. 15. & ſic exponit Valentia quæſt. 2. puncto 2. §. 2. & 11.) Secundo, quod plenitudo divinitatis habitet in ipſo Chriſto. Cum enim Chriſtus ſit verus Deus, & verus homo, neceſſe eſt, ut ſicut in eo eſt plenitudo humanitatis, ſic etiam ſit plenitudo divinitatis: Vel, quod idem eſt, ſicut in eo eſt natura humana cum ſuis proprietatibus, & attributis; ſic etiam ſit natura divina cum ſuis proprietatibus, & attributis.

29. Hinc conſtat diſcrimen inter Chriſtum, & humanitatem Chriſti. Nam eſſentia, & attributa divina non ſunt formaliter, & per ſe communicata humanitati, ſed tantum identice, quatenus ſunt realiter idem cum ſubſiſtentia relativa, ut dictum eſt: at Chriſto per ſe, & formaliter communicata ſunt in perſona Verbi. Nam perſona Verbi ſubſiſtit in vera divinitate, & vera humanitate: & ſicut ſubſiſtentia relativa per ſe, & formaliter eſt in perſona Verbi; ſic etiam eſſentia divina, & omnia illius attributa. Unde etiam fit, quod ſola ſubſiſtentia Verbi poſſit in concreto prædicari de humanitate, non autem eſſentia, aut attributa. Nam verum eſt dicere, humanitas Chriſti ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi, falſum, humanitas Chriſti eſt Deus, eſt omnipotens, infinita, independens. Quæ tamen omnia poſſunt prædicari de ipſo Chriſto. Nam omnia per ſe, & formaliter ſunt in Chriſto.

Itaque verum eſt dicere, Chriſtus eſt Deus, omnipotens, infinitus, independens, ſubſiſtens.

30. Notandæ ſunt autem duæ iſtæ particulæ. 1. *Plenitudo divinitatis*. 2. *Corporaliter*. Nam illæ ſignificant, aliter in Chriſto, aliter in aliis Sanctis habitare divinitatem. In Chriſto habitat per plenitudinem; in aliis per diviſionem. (1. Cor. 12. 4.) In Chriſto corporaliter, id eſt, vere, & ſubſtantialiter; in aliis participative. Nam ipſa divinitas vere, & ſubſtantialiter eſt in Chriſto, in aliis per dona quædam a divinitate participata.

31. Alterum teſtimonium eſt, *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*: ergo etiam attributa divina. Reſpondeo. Hoc dictum eſt de Chriſto, non de humanitate Chriſti. Poteſt autem dupliciter intelligi. 1. Quod omnia ſint illi tradita per æternam generationem. Et ſic non eſt ad propoſitum. 2. Quod omnia ſint illi tradita per unionem hypoſtaticam: non tamen in ipſa humanitate, ſed in perſona verbi, quæ ſubſiſtit in humanitate. Vide ſupra §. 14. Eodem modo explicari poteſt illud Joan. 13. 3. *Omnia dedit ei Pater in manus*.

32. Tertium eſt, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Reſpondeo. Hoc etiam de Chriſto, non de humanitate dictum eſt. Et poteſt etiam dupliciter intelligi. 1. De poteſtate divina, ſeu increata, quæ data eſt Chriſto, non in humanitate, ſed in perſona Verbi. 2. De imperio, quod datum eſt illi in omnes creaturas; juxta illud Hebr. 2. 7. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*. Et ibidem: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*.

Solvitur Tertia Ratio deſumpta ex Aſcenſione Chriſti.

33. Tertia ratio fundatur in illo Eph. 4. 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia*. Reſpondeo. Senſus eſt, Chriſtum prius deſcendiſſe ad inferos, ac deinde aſcendiſſe ſupra omnes cœlos, ut omnia loca, infima, media, ſuprema, ſucceſſive impleret per ſuam præſentiam, virtutem, gloriam, victoriam, & triumphum: & ſic caperet poſſeſſionem ſui imperii in omnes creaturas, & tanquam Rex ſolemni pompa inauguraretur. Sic explicant Theophylactus, Oecumenius, Cornelius in commentario, & ſanctus Bernardus ſerm. 2. de Aſcenſ. Dom., ubi ait: *Aſcendit ſuper omnes cælos, ut adimpleret omnia. Jam enim tum ſe Dominum univerſorum, quæ ſunt in terra, & in mari, & in inferno, probaſſet, non reſtabat niſi ut aeris, & cælorum ſe eſſe Dominum approbaret*, &c.

34.

34. Hinc ſequitur, Lutheranos & inter ſe, & ab Apoſtolo diſſentire. Inter ſe quidem, quia multi docent humanitatem Chriſti in unionis hypoſtaticæ eſſe ubique: ac proinde ab inſtanti conceptionis, quo facta eſt unio hypoſtatica, cœpiſſe eſſe ubique. Non ergo poſt Aſcenſionem cœpit eſſe ubique. Ab Apoſtolo autem, quia Apoſtolus dicit, Chriſtum ſecundum humanitatem deſcendiſſe ad inferos; ergo prius non erat apud inferos. Item, aſcendiſſe ad cœlos: ergo prius non erat in cœlis: Ergo vi unionis hypoſtaticæ non erat ubique.

Solvitur Quarta Ratio deſumpta ex ſeſſione ad dexteram Dei Patris.

35. QUarta ratio fundatur in iis Scripturæ locis, ubi Chriſtus dicitur ſedere ad dexteram Dei Patris. Reſpondeo. Duplex eſt explicatio illius ſeſſionis. Una, quod per dexteram Dei intelligatur beatitudo æterna. Ita Hieron. in c. 1. ad Epheſ. & Auguſtin. lib. de Fide, & Symbolo c. 7. & lib. de agone Chriſtiano c. 26. qui non ſolum Chriſtum, ſed etiam alios beatos vult ſedere ad dexteram Dei, juxta illud Epheſ. 2. 6. *Conſedere nos fecit in Cæleſtibus in Chriſto*. Et Matth. 25. 33. *Statuet oves a dextris ſuis: hœdos autem a ſiniſtris*. Hæc expoſitio nihil favet Ubiquetariis.

37. Altera eſt probabilior, quod per dexteram Dei intelligatur æqualitas potentiæ, gloriæ, & majeſtatis Dei, ut ſenſus ſit, *Chriſtum ſedere ad dexteram Dei*, id eſt, æqualem eſſe Deo in potentia, gloria, & majeſtate: vel pari potentia, gloria, & majeſtate regnare, & gubernare cum Deo Patre. Ita Athanaſius, Baſilius, uterque Cyrillus, Damaſc., Chryſoſt., Ambroſius, & alii apud Bellarmin. lib. 3. de Chriſto c. 15. Hæc expoſitio videtur ſavere Lutheranis, ſed revera non favet. Tametſi enim hæc æqualitas data ſit Chriſto homini, non tamen data eſt illi in humanitate, ſed in perſona Verbi. Non enim factum eſt, ut humanitas in ſeipſa ſit æqualis Deo in potentia, gloria, & majeſtate, ſed ut ſit humanitas perſonæ Verbi, quæ habet æqualem potentiam, gloriam, & majeſtatem cum perſona Patris. V. ſupra §. 14.

37. Dices, hoc factum eſt in inſtanti incarnationis, quando humanitas Chriſti unita fuit perſonæ Verbi. Apoſt. autem loquitur de ſeſſione ad dexteram Dei Patris, quæ contigit poſt aſcenſionem. Reſp. in illa ſeſſione duo ſpectari debent. 1. Æqualitas Chriſti cum Deo Patre. Hæc illi data eſt in inſtanti incarnationis. 2. Manifeſtatio illius æqualitatis. Hæc facta eſt per aſcenſionem,

quan-

quando Chriſtus tanquam victor, & triumphator cum ſolemni pompa aſcendit in cœlum. Tunc enim cœpit, quoad externam celebritatem, ſedere a dextris Dei Patris, id eſt, tunc cœpit agnoſci, & honorari tanquam Deus; ut patet ex illo Philipp. 2. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Nota: ut omnis lingua confiteatur, Chriſtum eſſe in gloria Patris, quod antea confeſſa non erat; quia antea non innotuerat omnibus.

Solvitur Quinta Ratio deſumpta ex verbis Chriſti.

38. Quinta ratio ſumitur ex verbis Chriſti, Matth. 18. 20. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et c. 28. 20. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Reſp. Hinc ſolum colligitur, Chriſtum adeſſe omnibus bonis, & fidelibus per ſuam gratiam, & directionem: non tamen per præſentiam corporalem. Nam ſi Chriſtus loqueretur de præſentia corporali, non tantum adeſſet bonis, ſed etiam improbis, ſecundum expoſitionem Lutheranorum, quod tamen eſt alienum a mente Chriſti. Hic iterum patet, Lutheranos & ſibi ipſis, & Chriſto contradicere. Sibi, quia paulo ante aſſerebant, Chriſtum poſt aſcenſionem cœpiſſe eſſe ubique. At hic contendunt, eum antea fuiſſe ubique. Chriſto autem, quia Chriſtus ſolum aſſerit, ſe præſentem eſſe, & fore bonis: at Lutherani volunt convincere, præſentem eſſe omnibus, tam bonis, quam malis: nec tantum hominibus, ſed etiam aliis creaturis, quod nullo modo convinci poteſt nec ex verbis Chriſti, neque ex ipſius mente, ac intentione.

CAPUT II.

De fide Infantium.

1. Dicam primo, quid ſentiat Lutherus. 2. Quid Lutherani. 3. Quid Catholici. 4. Solvam objectiones Lutheri, & Lutheranorum. Igitur Lutherus docet, infantes habere fidem actualem, qua credant in Chriſtum, & per illam ipſos juſtificari. Hanc autem fidem gigni in infantibus ante Baptiſmum, partim vi exorciſmi, partim orationibus Eccleſiæ. Sic enim ſcribit in libro contra armatum virum Cochlæum: *Non negamus parvulos eſſe bapti-*

pti-

pilzandos, nec aſſerimus eos baptiſmum accipere ſine fide: ſed dicimus, ad baptiſmum eos credere per vim verbi, quo exorcizantur, & per fidem Eccleſiæ eos offerentis, & eis fidem ſuis orationibus implorantis. Et in lib. de capt. Babylonica, c. de Baptiſmo: *Per orationem Eccleſiæ offerentis, & credentis, cui omnia poſſibilia ſunt, parvulus fide infuſa mutatur, mundatur, & renovatur*. Loquitur de fide actuali, ut patet ex præcedenti teſtimonio.

2. Hæc ſententia facile refellitur. Primo, quia excepto Luthero, nemo eam defendit. 2. Nullum habet fundamentum in Scripturis. 3. Repugnat Patribus. 4. Multa abſurda ex ea ſequuntur. 5. Nititur falſis principiis. Singula oſtendo. Primo, nec Catholici, nec Lutherani eam defendunt, ut paulo poſt videbimus. Secundo, non fundatur in Scriptura. Nam Scriptura novi teſtamenti, quandocunque loquitur de actu credendi, ſeu de fide actuali, ſemper loquitur de fide adultorum, quæ oritur ex auditu, doctrina, & prædicatione Euangelii. Marci 16. v. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium. Qui crediderit*, (audita prædicatione Euangelii) *& baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qui vero non crediderit*, (vobis Euangelium prædicantibus) *condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis*, &c. Quis non videt hæc dici de adultis, non de infantibus? Item Roman. 10. 14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Et poſtea concludit: *Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti*. Hæc Apoſtoli ſententia directe eſt contra Lutherum. Et poteſt ſic applicari. Quomodo infantes credent Chriſto, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante?

3. Tertio repugnat Patribus, qui negant infantes habere actum fidei, quando baptizantur. Certe Auguſtinus, ut alios omittam, epiſt. 23. ad Bonifacium Epiſcopum circa finem ſic ait: *Itaque parvulum, etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentum* (id eſt baptiſmus) *fidelem facit*. Et epiſt. 57. ad Dardanum, quæſt. 2. aſſerit, eos, qui putant infantes credere, quando baptizantur, injuriam facere humanis ſenſibus. Videmus enim infantes, partim vocis ejulatu, partim motu corporis reluctari, quando baptiſmum aquæ ſuſcipiunt: quod ſane non facerent, ſi crederent ſe per baptiſmum regenerari, & filios Dei fieri. Et lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas, c. 24. ait: *infantes baptizati, non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad juſtitiam poſſunt, nec*

ore

Digitized by Google

ore confiteri ad ſalutem. Similia habet lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 20.

4. Quarto, multa abſurda ſequuntur ex ſententia Lutheri. Nam ex eo, quod aſſerit, infantibus dari fidem in exorciſmo ante baptiſmum, ſequuntur hæc tria. Primo, infantes exorcizatos, ſi moriantur ante baptiſmum, ſalvari poſſe per fidem in Exorciſmo acceptam: ac proinde baptiſmum non eſſe neceſſarium. Nam ut idem Lutherus ſcribit in libro contra Coclæum: *Baptiſmus ſine fide non juſtificat: fides autem ſine baptiſmo juſtificat*. Secundo, exorciſmum magis eſſe neceſſarium ad ſalutem, quam Baptiſmum. Nam exorciſmus confert infantibus fidem juſtificantem, quam baptiſmus non confert. Et, ſine exorciſmo infantes ſalvari non poſſunt; ſine baptiſmo poſſunt. Tertio, nos habere aliquod medium neceſſarium ad ſalutem, extra ſcripturam, & per ſolam traditionem, nempe exorciſmum. Quod Lutherani cenſent abſurdum eſſe.

5. Quinto, nititur falſis principiis. Nam primo falſum eſt, fidem infantium gigni per vim verbi, quo exorcizantur. Quod poteſt dupliciter intelligi. Primo, ut verbum exorciſmi habeat vim gignendi actum fidei; quatenus auditur, & intelligitur ab infantibus: quo pacto verbum Evangelii, quando prædicatur, habet talem vim reſpectu adultorum, juxta illud: *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti*. Secundo, ut habeat vim gignendi actum fidei, non quatenus auditur, & intelligitur, ſed per modum inſtrumenti. Quo pacto nos dicimus, verbum baptiſmi, per modum inſtrumenti, habere vim conferendi gratiam. Utroque ſenſu falſum eſt. Priori quidem, quia conſtat infantes non intelligere verbum exorciſmi, quod latine recitatur a miniſtro exorcizante: Imo nec audire quidem, præſertim quando vel dormientes, vel ſurdi exorcizantur: vel etiam, quando miniſter ſubmiſſa voce pronunciat verbum exorciſmi in magno populi ſtrepitu, & concurſu. Poſteriori, quia ſi verbum exorciſmi per modum inſtrumenti conferret fidem, haberet hanc vim conferendi ex inſtitutione Chriſti; at non habet, quia neque ex ſcriptura, neque ex traditione probari poteſt, Chriſtum inſtituiſſe, ut verbum exorciſmi habeat vim conferendi infantibus actum fidei. Solus Lutherus id aſſerit, ſine fundamento.

6. Addo, ſi fides infantium gigneretur per verbum exorciſmi, ſive priori, ſive poſteriori modo, Baptiſmum nihil profuturum infantibus ſine exorciſmo. Nam baptiſmus, ex ſententia Lutheri, non prodeſt ſine fide ſuſcipientis: at fides ſuſcipientis acquiritur per exorciſmum: ergo baptiſmus nihil prodeſt ſine exorciſmo.

Cur

Cur ergo multi Lutherani omittunt exorciſmum? Cur omnes, tam Catholici, quam Lutherani docent, mulieres in neceſſitate baptizare poſſe infantem, non præmiſſo exorciſmo? Cur olim in primitiva Eccleſia id ſæpe factum eſt?

7. Secundo falſum eſt, fidem infantium impetrari per fidem, & orationem Eccleſiæ. Quod dupliciter oſtendo. Primo, ex ipſo Luthero. Nam ipſe aſſerit, infantes credere per vim verbi, quo exorcizantur. Verbum exorciſmi eſt hoc. *Exorcizo te, immunde ſpiritus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N.* Si ergo per vim hujus verbi accipiunt fidem, qua credunt in Chriſtum; certe non accipiunt per orationes Eccleſiæ, quæ ſequuntur exorciſmum. Aut, ſi Eccleſia per ſuas orationes impetrat illis fidem poſt verbum exorciſmi, non accipiunt fidem per vim verbi exorciſmi. Ut hoc melius intelligatur, notandum eſt, in baptiſmo infantium ſervari hunc ordinem. 1. Petitur nomen infantis. 2. Fit inſufflatio. 3. Signum crucis imprimitur in fronte, & corde. 4. Datur illi guſtandum ſal benedictum. 5. Sequitur exorciſmus. 6. Recitantur orationes. 7. Nares, & aures infantis tinguntur ſputo, ſeu ſaliva. Hæc omnia fiunt ante ingreſſum in Eccleſiam. Poſt ingreſſum ſervatur hic ordo. 1. Fit abrenunciatio Satanæ. 2. Profeſſio fidei. 3. Ungitur pectus infantis oleo ſalutis. 4. Sequitur Baptiſmus. Hinc conſtat verbum exorciſmi prius recitari, quam orationes Eccleſiæ; & conſequenter, ſi fides infantium confertur per verbum exorciſmi, non opus eſſe, ut conferatur per orationes Eccleſiæ.

8. Deinde, neque ex Scriptura, neque ex Traditione oſtendi poteſt, Deum infallibiliter, & quaſi certa lege velle infantibus dare fidem propter orationem Eccleſiæ. Unde ergo id aſſerit Lutherus? Aut quo præceptore id didicit? Nullum authorem, qui ante ipſum vixerit, citare pro ſe poteſt. Et ſane, ſi ſemel dicamus, Eccleſiam habere infallibilem vim per ſuas orationes impetrandi fidem infantibus in exorciſmo, poterimus ſimiliter dicere, habere vim impetrandi fidem infantibus in utero materno exiſtentibus, aut etiam infallibiliter impetrandi fidem Turcis, hæreticis, & infidelibus. Non quidem nego, quin Eccleſia multa poſſit impetrare a Deo per ſuas orationes: ſed quod in hoc caſu, reipſa, & infallibiliter impetret fidem infantibus, indiget probatione.

Quid

Quid ſentiant Lutherani.

9. LUtherani in tres partes diviſi ſunt: Aliqui docent cum Luthero, infantes in baptiſmo habere veram fidem, qua credant in Chriſtum. Alii habere pios quoſdam motus, ſeu inclinationes in Deum; ſicut habuit Joannes Baptiſta, quando exultavit in utero matris. Alii habere utrumque, & veram fidem, qua credant in Chriſtum, & pios motus, ſeu inclinationes in Deum. Omnes tamen diſſentiunt a Luthero in eo, quod dicant hujuſmodi fidem, vel motus non gigni in infantibus per vim verbi Exorciſmi, ſed in baptiſmate per Spiritus ſancti virtutem, & operationem.

10. Primam partem tenet Leonardus Hutterus in compendio locorum Theologiæ c. 20. de baptiſmo, quæſt. 11. ubi introducit Diſcipulum ſic proponentem: *Videris hoc pacto aſſerere, infantes baptizatos vere credere in Chriſtum*. Et reſpondet, *Recte. Nam infantes per baptiſmum virtute Spiritus ſancti vera fide donari, vel inde patet, quod regenerantur: Jam autem vera regeneratio ſine fide eſſe nequit*. Utitur autem duplici teſtimonio Scripturæ. Uno, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvabitur*. Altero, *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt*, &c.

11. Alteram Philippus in locis anni 1558. tit. de baptiſmo parvulorum. *De infantibus*, inquit, *hoc ſatis eſt tenere. Spiritus ſanctus per Baptiſmum eis datur, qui efficit in eis novos motus, & novas inclinationes in Deum pro ipſorum modo*. Et Lutherani in conciliabulo VVittembergenſi apud Cochlæum lib. 3. Miſcellaneorum, tract. 8. cap. 2.

12. Tertiam David Chytræus in Catecheſi anni 1589. c. 7. de Baptiſmo, ubi ait: *Eſt autem Chriſtus efficax in infantibus per baptiſmum, & operatur in iis fidem, & alios motus pro ipſorum modo*. Matth. 18. *Qui offenderit unum ex parvulis iſtis, qui in me credunt*.

13. Kemnitius, & Jacobus Herbrandus fatentur, hanc doctrinam nec intelligi, nec explicari poſſe. Et quidem Kemnitius in 2. p. Examinis Concil. Trident. ſeſſ. 7. Can. 13. de Baptiſmo ſic ſcribit: *Licet nec ſatis intelligamus, nec verbis explicare poſſimus, qualis ſit illa Spiritus Sancti actio, & operatio in infantibus, qui baptizantur: eſſe tamen, & fieri ex verbo Dei certum eſt. Illam autem actionem, ſeu operationem Spiritus Sancti in infantibus vocamus fidem, & dicimus parvulos credere*. Herbrandus

dus verò in epitome Compendii Theologiæ capite de Baptiſmo infantium: *Etſi*, inquit, *quomodo credant infantes, ſcire non poſſumus, tamen fidem eos habere certum eſt, Chriſto affirmante, teſtimoniumque illis perhibente. Sicut Spiritus ſanctus pronunciat, pullos corvorum Deum invocare. Et Paulus Apoſtolus, creaturam omnem ingemiſcere teſtatur.* Quaſi dicat: Sicut non poſſumus intelligere, quomodo pulli corvorum invocent Deum, & quomodo omnis creatura ingemiſcat: ſic etiam non poſſumus intelligere, quomodo infantes credant. Certum eſt tamen, eos credere, ſicut illa duo priora certa ſunt.

14. Hi omnes facile refelluntur. Vel enim volunt hos motus, ſeu inclinationes infantium diſtingui a vera fide juſtificante, vel non; ſi volunt non diſtingui, jam ex hac parte ſentiunt cum Luthero, ac proinde eodem modo, quo Lutherus, refutandi ſunt. Si tamen volunt diſtingui, quod veriſimilius eſt, magis errant, quam Lutherus. Primo, quia ſibi ipſis contradicunt. Nam alibi communi conſenſu docent, hominem ſola fide juſtificari. Hic docent infantes juſtificari per novos motus, & inclinationes, quę juxta ſuppoſitionem a fide diſtinguuntur. Quæ duo non cohærent. Secundo, quia ſicut Lutherus pro fide infantium aſtruenda utitur quibuſdam Scripturæ teſtimoniis, quæ revera intelligi debent de fide juſtificante; ſic etiam Lutherani ad aſtruendos infantium motus, & inclinationes, utuntur iiſdem teſtimoniis. At fieri non poteſt, ut teſtimonia, quæ intelligi debent de vera fide juſtificante, intelligantur de motibus, ſeu inclinationibus diſtinctis a fide juſtificante. Sunt autem hæc teſtimonia. 1. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* 2. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* 3. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt.* In his, & ſimilibus agitur de vera fide; non autem de motibus, aut inclinationibus diſtinctis a vera fide. Ergo Lutherus majori probabilitate potuit illis uti, quam Lutherani. Neutri tamen recte. Non quidem Lutherus, quia in ſupra dictis teſtimoniis agitur de fide adultorum tantum. Nec Lutherani. Primo propter eandem cauſam. Secundo, quia fides ex ſuppoſitione diſtinguitur a motibus, & inclinationibus, quas fingunt Lutherani. Ergo ex illis teſtimoniis, ubi agitur tantum de fide, non poteſt quicquam convinci de motibus, qui diſtincti ſunt a fide.

Quid ſentiant Catholici.

15. Catholici docent, infantes, dum baptizantur, tameſi non habeant propriam fidem actualem, ut volebat Luthe-

therus, neque etiam novos motus, & inclinationes diſtinctas à fide, ut volebant Lutherani, non tamen juſtificari ſine omni fide. Primo, quia in baptiſmo infunditur illis habitus fidei, ſicut etiam habitus ſpei, & charitatis. Secundo, quia præter hunc habitum dicuntur etiam actu credere, duplici ſenſu. Primo, quatenus actu baptizantur. Unde Auguſt. lib. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. 27. ait: *Quis autem neſciat, credere infantibus eſſe baptizari? non credere autem, non baptizari?* & epiſt. 23. ad Bonifacium Epiſcopum, circa finem: *Itaque parvulum, etſi non fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentum* (ideſt Baptiſmus) *fidelem facit*.

16. Secundo, quatenus credunt aliena fide. De qua idem Auguſtinus ſerm. 10. de Verbis Apoſtoli: *Portantur ad Eccleſiam, & ſi pedibus illuc currere non poſſunt, alienis pedibus currunt, ut ſanentur. Accommodat illis Mater Eccleſia aliorum pedes, ut veniant: aliorum corda, ut credant: aliorum linguam, ut fateantur: ut quoniam, quoad ægri ſunt, alio peccante prægravantur, ſic, cum hi ſani ſunt, alio pro illis confitente, ſalventur.* Ubi etiam obiter inſinuat, quomodo aliena fides poſſit infantibus prodeſſe ad ſalutem, nempe eo modo, quo alienum peccatum obfuit illis ad damnationem: ſicut enim per peccatum primi parentis damnati ſunt ad mortem; ita per fidem Eccleſiæ transferuntur ad vitam. Quod alibi explicat alio exemplo, nempe filii viduæ, qui aliena fide reſuſcitatus eſt. Sic enim ſcribit lib. 3. de liber. arbit. cap. 23. *Quid enim filio viduæ profuit fides ſua, quam utique mortuus non habebat, cui tamen profuit matris, ut reſurgeret? Quanto ergo potius fides aliena poteſt conſulere parvulo, cui ſua perfidia non poteſt imputari?*

Solvuntur Objectiones Lutheri, & Lutheranorum.

17. Ex dictis facile ſolvuntur ipſorum objectiones. Prima eſt. Nemo poteſt juſtificari ſine fide: at infantes in baptiſmo juſtificantur: ergo non ſine fide. Major patet ex illo Marci 16. 15. *Qui non crediderit, condemnabitur*, & Hebr. 11. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Reſp. Major falſa eſt, ſi intelligatur de ſola fide actuali propria: vera, ſi indifferenter de quavis fide, ſive propria, ſive aliena, ſive actuali, ſive habituali. Et ſic concedo, infantes non juſtificari ſine fide: tum quia in baptiſmo infunditur illis fides habitualis: tum quia credunt fide aliena, ſicut in Adamo peccarunt voluntate aliena: tum denique, quia cen-

cenſentur credere, ſeu fidem profiteri, quando ſuſcipiunt Baptiſmum, qui fidei Sacramentum eſt.

18. Illud, quod objicitur, *Qui non crediderit, condemnabitur*, intelligi debet de adultis, non de infantibus, ut ſupra oſtendi. Similiter illud: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo:* Nam Apoſtolus commendat ibi fidem Abel, Henoch, Noe, Abraham, Saræ, Iſaac, Jacob, Joſeph, Moſis, Rahab, Gedeonis, Barac, Sanſonis, Jepthe, David, Samuelis, & Prophetarum; qui omnes erant adulti, & nullam facit mentionem infantium. Imo, cum dixiſſet, Henoch placuiſſe Deo, mox addidit: *ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quod non poteſt intelligi de infantibus; illi enim in baptiſmo non credunt hæc duo. 1. quod Deus ſit. 2. quod bonis decernat præmia, malis ſupplicia.

19. Secunda objectio: Chriſtus diſerte aſſerit, infantes habere actum fidei, Matth. 18. 6. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt.* Et confirmatur exemplo Joannis Baptiſtæ, qui in utero matris habuit fidem in Chriſtum. Reſpondeo. Per puſillos non intelligit infantes, ſed grandiores pueros, ut ex contextu manifeſtum eſt. Primo, quia vocavit illos ad ſe, & vocati acceſſerunt. *Advocans Jeſus parvulum ſtatuit eum in medio eorum.* Secundo, quia erant capaces ſcandali. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis.* Neutrum convenit infantibus. Exemplum Joannis Baptiſtæ non facit regulam generalem, ut recte notat Auguſtinus epiſt. 57. ad Dardanum, quæſt. 2. Sicut nec exemplum aſinæ Balaam. Unde ſicut non ſequitur: Aſina Balaam locuta eſt: ergo omnes aſinæ loquuntur: Ita non ſequitur, Joannes Baptiſta credidit in Chriſtum: ergo omnes infantes credunt in Chriſtum. Deinde ſcriptura non dicit Joannem credidiſſe, ſed exultaſſe, ut bene advertit idem Auguſtinus in loco citato, cum ait: *Nam neque cum hoc ante in Euangelio narraretur, dictum eſt, Credidit infans in utero ejus, ſed exultavit: Neque ipſa Eliſabeth dixit: Exultavit in fide infans in utero meo, ſed exultavit in gaudio. Videmus autem exultationem non ſolum parvulorum, ſed etiam pecorum, non utique de aliqua fide, vel religione, vel quacunque rationabili cognitione venientem.*

20. Tertia objectio. Si parvuli non crederent actu proprio, jam in ipſo Sacramento Baptiſmi committeretur mendacium ab iis, qui reſpondent pro parvulo, *Credo*. Eſt argumentum Lutheri. Reſpondeo. Nullum eſt ibi mendacium. Nam qui pro parvulo reſpondent, *Credo*, non ſignificant illum credere actu proprio, ſed alieno, ut expreſſe docet D. Thomas in 3. part. quæſt. 68.

art. 9. ad 3. Quomodo autem fides aliena poſſit illi prodeſſe, ex D. Auguſtino jam explicatum eſt. Prodeſt illi fides aliena, ſicut obeſt peccatum alienum. Eſt tamen aliqua diſtinctio adhibenda. Nam duplex eſt fides aliena in hac cauſa. Una parentum, vel amicorum, qui offerunt parvulum, ut baptizetur: Altera Matris Eccleſiæ, cujus gremio inſeritur parvulus per baptiſmum. Prior prodeſt illi, ut baptizetur. Si enim parentes, vel amici, qui offerunt parvulum ad baptiſmum, non crederent prodeſſe illi baptiſmum, fortaſſe non offerrent ad baptiſmum. Poſterior prodeſt illi, ut fiat vivum, & animatum membrum Eccleſiæ. Quando enim per baptiſmum inſeritur Eccleſiæ, & reliquis Eccleſiæ membris unitur, & conjungitur, tunc fides Eccleſiæ cenſetur illi communicari, & per illam fidem dicitur vivere, & animari.

21. Dices, quid ſi parentes, qui offerunt parvulum ad baptiſmum, non habeant fidem? Reſpondeo: Hoc non obſtat valori baptiſmi. Satis eſt, quod Baptizans adhibeat veram materiam, & formam, cum intentione baptizandi. Unde ſequitur, fidem parentum poſſe quidem eſſe utilem ad ſuſcipiendum baptiſmum, non tamen neceſſariam ad valorem baptiſmi.

CAPUT III.

De Impanatione.

I. Lutherani nobiſcum ſentiunt contra Calviniſtas, Chriſtum vere præſentem eſſe in Euchariſtia; ſed diſſentiunt a nobis, quomodo fiat præſens. Nos docemus fieri præſentem per tranſubſtantiationem, ideſt, per converſionem ſubſtantiæ & panis, & vini in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, ita ut ante verba conſecrationis. *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, ſit præſens ſubſtantia panis, & vini: poſt conſecrationem non amplius adſit ſubſtantia panis & vini, ſed illa converſa ſit in ſubſtantiam coporis, & ſanguinis Chriſti: Sicut ſubſtantia aquæ in nuptiis Canæ Galileæ converſa eſt in ſubſtantiam vini. (Joan. 2. 9.)

2. Hanc converſionem negant Lutherani, aſſerentes utramque ſubſtantiam ſimul manere, nempe ſubſtantiam panis & vini cum ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti: Ac proinde Chriſtum fieri præſentem in Euchariſtia non per converſionem ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſed alio modo. Quis autem ille modus ſit, in eo diſcrepant. Pleríque putant præſentem fieri per ubiquitatem. Alii per unionem hypoſtaticam Chriſti cum pane, & vino. Alii per ſimpli-

ſimplicem conjunctionem unius cum altero. In eo tamen conſentiunt, quod ſimul maneat ſubſtantia panis, & vini cum ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti. Ex ipſorum opinione veræ ſunt hæ propoſitiones: *Panis eſt corpus Chriſti, vinum eſt ſanguis Chriſti*. Item: *Corpus Chriſti eſt in pane, cum pane, & ſub pane*. Atque hinc ortum eſt vocabulum Impanationis. Vide Lutherum in l. de captiv. Babylonica, cap. de Euchariſtia, ubi ait: *Sicut de Chriſto dicimus: Hic homo eſt Deus: hic Deus eſt homo; ita de Euchariſtia: Hic panis eſt corpus meum: hoc vinum eſt ſanguis meus; & e contra*. Et ibidem: *Credo firmiter, non modo corpus Chriſti eſſe in pane, ſed panem eſſe corpus Chriſti*. Hæc omnia examinanda ſunt hoc ordine. 1. An Chriſtus fiat præſens per ubiquitatem. 2. An per unionem hypoſtaticam. 3. An per ſimplicem conjunctionem. 4. An per tranſubſtantiationem. Hoc ultimum nos aſſerimus, reliqua Lutherani.

An Chriſtus ſit præſens in Euchariſtia per Ubiquitatem.

3. Affirmat Lutherus in libello, qui inſcribitur: *Confeſſio Martini Lutheri de cæna Domini*: Brentius in Apologia pro Confeſſione Vvirtenbergenſi, Illyricus in libro de Aſcenſione Chriſti, Smidelinus, & plerique alii Lutherani. Sed facile refelluntur ex dictis. Primo, quia Ubiquitas jam exploſa eſt. Secundo, quia multi Lutherani docent, Chriſtum non fuiſſe ubique præſentem, niſi poſt aſcenſionem: Ergo ante aſcenſionem vel non fuit præſens in Euchariſtia, vel ſi fuit, non potuit eſſe præſens per ubiquitatem, ſed per conſecrationem: quod nos docemus. Tertio, quod ubique eſt, non movetur de loco in locum, ut ſupra demonſtravi: ſi ergo corpus Chriſti eſt ubique, non movetur de loco in locum. Ex quo ulterius ſequitur, miniſtrum Lutheranum, quando communicantibus diſtribuit hoſtias, non diſtribuere corpus Chriſti, ſed nudas hoſtias; quia hoſtiæ, quæ deferuntur ex manu miniſtri in ora, & ſtomacos communicantium, non deferunt ſecum corpus Chriſti; alioqui corpus Chriſti moveretur de loco in locum. Itaque communicantes nihil accipiunt a miniſtro Lutherano, niſi nudas hoſtias, & nuda ſymbola: qui eſt error Calviniſtarum. Quarto, Luterani paſſim docent, Euchariſtiam, ſicut & Baptiſmum, conſiſtere in uſu; ac proinde corpus Chriſti non eſſe præſens in Euchariſtia, niſi quando ſumitur; extra ſumptionem non eſſe præſens. Si ita, non eſt ubique præſens. Quinto, aliqui etiam Lutherani docent, Sacramenta ſecundum ſubſtantiam

ſuam pendere ab inſtitutione Chriſti: ſubſtantiam autem Eucharistiæ conſtare *ex re terrena, & cæleſti*, id eſt ex pane, & vino, quæ terrena ſunt, & ex corpore, & ſanguine Chriſti, quæ cœleſtia ſunt. Ex quo ſequitur, vel Euchariſtiam non eſſe ſacramentum, vel corpus, & ſanguinem Chriſti non eſſe in Euchariſtia per ubiquitatem, ſed per inſtitutionem Chriſti, ideſt per conſecrationem a Chriſto inſtitutam.

An Chriſtus ſit præſens in Euchariſtia per unionem hypoſtaticam.

4. HOc poteſt dupliciter intelligi. Primo, ut ſit præſens per unionem hypoſtaticam perſonæ Verbi cum pane, & vino. Secundo, ut ſit præſens per unionem hypoſtaticam corporis Chriſti cum pane, & ſanguinis Chriſti cum vino. Hoc poſterius videtur aſſerere Lutherus in libro de captiv. Babylonica, cap. de Euchariſtia; ubi docet, eo modo de Euchariſtia ſentiendum eſſe, quo de Chriſto: nempe ſicut in Chriſto manent duæ naturæ, divina, & humana, nec altera in alteram convertitur; ita in Euchariſtia manere duas ſubſtantias, nimirum ſubſtantiam panis, & vini, & ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, nec priorem in poſteriorem tranſmutari. Rurſum, ſicut de Chriſto recte dicimus: *Hic homo eſt Deus, Hic Deus eſt homo*; ita de Euchariſtia recte dici: *Hic panis eſt Corpus Chriſti: hoc vinum eſt ſanguis Chriſti*; & e contrario. Ubi ſatis inſinuat, ſicut prior prædicatio vera eſt, propter unionem hypoſtaticam perſonæ Verbi cum humanitate; ita poſteriorem veram eſſe propter unionem corporis Chriſti cum pane, & ſanguinis Chriſti cum vino. Quæ ſententia ſine dubio falſa eſt. Primo, quia unio hypoſtatica non fit in natura, ſed in perſona, ſeu hypoſtaſi: inde enim vocatur *hypoſtatica*: at in Chriſto non eſt ulla perſona, niſi Verbi: Ergo nulla poteſt fieri unio hypoſtatica, niſi in perſona Verbi. At unio illa, quam fingit Lutherus, non fit in perſona Verbi: ergo non eſt hypoſtatica. Secundo, quæram ex Luthero, quando, & quomodo facta ſit hæc unio inter corpus Chriſti, & panem, & ſimiliter inter ſanguinem Chriſti, & vinum? An tempore conſecrationis, & per vim, ſeu efficaciam conſecrationis? An alio tempore, & alio modo? Si prius, falſum eſt, factam eſſe per ubiquitatem. Si poſterius, aſſignetur tempus, & modus.

An

An Chriſtus ſit præſens in Euchariſtia per ſimplicem conjunctionem?

5. HOc videtur ſentire Kemnitius in Exam. Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 4. ubi negat Chriſtum fieri præſentem per Ubiquitatem, aut per unionem hypoſtaticam Chriſti cum pane. Agnoſcit ergo aliam unionem per modum ſimplicis conjunctionis, quam etiam nonnulli recentiores Lutherani tuentur.

6. Sed refello illos ex duobus ipſorum principiis. Unum eſt, illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, proprie eſſe intelligenda, non metaphorice: in quo nobiſcum ſentiunt. Alterum, per pronomen, *Hoc*, deſignari panem, in quo ſentiunt cum Calviniſtis. Igitur volunt hunc eſſe ſenſum verborum: *Hic panis eſt proprie corpus Chriſti*. Nunc ſic argumentor. Quando duæ res diſtinctæ, ac diſparatæ non aliter inter ſe uniuntur, quam per ſimplicem conjunctionem, tunc una non poteſt proprie dici altera. Non enim dicimus: *Equus eſt proprie aſinus*, licet conjungantur ratione loci: neque dicimus, *Chriſtus eſt proprie lapis monumenti*, licet fuerint penetrative in eodem ſpatio, & ſic de cæteris: Atqui panis, & corpus Chriſti ſunt duæ res diſtinctæ, & diſparatæ, nec aliter uniuntur, quam per ſimplicem conjunctionem, ut ſuppono ex ſententia adverſariorum: ergo panis non poteſt proprie dici corpus Chriſti.

7. Nec opus eſt alio argumento in re clara. Qui latine novit, & prudenter rem æſtimat, facile advertit falſam eſſe hanc locutionem: *Panis eſt proprie caro; vinum eſt proprie ſanguis*. Calviniſtæ minus in hoc genere peccant, cum dicunt, *Panis eſt figurate caro, vinum eſt figurate ſanguis*. Quamvis enim non minus aberrent à regula, & veritate fidei, quam Lutherani, tamen in modo loquendi cautiores ſunt.

8. Quidam ex recentioribus Lutheranis, Joannes Debelius in ſua Diſput. de Cæna, putat ſe aliter difficultatem expedire poſſe. Ait inter panem, & corpus Chriſti eſſe unionem ſacramentalem; & ideo Lutheranorum poſitionem hoc ſenſu veram eſſe; *Panis ſacramentaliter eſt corpus Chriſti*, ideſt (ut ipſe explicat) *manducato benedicto pane in cœna, manducatur etiam corpus Domini propter unionem ſacramentalem*. Sed hic homo, ſeu volens, ſeu imprudens, in Calviniſmum labitur. Calviniſtæ dicunt; *Panis figurate eſt corpus Chriſti*. Debelius dicit; *Panis ſacramentaliter eſt corpus Chriſti*. Quid intereſt inter has propoſitiones? Aut dicat Debelius aperte, an panis proprie ſit Corpus Chriſti, an figurate;

Si proprie, quid tergiverſatur? Si figurate, Calviniſta eſt. Deinde, quod addit, manducato pane benedicto, manducari etiam corpus Chriſti, quo ſenſu id dicit? An vult, corpus Chriſti manducari tantum Fide, ſeu ſpiritualiter? At hoc Calvini dogma eſt, & rejicitur paſſim a Lutheranis. An potius, manducari ore corporis, ſicut panis manducatur? Hoc quidem Lutherani aſſerunt, ſed Debelius aſſerere non poteſt. Nam ibidem ait, corpus Chriſti *non phyſice, ſed tantum ſacramentaliter eſſe præſens*. Quomodo ergo phyſice, ſeu ore corporali ſumi poteſt? Omnino igitur Calviniſta factus eſt Debelius in Saxonia.

An Chriſtus ſit præſens in Euchariſtia per Tranſubſtantiationem.

9. Affirmant Catholici cum Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 2. ubi expreſſe definitum eſt, Chriſtum fieri præſentem in Euchariſtia per converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem Chriſti, remanentibus ſolis accidentibus: & hanc converſionem recte appellari *Tranſubſtantiationem*, ſicut in Conc. Lateranenſi ſub Innocentio III. appellata eſt. Eandem converſionem approbarunt antiqui Patres. Ex multis citabo paucos.

10. Igitur S. Ambroſius in lib. de iis, qui myſteriis initiantur, cap. 9. diſerte docet, naturam, ſeu ſubſtantiam panis mutari in corpus Chriſti. Et tripliciter probat, hanc mutationem non eſſe impoſſibilem. Primo, quia Deus potuit facere, ut naturæ rerum exiſterent, quæ antea non exiſtebant: ergo poteſt facere, ut, cum exiſtunt, una mutetur in aliam. Secundo potuit facere, ut virga Moyſi, quoad naturam, & ſubſtantiam ſuam, mutaretur in ſerpentem: ergo poteſt facere, ut ſubſtantia panis mutetur in carnem Chriſti. Hoc enim non eſt difficilius, quam iſtud. Tertio, potuit multa alia facere, quæ ſupra naturam ſunt, nempe, ut aqua Ægypti mutaretur in ſanguinem, ut amara fieret dulcis, ut ferrum ſecuris nataret ſupra aquam; ut ignis deſcenderet de cœlo: ut Chriſtus naſceretur ex Virgine: cur ergo non poſſet facere, ut ſubſtantia panis mutaretur in carnem?

11. Similia habet lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Panis iſte*, inquit, *panis eſt ante verba Sacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti*. Et infra ibidem: *Ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. Qui ſermo Chriſti? Nempe is, quo facta ſunt omnia. Juſſit Dominus, & factum eſt cælum: juſſit Dominus, & facta eſt terra: juſſit Dominus, & facta ſunt maria: juſſit Do-*

Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo, quam operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe, quæ non erant: quanto magis operatorius eſt, ut quæ erant, in alia commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Ergo tibi ut reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quod jam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt.

12. Cum Ambroſio ſentiunt alii Patres. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. Myſtagogica: *Cum ipſe*, inquit, *dixerit: Hoc eſt corpus meum: quis audebit deinceps ambigere? & cum idem ipſe tam aſſeveranter dixerit: Hic eſt ſanguis meus: quis unquam dubitaverit, ut dicat non eſſe ejus ſanguinem? Aquam olim in vinum convertit in Cana Galilææ: & non erit dignus, cui credatur, quod vinum in ſanguinem tranſmutarit?* Non poterat clarius, & aptiori exemplo rem explicare. Et paulo poſt addit: *Quare cum omni certitudine corpus, & ſanguinem Chriſti ſumamus: nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis.* Et infra ibidem: *Qui videtur panis, non eſt panis, etiamſi guſtui ita appareat: & quod videtur vinum, non eſt vinum, etiamſi guſtus velit, ſed ſanguis Chriſti.* Neſcio, quid Lutherani hic poſſint reſpondere. Nam duo efficaciſſima argumenta hinc colliguntur. Unum: ſicut Chriſtus in Cana Galilææ mutavit aquam in vinum; ſic in ultima cœna mutavit vinum in ſanguinem: at aqua ſubſtantialiter mutata eſt in vinum: ergo & vinum ſubſtantialiter mutatum eſt in ſanguinem. Alterum: talis fuit illa converſio panis in ultima cœna, ut poſt converſionem non amplius eſſet panis, ſed corpus Chriſti: ergo neceſſe eſt, naturam panis fuiſſe mutatam in corpus Chriſti. Si enim manſiſſet natura panis, utique manſiſſet panis; & ſi manſiſſet panis, quomodo dixiſſet Cyrillus: *Qui videtur panis, non eſt panis, ſed corpus Chriſti?*

13. Audiamus & alios. Cyprianus in ſerm. de cœna Domini: *Panis iſte*, inquit, *non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro.* Et Hilar. lib. 8. de Trinit. *De veritate carnis, & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra vere caro eſt, & vere ſanguis eſt.* Et Gregorius Nyſſenus orat. catech. cap. 37. *Recte nunc quoq; credo, Dei verbo ſanctificatum panem in Dei verbi corpus tranſmutari.* Pluribus teſtimoniis opus non eſt. Nam ea, quæ adduxi, tam clara, & perſpicua ſunt, ut, niſi ab homine pertinace, ac impudente, eludi non poſſint.

14. Porro fundamentum hujus doctrinæ de converſione ſub-

ſtantiæ panis in corpus Chriſti, ſumitur ex illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*. Hinc dupliciter poſſumus argumentari. Primo contra Lutheranos ex ipſorum conceſſione. Illi enim concedunt, Chriſtum accepto pane dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*. Vel hoc intelligunt de pane mutato in corpus Chriſti; vel de pane, ut panis eſt: ſi de pane mutato, jam nobiſcum ſentiunt: ſi de pane, ut panis eſt, jam falſa eſt eorum propoſitio. Non enim panis proprie eſt caro Chriſti, ſicut nec vinum proprie eſt ſanguis Chriſti. Niſi accurratiterum Debelius, & dicat; *Panis eſt ſacramentaliter caro, & vinum ſacramentaliter ſanguis*. Sed hoc Calviniſticum eſt, ut dixi, & ab ipſis Lutheranis pridem exploſum.

15. Deinde poſſumus abſolute argumentari hoc modo: Hoc, quod ſub his accidentibus continetur, eſt verum corpus Chriſti: ergo non eſt verus panis triticeus. Debelius negat conſequentiam. Ratio ipſius eſt, quia duo continentur ſub illis accidentibus, nempe panis, & corpus Chriſti; ac proinde utrumque vere dicitur: *Hoc eſt corpus Chriſti*: & *Hoc eſt panis triticeus*. Nam ſenſus eſt; Hoc, quod ſub his accidentibus continetur, non ſolum eſt panis, ſed etiam corpus Chriſti. Sed facile hoc figmentum refellitur ex ipſo Debelio. Nam ipſe cum aliis Lutheranis dicit, Chriſtum accepiſſe, & fregiſſe verum panem, & de illo jam fracto dixiſſe, *Hoc eſt corpus meum*. Ergo pronomen, *Hoc*, non ſumitur pro complexo ex pane, & corpore Chriſti, ſed pro ſolo pane. Non enim Chriſtus accepit, & fregit complexum ex pane, & corpore, ſed ſolum panem, ut ipſi contendunt.

16. Accedit hæc ratio. Quando duæ ſubſtantiæ ſunt in eodem loco, quarum una videtur per propria accidentia, quæ ipſi inhærent, & altera eſt inviſibilis, & latens, tunc quidemonſtrat contentum ſub accidentibus, non deſignat ſubſtantiam inviſibilem, & latentem, ſed ſubſtantiam, cui illa accidentia inhærent; præſertim ſi proprie loquatur, & non figurate. Hoc patet in exemplo familiari: Subſtantia divina eſt inviſibiliter, & latenter præſens cum ſubſtantia panis: ſi quis ergo haberet panem in manu, & demonſtratis accidentibus illius diceret, *Hæc eſt ſubſtantia divina*, nec proprie, nec ad captum hominum loqueretur; quia licet divina ſubſtantia ſit præſens, non tamen demonſtratur per illa accidentia, quæ pani inhærent. Similiter, quando corpus Chriſti penetrative fuit in lapide ſepulchri, ſi quis oſtenſo lapide dixiſſet, *Hoc eſt corpus Chriſti*, non recte, & proprie dixiſſet; quia illa accidentia deſignabant lapidem, cui inhærebant, non autem Chriſtum, qui tantum concomitanter erat ibi. Eodem ergo modo, ſi panis cum ſuis accidentibus eſſet viſibiliter in Euchariſtia, & ſimul inviſibili

modo

modo adeſſet corpus Chriſti, non proprie diceremus, *Hoc eſt corpus meum*, quia illud pronomen, *Hoc*, deſignaret proprium contentum ſub accidentibus, quod non eſſet corpus Chriſti, ſed ſubſtantia panis.

17. Objiciunt Lutherani. Euchariſtia vocatur panis etiam poſt conſecrationem, ut patet ex illo 1. Corinth. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* & cap. 11. 26. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc*. Ergo revera manet panis in Euchariſtia, ac proinde nulla fit tranſubſtantiatio. Reſpondeo: Lutherani contra ſe pugnant. Nam hæc verba, *Hic panis eſt corpus meum*, poſſunt tripliciter explicari. Primo, hic panis eſt figura corporis mei. Secundo, hic panis mutatus eſt corpus meum. Tertio, hic panis non mutatus eſt corpus meum. Prima explicatio eſt Calviniſtica. Altera Catholica. Tertia aperte falſa. Eligant Lutherani quam volent. Apoſtolus, quem objiciunt, loquitur de pane mutato; ſicut Chriſtus in Euangelio, *Cæci vident, claudi ambulant*; id eſt, qui ante erant cæci, & claudi, nunc per mutationem miraculoſam vident, & ambulant.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERTIUS
DE
CONTROVERSIIS
CALVINISTARUM.

CAlviniſtæ ſortiuntur varia nomina, ut alibi dixi. Nam in Anglia vocantur Puritani: in Gallia Hugonottæ: in Hollandia Geuſi: in Bohemia Picarditæ: in Helvetia Sacramentarii, & Zuvingliani: in Germania Calviniſtæ: alibi Calvino-Turciſtæ. Porro capita controverſiarum, in quibus a nobis diſſident, ſunt hæc fere. 1. De Attributis Divinis. 2. De Chriſto. 3. De Prædeſtinatione. 4. De Gratia. 5. De Authore peccati. 6. De reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia. 7. De Baptiſmo infantium. 8. De Exorciſmo. De quibus ordine dicendum.

CAPUT PRIMUM.

De Attributis Divinis.

IN hoc capite nominatim diſputandum eſt contra Conradum Vorſtium Calviniſtam, qui in Tractatu de divinis attributis ſic ſentit. Primo, Deum ſecundum eſſentiam, ſeu eſſentialem perfectionem non eſſe infinitum, ſed finitum. 2. Nec ubique præſentem in hoc mundo, ſed tantum in cœlo. 3. In Deo eſſe accidentia. 4. Decreta Dei non eſſe ab æterno. 5. Æternitatem Dei non eſſe indiviſibilem, & totam ſimul, ſed diviſibilem, & ſucceſſivam. Hi quinque Atheiſmi refutandi ſunt. Atheiſmos voco, quia qui ita de Deo ſentit, non agnoſcit verum Deum. Itaque Atheus eſt.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

An Deus ſecundum eſſentiam ſit infinitus.

1. NEgat Vorſtius p. 234. his verbis: *Deus non eſt actu ſimpliciter infinitus, neque eſſendo, neque operando.* Et p. 235. *Eſt Deus quidem purus actus, ſed hoc non vetat, quin ſimul in ſeſe ſit finitus.* Hunc Atheiſmum conatur probare his quinque argumentis. 1. Quia Scriptura non vocat Deum infinitum: ergo infinitus non eſt. 2. Subſtantia Dei videtur ab Angelis: ergo infinita non eſt. 3. Nec materia, nec ullus numerus, nec ulla magnitudo, nec ulla alia creatura eſt infinita: ergo nec Deus: 4. Potentia Dei non eſt infinita, quia non extenditur ad impoſſibilia: ergo nec eſſentia. 5. Eſſe actu infinitum, & eſſe actu hoc aliquid, ſunt contradictoria: ſed Deus eſt actu hoc aliquid: ergo non eſt actu infinitus. Hæc ſingula diſcutienda ſunt.

2. Primum ergo ait, Scripturam non vocare Deum infinitum. Falſum eſt. Nam Scriptura ſic habet, Pſalm. 144. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis.* Et Baruch. 3. 25. *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus.* Quæ teſtimonia non poſſunt intelligi de magnitudine molis, ſeu quantitatis, quæ in Deo non eſt, ſed de magnitudine virtutis, ſeu perfectionis. Eſt ergo hic ſenſus. Deus ita magnus eſt in virtute, & perfectione, ut non habeat finem, ſeu terminum ſuæ virtutis, & perfectionis. Unde ſic argumentor. Sicut illud eſt finitum in virtute, & perfectione, quod habet finem, ſeu terminum ſuæ virtutis, & perfectionis: ita e contrario illud eſt infinitum in virtute, & perfectione, quod non habet finem, ſeu terminum ſuæ virtutis, & perfectionis: at Deus non habet: ergo infinitus eſt, &c.

3. Secundo ait, ſubſtantiam Dei videri ab Angelis, & ideo infinitam non eſſe. Hic plane oſtendit ſe timidum, & imbellem diſputatorem eſſe, qui, ut ſubterfugiat communem difficultatem, quæ oritur ex clara, & intuitiva Dei viſione, infinitatem Dei tueri non audet. Eſt autem hæc difficultas: Subſtantia Dei eſt infinita: ergo ab intellectu finito, qualis eſt hominum, & Angelorum, clare, & intuitive videri non poteſt. Omnes alii Authores, tam Latini, quam Græci concedunt Antecedens, & de ſola conſequentia ſolliciti ſunt, quam Catholici negant, Armeni concedunt. Putant enim Catholici, recte cohærere hæc

duo:

duo: Dei ſubſtantiam infinitam eſſe, & tamen videri poſſe ab intellectu finito, non quidem per ſolas naturæ vires, ſed accedente auxilio Dei ſupernaturali. Armeni, tametſi negent cohærere, ac proinde alterum negandum eſſe cenſeant, non tamen negant Deum infinitum eſſe, ſed potius, cum infinitus ſit, a finito intellectu videri non poſſe. Omnium ſtupidiſſimus, & timidiſſimus eſt Vorſtius Calviniſta, qui nec cohærentiam, quam Catholici ſtatuunt, poteſt intelligere: nec infinitatem Dei, quam omnes alii defendunt, tueri, ac defendere auſus eſt.

4. Tertio ſic raciocinatur: Nulla creatura eſt infinita: ergo nec Deus. Ineptiſſime profecto. Perinde eſt, ac ſi dicam: nulla creatura eſt omnipotens: ergo nec Deus. Alii authores multo rectius colligunt contrarium ex creaturis, in hunc modum. Ideo creaturæ finitæ ſunt in genere entis, quia deeſt illis aliqua perfectio, vel gradus perfectionis in genere entis. Nulla enim eſt, quæ contineat in ſe omnes perfectiones, & omnes gradus perfectionis, qui ſunt poſſibiles in latitudine entis: ergo e contrario ideo Deus eſt infinitus in genere entis, quia nulla deeſt illi perfectio, vel gradus perfectionis in toto complexu Entis. Hæc ratio optima eſt, & poteſt explicari hoc duplici ſyllogiſmo.

5. Prior eſt. Cui deeſt aliqua perfectio, vel gradus perfectionis in genere entis, eo nihil poteſt dari aliquid perfectius in genere entis: Ergo non eſt infinite perfectum. Atqui ſingulis, & omnibus creaturis deeſt aliqua perfectio, vel gradus perfectionis in genere entis. Nam Elementis deeſt vita: plantis, & brutis animantibus intelligentia: Angelis, & hominibus vis creandi: uno verbo, ſingulis deeſt independentia ab alio. Omnes enim creaturæ dependent a Deo in eſſe, & conſervari: nulla independens, nulla ſibi ſufficiens eſt. Omnes ergo finitæ, ac limitatæ ſunt in perfectione.

6. Poſterior eſt. Cui nulla deeſt perfectio, vel gradus perfectionis in genere entis, eo nihil poteſt dari perfectius in genere entis: ergo eſt infinite perfectum in genere entis: atqui Deo nulla deeſt perfectio, vel gradus perfectionis in genere entis: nulla enim concipi, aut cogitari poteſt, quæ in Deo non ſit, vel formaliter, vel eminenter: Formaliter, ſi eſt increata: eminenter, ſi creata, vel creabilis. Hæc tota ratio procedit a priori. Oſtendit enim radicem infinitatis in Deo, & finitatis in creatura. Ideo enim Deus infinitus eſt in perfectione, quia nihil perfectionis illi deeſt: ideo creaturæ finitæ, quia aliquid illis deeſt.

7. Quarto ſic pergit Vorſtius: Potentia Dei non extenditur ad impoſſibilia: ergo non eſt infinita; ergo nec eſſentia infinita eſt.

Non

Non minus inepte, quam ante. An putat Novator, infinitam fore potentiam, ſi ad impoſſibilia ſe extenderet? Imo potentia non eſſet, ſi id fieret. Sicut enim ſcientia non dicitur, niſi reſpectu ſcibilium; ſic neque potentia, niſi reſpectu poſſibilium. Ex eo ergo cenſeri debet major, vel minor potentia, quo ad plura, vel pauciora poſſibilia extenditur. Impoſſibilia enim non cadunt ſub potentiam: & ſi caderent, impoſſibilia non eſſent.

8. Quinto ſic concludit. *Eſſe infinitum actu*, & *Eſſe hoc aliquid*, ſunt contradictoria: Deus eſt actu hoc aliquid: non ergo actu infinitus eſt. Jam dixi, actu infinitum eſſe in genere entis, quod actu in ſe continet omnes perfectiones poſſibiles in genere entis: Deus, tametſi ſit actu hoc aliquid, ſimul tamen actu continet in ſe omnes perfectiones poſſibiles in genere entis: ergo tametſi ſit actu hoc aliquid, ſimul tamen actu infinitus eſt. Non ergo ſunt contradictoria hæc duo: *Eſſe actu infinitum*, & *eſſe actu hoc aliquid*. Addo neque hæc duo pugnare inter ſe, *Deus eſt actu hoc aliquid*, &, *Deus eſt actu omnia*. Nam formaliter eſt hoc aliquid, eminenter eſt omnia.

QUÆSTIO II.

An Deus ſecundum ſubſtantiam ſuam ſit ubique.

1. VOrſtius contendit, Deum ſecundum ſubſtantiam ſuam non eſſe ubique præſentem in hoc mundo, ſed tantum in cœlo. Nam pag. 235. ſic habet: *In Scripturis affirmari omnino videtur, Deum ratione ſubſtantiæ ſuæ tantum eſſe in cælo*. Et poſt citata aliquot Scripturæ teſtimonia ſic concludit, pag. 237. *Simpliciter igitur credamus, quod ſacræ Scripturæ toties inculcant, Deum ſua ſubſtantia in cælo habitare: in terra vero virtute, & ſapientia ſua nobis adeſſe*. Citat autem hæc teſtimonia, Pſal. 113. 16. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*. Et Pſalm. 122. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis*. Et quæ ſimilia ſunt.

2. Jampridem oſtendi, hoc temere, & impie dici a Vorſtio. Temere, quia contra Scripturam, & Patres. Nam Scriptura loquitur, Jerem. 23.24. *Cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus*. Cyprianus autem in lib. de vanitate idolorum: *Dei templum totus eſt mundus*. Et infra: *Deus eſt totus ubique diffuſus*. Et Auguſt. epiſt.57. ad Dardanum: *Eſt ergo Deus per cuncta diffuſus. Ipſe quippe ait per Prophetam: Cælum, & terram ego impleo. Itemque ſcriptum eſt: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Eique dicitur*

in quodam Pſalmo: *Quo ibo a ſpiritu tuo, & a facie tua quo fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: quia ſubſtantialiter Deus ubique diffuſus*. Et lib. 7. de civitate Dei, cap. 30. *Deus ubique totus, implens cœlum, & terram præſente potentia, non abſente natura*.

3. Impie: quia Arianiſmum introducit. Nam ſi Deus ſecundum ſubſtantiam non eſt alibi, quam in cœlo; plane ſequitur, Chriſtum, cum in terris verſaretur, non fuiſſe verum Deum ſecundum ſubſtantiam: at hoc impium eſt: ergo & illud, ex quo ſequitur. Mirum eſt, quas ambages hic quærant Vorſtiani. Non audent palam negare divinitatem Chriſti: & tamen, ſtante hac aſſertione, non poſſunt eam tueri.

4. Aliqui igitur dicunt, Chriſtum, cum in terris eſſet, fuiſſe verum Deum, non ratione ſubſtantiæ deitatis, ſed ratione perſonæ Verbi. Non enim humanitatem Chriſti immediate unitam fuiſſe Deitati, vel eſſentiæ divinæ, ſed perſonalitati. Itaque perſonalitatem Verbi fuiſſe in terris, cum Chriſtus in terris eſſet; non ſubſtantiam Deitatis, aut eſſentiæ. Novus hic error eſt; qui plane deſtruit Divinitatem. Primo, quia ſupponit perſonam divinam poſſe exiſtere in terris ſine deitate, ſeu eſſentia divina, quod falſum eſt. Non enim perſona, & eſſentia ſunt duæ res diſtinctæ, quæ loco ſejungi poſſint, ſed una res ſimpliciſſima, in qua nulla eſt compoſitio, aut diſtinctio actualis ex parte rei. Imo non minor identitas eſt inter perſonam, & eſſentiam, quam inter Petrum, & eundem Petrum. At impoſſibile eſt, ut Petrus ſit in terra ſine ſeipſo: ergo etiam impoſſibile eſt, ut perſona divina ſit in terra ſine eſſentia. Secundo, ſi perſona Verbi fuiſſet in terra ſine divinitate, & eſſentia, falſum eſſet illud Apoſtoli ad Coloſſ. 2. v. 9. *In Chriſto inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Tertio, vel perſona Verbi fuiſſet ſimul in cœlo, & in terra; vel tantum in terra. Si prius, ſequitur unam, eandemque rem poſſe ſimul eſſe in diſtinctis locis, quod negant Calviniſtæ. Si poſterius, ſequitur perſonam Verbi realiter ſeparatam fuiſſe ab eſſentia; ac proinde eſſentiam tunc temporis non fuiſſe in tribus perſonis, ſed tantum in duabus. Ex quo ulterius ſequitur, omnes perſonas realiter ab eſſentia ſeparari poſſe; ideoque quod Deus ſit trinus, & unus, rem eſſe contingentem, & non neceſſariam; quod eſt abſurdiſſimum.

5. Alii dicunt, Chriſtum, cum in terris eſſet, fuiſſe verum Deum ratione ſubſtantiæ divinæ: non quod ſubſiſtentia Verbi ſine divinitate, & eſſentia fuerit in terra, quod jam refutatum eſt: ſed quod ſubſiſtentia Verbi, manens in cœlo, potuerit effi-

cere,

cere, ut humanitas Chriſti, quæ erat in terra, divinitus ſubſiſteret ſine humana ſubſiſtentia. Et hic novus error eſt, ex quo ſequuntur tria abſurda. 1. Chriſtum non fuiſſe verum Deum, cum in terris eſſet. Nam ſi nec Deitas, nec perſona, ſeu ſubſiſtentia divina in illo fuit, jam nihil in illo fuit, a quo intrinſece, & proprie eſſet Deus. 2. Unumquemque noſtrum fore Deum, eo modo, quo Chriſtus fuit; ſi Deus vellet nos miraculoſe ſuſtentare ſina propria ſubſiſtentia humana. 3. Chriſtum non magis fuiſſe Filium, quam Patrem, aut Spiritum ſanctum. Nam illa ſuſtentatio, qua fingitur Chriſtus ſubſtitiſſe ſine perſona Verbi præſente, debuit eſſe opus Dei ad extra, ut loquuntur Scholaſtici: ergo debuit eſſe opus totius Trinitatis: ergo non magis ſuſtentatus fuit a Filio, quam a Patre, & Spiritu Sancto: ergo tam potuit vocari Pater, & Spiritus Sanctus, quam Filius. Quæ omnia abſurda ſunt.

6. Denique alii dicunt, ſubſtantiam Dei, tametſi ordinarie ſit tantum in cœlo, tamen eo tempore, quo Chriſtus in terra vixit, fuiſſe in carne Chriſti, & non alibi: quod quidam amicus Vorſtii, in litteris ad me datis, conatus eſt confirmare ex Apoſtolo. Sic enim ſcribit: *Equidem non ſatis video, quomodo omnis plenitudo divinitatis in carne Chriſti habitet corporaliter, ſi Deus per ſubſtantiam totus habitat non tantum in carne, ſed etiam extra carnem in aliis locis mundi.* Igitur ex hujus hominis ſententia Deus ſecundum ſubſtantiam non eſt alibi, quam in carne Chriſti; ac proinde cum caro Chriſti eſſet in terra, Deus ſecundum ſubſtantiam non erat in cœlo, ſed tantum in terra, nec ubique in terra, ſed in ſola Chriſti carne. Quæ quidem ſententia non ſolum nova, & inaudita, ſed etiam abſurdiſſima eſt. Primo, quia concedit Deum ſubſtantialiter de loco in locum moveri ſicut caro Chriſti movetur: quod eſt contra Auguſtinum lib. 16. de civitate Dei, cap. 5. Chryſoſtomum homil. 17. in Geneſin, & alios Patres. Secundo, quia ſi Deus ſecundum ſubſtantiam, eo tempore, quo Chriſtus in terra vixit, non fuit in cœlo, ſed tantum in terra, neceſſe eſt tres perſonas divinas non fuiſſe tunc in cœlo, ſed tantum in terra: quia perſonæ divinæ non poſſunt ſeparari a ſubſtantia divina, ut dictum eſt. At conſequens eſt abſurdum: ergo & illud, ex quo ſequitur. Minor patet ex Euangelio, ubi Chriſtus, cum in terris viveret, dixit diſcipulis: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* (Matthæi 18. 10.) ergo Deus Pater tunc erat in cœlo: ergo & ſubſtantia Dei Patris: ergo Deus ſecundum ſubſtantiam non erat in ſola Chriſti carne.

7. *Dices:* Quomodo ergo verum eſt, quod dicit Apoſtolus, *Plenitudinem divinitatis* habitare in Chriſto? Reſpondeo. Non pugnant, ſed optime cohærent hæc duo inter ſe. 1. Deum ſecundum ſubſtantiam ubique eſſe in hoc mundo. 2. Deum ſpeciali modo, nempe per unionem hypoſtaticam, habitare in Chriſto, & non alibi. Hoc poſterius aſſerit Apoſtolus, illud prius Scriptura, & Patres ſupra citati.

QUÆSTIO III.

An in Deo ſint accidentia realiter diſtincta a ſubſtantia Dei.

1. AFfirmat Vorſtius pag. 207. ubi de decretis divinis ſic ſcribit: *Quæ certe accidentia quædam ſunt ab ipſius ſubſtantia longe diverſa*. Et hoc probat tribus argumentis. Primo, quia decreta Dei ſunt multa, cum aliud ſit decretum creandi homines, aliud prædeſtinandi, aliud reprobandi: At ſubſtantia Dei eſt unica: ergo decreta non ſunt ſubſtantia, ſed accidentia. Secundo, decreta Dei ſunt libera, quia poſſunt eſſe, & non eſſe; ſubſtantia Dei eſt neceſſaria, quia non poteſt non eſſe: ergo decreta non ſunt ſubſtantia. Tertio, decreta Dei non ſunt ab æterno: ſubſtantia Dei eſt ab æterno: ergo, &c.

2. Hic atheiſmus tribus rationibus refelli poteſt, quarum prima ſumitur ex infinitate ſubſtantiæ divinæ: altera ex conceſſione Vorſtii: tertia ex fundamentis illius. Prima eſt hæc: Quod in ſe infinite perfectum eſt, non poteſt ulterius in ſe ipſo perfici: at ſubſtantia divina in ſe infinite perfecta eſt, ut paulo ante probavi: ergo non poteſt ulterius in ſe perfici: At perficeretur in ſe, ſi reciperet in ſe accidentia realia, quæ ſunt perfectiones quædam reales. Minor patet, quia quod in ſe infinite perfectum eſt, hoc in ſe continet omnes perfectiones poſſibiles, vel formaliter, vel eminenter: ergo ulterius perfici non poteſt. Deinde, excludit a ſe omnem defectum, & imperfectionem; ergo etiam omnem potentiam paſſivam, ſeu receptivam, cum talis potentia ſupponat carentiam, ſeu defectum: ergo non poteſt in ſe recipere ulteriorem perfectionem: ergo nec accidentia.

3. Altera ratio. Quidquid bonitatis, & perfectionis eſt in creaturis, hoc totum eſt in Deo per modum ſimplicis formæ, ut diſerte, & vere concedit Vorſtius (tametſi imprudenter.) At in creaturis eſt aliquid perfectionis ſubſtantialis, & aliquid accidentalis: ergo hoc totum eſt in Deo per modum ſimplicis formæ.

Por-

Porro ſimplex illa forma non poteſt eſſe compoſita ex ſubſtantia, & accidente; alioqui ſimplex non eſſet. Nec eſt ſimplex forma accidentalis; alioqui Deus non eſſet ſubſtantia: ergo eſt ſimplex forma ſubſtantialis. Nullum ergo accidens in Deo eſt.

4. Tertia ratio. Argumenta Vorſtii, quibus nititur, infirma ſunt. Nam primo ſic argumentatur: Decreta Dei ſunt multa; ſubſtantia Dei eſt unica; ergo decreta Dei non ſunt ſubſtantia, ſed accidentia. Dupliciter peccat hic ſyllogiſmus. 1. In forma. 2. In materia. In forma peccat, quia concluſio non legitime infertur. Quod patet in hoc ſimili ſyllogiſmo. Perſonæ divinæ ſunt multæ: ſubſtantia Dei eſt unica; ergo perſonæ divinæ non ſunt ſubſtantia, ſed accidentia. Quis non videt negandam eſſe conſequentiam? In materia peccat, quia major propoſitio aperte falſa eſt. Non enim in Deo ſunt multa Decreta, eo ſenſu, quo id aſſerit Vorſtius, id eſt, non ſunt multi actus voluntatis, quorum uno decernat Deus creare mundum, alio prædeſtinare quoſdam ad vitam, alios reprobare ad mortem, ſed eſt unus ſimplex actus, quo hæc omnia decernit. Simile eſt in ſcientia Dei. Non enim ſunt multæ ſcientiæ in Deo, id eſt, non ſunt multi actus intellectus, quorum uno cognoſcat Petrum, alio Paulum, alio Joannem: ſed eſt una ſimplex ſcientia, ſeu unus ſimplex actus intellectus, quo omnia, tam creaturas, quam ſeipſum intelligit. Et ratio eſt, quia actus intelligendi, & volendi in Deo nihil eſt aliud, quam ipſa eſſentia, ſeu ſubſtantia Dei, quatenus per modum actus ſignificatur. Hoc ſenſu dicunt Patres, & Scholaſtici, non differre in Deo hæc tria, *eſſe*, *poſſe*, *operari*, ſeu eſſentiam, potentiam activam, & operationem. Unde ſicut eſſentia Dei eſt una, & ſimplex; ſic etiam una, & ſimplex ſcientia; una, & ſimplex Deitas. Vel, ut recte loquitur Vorſtius, *Hæc omnia ſunt in Deo per modum ſimplicis formæ*.

5. Hinc facile intelliguntur hæc duo conſectaria. Unum; ſicut eſſentia Dei licet in ſe una, & ſimplex ſit, poteſt tamen eſſe in tribus diſtinctis perſonis: ſic ſcientia Dei, licet in ſe una, & ſimplex ſit, poteſt verſari circa diſtincta objecta ſcibilia: & ſimiliter decretum Dei circa diſtincta objecta decernibilia. Alterum; ſicut multitudo perſonarum non obſtat, quominus ſit una Dei eſſentia, ſic multitudo objectorum non obſtat, quo minus ſcientia, & decretum Dei ſit unicum. Hoc intereſt, quod eſſentia Dei, quæ in ſe unica eſt, non poſſit ratione trium perſonarum, in quibus eſt, vocari triplex eſſentia: cum tamen ſcientia Dei,

quæ ſimiliter in ſe unica eſt, poſſit ratione diverſorum vocari multiplex ſcientia: & eodem modo decretum. Ratio diſcriminis eſt, quia aliter ſe habet eſſentia Dei ad diſtinctas perſonas; aliter ſcientia, & decretum Dei ad diſtincta objecta. Nam eſſentia Dei, tametſi ſit in tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis, ipſa tamen eſt realiter idem cum ſingulis perſonis: & ſingulæ perſonæ, quæ inter ſe realiter diſtinguuntur, ſunt realiter idem cum eſſentia. Non ſic res habet in ſcientia, & decreto Dei. Nam neq; ſcientia Dei, quæ verſatur circa diſtincta objecta intelligibilia, eſt realiter idem cum ſingulis: neque etiam decretum Dei, quod verſatur circa diſtincta objecta decernibilia, eſt realiter idem cum ſingulis.

6. Alterum Vorſtii argumentum eſt hoc: Decreta Dei ſunt libera, quia poſſunt eſſe, & non eſſe: Subſtantia Dei eſt neceſſaria; ergo decreta Dei non ſunt ſubſtantia Dei. Sed major propoſitio, juxta eum ſenſum, quem intendit Vorſtius, aperte falſa eſt. Non enim Decreta Dei ſecundum exiſtentiam ſunt libera, ſed quoad terminationem, quia libere terminantur ad ſua objecta, ut in prima parte Theologiæ Scholaſticæ explicatum eſt: ſimile eſt de perſona Verbi, quæ neceſſario quidem exiſtit, ſed tamen libere terminatur ad humanitatem Chriſti. De tertio argumento, in quo quæritur, an decreta Dei ſint ab æterno, ſeparatim agendum eſt.

QUÆSTIO IV.

An decreta Dei, cujuſmodi eſt decretum Prædeſtinationis, & Reprobationis, ſint ab æterno?

1. NEgat Vorſtius, pag. 27. his verbis: *Libera Dei decreta ante mundi creationem producta ſunt*. Et pag. 207. *Hæc eadem decreta non ſunt ſimpliciter æterna*. Quod ſic probat: Omnis cauſa libera antecedit ſuum effectum ordine temporis, ſeu durationis. Nam libera actio voluntatis neceſſario ſupponit deliberationem in intellectu. Qui enim libere decernit aliquid facere, prius deliberat, antequam decernat. At Deus eſt cauſa libera reſpectu liberorum decretorum; ergo tempore, ſeu duratione antecedit ſua decreta: non ergo decreta Dei poſſunt eſſe Deo coæterna.

2. Ex hoc diſcurſu ſequitur. 1. Decreta Dei eſſe producta. 2. Non eſſe æterna. 3. Non poſſe eſſe æterna, quia cauſa libera neceſſario præcedit ſuum actum ordine durationis. Singula diſcutia-

tiamus. Primum ait, decreta Dei producta eſſe. An putat Deum more hominum, & Angelorum producere in ſe novas actiones intellectus, & voluntatis, quæ ſint accidentia diſtincta ab ipſius ſubſtantia? non ita eſt. In Deo nulla ſunt accidentia, ut ſupra probatum eſt. Immediate intelligit, amat, decernit per ſuam ſubſtantiam, quæ ſimul eſt intellectio, amor, & decretum: & ſine ulla ſui mutatione terminari poteſt ad varia objecta. Solum accedit externa quædam denominatio, & reſpectus rationis, quo ſubſtantia Dei, per modum intelligentis, amantis, & decernentis refertur ad rem intellectam, amatam, & decretam. Simile eſt in perſona Verbi, quæ ſine ulla ſui mutatione terminata eſt ad humanitatem Chriſti, nec aliud ex illa terminatione ſecutum eſt in perſona, quam reſpectus terminantis ad humanitatem terminatam. Hoc intereſt, quod hæc terminatio facta ſit in tempore; altera ab æterno.

3. Secundo ait, decreta Dei non eſſe ab æterno. Sed ſeipſum jugulat. Nam pag. *66.* ſic ſcribit: *Certum eſt, decretum Dei de omnibus rebus ad finem ſuum ordinandis, deque bonis efficiendis, malis autem permittendis, jam inde ab æterno factum eſſe, idemque in æternum permanere; & hoc ſenſu, nec originem ullam habere, nec finem unquam invenire.* Non poterat ſibi apertius contradicere, quam hic facit. Nunc quæro, an hoc decretum, quod Vorſtius fatetur ab æterno eſſe, libere a Deo productum ſit, necne. Si libere productum eſt, & quidem ab æterno, certe non omnis cauſa libera antecedit ſuum effectum ordine durationis. Si productum non eſt, cur ait, omnia decreta Dei producta eſſe ante mundi creationem? Hic Novatorum mos eſt. Quod uno loco affirmant, alio negant.

4. Tertio ait, Deum non poſſe ab æterno habere liberum decretum. Quare? quia cauſa libera neceſſario præcedit ſuum effectum ordine durationis. Falſum eſt. An neſcit Vorſtius, actiones intellectus, & voluntatis ſpirituales, ac indiviſibiles eſſe, & in inſtanti produci poſſe? An neſcit, Angelos habuiſſe liberum actum dilectionis Dei in primo inſtanti ſuæ creationis? An neſcit, Chriſtum ſecundum humanitatem, in inſtanti conceptionis, libere mortem acceptaſſe pro humani generis redemptione? Hoc docet Divus Thom. & alii graves Theologi. Si ergo Chriſtus, & Angeli poſſunt habere liberas actiones ſibi coævas, non poterit Deus habere liberum decretum ſibi coæternum? Quæ hæc Philoſophia eſt? At Vorſtius hoc negabit de Chriſto, & Angelis. Quare? quia putat eos ante liberum actum voluntatis indigere prævia deliberatione; nec fieri poſſe, ut eodem inſtan-

ſtanti ſimul deliberent, & decernant. Sed cur, quæſo, id fieri non poteſt, ſi duo iſti actus ſunt ſpirituales, ac indiviſibiles, ſicut revera ſunt? Et, ſi ſinguli in inſtanti produci poſſunt ſeparatim, cur non ſimul in eodem inſtanti? Nihil hic video difficultatis. Nec vidit D. Thomas, & alii Theologi. Demus tamen Vorſtio, quod vult, Chriſtum, & Angelos nihil poſſe decernere, niſi prævia deliberatione ſecundum ordinem temporis: an ideo Deus ad has anguſtias redigendus eſt? Abſit.

5. Addam duo dilemmata pro Vorſtio. Unum eſt: ſi decreta Dei ſunt poſteriora ipſo Deo, vel ergo Deus finito, vel infinito tempore anteceſſit ſua decreta. Si finito, æternus non eſt. Si infinito, miſer eſt; qui nihil poteſt decernere, niſi poſt infiniti temporis durationem. Alterum; vel Deus ab æterno ſcivit, creationem mundi eſſe poſſibilem, & ſapienter a ſe fieri poſſe; vel ignoravit. Si ſcivit, non eguit deliberatione. Si ignoravit, a quo poſtea didicit?

QUÆSTIO V.

An æternitas Dei ſit indiviſibilis, & tota ſimul?

1. VOrſtius ait, non eſſe totam ſimul, ſed ſucceſſivam. Sic enim loquitur pa. 226. *Vulgo putant æternitatem totam ſimul exiſtere, & omnibus temporum differentiis coexiſtere: quæ ſententia omnino falſa eſt, & aliquot rationibus hic obiter refutanda*. Summam autem rationum ipſius hæc eſt: Si æternitas coexiſtit omnibus temporum differentiis, ſeu partibus, ſequitur primo, omnes partes temporis, id eſt, præteritum, præſens, & futurum, ſimul inter ſe coexiſtere reſpectu æternitatis. Secundo, Deum poſſe efficere, ut præteritum non ſit vere præteritum, & futurum non ſit vere futurum; quia utrumque in æternitate præſens eſt. Tertio, primum annum mundi conditi eſſe hunc ipſum annum præſentem. Quarto, res in æternitate nunquam oriri, aut interire, quia ſemper æternitati præſentes ſunt.

2. Propter hæc frivola argumenta auſus eſt Vorſtius communem Patrum, ac Theologorum ſententiam deſerere, & ipſam æternitatis naturam penitus evertere. Quod ſic oſtendo: Æternitas Dei non eſt accidens, ſed ſubſtantia Dei, ut concedit Vorſtius pag. 27. At ſubſtantia Dei eſt indiviſibilis, & tota ſimul, in qua nullæ ſunt partes ſibi invicem ſuccedentes; alioqui eſſet mutabilis, & corruptibilis: ergo etiam æternitas Dei eſt indiviſibilis, & tota ſimul,

ſimul, in qua nullæ ſunt partes ſibi invicem ſuccedentes: ergo tota coexiſtit omnibus temporum differentiis: Non quidem eo ſenſu, quem imaginatur Vorſtius, quaſi omnes partes, ſeu differentiæ temporis ſimul inter ſe exiſtant: (hoc enim falſum eſt, quia præteritum, præſens, & futurum nunquam ſunt ſimul) ſed quod ſingulæ partes temporis, dum actu ſunt, coexiſtant æternitati. Nam pars temporis præterita, cum adhuc præſens eſſet, coexiſtebat æternitati; & quæ nunc præſens eſt, coexiſtit æternitati; & futura, cum erit præſens, coexiſtet æternitati.

3. Hinc facile ſolvuntur argumenta contraria. Nam prima conſequentia, a qua cæteræ dependent, neganda eſt. Non enim ſequitur, ſi tota æternitas coexiſtat omnibus partibus temporis, ipſas etiam partes inter ſe coexiſtere. Nam tota æternitas non coexiſtit omnibus partibus ſimul ſumptis, & exiſtentibus, ut ſupponit Vorſtius, ſed ſingulis diviſim ſumptis, & ſibi mutuo ſuccedentibus; v. g. Hodie tota æternitas coexiſtit hodierno diei, cras tota coexiſtet craſtino diei, & perendino, & ſic deinceps. Hinc autem non ſequitur, hodiernum, craſtinum, & perendinum diem ſimul inter ſe exiſtere, ſed potius unum alteri ſuccedere. Hoc oſtendo in ſimili exemplo: Totum cœlum, quantum quantum eſt, hodie coexiſtit Vorſtio; & poſt aliquot annos, eo mortuo, coexiſtet filio Vorſtii; & eo etiam mortuo, coexiſtet nepoti Vorſtii per ſingulas generationes. Hinc non ſequitur, Vorſtium, filium, nepotem, & reliquos poſteros, quotquot erunt, ſimul inter ſe exiſtere. Hæc ſolutio facile accommodabitur ad reliquas conſequentias, quæ ex Vorſtio allatæ ſunt.

CAPUT II.

De Chriſto.

Varii ſunt errores Calviniſtarum de Chriſto. Primus, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, ſed pro ſolis prædeſtinatis. 2. Chriſtum in cruce deſperaſſe. 3. Chriſtum non vere, ac proprie, ſed tantum metaphorice deſcendiſſe ad inferos. 4. Chriſtum ſua morte, ac paſſione nihil ſibi meruiſſe. 5. Imaginem Chriſti nullo modo in templis tolerandam eſſe. 6. Chriſtum eſſe mediatorem ſecundum utramque naturam, divinam, & humanam. 7. Chriſtum ab initio multa ignoraſſe, quæ paulatim didicerit. Quinque priores ſunt proprii Calviniſtarum: reliqui duo communes Lutheranis, & Calviniſtis. Omnes ordine refutandi.

QUÆSTIO I.

An Chriſtus pro omnibus mortuus ſit?

1. HÆc tria connexa ſunt. 1. An Chriſtus pro omnibus mortuus ſit? 2. An Chriſti mors, & meritum omnibus proſit? 3. An Deus det omnibus fidem, & gratiam ex merito Chriſti? Calvinus docet, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis, non autem pro reprobis mortuum eſſe: meritum Chriſti ſolis prædeſtinatis prodeſſe, non reprobis: Deum ſolis prædeſtinatis, non reprobis largiri fidem, & gratiam ex meritis Chriſti. Ratio Calvini eſt, quia Deus ab æterno voluit ſolos prædeſtinatos admittere ad vitam æternam; reliquos omnes ad iram, & contumeliam deſtinavit; ſic enim ſcribit lib. 3. inſtit. cap. 22. §. 10. *Si omnes vellet ſalvos, cuſtodem illis præficeret filium, & omnes in ejus corpus ſacro fidei vinculo insereret. Nunc conſtat, ſingulare eſſe paterni amoris pignus, filiis, quos adoptavit, reconditum.* Et ibid. c. 24. §. 13. *Cur ergo gratiam illis largiendo hos prætermittit? De aliis rationem reddit Lucas, quia ad vitam ſunt ordinati. De aliis ergo quid ſentiemus, niſi quia ſunt vaſa iræ in contumeliam?*

2. Catholici non conſtringunt mortem, merita, & beneficia Chriſti ad paucos. Putant omnibus eſſe communia. Hoc enim ſcriptura diſerte teſtatur 2. Cor. 5. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et 1. Tim. 2. 6. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis.* Et 1. Joan. 2. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non autem pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Et Joan. 1. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hinc D. Amb. ſer. 8. in Pſal. 18. *Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit.* Et Clem. Alex. in orat. ad gentes: *Audite, qui eſtis longe, audite, qui prope, nullis celatum eſt verbum, lux eſt communis, omnibus illuceſcit hominibus, nullus eſt in verbo Cimmerius.*

3. Ut hoc melius intelligatur, tribus hiſce propoſitionibus explicari poteſt. Prima eſt: Chriſti meritum fuit ſufficiens ad totum genus humanum redimendum, & ſalvandum. In hac conveniunt nobiſcum Calviniſtæ. Ratio eſt, quia ipſius meritum fuit infiniti valoris propter infinitam dignitatem perſonæ, cui humanitas eſt unita. Secunda, Chriſti meritum reipſa non eſt efficax reſpectu reproborum quoad vitam æternam. Neque hic diſſentimus. Ratio eſt, quia reprobi reipſa non perveniunt ad vitam æternam.

Si

Si enim venirent, non eſſent reprobi, ſed prædeſtinati. Tertia, Chriſti meritum reipſa eſt efficax reſpectu reproborum quoad dona gratiæ in hac vita. Hanc negant Calviniſtæ. Fundamentum eorum jam inſinuavi, quia putant reprobos ad mortem, & ignominiam a Deo deſtinatos eſſe, ac proinde Chriſti meritum, & gratiam nihil ad eos pertinere. Nos contra ſtatuimus, & explicamus hoc modo: Duplicia ſunt dona gratiæ: alia ſpectant ad vocationem, alia ad juſtificationem. Ex his formo duplex argumentum contra Calviniſtas: alterum de gratia vocationis, alterum de gratia juſtificationis.

4. Sit ergo prius argumentum: Quicunque a Deo excitantur ad fidem, aut pœnitentiam per gratiam prævenientem, ſine dubio percipiunt aliquod donum gratiæ a Deo: at reprobi ſæpe excitantur hoc modo: ergo ſæpe percipiunt aliquod donum gratiæ a Deo. Minor probatur, quia Chriſtus promiſcue omnes vocat,& invitat,Matth. 11.v.25. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis,& ego reficiam vos.*Et Matt. 20.v.16. *Multi vocati,pauci electi*. Et Marc. 16. v. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et Apoc. 3. v. 20. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo*. Omitto ſimilia.

5. Calviniſtæ duobus modis conantur hæc eludere. Aliqui dicunt reprobos vocari externa tantum voce, non autem per internam gratiam prævenientem. Sed hi facile refelluntur. Primo ex illo, *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*. Quis hic pulſus? quod oſtium? Sane non externus pulſus, qui fit ſono, & colliſione corporum, ſed internus, qui fit per gratiam excitantem; nec oſtium materiale, ſed cor peccatoris hoc pulſu verberatur. Secundo, ex illo Act. 7.51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*. Quid eſt reſiſtere Spiritui ſancto, niſi inſpirationi Spiritus ſancti? Et hæc inſpiratio quid aliud eſt, quam gratia excitans, ſeu præveniens? Conſtat ergo, reprobos etiam vocari ad fidem, & pœnitentiam per internam ſuggeſtionem.

6. Alii fatentur quidem reprobos hoc modo vocari a Deo, non tamen ſerio, nec animo juvandi, ſed ſimulate, & animo nocendi. Ita Calvinus lib.3.Inſtit. c. 24. §. 13. ubi ait:*Vocem ad eos dirigit, ſed ut magis obſurdeſcant;lumen accendit,ſed ut reddantur cæciores; doctrinam profert, ſed qua magis obſtupeſcant; remedium adhibent, ſed ne ſanentur.* Verum, ne quid gravius dicam, errat Calvinus. Et facillime refutatur. Primo, quia Chriſtus aperte contrarium ſignificat. Cum enim dixiſſet, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*, mox adjecit: *Et ego reficiam vos*. Non dixit:

Ego eludam vos, ut Gloſſa Calvini explicat. Secundo, ex illo Apocal. 5. verſ. 20. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*. Sed quare pulſas? an ideo, ut magis obduremur? Non, inquit. Cur ergo? Ut ſi quis mihi aperuerit, poſſim cum illo cœnare, & ille mecum. Tertio, ex illo 1. Timoth. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Et 2. Pet. 3. 9. *Non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Quid clarius? Si hic quæras ex Apoſtolis Petro, & Paulo, quo animo, qua intentione Deus incitet, & invitet homines ad fidem, & pœnitentiam; reſpondebit uterque, quia vult omnes ſalvos fieri, omnes ad agnitionem veritatis venire, omnes ad pœnitentiam reverti, neminem perire.

7. At ſi ita eſt, inquies, cur non omnes ſalvi fiunt? cur ad veritatis agnitionem, & pœnitentiam non revertuntur? cur multi pereunt? Antiqua quæſtio, & facilis reſponſio. Deus quædam abſolute, & efficaciter vult fieri, & huic voluntati nemo poteſt reſiſtere; quædam non abſolute, ſed dependenter a libertate humana: quo pacto vult omnes ſalvos fieri, quantum in ſe eſt; modo etiam nos volimus. Quod ergo omnes non ſalvi fiant, non eſt ex defectu Dei, qui adhibet ex ſua parte omnia præſidia gratiæ, quæ ad ſalutem requiruntur: ſed ex defectu noſtræ voluntatis, quia non volumus iis præſidiis uti, & cum iis ad ſalutem noſtram cooperari. Hoc ipſe indicat per Prophetam Iſai. 5. verſ. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ, & non feci ei?* quaſi dicat, nihil omiſi eorum, quæ facere debui. Cur ergo non tulit fructum? Quia noluit. Proverb. 1. 24. *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non erat, qui aſpiceret*. Et Matth. 23. 37. *Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?*

8. Ita olim Patres ad hanc quæſtionem reſponderunt. Chryſoſtomus hom. 7. in Jerem. *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines ſine lumine permanent? neque enim omnes Chriſtum cognoſcunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto, quantum in ipſo eſt. Si qui autem ſponte ſua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, ſed ex malitia ſua, qui ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt.* Et D. Ambroſ. ſer. 8. in Pſal. 118. *Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt*, &c. *Si quis autem non credit in Chriſtum; generali beneficio ipſe ſeſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat*. Alii ſimilia habent.

9. Falſum igitur eſt, quod Calvinus ait, Deum offerre reprobis

ſuam

ſuam gratiam; eo fine, ac propoſito, ut obſit illis, non proſit: adhibere medicinam, ut moriantur, non ſanentur. In hominem vix cadit illa crudelitas: quanto minus in Deum? Sane ſi vir dives invitet ad ſe pauperes famelicos, & debilitatos, &, oſtenſo pane, non cupiat eos ſatiare, ſed irritare, ac inanes dimittere; hominem hunc dixeris, an humanitatis expertem? Aut ſi medicus ægrotum ad ſe alliciat, & oblato pharmaco, cogitet necem intentare, non ſalutem afferre: quid de hoc ſentias? Aut ſi Rex, propoſito præmio, hortetur ſubditos ad certamen equeſtre, & dum in curſu ſunt, incautos in præcipitem foveam adigat; Regem hunc, an Tyrannum appellaris? Talem Deum fingit nobis Calvinus.

10. Longe rectius Catholici de eo ſentiunt, & loquuntur. Et merito. Si enim tam bonus, tam benignus, tam miſericors eſt, ut peccata, quæ alioqui mala ſunt, velit in bonum uſum convertere, juxta illud Auguſtini in Enchiridio, cap. 100. *Non ſineret bonus fieri male, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene:* quomodo credamus eſſe tam crudelem, & a nobis alienum, ut gratiam ſuam, quæ bona eſt, & natura ſua ad gloriam æternam ordinatur, vertat in ruinam, & perniciem noſtram, idque ex mera ſua voluntate, & propoſito? Nullus niſi Calviniſta id crediderit. Apes, non araneos imitatur Deus. Hi ex bonis floribus venenum; illæ ex malis etiam mel colligunt. Sed mirum non eſt, Caviniſtas tam indigna de Deo ſentire. Nam & peccati authorem illum faciunt; & homines ſimplici animo de aditu ad vitam æternam interrogantes ironico reſponſo illudentem. De priori dicemus infra cap. 5. de poſteriori dictum eſt lib. 1. cap. 17. q. 4.

11. Hactenus de priori argumento. Poſterius eſt. Multi reprobi non ſolum excitantur a Deo ad fidem, & pœnitentiam per internam vocationem, ſed etiam reipſa fidem, & juſtitiam conſequuntur: ſed Fides, & Juſtitia ſunt dona gratiæ ex meritis Chriſti: ergo multi reprobi reipſa percipiunt dona gratiæ ex meritis Chriſti. Major, in qua eſt tota difficultas, diſerte aſſeritur ab Aug. in lib. de corrept. & gratia, c. 13. his verbis: *Credendum eſt quoſdam de filiis perditionis non accepto dono perſeverantiæ uſque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter, ac juſte vivere, & poſtea cadere*. Quid apertius contra Calvinum?

12. Idem confirmo ex illo Heb. 6. 4. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, & prolapſi ſunt, rurſum renovari ad pœnitentiam*. Hic duo inſinuat Apoſtolus. Primo, fieri poſſe, ut qui ſemel per baptiſmum, & fidem illuminati ſunt, & participes facti Spiritus ſancti, prolabantur iterum in peccatum, & deſinant eſſe,

qua-

quæ ſimiliter in ſe unica eſt, poſſit ratione diverſorum vocari multiplex ſcientia: & eodem modo decretum. Ratio diſcriminis eſt, quia aliter ſe habet eſſentia Dei ad diſtinctas perſonas; aliter ſcientia, & decretum Dei ad diſtincta objecta. Nam eſſentia Dei, tametſi ſit in tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis, ipſa tamen eſt realiter idem cum ſingulis perſonis: & ſingulæ perſonæ, quæ inter ſe realiter diſtinguuntur, ſunt realiter idem cum eſſentia. Non ſic res habet in ſcientia, & decreto Dei. Nam neq; ſcientia Dei, quæ verſatur circa diſtincta objecta intelligibilia, eſt realiter idem cum ſingulis: neque etiam decretum Dei, quod verſatur circa diſtincta objecta decernibilia, eſt realiter idem cum ſingulis.

6. Alterum Vorſtii argumentum eſt hoc: Decreta Dei ſunt libera, quia poſſunt eſſe, & non eſſe: Subſtantia Dei eſt neceſſaria; ergo decreta Dei non ſunt ſubſtantia Dei. Sed major propoſitio, juxta eum ſenſum, quem intendit Vorſtius, aperte falſa eſt. Non enim Decreta Dei ſecundum exiſtentiam ſunt libera, ſed quoad terminationem, quia libere terminantur ad ſua objecta, ut in prima parte Theologiæ Scholaſticæ explicatum eſt: ſimile eſt de perſona Verbi, quæ neceſſario quidem exiſtit, ſed tamen libere terminatur ad humanitatem Chriſti. De tertio argumento, in quo quæritur, an decreta Dei ſint ab æterno, ſeparatim agendum eſt.

QUÆSTIO IV.

An decreta Dei, cujuſmodi eſt decretum Prædeſtinationis, & Reprobationis, ſint ab æterno?

1. NEgat Vorſtius, pag. 27. his verbis: *Libera Dei decreta ante mundi creationem producta ſunt*. Et pag. 207. *Hæc eadem decreta non ſunt ſimpliciter æterna*. Quod ſic probat: Omnis cauſa libera antecedit ſuum effectum ordine temporis, ſeu durationis. Nam libera actio voluntatis neceſſario ſupponit deliberationem in intellectu. Qui enim libere decernit aliquid facere, prius deliberat, antequam decernat. At Deus eſt cauſa libera reſpectu liberorum decretorum; ergo tempore, ſeu duratione antecedit ſua decreta: non ergo decreta Dei poſſunt eſſe Deo coæterna.

2. Ex hoc diſcurſu ſequitur. *1.* Decreta Dei eſſe producta. 2. Non eſſe æterna. *3.* Non poſſe eſſe æterna, quia cauſa libera neceſſario præcedit ſuum actum ordine durationis. Singula diſcutia-

tiamus. Primum ait, decreta Dei producta eſſe. An putat Deum more hominum, & Angelorum producere in ſe novas actiones intellectus, & voluntatis, quæ ſint accidentia diſtincta ab ipſius ſubſtantia? non ita eſt. In Deo nulla ſunt accidentia, ut ſupra probatum eſt. Immediate intelligit, amat, decernit per ſuam ſubſtantiam, quæ ſimul eſt intellectio, amor, & decretum: & ſine ulla ſui mutatione terminari poteſt ad varia objecta. Solum accedit externa quædam denominatio, & reſpectus rationis, quo ſubſtantia Dei, per modum intelligentis, amantis, & decernentis refertur ad rem intellectam, amatam, & decretam. Simile eſt in perſona Verbi, quæ ſine ulla ſui mutatione terminata eſt ad humanitatem Chriſti, nec aliud ex illa terminatione ſecutum eſt in perſona, quam reſpectus terminantis ad humanitatem terminatam. Hoc intereſt, quod hæc terminatio facta ſit in tempore; altera ab æterno.

3. Secundo ait, decreta Dei non eſſe ab æterno. Sed ſeipſum jugulat. Nam pag. 66. ſic ſcribit: *Certum eſt, decretum Dei de omnibus rebus ad finem ſuum ordinandis, deque bonis efficiendis, malis autem permittendis, jam inde ab æterno factum eſſe, idemque in æternum permanere; & hoc ſenſu, nec originem ullam habere, nec finem unquam invenire.* Non poterat ſibi apertius contradicere, quam hic facit. Nunc quæro, an hoc decretum, quod Vorſtius fatetur ab æterno eſſe, libere a Deo productum ſit, necne. Si libere productum eſt, & quidem ab æterno, certe non omnis cauſa libera antecedit ſuum effectum ordine durationis. Si productum non eſt, cur ait, omnia decreta Dei producta eſſe ante mundi creationem? Hic Novatorum mos eſt. Quod uno loco affirmant, alio negant.

4. Tertio ait, Deum non poſſe ab æterno habere liberum decretum. Quare? quia cauſa libera neceſſario præcedit ſuum effectum ordine durationis. Falſum eſt. An neſcit Vorſtius, actiones intellectus, & voluntatis ſpirituales, ac indiviſibiles eſſe, & in inſtanti produci poſſe? An neſcit, Angelos habuiſſe liberum actum dilectionis Dei in primo inſtanti ſuæ creationis? An neſcit, Chriſtum ſecundum humanitatem, in inſtanti conceptionis, libere mortem acceptaſſe pro humani generis redemptione? Hoc docet Divus Thom. & alii graves Theologi. Si ergo Chriſtus, & Angeli poſſunt habere liberas actiones ſibi coævas, non poterit Deus habere liberum decretum ſibi coæternum? Quæ hæc Philoſophia eſt? At Vorſtius hoc negabit de Chriſto, & Angelis. Quare? quia putat eos ante liberum actum voluntatis indigere prævia deliberatione; nec fieri poſſe, ut eodem in-

ſtanti ſimul deliberent, & decernant. Sed cur, quæſo, id fieri non poteſt, ſi duo iſti actus ſunt ſpirituales, ac indiviſibiles, ſicut revera ſunt? Et, ſi ſinguli in inſtanti produci poſſunt ſeparatim, cur non ſimul in eodem inſtanti? Nihil hic video difficultatis. Nec vidit D. Thomas, & alii Theologi. Demus tamen Vorſtio, quod vult, Chriſtum, & Angelos nihil poſſe decernere, niſi prævia deliberatione ſecundum ordinem temporis: an ideo Deus ad has anguſtias redigendus eſt? Abſit.

5. Addam duo dilemmata pro Vorſtio. Unum eſt: ſi decreta Dei ſunt poſteriora ipſo Deo, vel ergo Deus finito, vel infinito tempore anteceſſit ſua decreta. Si finito, æternus non eſt. Si infinito, miſer eſt; qui nihil poteſt decernere, niſi poſt infiniti temporis durationem. Alterum; vel Deus ab æterno ſcivit, creationem mundi eſſe poſſibilem, & ſapienter a ſe fieri poſſe; vel ignoravit. Si ſcivit, non eguit deliberatione. Si ignoravit, a quo poſtea didicit?

QUÆSTIO V.

An æternitas Dei ſit indiviſibilis, & tota ſimul?

1. Vorſtius ait, non eſſe totam ſimul, ſed ſucceſſivam. Sic enim loquitur pa. 226. *Vulgo putant æternitatem totam ſimul exiſtere, & omnibus temporum differentiis coexiſtere: quæ ſententia omnino falſa eſt, & aliquot rationibus hic obiter refutanda*. Summam autem rationum ipſius hæc eſt: Si æternitas coexiſtit omnibus temporum differentiis, ſeu partibus, ſequitur primo, omnes partes temporis, id eſt, præteritum, præſens, & futurum, ſimul inter ſe coexiſtere reſpectu æternitatis. Secundo, Deum poſſe efficere, ut præteritum non ſit vere præteritum, & futurum non ſit vere futurum; quia utrumque in æternitate præſens eſt. Tertio, primum annum mundi conditi eſſe hunc ipſum annum præſentem. Quarto, res in æternitate nunquam oriri, aut interire, quia ſemper æternitati præſentes ſunt.

2. Propter hæc frivola argumenta auſus eſt Vorſtius communem Patrum, ac Theologorum ſententiam deſerere, & ipſam æternitatis naturam penitus evertere. Quod ſic oſtendo: Æternitas Dei non eſt accidens, ſed ſubſtantia Dei, ut concedit Vorſtius pag. 27. At ſubſtantia Dei eſt indiviſibilis, & tota ſimul, in qua nullæ ſunt partes ſibi invicem ſuccedentes; alioqui eſſet mutabilis, & corruptibilis: ergo etiam æternitas Dei eſt indiviſibilis, & tota ſimul,

ſimul, in qua nullæ ſunt partes ſibi invicem ſuccedentes: ergo tota coexiſtit omnibus temporum differentiis: Non quidem eo ſenſu, quem imaginatur Vorſtius, quaſi omnes partes, ſeu differentiæ temporis ſimul inter ſe exiſtant: (hoc enim falſum eſt, quia præteritum, præſens, & futurum nunquam ſunt ſimul) ſed quod ſingulæ partes temporis, dum actu ſunt, coexiſtant æternitati. Nam pars temporis præterita, cum adhuc præſens eſſet, coexiſtebat æternitati; & quæ nunc præſens eſt, coexiſtit æternitati; & futura, cum erit præſens, coexiſtet æternitati.

3. Hinc facile ſolvuntur argumenta contraria. Nam prima conſequentia, a qua cæteræ dependent, neganda eſt. Non enim ſequitur, ſi tota æternitas coexiſtat omnibus partibus temporis, ipſas etiam partes inter ſe coexiſtere. Nam tota æternitas non coexiſtit omnibus partibus ſimul ſumptis, & exiſtentibus, ut ſupponit Vorſtius, ſed ſingulis diviſim ſumptis, & ſibi mutuo ſuccedentibus; v. g. Hodie tota æternitas coexiſtit hodierno diei, cras tota coexiſtet craſtino diei, & perendino, & ſic deinceps. Hinc autem non ſequitur, hodiernum, craſtinum, & perendinum diem ſimul inter ſe exiſtere, ſed potius unum alteri ſuccedere. Hoc oſtendo in ſimili exemplo: Totum cœlum, quantum quantum eſt, hodie coexiſtit Vorſtio; & poſt aliquot annos, eo mortuo, coexiſtet filio Vorſtii; & eo etiam mortuo, coexiſtet nepoti Vorſtii per ſingulas generationes. Hinc non ſequitur, Vorſtium, filium, nepotem, & reliquos poſteros, quotquot erunt, ſimul inter ſe exiſtere. Hæc ſolutio facile accommodabitur ad reliquas conſequentias, quæ ex Vorſtio allatæ ſunt.

CAPUT II.

De Chriſto.

Varii ſunt errores Calviniſtarum de Chriſto. Primus, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, ſed pro ſolis prædeſtinatis. 2. Chriſtum in cruce deſperaſſe. 3. Chriſtum non vere, ac proprie, ſed tantum metaphorice deſcendiſſe ad inferos. 4. Chriſtum ſua morte, ac paſſione nihil ſibi meruiſſe. 5. Imaginem Chriſti nullo modo in templis tolerandam eſſe. 6. Chriſtum eſſe mediatorem ſecundum utramque naturam, divinam, & humanam. 7. Chriſtum ab initio multa ignoraſſe, quæ paulatim didicerit. Quinque priores ſunt proprii Calviniſtarum: reliqui duo communes Lutheranis, & Calviniſtis. Omnes ordine refutandi.

QUÆSTIO I.

An Chriſtus pro omnibus mortuus ſit?

1. HÆc tria connexa ſunt. 1. An Chriſtus pro omnibus mortuus ſit? 2. An Chriſti mors, & meritum omnibus proſit? 3. An Deus det omnibus fidem, & gratiam ex merito Chriſti? Calvinus docet, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis, non autem pro reprobis mortuum eſſe: meritum Chriſti ſolis prædeſtinatis prodeſſe, non reprobis: Deum ſolis prædeſtinatis, non reprobis largiri fidem, & gratiam ex meritis Chriſti. Ratio Calvini eſt, quia Deus ab æterno voluit ſolos prædeſtinatos admittere ad vitam æternam; reliquos omnes ad iram, & contumeliam deſtinavit; ſic enim ſcribit lib. 3. inſtit. cap. 22. §. 10. *Si omnes vellet ſalvos, cuſtodem illis præficeret filium, & omnes in ejus corpus ſacro fidei vinculo inſereret. Nunc conſtat, ſingulare eſſe paterni amoris pignus, filiis, quos adoptavit, reconditum.* Et ibid. c. 24. §. 13. *Cur ergo gratiam illis largiendo hos prætermittit? De aliis rationem reddit Lucas, quia ad vitam ſunt ordinati. De aliis ergo quid ſentiemus, niſi quia ſunt vaſa iræ in contumeliam?*

2. Catholici non conſtringunt mortem, merita, & beneficia Chriſti ad paucos. Putant omnibus eſſe communia. Hoc enim ſcriptura diſerte teſtatur 2. Cor. 5. 15. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. Et 1. Tim. 2. 6. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis*. Et 1. Joan. 2. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non autem pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi*. Et Joan. 1. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Hinc D. Amb. ſer. 8. in Pſal. 18. *Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit*. Et Clem. Alex. in orat. ad gentes: *Audite, qui eſtis longe, audite, qui prope, nullis celatum eſt verbum, lux eſt communis, omnibus illuceſcit hominibus, nullus eſt in verbo Cimmerius.*

3. Ut hoc melius intelligatur, tribus hiſce propoſitionibus explicari poteſt. Prima eſt: Chriſti meritum fuit ſufficiens ad totum genus humanum redimendum, & ſalvandum. In hac conveniunt nobiſcum Calviniſtæ. Ratio eſt, quia ipſius meritum fuit infiniti valoris propter infinitam dignitatem perſonæ, cui humanitas eſt unita. Secunda, Chriſti meritum reipſa non eſt efficax reſpectu reproborum quoad vitam æternam. Neque hic diſſentimus. Ratio eſt, quia reprobi reipſa non perveniunt ad vitam æternam.

Si

Si enim venirent, non eſſent reprobi, ſed prædeſtinati. Tertia, Chriſti meritum reipſa eſt efficax reſpectu reproborum quoad dona gratiæ in hac vita. Hanc negant Calviniſtæ. Fundamentum eorum jam inſinuavi, quia putant reprobos ad mortem, & ignominiam a Deo deſtinatos eſſe, ac proinde Chriſti meritum, & gratiam nihil ad eos pertinere. Nos contra ſtatuimus, & explicamus hoc modo: Duplicia ſunt dona gratiæ: alia ſpectant ad vocationem, alia ad juſtificationem. Ex his formo duplex argumentum contra Calviniſtas: alterum de gratia vocationis, alterum de gratia juſtificationis.

4. Sit ergo prius argumentum: Quicunque a Deo excitantur ad fidem, aut pœnitentiam per gratiam prævenientem, ſine dubio percipiunt aliquod donum gratiæ a Deo: at reprobi ſæpe excitantur hoc modo: ergo ſæpe percipiunt aliquod donum gratiæ a Deo. Minor probatur, quia Chriſtus promiſcue omnes vocat, & invitat, Matth. 11. v. 25. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et Matt. 20. v. 16. *Multi vocati, pauci electi.* Et Marc. 16. v. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et Apoc. 3. v. 20. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo.* Omitto ſimilia.

5. Calviniſtæ duobus modis conantur hæc eludere. Aliqui dicunt reprobos vocari externa tantum voce, non autem per internam gratiam prævenientem. Sed hi facile refelluntur. Primo ex illo, *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Quis hic pulſus? quod oſtium? Sane non externus pulſus, qui fit ſono, & colliſione corporum, ſed internus, qui fit per gratiam excitantem; nec oſtium materiale, ſed cor peccatoris hoc pulſu verberatur. Secundo, ex illo Act. 7. 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Quid eſt reſiſtere Spiritui ſancto, niſi inſpirationi Spiritus ſancti? Et hæc inſpiratio quid aliud eſt, quam gratia excitans, ſeu præveniens? Conſtat ergo, reprobos etiam vocari ad fidem, & pœnitentiam per internam ſuggeſtionem.

6. Alii fatentur quidem reprobos hoc modo vocari a Deo, non tamen ſerio, nec animo juvandi, ſed ſimulate, & animo nocendi. Ita Calvinus lib. 3. Inſtit. c. 24. §. 13. ubi ait: *Vocem ad eos dirigit, ſed ut magis obſurdeſcant; lumen accendit, ſed ut reddantur cæciores; doctrinam profert, ſed qua magis obſtupeſcant; remedium adhibent, ſed ne ſanentur.* Verum, ne quid gravius dicam, errat Calvinus. Et facillime refutatur. Primo, quia Chriſtus aperte contrarium ſignificat. Cum enim dixiſſet, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*, mox adjecit: *Et ego reficiam vos.* Non dixit:

ſuam gratiam; eo fine, ac propoſito, ut obſit illis, non proſit: adhibere medicinam, ut moriantur, non ſanentur. In hominem vix cadit illa crudelitas: quanto minus in Deum? Sane ſi vir dives invitet ad ſe pauperes famelicos, & debilitatos, &, oſtenſo pane, non cupiat eos ſatiare, ſed irritare, ac inanes dimittere; hominem hunc dixeris, an humanitatis expertem? Aut ſi medicus ægrotum ad ſe alliciat, & oblato pharmaco, cogitet necem intentare, non ſalutem afferre: quid de hoc ſentias? Aut ſi Rex, propoſito præmio, hortetur ſubditos ad certamen equeſtre, & dum in curſu ſunt, incautos in præcipitem foveam adigat; Regem hunc, an Tyrannum appellaris? Talem Deum fingit nobis Calvinus.

10. Longe rectius Catholici de eo ſentiunt, & loquuntur. Et merito. Si enim tam bonus, tam benignus, tam miſericors eſt, ut peccata, quæ alioqui mala ſunt, velit in bonum uſum convertere, juxta illud Auguſtini in Enchiridio, cap. 100. *Non ſineret bonus fieri male, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene:* quomodo credamus eſſe tam crudelem, & a nobis alienum, ut gratiam ſuam, quæ bona eſt, & natura ſua ad gloriam æternam ordinatur, vertat in ruinam, & perniciem noſtram, idque ex mera ſua voluntate, & propoſito? Nullus niſi Calviniſta id crediderit. Apes, non araneos imitatur Deus. Hi ex bonis floribus venenum; illæ ex malis etiam mel colligunt. Sed mirum non eſt, Caviniſtas tam indigna de Deo ſentire. Nam & peccati authorem illum faciunt; & homines ſimplici animo de aditu ad vitam æternam interrogantes ironico reſponſo illudentem. De priori dicemus infra cap. 5. de poſteriori dictum eſt lib. 1. cap. 17. q. 4.

11. Hactenus de priori argumento. Poſterius eſt. Multi reprobi non ſolum excitantur a Deo ad fidem, & pœnitentiam per internam vocationem, ſed etiam reipſa fidem, & juſtitiam conſequuntur: ſed Fides, & Juſtitia ſunt dona gratiæ ex meritis Chriſti: ergo multi reprobi reipſa percipiunt dona gratiæ ex meritis Chriſti. Major, in qua eſt tota difficultas, diſerte aſſeritur ab Aug. in lib. de corrept. & gratia, c. 13. his verbis: *Credendum eſt quoſdam de filiis perditionis non accepto dono perſeverantiæ uſque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter, ac juſte vivere, & poſtea cadere.* Quid apertius contra Calvinum?

12. Idem confirmo ex illo Heb. 6. 4. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, & prolapſi ſunt, rurſum renovari ad pœnitentiam.* Hic duo inſinuat Apoſtolus. Primo, fieri poſſe, ut qui ſemel per baptiſmum, & fidem illuminati ſunt, & participes facti Spiritus ſancti, prolabantur iterum in peccatum, & deſinant eſſe,

qua-

quales erant. Secundo, impoſſibile eſſe, eos, qui ita prolapſi ſint, iterum renovari ad pœnitentiam. Non diſputo, quid ſentiant de his verbis Catholici. Cum Calvino ago: Et quæro, An Apoſtolus loquatur de reprobis, an de præſteſtinatis? Non opinor dicturum, de prædeſtinatis. Nam illi, ex Calvini ſententia, nunquam amittunt Fidem, & juſtitiam, & ſi contingat eos peccare, non eſt impoſſibile, imo nec difficile, eos renovari: cum ſola fide, quam ſemper habent, nullo negotio renoventur. Si ergo de reprobis loquitur, (quod fatetur Calvinus lib.3. inſtit.cap.3. §. 21.) plane conſequens eſt, reprobos aliquando reipſa illuminari, & participes fieri donorum Spiritus ſancti, quæ non niſi ex Chriſti meritis conferuntur. At hoc negant Calvinus, & Calviniſtæ. Ergo & ſibi ipſis, & Scripturis adverſantur.

13. Eodem ſpectant illa 1. Tim. 1. 19. *Quidam circa fidem naufragaverunt*. Et c. 4. 1. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide*. Et 2. Tim. 2. v. 17. *Sermo eorum, ut cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui a veritate exciderunt.* Et c. 3. 8. *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem*. Ex his, & ſimilibus patet, quoſdam, qui veram fidem habuerunt, poſtea hæreticos eſſe factos. Nam ſi fidem non habuiſſent, non recte diceret Apoſtolus, eos circa Fidem naufragaſſe, a Fide diſceſſiſſe, a veritate excidiſſe, circa Fidem reprobos factos eſſe. Quæro jam ex Calvino, an hi ipſi hæretici, de quibus Apoſtolus loquitur, ſint prædeſtinati, an reprobi? Si reprobi, cur negat reprobos aliquando habere Fidem? Si prædeſtinati, cur ait prædeſtinatos nunquam Fidem amittere? Quidquid hic dicat, captus eſt.

14. Nec diſſimile eſt illud 2. Petri 2. 21. *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato*. Hic loquitur Apoſtolus de iis, qui aliquando fuerunt juſti, & Fideles, & poſtea juſtitiam amiſerunt, ut interpretatur S. Auguſt. in lib. de Fide, & operibus, cap. 24. & 25. Et patet ex ipſo contextu. Nam paulo ante de iiſdem dixerat: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur; facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus*. Quibus verbis ſignificat, eos aliquando fuiſſe bonos, & alienos ab inquinatione hujus mundi. Poſtea ſubdit: *Contigit eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti*. Itaque ſenſus eſt, quoſdam eſſe Chriſtianos, qui primum bene, ſancte, & juſte vivunt, poſtea vero redeunt ad antiquum ſtatum peccati; ſicut ſus, quando ſemel lota eſt, redit ad ſuum lutum: & canis, qui crudos, & noxios cibos ſemel evomuit, ſuum vomitum reſorbet.

15. Ma-

15. Maneat ergo certum, Chriſti merita, gratiam, & liberalitatem non ad ſolos prædeſtinatos, ſed etiam ad reprobos pervenire, quanquam diverſo modo. Nam hi velut ingrati, & otioſi ſervi, divinæ gratiæ non cooperantur uſque in finem: Illi, tanquam fideles, & laborioſi, ad extremum in bono opere perſeverant. De utriſq; eſt illud Matth. 24. v. 12. *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Et Rom. 11. v. 22. *Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate; alioquin & tu excideris.*

16. Objiciunt Calviniſtæ, Chriſtum fateri, ſe non veniſſe pro omnibus. Matth. 9. 13. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores*. Et Matth. 15. 24. *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*. Reſpondeo. Qui hæc loca objiciunt, contra ſe faciunt. Nam ſi Chriſtus non venit vocare juſtos, ſed peccatores; & ex Calvini ſententia, venit vocare prædeſtinatos, non reprobos; efficitur ex Calvini ſententia, ſolos reprobos eſſe juſtos, ſolos prædeſtinatos eſſe peccatores. Quis hoc credat? Rurſum, ſi non eſt miſſus, niſi ad Judæos: certe aut omnes, & ſoli Judæi prædeſtinati ſunt; aut non eſt miſſus ad ſolos prædeſtinatos. Videant adverſarii, quo ſe vertant.

17. Longe alius utriuſque loci ſenſus eſt. Chriſtus, quia medicus erat, ſanabat eos, qui ſe ægros eſſe fatebantur, & medicinam admittebant; alios vero, qui ſe ſanos profitebantur, cujuſmodi tunc erant Phariſæi, & modo Calviniſtæ, non ſanabat; quia medici opem reſpuebant. Rurſum, quia Meſſias erat, & ſolis Judæis propter fidem Abrahæ promiſſus, dicit ſe miſſum ad ſolos Judæos, ut ipſis ſuam præſentiam, prædicationem, & miraculorum gratiam exhiberet: ideoque a D. Paulo *miniſter circumciſionis* appellatur, ut annotavit D. Aug. in tr. 31. in Joan. Nec tamen ideo gentes excluſit a ſua gratia. Imo gentes aſſumpſit: gentibus Euangelium ab Apoſtolis prædicatum eſt. Audi ſcripturam Matth. 28. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes*. Et Rom. 3. 29. *An Judæorum Deus tantum? nonne & gentium? imo & gentium: quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*. Et Gal. 2. 7. *Creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* Et Galat. 3. 27. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: non eſt Judæus, neque Græcus*. Et Epheſ. 2. 13. *Nunc autem in Chriſto Jeſu vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti; ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*. Huc ſpectat illa vox Chri-

ſti,

ſti, Joan. 12. 32. *Et ego, ſi exaltatus fuero a terra, traham omnia ad me ipſum:* Hic Chriſtus vim ſuæ paſſionis declarat, & loquitur de ſe, tanquam de milite cum Diabolo pugnante, ſignificans ſe ex cruce ſua, velut ex altiſſima, & munitiſſima arce pugnaturum, & omnes homines, qui Diaboli ſervitute oppreſſi erant, e manibus ipſius erepturum, & ad ſe recepturum. Traxit ſane omnes, non effectu, ſed voluntate; nam utrumque latronem, quaſi unum dextra, alterum ſiniſtra manu prehendens, trahere ad ſe voluit, ſed unum traxit, alterum non traxit, quia duci ſe unus paſſus eſt, alter non eſt.

QUÆSTIO II.

An Chriſtus in Cruce deſperaverit.

1. CAlvinus in Harmonia Euangelica ad cap. 27. Matthæi ſcribit, Chriſtum vocem deſperationis emiſiſſe, cum dixit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Et ibidem addit: *Videmus Chriſtum ex omni parte ſic vexatum fuiſſe, ut deſperatione obrutus ab invocando Deo abſiſteret, quod erat ſaluti renuntiare.* Rationem alibi aſſignat; quia Chriſtus ſuſtinebat perſonam omnium noſtrum, qui propter peccata æternæ damnationi eramus obnoxii: ergo debebat perſolvere omnes pœnas, quæ homini damnato debebantur: at inter illas pœnas eſt deſperatio: ergo, &c. Sic enim ſcribit lib. 2. inſtit. cap. 16. §. 10. *Ex propheta retulimus fuiſſe propter ſcelera noſtra a Patre percuſſum, attritum propter noſtras infirmitates. Quibus ſignificat, in locum ſceleratorum ſponſorem, vadem, adeoque inſtar rei ſubmiſſum, qui dependeret, ac perſolveret omnes, quæ ab illis expendendæ erant, pœnas, uno hoc duntaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.* Et ibid. §. 11. *Manu Dei percuſſus, & afflictus, omnia irati, & punientis Dei ſigna expertus eſt.* Si omnia, certe etiam deſperationem expertus eſt. Et in parvo Catechiſmo proponit hanc quæſtionem: *Quomodo autem fieri poteſt, ut Jeſus Chriſtus, qui eſt ſalus mundi, in tali fuerit damnatione?* Et reſpondet: *Non in ea fuit, ut in ea permaneret.* Hoc eſt, quod ſupra aſſerebat, Chriſtum ſuſtinuiſſe omnes pœnas damnatorum, *uno hoc excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.* Et Beza Calvini diſcipulus annotatione in ca. 27. Matth. v. 45. *Jeſus in inferorum gurgitem immerſus ejulat.*

2. Hæc mera blaſphemia eſt. Quæ dupliciter refellitur. Primo, quia generatim loquendo falſum eſt, Chriſtum omnes pœnas damnatorum ſuſtinuiſſe. Nam præcipua pœna damnatorum

eſt

eſt pœna damni; quam vocant, id eſt, carentia, ſeu privatio æternæ beatitudinis, ſeu viſionis beatificæ. Sicut enim beati in cœlo clare vident divinam eſſentiam, in qua viſione conſiſtit æterna beatitudo: ita damnati in inferno privantur illa viſione, & in hac privatione conſiſtit pœna damni. Eſt enim ingens damnum privari æterna beatitudine. At Chriſtus nec in morte, nec poſt mortem, privatus fuit clara Dei viſione. ergo non ſuſtinuit hanc pœnam damni. Minor probatur, quia conſtat eum fuiſſe beatum ante paſſionem, cum dixit, Joan. 12. 26. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*. Et cap. 17. 24. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi*. Quid hoc eſt, *ubi ſum ego?* ideſt, in ſtatu beatitudinis: Igitur ſenſus eſt: Opto, ut mei miniſtri, ſi perſeveraverint, veniant ad illum ſtatum beatitudinis, in quo ego nunc ſum. At ſtatus beatitudinis eſt immutabilis: ergo ſi Chriſtus ante paſſionem fuit in illo ſtatu, ſemper in eo manſit. Non ergo pœnam damni expertus eſt, & conſequenter nec omnes damnatorum pœnas.

3. Deinde quoque falſum eſt, ſpeciatim loquendo, Chriſtum in cruce deſperaſſe. Primo, quia eodem tempore, quo dixit in cruce, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* dixit etiam, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Quod non dixiſſet, ſi deſperaſſet. Secundo, quia, ut jam probatum eſt, Chriſtus erat in ſtatu beatitudinis, & ſciebat ſtatum illum fore perpetuum: ergo non poterat deſperare. Nota: Beatitudo, quæ conſiſtit in clara Dei viſione, amitti non poteſt, ut recte docet D. Thom. in 1. 2. q. 5. art. 4. Ratio eſt, quia beatitudo vocatur *vita æterna*; quod autem æternum eſt, non amittitur. Item, beatitudo facit hominem ſecurum, & perfecte ſatiatum, Pſal. 16. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*. At ſecurus non eſſet, ſi putaret ſe poſſe beatitudinem amittere. Amitti ergo non poteſt. Si ergo Chriſtus fuit beatus ante paſſionem, fuit certus, non poſſe ſe excidere a beatitudine. Quomodo ergo potuit deſperare? Certe non potuit.

4. Nec obſtat illud: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Non enim eſt vox deſperantis, ſed admirantis! Admiratur Chriſtus, quare in tanto corporis cruciatu derelictus ſit. Sequitur reſponſio, quæ tollit admirationem: *Longe a ſalute mea verba delictorum meorum*. Quaſi dicat: Non eſt mirum, Deus Pater, quod relinquas me in his doloribus; quia delicta totius mundi, quæ in me ſuſcepi, non poſſum aliter expiare, niſi luendo hanc pœnam. *Verba*, inquit, *delictorum meorum*, id eſt, peccata humani generis, quæ mea ſunt, quatenus ea in me ſuſcepi, *longe ſunt a ſalute*

mea,

mea, id eſt, non poſſunt conjungi cum ſalute corporis mei. Debeo pati in corpore, ut illa poſſim expiare. Quo ſpectat illud 1. Petri 2. 24. *Peccata noſtra ipſe portavit in corpore ſuo ſuper lignum*. Vide Bellarminum in commentario Pſalmi vigeſimi primi.

QUÆSTIO III.

An Chriſtus vere deſcenderit ad Inferos?

1. ARticulus fidei eſt, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, ut patet ex ſymbolo Apoſtolorum. Hunc articulum verbo quidem profitentur Calviniſtæ, ſed reipſa negant. Non enim vere, ac proprie, ſed metaphorice hunc deſcenſum interpretantur. Et quidem dupliciter. Primo Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, id eſt, acerbos cruciatus in cruce paſſum eſſe. Ita Catechiſmus Heidelbergenſis, qui apud pleroſq; Calviniſtas parem cum Scriptura authoritatem habet. Nam quæſt.44. diſerte ait, *Chriſtum deſcendiſſe ad inferos*, id eſt, *inenarrabilibus animi anguſtiis, cruciatibus, & terroribus in cruce demerſum fuiſſe*. Hoc facile refellitur. Et ut alia omittam, ex eo ſolo refelli poteſt, quod perturbet ordinem, ſeu connexionem ſymboli. Nam ſecundum hanc interpretationem eſſet hæc articulorum ſymboli connexio: *Crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt: deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit a mortuis*, ideſt, primo cruci affixus eſt; deinde mortuus in cruce; mox poſitus in ſepulchro; inde rediens ad crucem *inenarrabilibus cruciatibus demerſus eſt*; poſtea reſurrexit a mortuis. Ordo præpoſterus.

2. Altera interpretatio eſt Calvini lib. 2. inſtit. c.16. §.10. 11. & 12. ubi tria docet. Primo, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, id eſt, omnes pœnas, & cruciatus damnatorum in anima perpeſſum eſſe. Hoc ſignificant illa Calvini verba ſuperius citata ex §.10. *Qui perſolveret omnes pœnas, quæ a ſceleratis expendendæ erant*. Item illa ibid. *Ergo ſi ad inferos deſcendiſſe dicitur, nihil mirum eſt, cum eam mortem pertulerit, quæ ſceleratis ab irato Deo infligitur*: Ubi per mortem non intelligit mortem corporis, ſed diros in anima cruciatus damnati, ac perditi hominis, ut ex contextu patet.

3. Secundo docet, Chriſtum cœpiſſe deſcendere ad inferos, id eſt, cœpiſſe pati pœnas damnatorum, quando in horto dixit, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte*. Deinde profundius deſcendiſſe, quando clamavit in cruce, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Tertio profundiſſime; quando poſt mortem, coram ſevero Dei tribunali, tanquam reus æternæ mortis comparuit: ſic enim ſcribit §. 12. poſt medium: *Si nunc roget quiſpiam, an*

an tunc deſcenderit Chriſtus ad inferos, cum mortem deprecatus eſt: reſpondeo hoc fuiſſe exordium. Unde colligi poteſt, quam diros, & horribiles cruciatus perpeſſus fuerit, cum ſe ad tribunal Dei reum ſtare cognoſceret noſtra cauſa: nempe poſt mortem, uſque ad reſurrectionem.

4. Tertio docet, corporalem Chriſti mortem nihil nobis fuiſſe profuturam, ſi non etiam poſt mortem perpeſſus fuiſſet pœnas damnatorum, quando coram Dei judicio comparebat. Nam §. 10. ſic habet: *Nihil actum erat, ſi corporea tantùm morte defunctus fuiſſet Chriſtus: ſed operæ ſimul pretium erat, ut divinæ ultionis ſeveritatem ſentiret, quo & iræ ipſius intercederet, & ſatisfaceret juſto judicio. Unde etiam eum oportuit cum inferorum copiis, æternæque mortis horrore, quaſi conſertis manibus, luctari.*

5. Hæc doctrina continet tres errores. Primus eſt, quod deſcendere ad inferos nihil aliud ſit, quam perpeti pœnas, & cruciatus damnatorum. Quod eſt contra Scripturam, & Patres, qui deſcenſum Chriſti proprie interpretantur, aſſerentes illum deſcendiſſe ad loca ſubterranea, ubi animæ Veterum detinebantur. Ex Scriptura habemus tria teſtimonia. Primum, Matth. 12. 40. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Alterum Epheſ. 4. 9. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Tertium, 1. Pet. 3. 18. *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu: in quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit.* Ubi tres particulæ notandæ ſunt. 1. Quod Chriſtus ſecundum ſpiritum, ideſt, ſecundum animam, deſcenderit in carcerem, in quo erant animæ veteris Teſtamenti. 2. Quod carcer ille fuerit in *corde*, ideſt, in medio terræ, vel, ut Apoſtolus loquitur, in inferioribus terræ partibus. 3. Quod ibi manſerit tribus diebus, ac noctibus. Nulla fit hic mentio cruciatuum, quos Chriſtus illo triduo paſſus ſit. Calvini hoc figmentum eſt.

6. Accedit conſenſus Patrum. Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromatum c. 2. *Si ergo Dominus nulla alia de cauſa deſcendit ad inferos, quam ut annuntiaret Euangelium, ſicut certe deſcendit; aut deſcendit, ut annuntiaret omnibus, aut ſolis Hebræis*, &c. Greg. Neocæſarienſis orat. in Epiphaniam: *Oportet me, inquit Chriſtus, in inferni profundum deſcendere, ut eos, qui illic detinentur, eripiam.*

Damaſcenus lib. 3. de Fide, cap. 29. *Ob id porro deificata Chriſti anima ad inferos deſcendit, ut quemadmodum iis, qui in terra verſabantur, juſtitiæ ſol ortus erat, ita etiam iis, qui infra terram in tenebris, & umbra ſedebant, illuceret.*

Theo-

Theophylactus in cap. 4. ad Epheſ. *Quo deſcendit Chriſtus? ad inferos. Has enim infimæ terræ partes appellat.* Et paulo poſt: *Deſcendit igitur ad infimas partes, poſt quas non eſt aliud quid: & aſcendit ſuper omnia, ultra quæ non ſunt alia.*

Tertullianus in lib. de anima cap. 55. *Nec ante aſcendit in ſublimia cælorum, quam deſcendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarcha, & Prophetas compotes ſui faceret.*

Ambroſius de myſterio Paſchæ, cap. 4. *Expers peccati Chriſtus cum ad Tartari ima deſcenderet, ſeras inferni, januaſque confringens, vinctas peccato animas, mortis damnatione deſtructa, e Diaboli faucibus revocavit ad vitam.*

Hieronymus circa illud Pſal. 15. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: Quia propterea illuc deſcendit, ut electos ſuos inde ejiceret, & diabolum ligaret.*

Auguſtinus Epiſt. 57. ad Dardanum, quæſt. 1. *Neque enim ipſo die in cælo futurus erat homo Chriſtus Jeſus: ſed in inferno ſecundum animam, in ſepulchro autem ſecundum carnem.*

Fulgentius lib. 3. ad Thraſymundum Regem, cap. 34. *Humanitas ergo vera Filii Dei, nec tota in ſepulchro fuit, nec tota in inferno: ſed in ſepulchro ſecundum veram carnem Chriſtus mortuus jacuit, & ſecundum animam ad infernum Chriſtus deſcendit.*

7. Omitto reliquos Patres. Omnes in eo conſpirant, quod Chriſtus poſt mortem ſecundum carnem jacuerit in ſepulchro: ſecundum animam deſcenderit in inferiores terræ partes, ut inde animas ſanctorum veteris Teſtamenti liberaret. Nullus ex omnibus eſt, qui ſentiat cum Calvino, Chriſtum poſt mortem diros in anima cruciatus perpeſſum eſſe, & coram ſevero Dei tribunali tanquam reum æternæ mortis comparuiſſe. Novum hoc phantaſma eſt.

8. Sequitur alter Calvini error, quod Chriſtus cœperit deſcendere ad inferos, quando in horto mortem deprecatus eſt, his verbis: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me Calix iſte.* Qui error facile refellitur. Primo; quia novus, & ante Calvinum inauditus eſt, ideoque merito ſuſpectus. Secundo, quia pervertit ordinem Symboli. Nam in Symbolo habemus, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos poſt mortem, & ſepulturam.

9. Tertius error eſt, Chriſtum nihil fuiſſe nobis profuturum ſua paſſione, & morte, niſi etiam poſt mortem coram irato Deo comparuiſſet, & pœnas damnatorum paſſus eſſet. Qui error directe pugnat cum Scriptura, ex qua habemus hæc duo principia. Primo, quod Chriſtus ſua paſſione, & ſanguine perfecerit, ſeu conſummaverit opus noſtræ redemptionis. Secundo, quod poſt mor-

tem

tem nihil amplius perpeſſus ſit, neque comparuerit coram Deo, tanquam reus, ſed tanquam victor, & triumphator.

10. Prius patet ex illo Hebr. 2. v. 10. *Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare*. Et Hebr. 5. v. 9. *Et conſummatus* (per mortem) *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*. Et Epheſ. 1. v. 7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus*. Et Coloſs. 1. v. 20. *Pacificans per ſanguinem ejus, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt*. Et 1. Pet. 1. v. 18. *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine Chriſti*. Et Apoc. 5. v. 9. *Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo*.

11. Poſterius, quod ſcilicet Chriſtus nihil amplius paſſus ſit poſt mortem, conſtat ex propria ipſius confeſſione. Nam in articulo mortis dicebat, *Conſummatum eſt*. Quaſi diceret: nihil jam mihi patiendum ſupereſt: ſuſtinui omnia pro redemptione humani generis, quæ mihi erant impoſita. Simili fere ſenſu dicebat Apoſt. 2. Timot. 4. verſ. 6. *Tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*. Quo etiam ſpectat illud Philip. 2. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum*. Ubi conſummatio meritorum Chriſti tribuitur morti ipſius: & poſt mortem non ſequitur alius animæ cruciatus, ſed exaltatio.

12. Objicit Calvinus illud Actor. 2. v. 24. *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni*. Certe, ſi Chriſtus, antequam reſurgeret, ſolutus, ſeu liberatus fuit a doloribus inferni, neceſſe eſt illum prius fuiſſe in doloribus inferni, id eſt, paſſum fuiſſe cruciatus damnatorum. Reſpondeo: Textus non dicit, Chriſtum fuiſſe ſolutum, ſeu liberatum a doloribus inferni, quibus antea tenebatur: ſed dolores inferni fuiſſe ſolutos a Chriſto, vel Chriſtum ſolviſſe dolores inferni. Quod dupliciter intelligi poteſt. Primo, quod ſolverit, id eſt, irritos fecerit, & evitaverit dolores inferni, non quibus tenebatur, ſed ne teneretur: Sicut ſi dicerem, Leo ſolvit laqueos venantium; id eſt, rupit, ſeu evitavit, ne caperetur. Secundo, quod ſolverit dolores inferni, quibus animæ juſtorum veteris Teſtamenti tenebantur; id eſt, quod liberaverit illas animas a doloribus inferni. Utrumque ſenſum approbat Auguſtinus ep. 99. ad Evodium. Prior tamen videtur conformior textui, qui ſic habet: *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo*.

QUÆSTIO IV.

An Chriſtus ſua paſſione, ac morte aliquid ſibi meruerit?

1. CAlvinus lib. 2. inſtit. cap. 17. §. 6. docet, Chriſtum nobis tantum meruiſse, non ſibi. Nos contra aſserimus etiam ſibi aliquid meruiſse, nempe gloriam corporis, exaltationem nominis, & alia multa, quæ ei data ſunt poſt paſſionem. Ita D. Tho. in 3. qu. 19. ar. 3. & quæſt. 53. art. 4. ad 2. Et aperte colligitur ex Scriptura, Philip. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Et Hebr. 2. v. 9. *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Ubi particula *propter* ſignificat cauſam meritoriam.

2. Hanc gloriam & exaltationem petiverat a Patre, Jo. 12. 28. cum dixit: *Pater clarifica nomen tuum*, nempe in me. Et Pater promiſerat illam ibidem: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*, id eſt, clarificavi te hactenus: tum voce de cœlo miſſa; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* tum variis ſignis, & miraculis: *Et iterum clarificabo te* poſt mortem, ut omnes evidenter intelligant, te verum eſſe Dei filium. Quam promiſſionem poſtea exigit a Patre Joan. 17. v. 1. *Pater, venit hora: clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te:* quaſi dicat: Ecce nunc tempus illud venit, quo maxime indigeo tua clarificatione, quia nunc imminet mihi mors adeo probroſa, & ignominioſa, ut niſi me clarificaveris, & certis ſignis, ac miraculis filium tuum eſſe declaraveris, omnes me pro ſceleſto, ac impio homine habituri ſint. Itaque clarifica filium tuum. Quod factum eſt, quando ſol tempore paſſionis fuit obſcuratus; quando terra contremuit, & ſepulcra aperta ſunt; quando tertia die reſurrexit a mortuis: quando glorioſus in cœlum aſcendit; quando a Stephano viſus eſt ſtare ad dexteram Dei Patris. Et ſic deinceps.

3. Eodem ſpectat illud, quod ſequitur apud Joannem, cap. 17. v. 4. *Ego te clarificavi ſuper terram: opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam: Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui, prius quam mundus eſſet apud te.* Senſus eſt: Ego clarificavi te, id eſt, nomen, & gloriam tuam hominibus manifeſtavi. Et ideo quaſi mercedis loco a te peto,

to, ut me viciſſim clarifices poſt mortem: quod fiet, ſi eam claritatem, quam ſecundum divinitatem ab æterno habui, dederis etiam mihi ſecundum humanitatem: Si quemadmodum ab æterno ſedi ad dexteram tuam, ut Deus, ita poſt aſcenſionem ſedeam ad dexteram, ut homo.

4. Objicit Calvinus 1. Quid opus fuit deſcendere Filium Dei, ut ſibi acquireret aliquid novi? Reſpondeo. Calvinus vel non intelligit, quod objicit, vel vult ſimplices decipere. Nam aliud eſt loqui de Filio Dei, quatenus præciſe Deus eſt, aliud de Chriſto, quatenus eſt homo. Nos non dicimus, Filium Dei deſcendiſſe de cœlo, ſeu carnem aſſumpſiſſe, ut ſibi tanquam Deo aliquid novi acquireret per meritum: ſed dicimus, Chriſtum, ſuppoſita jam incarnatione, voluntariam mortem ſuſcepiſſe, ut ſibi tanquam homini aliquid novi acquireret per meritum, nempe, ut acquireret ſibi gloriam corporis, & exaltationem nominis.

5. Objicit 2. Scriptura teſtatur, Chriſtum non veniſſe propter ſuam utilitatem, ſed ſolum propter nos: Imo adeo ſe totum addixiſſe in noſtram ſalutem, ut quodammodo ſui oblitus ſit. Iſaiæ 9. v. 6. *Puer natus eſt nobis*. Et Zach. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator*. Et Jo. 17. v. 19. *Pro eis ego ſanctifico me ipſum*. Reſpondeo. Scriptura teſtatur quidem, Chriſtum veniſſe propter nos; non tamen negat etiam pro ſe fuiſſe ſollicitum. Imo diſerte hoc affirmat verbis ſupra citatis: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*. Non ergo ſui fuit oblitus.

6. Objicit 3. Paulus commendat charitatem Chriſti, quod pro inimicis mortem ſubierit. (Rom. 5. verſ. 8.) Hæc autem commendatio frigeret, ſi etiam pro ſe mortuus eſſet. Reſpondeo. Non ſequitur, quia tametſi Chriſtus pro ſe aliquid meruerit, hoc tamen non derogat charitati ipſius erga nos: imo auget potius. 1. quia potuiſſet ab inſtanti conceptionis habere gloriam corporis, & exaltationem nominis: ſed in gratiam noſtri elegit potius pati, & humiliari, ut ſic a ſervitute peccati nos liberaret. 2. Quod autem poſtea per proprium meritum acquiſiverit ſibi gloriam, & exaltationem, qua propter nos tamdiu caruerat, hoc etiam factum eſt ex charitate noſtri: nimirum ut nos etiam in ipſo, tanquam in noſtro capite, eſſemus glorioſi, & exaltati.

7. Objicit 4. Quibus meritis aſſequi potuit homo, ut eſſet judex mundi, ut eſſet caput Angelorum, ut potiretur ſummo Dei Imperio, ut in eo reſideret Majeſtas Dei? Reſpond. Nos non aſſerimus, Chriſtum hæc omnia meruiſſe. Meruit quidem, ut eſſet judex mundi: quia ſi potuit mereri, ut mundus reconciliare-

tur Deo, potuit etiam mereri, ut ipſe mundum judicaret. Reliqua tria non meruit, ſed ex vi Incarnationis illi conceſſa ſunt. Nam vi incarnationis factum eſt, ut homo eſſet Deus, ac proinde ut eſſet caput Angelorum, & ſummo Dei imperio potiretur, & in eo reſideret Majeſtas Dei. Potuit tamen mereri externam manifeſtationem horum omnium. Vide Bellarminum lib. 5. de Chriſto, cap. 9. & 10. Et Suarez diſp. 40. ſect. 3.

QUÆSTIO V.

An imago Chriſti toleranda ſit?

1. NEgant Calviniſtæ. Et quidem David Paræus Calviniſta in cap. 1. ep. ad Romanos, dub. 18. diſerte ait, omnes Idololatras eſſe, qui tuentur imaginem Chriſti, ſicut idololatræ ſunt, qui colunt imagines beſtiarum. Sic enim ſcribit: *Mutant gloriam Dei, & Idololatræ ſunt non ſoli gentiles, qui vel homines, boves, volucres, ſerpentes, ſolem, lunam, ſtellas, herbas, fortunam, vel harum rerum imagines pro Deo colunt; ſed etiam inter Chriſtianos omnes illi, qui imaginem Chriſti crucifixi in templis ad repræſentandum Chriſtum, & ad docendum rudiores de Chriſto tuentur.* Et ante illum Beza in Colloquio Mompelgartenſi: *Fateor me ex animo crucifixi imaginem deteſtari.* Horribilis Blaſphemia.

2. Nos contra aſſerimus. 1. Imaginem Chriſti tolerandam eſſe. 2. Imo etiam colendam, & honorandam. 3. Idque duplici titulo: tum quia eſt imago Chriſti, tum quia beneficia Chriſti nobis repræſentat, & in memoriam revocat. Tres ſunt partes hujus aſſertionis, quæ ſingulæ probandæ ſunt. Prius tamen notandum eſt, imaginem Chriſti poſſe tripliciter ſpectari. Primo, quatenus eſt aurea, vel argentea, vel lignea, vel ex alia materia. Secundo, quatenus artificioſe facta eſt. Tertio, quatenus Chriſtum repræſentat. Hoc tertio modo loquimur de imagine Chriſti. Non enim colimus illam, quia ex pretioſa conſtat materia, neque quia affabre facta eſt; ſed quia eſt imago Chriſti. Alioqui etiam imago Diaboli, vel Antichriſti, ſi ex pretioſa conſtaret materia, & affabre facta eſſet, deberet coli, & honorari: quod eſt abſurdum.

3. Hoc poſito, probatur prima pars aſſertionis, quia in veteri Teſtamento tolerabantur imagines Angelorum, & ænei ſerpentis: ergo etiam in novo tolerari poteſt imago Chriſti. Hæc enim non eſt deterioris conditionis, quam erant illæ. Antecedens patet: quia de imaginibus Angelorum ſcriptum eſt Exod. 25. 18. *Dixit Dominus ad Moyſen: facies duos Cherubim aureos, & produ-*

ctiles,

tiles, ex utraq; parte oraculi. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero. Ubi per duos Cherubim aureos intelliguntur duę ſtatuę, vel imagines aureæ, repræſentantes duos Angelos Cherubinos, quæ poſitæ erant in Tabernaculo ſuper arcam fœderis, & expanſis alis tegebant Arcam. Similiter de imagine ſerpentis ænei ſcriptum eſt Num. 21. 8. *Fac Serpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Hoc factum eſt in deſerto, ſeu ſolitudine, ubi multi ex populo mordebantur ab ignitis ſerpentibus, & moriebantur. Deus, ut occurreret huic malo, mandavit fieri imaginem, vel ſtatuam ſerpentis ex ære, quam ſi morſi ab ignitis ſerpentibus aſpicerent, ſanabantur. Hic autem ſerpens æneus erat figura Chriſti crucifixi. Nam qui peccato mortali obnoxii ſunt, ſi aſpiciunt Chriſtum crucifixum, ſanantur. Joan. 3. 14. *Sicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

4. Dices: Ezechias Rex confregit Serpentem æneum, & laudabiliter fecit. (4. Reg. 18. 4.) Ergo ſignum eſt non debuiſſe tolerari. Igitur nec imago Chriſti toleranda, ſed confringenda eſt. Reſpondeo, non ſequitur. Primo, quia imago ſerpentis ænei, ut jam inſinuavi, facta fuit in eum finem ut morſi ab ignitis ſerpentibus illam aſpicerent, & ſanarentur. Itaque, durante illo fine, durabat imago: ceſſante, confringebatur. Duravit autem finis ille, quamdiu Judæi erant in ſolitudine, ubi erant ſerpentes venenati: ceſſavit, quando ingreſſi ſunt terram promiſſionis, ubi non erat periculum ab hujuſmodi ſerpentibus. At imago Chriſti crucifixi in eum finem ſolet fieri, ut repræſentet nobis Chriſtum Salvatorem, & ejus beneficia in memoriam revocet. Hic finis durabit uſque ad finem mundi. Semper enim memoria Chriſti, & beneficiorum ejus ob oculos ponenda eſt. Semper igitur imago illius habenda, & toleranda. Deinde, ſerpens æneus, ceſſante fine propter quem erat factus, cœpit eſſe occaſio idololatriæ. 4. Reg. 18. 4. Et ex hac etiam parte debuit confringi. Imago autem Chriſti non eſt occaſio idololatriæ apud nos Catholicos, quia non alium ob finem eam retinemus, quam ut nobis Chriſtum Salvatorem, & beneficia ejus repræſentet.

5. Altera pars aſſertionis probatur ſimili argumento: quia imagines Angelorum, & ſerpentis ænei erant apud Judæos in magno honore, ac veneratione: ergo etiam imago Chriſti apud Chriſtianos debet eſſe in magno honore, ac veneratione: imo hæc in majori, quam illæ. Et quidem de imaginibus Angelorum, quæ erant ſuper arcam, res certa eſt. Nam iſtæ imagines erant quaſi

præcipua pars, & ornamentum Arcæ. At tota Arca honorabatur a Judæis: ergo & imagines, quæ erant ſuper Arcam. Minor variis modis oſtendi poteſt. Primo, quia Arca ponebatur in Sancta Sanctorum, tanquam in loco honoratiſſimo. (Heb. 9. 4.) Secundo, quando translata fuit de domo Abinadab in domum Obededom, David cum univerſo populo eam honoravit, pſallendo, & cantando citharis, & aliis muſicis inſtrumentis. (2. Reg. 6. 5.) Tertio, quia laicis non licebat portare Arcam, ſed tantum Levitis, & Sacerdotibus propter venerationem illi debitam: ideoque Oza morte punitus eſt, quod auſus fuiſſet manibus eam attingere, tametſi bona intentione id feciſſet. (2. Reg. 6. 7.) Quarto, ſimiliter Philiſtæi, quia apud ſe retinebant illam ſine debito honore, ac reverentia, variis modis a Deo attriti ſunt. (1. Reg. 5. & 6.) E contrario Obededom, quia illam tribus menſibus in ſua domo honorifice detinuerat, benedictionem divinam conſecutus eſt. (2. Reg. 6. 11.) Denique huc ſpectat illud Pſalmi 98. 5. *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*: Scabellum, ideſt, Arcam. Nota, Quando Deus in rebus dubiis conſulebatur a populo per Pontificem, & dabat reſponſa, ſeu oracula, ſedebat ſuper alas imaginum Cherubim, tanquam ſuper ſolium majeſtatis ſuæ, & pedibus contingebat Arcam, tanquam ſcabellum (Pſ. 98. 1. & 1. Par. 28. 2. & alibi) Si ergo ſcabellum debebat adorari, multo magis ſolium, quod plus eſt, quam ſcabellum. Sicut ergo de Arca dictum eſt: *Adorate ſcabellum pedum ejus*: ita poterat dici de alis Angel. *Adorate ſolium ejus*.

6. Idem ſtatuendum de imagine ſerpentis ænei. Erat in pretio, & honore apud Judæos duplici de cauſa. 1. Quia ad aſpectum illius ſanabantur omnes, qui morſi erant a ſerpentibus. 2. Quia erat figura Chriſti in Cruce pendentis. (Joan. 3. 14.) Unde ſic concludo: Figura eſt minoris pretii, quam res figurata: quo pacto Moyſes, qui erat figura Chriſti, minoris erat pretii, quam Chriſtus; & Agnus Paſchalis, quam Euchariſtia; & Circumciſio, quam Baptiſmus: ſi ergo imago figuræ honoranda eſt, multo magis imago rei figuratæ: ideſt, ſi imago ſerpentis ænei, multo magis imago Chriſti. Nemo ſanus dubitat. Imo imago ſerpentis non fuiſſet honorata, niſi fuiſſet figura, ſeu umbra imaginis Chriſti, nec ſanaſſet morſos a ſerpentibus, niſi virtute Chriſti, qui ſanat morſos a Diabolo, qui in ſpecie ſerpentis primos parentes momordit in Paradiſo.

7. Tertia pars aſſertionis probatur, quia uterque titulus, propter quem dixi imaginem Chriſti honorandam eſſe, ſufficiens eſt. Poteſt enim honorari 1. quia eſt imago Chriſti, 2. Quia bene-

ficia

ficia Chriſti nobis repræſentat. De priori patet, quia honor, qui exhibetur imagini, redundat in eum, cujus eſt imago: ſicut e contrario contumelia, quæ infertur ſtatuæ, redundat in eum, cujus eſt ſtatua. Recte Ambroſ. ſer. 10. in Pſal. 118. *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit. Et qui ſtatuam contempſit Imperatoris, Imperatori utique videtur feciſſe injuriam*. Addo ego, qui colit imaginem Chriſti, Chriſtum colit: & qui contemnit imaginem Chriſti, Chriſtum contemnit. Tales ſunt Calviniſtæ.

8. De poſteriori ſimiliter patet, quia illud in pretio haberi poteſt, quod per ſe revocat nobis in memoriam beneficia Dei, & eſt occaſio, ut pro iis acceptis grati exiſtamus: at imago Chriſti per ſe revocat nobis in memoriam beneficium noſtræ redemptionis, quod eſt maximum: ergo in pretio haberi poteſt: Imo & debet. Et confirmatur à ſimili, quia ob eandem cauſam apud nos in pretio, ac honore ſunt ſacra Biblia, itemque Feſta Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis, & Paſſionis Chriſti.

9. Si Calviniſtæ, quia cæci ſunt, hæc non vident, agnoſcant ſaltem quid ipſi facere conſueverunt: Ipſi curant erigi ſtatuas Regum, & Principum, formari, ac artificioſe depingi imagines ſuorum parentum, uxorum, liberorum, imo & prædicantium, ut Calvini, Bezæ, & aliorum. Nec ſolum erigi, & formari, ſed etiam magno ſtudio conſervari. Quæ ergo inſania eſt has tueri, ac in pretio habere, & imaginem Chriſti conſpuere, confringere, abolere? Nimirum volunt memoriam Chriſti abolitam, Calvini, & Bezæ conſervatam. O tempora! o mores! multo aliter antiqui, & Sanctæ Eccleſiæ Doctores, quorum teſtimonia videri poſſunt apud Bellarminum, Coccium, & Valentiam.

10. Sed quæres, quo cultu debeat imago Chriſti honorari? Calviniſtæ, qui illam conſpuunt, & confringunt, nullo cultu honorandam cenſent. Nos cultu religioſo eam honoramus, ſicut imaginem Cæſaris cultu civili, ac politico. Ratio eſt, quia ſicut colimus imaginem Cæſaris propter Cæſarem, ita imaginem Chriſti propter Chriſtum. At Cæſarem colimus cultu civili, & Chriſtum cultu religioſo: ergo etiam imaginem Cæſaris cultu civili, & imaginem Chriſti cultu religioſo. Quomodo autem cultus ille religioſus appellandus ſit, parum refert. Sufficit, quod debeat ſervari proportio inter imagines, quæ ſervatur inter illos, quorum ſunt imagines. Sicut ergo major cultus debetur Chriſto, quam Sanctis in Cœlo cum Chriſto regnantibus, & major his, quam aliis hominibus: ita, ſervata proportione, de imaginibus illorum ſtatuendum eſt.

CAPUT III.

De Prædeſtinatione.

1. DUæ ſunt partes doctrinæ Calvini de Prædeſtinatione. Una, Deum æterno ſuo decreto quoſdam homines ad vitam æternam, alios ad mortem, & damnationem prædeſtinaſſe, nullo ipſorum merito, aut culpa, ſolum quia ipſi ita placuit. Altera, hoc Dei decretum adeo fixum, ac immutabile eſſe, ut tollat omnem arbitrii noſtri libertatem in negotio prædeſtinationis, nec ullo modo in noſtra poteſtate ſit, ſalvari, aut perire, ſed inevitabili quadam neceſſitate hi ſalventur, illi pereant.

2. Ex utraque deduci ſolet hoc dilemma hominum deſperatorum: Vel ſum prædeſtinatus, vel reprobatus. Si prædeſtinatus, certiſſime ſalvabor, quomodocunque tandem vixero. Si reprobatus, neceſſario damnabor, quocumq; me vertero. Fruar ergo voluptatibus, quandiu licet: quia nec obeſſe poſſunt prædeſtinato; & reprobum ſolari poſſunt, ſaltem in hac vita. Hoc dilemmate miſere torquentur miſeri, dum ſe expedire nequeunt. Et refert Aug. l. de bono perſev. c. 15. quendam Monachum ſui monaſterii eo fuiſſe deductum hac argumentatione, ut tandem deſerta vita religioſa ad ſæculum reverteretur, & periret. Nempe is fructus eſt doctrinæ hæreticorum, quos Calvinus imitatur.

3. Hæc omnia examinanda ſunt hoc ordine. 1. An Deus æterno ſuo decreto quoſdam homines ad vitam, alios ad interitum, & damnationem prædeſtinaverit citra ullum ipſorum meritum? 2. An hoc decretum adeo ſit immutabile, ut in negotio prædeſtinationis tollat libertatem noſtri arbitrii? 3. Quid ad dilemma hominum deſperatorum reſpondendum ſit?

QUÆSTIO I.

An Deus æterno ſuo decreto quoſdam homines ad vitam, alios ad damnationem prædeſtinaverit ſine ullo ipſorum merito, aut culpa?

1. AFfirmat Calvinus lib. 1. Inſtitutionum cap. 21. §. 5. his verbis: *Prædeſtinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud ſe conſtitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, ſed aliis* vi-

vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quiſque conditus eſt, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædeſtinatum dicimus. Et §. 7. circa finem. *Quod ergo ſcriptura clare oſtendit, dicimus æterno, & immutabili conſilio Deum ſemel conſtituiſſe, quos olim aſſumere vellet in ſalutem, quos rurſum exitio devovere. Hoc conſilium quoad electos in gratuita ejus miſericordia fundatum eſſe aſſerimus, nullo humanæ dignitatis reſpectu: quos vero damnationi addicit, his juſto quidem, & irreprehenſibili, ſed incomprehenſibili ipſius judicio vitæ aditum præcludi.* Et cap. 22. §. 3. *Ubicunque vero hoc regnat Dei placitum, nulla in conſiderationem veniunt opera.* Et §. 11. *Si non poſſumus rationem aſſignare, cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam illi ita placet: neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem.* Et cap. 23. §. 1. *Minime conſentaneum eſt, præparationem ad incertum alio transferre, quam ad arcanum conſilium Dei.*

2. Hæc Calvini doctrina habet duas partes; unam de æterna electione prædeſtinatorum ad vitam ante præviſa merita; alteram de deſtinatione reproborum ad interitum ante præviſa peccata. Utraque poteſt habere duplicem ſenſum. Unus eſt, Deum ab æterno ante præviſum peccatum originale, ex toto humano genere adhuc integro, & nondum corrupto quoſdam elegiſſe ad vitam, alios ad mortem, ac interitum deſtinaſſe ſine ulla ipſorum, vel primi parentis culpa. Alter eſt, Deum poſt præviſionem peccati originalis, cum jam corruptum eſſet genus humanum, & velut maſſa quædam perdita, quoſdam ex ſola ſua miſericordia elegiſſe ad gloriam, & feciſſe vaſa in honorem; alios vero in maſſa perditionis reliquiſſe, ut eſſent vaſa in contumeliam ſine ulla propria ipſorum culpa, non tamen ſine culpa originali. In priori ſenſu aſſeritur a Calvino, & Beza; de poſteriori infra dicemus.

3. Utraque pars in priori ſenſu impugnanda eſt. Et quidem prima pars, tametſi hæretica non ſit, male tamen, & inconſtanter a Calvino aſſeritur. Hoc oſtendo dupliciter. Primo, ſi electio facta eſt ante præviſionem peccati originalis, oportuit factam eſſe ante decretam Chriſti incarnationem. Quomodo ergo potuit facta eſſe in Chriſto, & in Chriſti meritis fundari? Hic Calvinus evadere non poteſt, quin ſecum ipſe pugnet. Nam lib. 3. cap. 24. §. 5. fatetur nos in Chriſto electos eſſe. Recte id quidem. At lib. 2. c. 12. §. 4. docet Chriſtum non fuiſſe venturum in carne, niſi Adam peccaſſet, nec alio fine in hunc mundum veniſſe, quam ut perditis hominibus ſuccurreret. Ex quo ſequitur,

prius

prius prævisum fuiſſe peccatum Adami, quam decretam Christi incarnationem. Si ergo electio ad vitam facta eſt ante prævisum peccatum, ut vult Calvinus; multo magis ante decretam Christi incarnationem. Quomodo ergo facta eſt in Chriſto, & in meritis Chriſti fundata? Videat Calvinus, quomodo hæc conciliet. Secundo, ſi electio facta eſt ante prævisionem omnium operum, quomodo docet alibi Calvinus, parvulos, qui ſine baptiſmo decedunt, ſalvari in fide parentum? An ergo parvuli infidelium pereunt, & fidelium ſalvantur? Hoc neceſſe eſt in doctrina Calvini. Ergo Deus in electione parvulorum habuit aliquem reſpectum ad fidem parentum. Quomodo ergo facta eſt electio ſine ullo intuitu operum?

4. Altera pars, qua aſſerit Calvinus, Deum æterno, & immutabili decreto quoſdam ad mortem deſtinaſſe ſine reſpectu, aut prævisione peccati originalis, aut actualis, impia, & hæretica eſt. Oppono ex ſcripturis tria contraria decreta. Primum, quo Deus ſtatuit totum humanum genus condere ad æternam felicitatem, & omnes eo perducere, quantum in ſe eſt, ſi ipſi ſuo vitio non impedirent. Alterum, quo decrevit non obligare hominem ad pœnam mortis, niſi præcepto Dei rebellis eſſet. Tertium, quo firmiter propoſuit magis ſuam bonitatem, & miſericordiam, quam juſtitiam, & ſeveritatem circa nos oſtendere. Ex his tribus decretis conſtabit falſum eſſe, quod aſſeruit Calvinus. Eſt autem hæc regula ſervanda, qua ſæpe utitur D. Aug. nos ea, quæ Deus ab æterno decrevit facere circa homines, optime ex iis cognoſcere, quæ in tempore circa nos facit. Cum enim nec temere quicquam faciat, ne decreta ſua mutet, certe ſi quid facit, hoc immutabili, & æterno conſilio decrevit facere. Hoc jacto fundamento, ſi oſtendero Deum in tempore creaſſe hominem ad æternam felicitatem, oſtenſum erit, Deum ab æterno hoc decreviſſe facere. Et ſic deinceps de cæteris.

5. Itaque primum ex ſcripturis oſtendo, Deum creaſſe hominem eo fine, non ut periret, ſed ut æternæ vitæ hæres ſcriberetur. Moyſ. Gen. 1. ſic habet: *Creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*. Quid eſt imago, & ſimilitudo Dei? plerique Patres ita diſtinguunt, ut per imaginem intelligantur dona naturæ, nempe intellectus, voluntas, memoria, liberum arbitrium, per ſimilitudinem vero dona gratiæ, ut juſtitia, ſanctitas, innocentia. Alii, ut etiam Calvinus, pro eodem uſurpant. Nolo de hoc diſputare. Accipio id in quo omnes conveniunt, utroque vocabulo comprehendi non ſolum dona naturæ, ſed etiam gratiæ. Itaque nihil aliud eſt, ad imaginem, & ſimilitudinem

Dei

Dei creatum eſſe hominem, quam in prima ſui conditione tum intellectu, voluntate, & libero arbitrio fuiſſe præditum, tum etiam ornatum gratia, virtute, & ſanctitate. Quo fine, & conſilio? nempe, ut his præſidiis inſtructus vitam æternam, ſi vellet, poſſet adipiſci. Neque hoc de ſolo primo parente, ſed de ejus poſteritate, quæ in ipſo tanquam in capite, & radice totius humani generis continebatur, accipiendum eſt. Tota ergo Adami poſteritas in prima ſui origine, ac ortu, ad æternam felicitatem a creatore fuit deſtinata: Nullus igitur ad mortem, ac interitum, ante lapſum primi parentis, divina voluntate mancipatus eſt. Hæc ratiocinatio per ſe clara eſt; & paſſim traditur a ſanctis Patribus, & ab ipſo Calvino aperte conceditur. Proferam ipſius verba. Libro 1. Inſtit. cap. 15. §.4. contra Oſiandrum docet, *Sub imagine, ad quam conditus eſt homo, comprehendi quidquid ad ſpiritualem, & æternam vitam ſpectat*. Et §.5. contra Manichæos, & Servetum contendit ex D. Paulo, *Non ſubſtantiæ influxu, ſed ſpiritus gratia, & virtute hominem fuiſſe Deo conformem*. Et §. 6. diſerte ait: *Hominem ad cœleſtis vitæ meditationem eſſe conditum*. Et §. 8. *Hominem in illo ſtatu, & integritate præditum fuiſſe libero arbitrio, quo ſi vellet, adipiſci poſſet vitam æternam*. Denique lib. 2. Inſt. c. 1. cum multa dixiſſet de fine, ad quem conditus eſt homo, nempe de æterna beatitudine, tandem §.7. dixit: *Ornamenta illa, quibus præditus fuit Adam, non uni homini data fuiſſe, ſed univerſæ hominis naturæ attributa*. Quid aliud colligas ex his Calvini verbis, quam, quod veriſſimum eſt, totum humanum genus in Adamo fuiſſe conditum ad æternam felicitatem? Quid ergo Calvino in mentem venit, ut poſtea lib. 3. Inſtit. cap. 22. & ſequentibus aperte docuerit, Deum primaria, & antecedente voluntate quoſdam ad interitum deſtinaſſe? Hoc enim cum altero cohærere non poteſt. Dicam, quod res eſt. Calvinus priori loco diſputabat contra Oſiandrum, Servetum, & ſimiles Hæreticos, quos refutare non poterat, niſi ex vera doctrina Catholicorum. At poſteriori loco Catholicos oppugnabat: quod aliter facere non potuit, niſi ex falſis principiis, aut certe male intellectis. Ego Calvinum ex Calvino convinco, & ex iis, quæ priori loco dixit, refello, quæ loco poſteriori aſſeruit.

6. Ut majorem vim habeat argumentum, ex D. Paulo confirmandum eſt. Is ſæpe, ac ſerio monet, ut per Chriſtum reformemur ad imaginem illius ſtatus, ex quo per peccatum primi parentis excidimus. Atqui formamur per Chriſtum juſtitia, & ſanctitate in vitam æternam: ergo talis fuit ſtatus hominis ante primam

mam prævaricationem. Audiamus verba Pauli ad Epheſ. 4. v. 23. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Renovari nihil aliud eſt, quam ad priſtinam novitatem redire. Priſtina novitas noſtra fuit in ſtatu innocentiæ. Tunc enim in primo parente eramus novi & corpore, & animo; corpore quidem immortales; & incorruptibiles: animo vero ſancti, innocentes, & divinæ participes amicitiæ. Hanc novitatem amiſimus per peccatum primi parentis, & cum illo in vetuſtatem delapſi ſumus. Hortatur ergo nos Apoſtolus, ut illam primævam novitatem recuperemus, non quæ fuit in corpore, ſed quæ in animo. *Renovamini*, inquit, *ſpiritu mentis veſtræ*. Corpore renovari non poſſumus, niſi in reſurrectione mortuorum, cum *corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem*. At Spiritu mentis & poſſumus, & debemus hic renovari. Sequitur, *Et induite novum hominem*. Hic præſcribit modum, quo debeamus renovari: nempe, ut induamus novum hominem, id eſt, ut abjiciamus vetera peccata, quæ ex Adami corruptione contraximus, & ſectemur novam vitam, quæ ſecundum Chriſtum eſt, *in juſtitia, & ſanctitate*. Hoc ſi facimus, jam redimus ad primævam illam novitatem ſpiritus, quæ fuit in ſtatu innocentiæ. Similis locus eſt ad Coloſſ. 3. 9. *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum*. Vetus homo eſt Adam; novus homo eſt Chriſtus. Veterem exuimus, quando in noſtris actionibus non amplius cernitur ſimilitudo peccantis Adami. Novum induimus, quando ita vivimus, ut Chriſtus in moribus, & converſatione noſtra manifeſte appareat. Ex utroque loco ſic argumentor. Quando per Chriſtum renovamur, id reparamus, quod in Adamo perdidimus. Reparamus autem gratiam, & ſanctitatem: ergo iſtam perdidimus in Adamo. Ergo antequam Adam peccaret, omnes eramus juſti, & ſancti coram Deo.

7. Habemus jam ex ſcriptura, hominem a Deo conditum eſſe ad vitam æternam. Nunc qua occaſione mors irrepſerit, videamus. Moyſes c. 2. Geneſ. v. 15. ſic ait: *Tulit Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Conſtat ex Scriptura triplicem eſſe mortem: unam corporis, quæ conſiſtit in amiſſione vitæ temporalis: alteram animæ, quæ infligitur per peccatum lethiferum: tertiam damnationis,

nis, quæ poſita eſt in privatione vitæ æternæ, & inflictione pœnæ æternæ. Sunt ergo, qui velint prædictum locum Geneſis intelligendum eſſe de morte animæ dumtaxat; ut Pelagiani, teſte Auguſtino, libro primo de peccatorum meritis, & remiſſ. c. 2. Alii de morte corporis, ut Auguſtinus loc. cit. & D. Hieronymus in quæſt. Hebraicis. Alii denique de triplici morte, ut idem Auguſtinus lib. 13. de civ. Dei c. 12. nempe de morte animæ per amiſſionem gratiæ: de morte corporis per amiſſionem vitæ: & de morte damnationis per amiſſionem gloriæ. Hæ enim ita connexæ ſunt, ut una ſit cauſa alterius. Senſus ergo erit: Præcipio tibi, Adam, ne comedas de hoc ligno. Si parueris, manebis apud me in gratia, & amicitia cum tuis poſteris: nulli eris corruptioni obnoxius; vitæ æternæ hæreditatem adibis: ſin minus, contra omnia evenient: amittes gratiam; reverteris in pulverem; a regni poſſeſſione excluderis. Elige, quod vis: utrumque eſt in tua poteſtate, *vita, & mors, bonum, & malum: Relinquo te in manu conſilii tui*. Hic ſenſus verborum eſt, ex quo ita colligo: Adam in perſona totius poſteritatis potuit ſervare præceptum Dei, & potuit tranſgredi: ergo ſicut libere tranſgrediendo traxit ſecum omnes poſteros in ſententiam mortis; ita libere obtemperando ſe, & poſteros a morte vindicaſſet. Deus ergo non deſtinavit hominem ad mortem pro ſuo libito; ſed mors ex peccato ſequuta eſt. Et hoc paſſim inculcat Scriptura, Sap. 1. 13. *Deus mortem non fecit*. Et capite 2. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem: invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Et Roman. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*. Et 1. Corinth. 15. 22. *In Adamo omnes moriuntur*. Hæc teſtimonia adeo perſpicua ſunt, ut nullo modo eludi poſſint. Huc ſpectat illud Auguſtini libro primo de prædeſtinatione Dei cap. 1. *Creavit Deus hominem, & prædeſtinavit, ut ſi obediens eſſet, ac a guſtu vetiti pomi ſe abſtineret, in vita permaneret: ſi autem inobediens eſſet, ſententiam mortis ſubiret*. Et infra; *Quia ergo peccavit homo, juſtum erat, ut moreretur: ſi non peccaret, nullo vinculo prædeſtinationis divinæ morti alligaretur*. Sed quid moror in re clara? Calvinus ipſe diſerte hoc fatetur. Nam libro ſecundo inſtitution. capite primo, §. 10. ait: *A carnis noſtræ culpa, non a Deo noſtra perditio eſt, quando non alia ratione perivimus, niſi quia degeneravimus a prima noſtra conditione*. Et ibidem: *Homini tantum ſuum exitium adſcribendum apparet, cum Dei benignitate rectitudinem adeptus ſua ipſa dementia in vanitatem delapſus eſt*. Hæc veriſſime dicuntur a Calvino, ſed male cohærent cum

iis,

iis, quæ poſteà docuit de prædeſtinatione ad mortem. Nempe hic mos hæreticorum eſt, ſæpe a ſeipſis diſſentire, & pugnantes opiniones tueri, ut nocere poſſint.

8. Satis jam opinor oſtenſum eſt, nec morti, nec damnationi fuiſſe locum in ſtatu innocentiæ, antequam peccaret Adam, ſed ex ejus libera prævaricatione debitum mortis ſequutum eſſe, non autem ex mera Dei voluntate. Falſa igitur eſt Calvini propoſitio, Deum creaſſe quoſdam ad mortem, & interitum ſine præviſione ullius culpæ: & olim tempore Auguſtini hæretica habita eſt. Erat inter Auguſtinum, & Semipelagianos de prædeſtinatione contentio. Hi, ut aliquam illi labem aſpergerent, collegerunt quoſdam articulos aperte hæreticos, & falſo illi impoſuerunt. Auguſtinus tanquam ſpurios rejicit, & condemnat. Tertius illorum ſic habet; *Quod Deus majorem partem generis humani ad hoc creat, ut illam perdat in æternum*. Plane articulus Calviniſticus eſt. Ab Auguſtino repellitur his verbis: *Omnium quidem hominum Deus creator eſt, ſed nemo ab eo ideo creatus eſt, ut pereat; quia alia cauſa eſt naſcendi, alia pereundi. Ut enim naſcantur homines, eſt beneficium: ut autem pereant, prævaricatoris eſt vitium*. Audi cenſuram Auguſtini de hoc articulo; Et tamen à Calvino recipitur, ſpurius à ſpurio, Hæreticus ab Hæretico.

9. Supereſt tertium argumentum ad Calvinum refutandum, quo oſtendam Deum decreviſſe, magis ſuam bonitatem, & miſericordiam circa nos oſtendere, quam juſtitiam, & ſeveritatem. Hoc paſſim clamant Scripturæ. Pſalm. 24. 10. *Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*. Et Pſal. 32. 5. *Miſericordia Domini plena eſt terra*. Et Pſalm. 135. verſ. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus*. Et Pſalm. 144. 9. *Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*. Ex his locis ſic argumentor: Deus non ſolum circa prædeſtinatos, ſed etiam circa reprobos magis clemens, & miſericors, quam juſtus, & ſeverus eſt, Scriptura teſte: ergo qui hoc negat, impius eſt. At Calvinus negat: impius ergo eſt. Oſtendo. Ex Calvini ſententia pauculi prædeſtinati ſunt, nempe ipſe Calvinus, Beza, & horum aſſeclæ; cæteri omnes reprobi. Rurſus ex ejuſdem ſententia circa ſolos prædeſtinatos exercet Deus miſericordiam: circa reprobos non niſi juſtitiam, & ſeveritatem. Hos enim indicta cauſa devovet æternæ morti, incitat ad peccatum, ut occaſionem habeat puniendi; deſerit, ac deſtituit omni præſidio gratiæ, nullum paterni animi ſignum illis exhibet: ergo ex Calvini ſententia Deus

circa

eir 1 nos magis exercet ſeveritatem, quam miſericordiam. Imo ex Calvini ſententia Deus crudelis eſt, quippe qui hominem innoxium, & innocentem ſempiternis devovet cruciatibus. Si Rex aliquis, mera ſua voluntate, & dominandi libidine, nulla ſubditorum culpa provocatus pleroſque in rotam agere, aut in perpetuos compingere carceres, apud ſe animo decernat, Regem hunc, an Tyrannum dixeris? Perinde nobiſcum agit Deus, Calvino teſte. Qui in ſacris litteris verſati ſunt, mirantur edictum Regis Aſſueri, quod Aman Judæorum hoſtis extorſit: Erat ſane crudele edictum, quo tota Judæorum gens interfici jubebatur. At quanto crudelius decretum Dei, quod Calvinus extorſit, hoſtis bonorum omnium! Hoc decreto non una gens, ſed populi omnes, ac nationes cujuſcumque generis, ac ſexus, in Europa, Aſia, Africa, quotquot unquam fuerunt, ſunt, aut erunt, æternis addicuntur cruciatibus; ſolo Calvino, aliiſque pauculis in Septentrione exceptis. Mirum ni Calvino eveniat, quod Amano accidit. Is patibulo, quod alteri paraverat, ipſe affixus eſt, Judæi incolumes evaſerunt. Non plura.

10. Sed proſequor argumentum de miſericordia Dei. Hortatur nos Chriſtus Lucæ 6. ut benigni, & miſericordes ſimus, non tantum erga eos, qui nos diligunt, ſed etiam erga inimicos. Ad hoc ſuadendum utitur duplici argumento. Uno, quia ſi noſtra benignitas, ac miſericordia ad ſolos amicos ſe extendit, nihil diſcrepamus a gentilibus: Altero, quia cum ſimus filii Dei, debemus imitari Patrem noſtrum, qui etiam ſuper ingratos, & malos benignus eſt. Hic quæram ex Calvino, in quo conſiſtat hæc benignitas Dei circa malos, & ingratos? An eo benignus eſt, quia ad mortem, & damnationem eos creavit, nulla ipſorum culpa provocatus? An quia impellit illos, ut peccando laqueum ſibi parent, quo ſuſpendantur, aut ignem ſuſcitent, quo æternum crucientur? ſi hæc miſericordia eſt, quam imitari debemus, fateor Calvini diſcipulos in hac ſchola bene profeciſſe. Multo aliter Scriptura hanc miſericordiam interpretatur. Nempe; quia Deus toti humano generi dedit Redemptorem, & cum jure poſſet omnes perdere, voluit potius omnes a Diaboli poteſtate vindicare, omnes ad ſe invitare, hortari ad pœnitentiam, pulſare oſtium, patienter expectare, offerre gratiam, promittere gloriam, denique nihil non facere, quod filii ab indulgentiſſimo patre expectare poſſunt. Hæc Dei circa omnes miſericordia eſt, quam teſtatur per Prophetas, & Apoſtolos. Hæc in nobis excitat ſpem, & fiduciam in

Deum.

Deum. Hæc neminem, quantumvis flagitiis occupatum, patitur de venia deſperare. At illa Calviniana miſericordia quid aliud eſt, quam præcipitium deſperationis? Quam fiduciam habeat peccator, qui a Calvino didicerit, ſe jam ab æterno morti deſtinatum eſſe: nullum a Deo ſubſidium ſperare poſſe: omnes labores a ſe ſuſceptos eſſe irritos, & inanes? Cavete ab hoc præcipitio.

11. Rejecta eſt ſententia Calvini de reprobatione ad mortem, & interitum ante prævifionem peccati originalis. Et in hac re nullum Catholicum auctorem pro ſe habet. Nullus enim docet, reprobationem factam eſſe ante prævifum peccatum primi parentis. An autem aliqui reprobati ſint propter ſolum peccatum originale, & in maſſa perditionis relicti; nonnulla diſſenſio eſt. Et quidem ſi de parvulis ſit quæſtio, conſtat eos reprobari propter ſolum peccatum originale, cum quo ex hac vita ante uſum rationis decedunt. Neque de hac re dubium eſſe poteſt, ut in Scholaſtica Theologia dictum eſt. Si autem quæratur de adultis, an illi deſerantur a Deo, & relinquantur in maſſa perditionis propter ſolum originale, & ſine ullo reſpectu, aut prævifione peccatorum actualium, quæ propria voluntate commiſſuri ſunt, diſputant Theologi. Ego cenſeo, ne quidem poſt lapſum Adami Deum tam ſevere de nobis ſtatuiſſe. Nam paſſim Sacræ Scripturæ teſtantur, Deum, quantum in ſe eſt, & ex parte ſuæ voluntatis neminem prorſus velle perire; potius velle omnes ſalvos fieri, & ſi quis pereat, non Dei voluntate, ſed ſua culpa perire. Loca clara, & obvia ſunt. 1. Timoth. 2. verſ. 4. *Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. 2. Petri 3. 9. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Ezech. 18. verſ. 32. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini, & vivite*. Et Oſeæ 13. 9. *Perditio tua Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum*. Sed quidquid de hac re ſit, de qua alibi, mihi jam ſatis eſt, refutaſſe Calvini errorem, qui ante prævifum peccatum originale cenſet quoſdam ad mortem prædeſtinatos eſſe. Hoc enim & crudele eſt, & ſacris litteris, ac communi Catholicorum ſenſui contrarium, & apertam deſperationem ingerit.

12. Catholica ſententia eſt: Deum ex ſe, & ſua bonitate creaſſe hominem cum tota poſteritate eo fine, ut omnes ſalvi fierent, ideoque dediſſe omnia ea præſidia naturę, & gratię, quę ad illum finem conſequendum erant neceſſaria. Quod autem exciderimus ab eo fine, & multi ex nobis reprobentur, id non Dei ordinatione,

ſed

ſed noſtro vitio accidiſſe. Hoc ſenſu Chryſoſt. Damaſcenus, D. Thomas, & alii paſſim diſtinguunt duplicem in Deo voluntatem; unam primariam, & antecedentem, quæ ex ſolo Deo ortum habet, & antecedit noſtra opera; alteram ſecundariam, & conſequentem, quæ ex nobis occaſionem ſumit, & conſequitur noſtra opera. Illa prior eſt voluntas bonitatis; hæc poſterior eſt juſtitiæ. Deus ergo primaria, & antecedente voluntate vult omnes homines ſalvos fieri, qui non ſupplicii, aut cruciatus cauſa, ſed ut ipſius bonitatis participes eſſemus, nos effinxit. At voluntate ſecundaria, & conſequente vult aliquos damnare, & punire, quia ſcilicet peccando occaſionem dederunt. Hoc breviſſime, & eloquentiſſime expreſſit Tertullianus in libro de reſurrectione carnis, cum ait: *Deus de ſuo optimus, de noſtro juſtus*. Item explicari ſolet exemplo Judicis, qui voluntate primaria, quia vir bonus eſt, vult omnes cives ſalvos, & incolumes vivere: at ſi videat quenquam peccare, voluntate ſecundaria, & conſequente, quia juſtus eſt, vult illum punire.

13. Sat multa de prima Calvini propoſitione. Antequam progrediar, præcipua Calvini objectio ſolvenda eſt. Robur, & firmamentum ipſius eſt in epiſtola ad Romanos cap. 9. Inde enim colligit reprobationis non aliam eſſe cauſam, quam Dei voluntatem. Primo ex illo: *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau odio habui*. Secundo ex illo, *non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*. Tertio ex illo, *In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam*. Quarto ex illo, *Cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat*. Quinto ex illo, *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Sed hæc loca nihil juvant Calvinum. Primo, quia agunt de homine corrupto per peccatum originale, ut omnes Patres explicant. At Calvino probandum eſt, Deum reprobaſſe quoſdam ante prævisum peccatum originale. Secundo, quia agunt de reprobatione a gratia. At Calvinus vult probare, quoſdam rejici a gloria ante prævisa peccata. Nihil ergo ad cauſam Calvini pertinent hæ ſcripturæ.

14. Hoc paulo fuſius explicandum eſt. Deus circa reprobos exercet quatuor actus. Primo, permittit eos labi in peccatum. Secundo, permittit eos perſeverare, & mori in peccato. Tertio, excludit eos a regno. Quarto, addicit æternis pœnis. Jam ergo,

 quan-

quando Calvinus loquitur de reprobatione, loquitur de tertio, & quarto actu. Quærit enim, quare Deus aliquos prædeſtinavit ad damnationem? Reſpondet, non aliam eſſe cauſam, niſi meram Dei voluntatem. Hoc ergo illi probandum eſſet ex locis D. Pauli citatis, quod tamen facere non poteſt. Oſtendo. Scribit Paulus ad Rom. qui mixti erant ex Judæis, & gentibus. Judæi efferebant ſe propter legem, & circumciſionem. Paulus conatur eos retundere. Itaque c. 9. 10. & 11. oſtendit Judæos in nova lege excludi a gratia Euangelica, gentes admitti. Poterant objicere Judæi, quare nos repellimur, & gentiles admittuntur? nobis facta eſt remiſſio, non illis. An promiſſio Dei ſemel facta poteſt irritari? reſpondet D. Paulus, promiſſionem firmam eſſe, ſi bene intelligatur. Abraham credidit Deo aſſerenti fore, ut in ſenectute acciperet filium. Propter hanc fidem facta eſt illi promiſſio, Meſſiam ex ipſo naſciturum. Hæc promiſſio ſicut facta eſt Abrahamo propter ſingularem ipſius fidem, ſic etiam pertinet ad filios Abrahæ, qui Patris ſui fidem ſunt imitaturi. At Judæi, quando jam natus erat Meſſias ex poſteris Abrahæ, noluerunt credere in Chriſtum Meſſiam, & ideo non pertinet ad eos promiſſio. Poſſunt igitur, ſalva promiſſione, excludi a gratia Euangelica propter incredulitatem. Hic eſt ſcopus Apoſtoli.

15. Quid hinc concludet Calvinus? Nihil ad rem ſuam. Primo, quia Judæi repulſi ſunt a gratia Euangelica: Calvinus loquitur de reprobatione a gloria. Secundo Judæi reprobati ſunt non ex ſola Dei voluntate, ſed propter incredulitatem: Calvino probandum eſt, reprobationem fieri ſola Dei voluntate, ſine noſtris peccatis. Reliqua, quæ ſunt in c. 9. eo ſpectant, ut Apoſtolus oſtendat, Deum pro ſuo arbitrio inæqualiter diſtribuere ſua dona. Poterant enim dicere Judæi, non ſolum ſe, ſed etiam Gentiles eſſe peccatores, ac proinde parem eſſe utrorumque cauſam; nec ſe magis, quam illos excludi oportuiſſe. Reſpondet D. Paulus, Deum in pari duorum cauſa poſſe uni plus largiri, quam alteri. Par erat cauſa Jacobi, & Eſau; & tamen Deus unum alteri prætulit in temporali benedictione. Quare? quia ſic illi viſum eſt. Par erat cauſa Pharaonis, & Nabuchodonoſoris; & tamen alterius miſertus eſt Deus, alterum reliquit obduratum. Quæ cauſa? Dei voluntas. *Miſeretur cui vult, indurat, quem vult.* Et ex duobus peccatoribus, qui luto viliores ſunt, alterum aſſumit ad gratiam ex miſericordia: alterum relinquit in peccato ex juſtitia. Hinc duo colligas. Unum eſt, ſi comparate quæras, cur e duobus peccatoribus, ſive ſolo originali, ſive etiam actuali peccato infectis, Deus uni

ma-

majorem exhibeat miſericordiam, quam alteri? non aliam eſſe cauſam, quam Dei voluntatem. Huc ſpectat illud: *O altitudo,* &c. Nec de hoc contendimus cum Calvino. Alterum eſt, ſi ſeorſim quæras; cur Deus hunc, aut illum repellat a juſtitia, vel gloria? veram cauſam eſſe, quia peccator, & impius eſt: In hoc diſſentimus a Calvino. Nobis favet Apoſtolus. Quæram enim, cur Judæi repulſi ſunt a gratia Euangelica? Reſpondet Paulus, c. 1. v. 20. *Propter incredulitatem.* Favet Auguſtinus: ſi quæram, quare Deus odio habuit Eſau? Reſpondet lib. 1. ad Simplician. c. 2. *Deus non odit Eſau hominem: ſed odit Eſau peccatorem.* Quare Deus hujus, aut illius non miſeretur? reſpondet ep. 105. *Quibus Deus miſericordiam non impertitur, ut non impertiatur, merentur.* Quare Deus indurat aliquos? reſpondet ibidem: *Quærimus meritum indurationis, & invenimus.* Denique favet ipſe Chriſtus in Euangelio: *Ite maledicti in ignem æternum.* Quare? *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.*

QUÆSTIO II.

An hoc decretum Dei ita ſit immutabile, ut tollat arbitrii noſtri libertatem, & inevitabili neceſſitate hi ſalventur, illi pereant?

1. Affirmat Calvinus libro 3. cap. 21. §. 7. his verbis: *Dicimus æterno, & immutabili conſilio Deum ſemel conſtituiſſe, quos olim aſſumere vellet in ſalutem, quos rurſum exitio devovere.* Et cap. 23. §. 8. *Hic ad diſtinctionem voluntatis, & permiſſionis recurritur, ſecundum quam obtinere volunt, permittente modo, non autem volente Deo, perire impios.* Et paulo poſt: *Non dubitabo igitur cum Auguſtino ſimpliciter fateri, voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem, atque id neceſſario futurum eſſe, quod ille voluerit.* Ex his locis tria habemus. Primo, decretum Dei eſſe immutabile. Secundo, nihil fieri permittente Deo, ſed volente. Tertio, voluntatem Dei eſſe neceſſitatem rerum. Hinc formo talem diſcurſum: Omnia quæcunque fiunt, Deo volente fiunt: voluntas Dei eſt neceſſitas rerum: ergo omnia neceſſario fiunt: ergo tollitur omnis libertas in negotio prædeſtinationis, & reprobationis. Ergo alii neceſſario pereunt, alii neceſſario ſalvantur.

2. In his paucis multa abſurda ſunt. Primo, quod aſſeritur, nihil fieri permittente Deo, ſed omnia volente. Nam ſi ita eſt, jam Deus non ſolum permittit fieri peccata, ſed etiam vult fieri. Quod Calvinus quidem impie concedit, oſtendam tamen infra

 falſum

falſum eſſe. Secundo, quod additur, *voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem*. Hinc enim ſequeretur, omnia fieri neceſſario, etiam in rebus civilibus, & domeſticis, quod pugnat cum experientia. Tertio, quod obtenditur, hanc eſſe Auguſtini ſententiam, hæc mera deceptio eſt. Citat quidem Calvinus locum Aug. lib. 6. de Gen. ad lit. c. 15. ſed non recte interpretatur. Nam Auguſtinus ibi agit de creatione mundi, & primorum parentum; & docet primam illam creationem non fuiſſe in poteſtate creaturæ, ſed in placito Creatoris: *Cujus*, inquit, *voluntas rerum neceſſitas eſt*. Ubi notandum eſt, hæc duo plurimum differre; non eſſe in poteſtate hominis, antequam creatus eſt, ut hoc, vel illo modo creetur, & non eſſe in poteſtate hominis, poſtquam creatus eſt, ut bene, vel male agat. Illud primum verum eſt, & aſſeritur ab Auguſtino. Hoc poſterius falſum eſt, & obtenditur a Calvino.

3. Nolo hic ſingula ſeorſim refutare. Unum perſequar, quod caput eſt, de neceſſitate, & libero arbitrio. Aſſerit ergo Calvinus, nullum eſſe locum libero arbitrio, ſed omnia fieri neceſſitate. Hæc aſſertio hæretica eſt, rationi, & ſacris literis contraria. Olim fuit Auguſtino ab adverſariis falſo impoſita, ut patet ex D. Proſpero in libello ad capitula Gallorum, cap. 6. ubi ſic habet: *Quod liberum arbitrium in homine nihil ſit, ſed ſive ad bonum, ſive ad malum, prædeſtinatio Dei in hominibus operetur*. Hic articulus plane Calviniſticus eſt. Sed quid reſpondet Proſper pro Auguſtino? Audi, ſic habet: *Prædeſtinationem Dei ſive ad bonum, ſive ad malum in hominibus operari, ineptiſſime dicitur*, &c.

4. Et vero ſi omnia fiunt neceſſario, quæcunque fiunt, quorſum præcepta Dei, & hominum? Fruſtra Reges, & Imperatores figunt mandata: fruſtra ſcelera inhibentur: fruſtra parentes jubent filios ſtudioſos, ac ſubjectos eſſe: fruſtra Calvinus, & alii miniſtri aſcendunt pulpita, populum hortantur, fidem excitant. Quid enim ſperare, aut ſpectare poſſunt? ſi ab æterno decrevit Deus, quid ab unoquoque fieri velit, & hoc neceſſario futurum eſt: certe quidquid agas, aut moliaris, impedire non potes. Vide, Calvine, quo hominum cogitationes perducas. Nec ſolum in Prælatis, & Superioribus inanis erit labor mandandi, hortandi, increpandi, ſed etiam in ſubditis neceſſe eſt concidat omnis ſollicitudo, & bene agendi ſtudium. Quis enim audiat, æterno, immutabili Dei decreto ſibi fixam eſſe aut vitam, aut mortem, quin protinus in mentem veniat, nihil intereſſe, quomodo ſe gerat, quando ſuo opere nihil aut impediri, aut

pro-

promoveri queat Dei prædeſtinatio? Ita omnes projicient ſe, & deploratum in morem, quocunque libido tulerit, præcipites ibunt. Inſuper, ſi ita res habet, cur puniuntur adulteria, furta, homicidia, quæ evitari non poſſunt? aut cur ea vitia hominibus imputantur, quorum neceſſitatem Deus ſua prædeſtinatione impoſuit? Quid enim facerent? an cum decretis Dei luctarentur? At fruſtra id facturi ſunt, ſi omnino facere non poſſint. Ecce, ad quæ abſurda devolvimur ex uno errore Calvini. Nec vero Calvinum hoc latuit. Nam lib. 3. cap. 23. objicit ſibi hæc argumenta, quæ revera firmiſſima ſunt. Quid porro reſpondet? Nihil aliud, quam quod declamitando conatur perſuadere, ut ab hujuſmodi cogitationibus animum abducamus, nec hujuſmodi res in diſputationem vocemus. Nimirum vellet Calvinus, ut ſibi quantumvis abſurda ſentienti, ac docenti, ſimplici animo fidem habeamus, nec quæ aſſerit, in dubium vertamus. At fruſtra. Vel enim ſperat ſe hoc conſequi poſſe, quod petit; vel diffidit. Si ſperat, ſuis ipſe principiis repugnat: quia cum omnia quæcunque facimus, neceſſario eveniant, auctore Calvino, nihil nobis liberum relinquitur, in quo ipſi gratiam præſtemus. Si diffidit, quorſum conatur? cur oleum, & operam perdit? Nos interea pergamus libere eum refutare, & errores illius in apertam lucem proferre.

5. Dixi, quid Calvinus ſentiat de decreto prædeſtinationis. Quid porro nos ſentiamus, paucis explicabo. Ac primo non agnoſcimus ejuſmodi ferum, ac terribile decretum, quo aliis vita, aliis exitium ſtatutum ſit citra ipſorum meritum, aut culpam, ſed longe aliud, quod bene agentibus præmia, male agentibus ſupplicia prædeſtinata ſint. Secundo aſſerimus, hoc decretum eſſe quidem immutabile, ſed nullo modo pugnare cum libertate arbitrii. Exemplo rem declaro. Si Princeps firmiter decernat, omnes ſibi fore amicos, qui ſibi obtemperent in rebus licitis, & honeſtis, qui autem nolint, & reſpuant, exilio mulctatum iri; an per hoc decretum, quantumvis fixum, & immotum, ſublata ſit ſubditorum libertas? Minime. Atqui ſic nobiſcum agit Deus.

6. Altius repetam, & ſummam totius rei ad paucula revocabo. Ac primo ſtatuendum eſt, hominem cum plena libertate arbitrii creatum eſſe, eaque fuiſſe præditum in ſtatu innocentiæ. Hoc expreſſe docet Calvinus libro 1. Inſtit. cap. 18. §. 8. quamvis aperte pugnet cum ipſius principiis paulo ante poſitis. Si ergo tunc habuit liberum arbitrium, & modo non habet; quæſtio eſt, quomodo amiſerit? An per peccatum, an alio modo? multa enim ſunt, quæ videntur libertati repugnare. 1. Peccatum

originale. 2. Peccatum actuale. 3. Gratia Dei. 4. Præſcientia Dei. 5. Voluntas Dei. 6. Providentia, & prædeſtinatio Dei: Si oſtendam nullo horum ſublatam eſſe arbitrii libertatem, ſalva nobis, & integra permittenda eſt.

7. Aſſerimus ergo primo, liberum arbitrium non eſſe ſublatum per peccatum primi parentis. Hoc definitum eſt in Concilio Tridentino Seſſ. 6. can. 5. & aperte conſtat ex Scripturis, Num. 30. 14. *In arbitrio viri erit, ſive faciat, ſive non faciat.* Et Deuter. 30. 19. *Teſtes invoco hodie cælum, & terram, quod propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut vivas.* Et Joſue 24. 15. *Sin autem malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis, optio vobis datur. Eligite hodie, quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis.* Et 2. Reg. 24. 12. *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi.* Et Eccleſiaſt. 31. v. 10. *Quis eſt probatus in illo? Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Et Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Et Apocal. 3. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Hæc loca intelligenda ſunt de homine poſt peccatum ab Adamo commiſſum; ergo homo in tali ſtatu habet arbitrium faciendi, & non faciendi; habet electionem vitæ, & mortis; poteſt tranſgredi præcepta, & ſervare; poteſt Deo vocanti obedire, & reſiſtere. Nihil ergo deeſt illi, quominus habeat libertatem arbitrii. Sed quid quærimus teſtimonia ex Scriptura, & Conciliis? Convincit nos ratio. Non amiſimus naturam, ſed gratiam. Convincit experientia. Quotidie pro arbitratu ſurgimus, aut ſedemus; ambulamus, aut quieſcimus; ſilemus, aut loquimur; conſentimus proximo, aut repugnamus. Hæc experientia tam certa eſt, ut alio argumento opus non ſit; recteque dixit Scotus, non rationibus, ſed verberibus refutandum eſſe, qui arbitrii libertatem neget. Nam eo uſque fuſtibus contundendus eſſet, donec fateretur in noſtra ſitum eſſe poteſtate, a verberando abſtinere. Quod ſi de injuria ſibi facta conquereretur, occurrendum eſſet, fruſtra conqueri, ſi nihil libero arbitrio, ſed omnia neceſſitate geruntur.

8. At objicies, ſi non penitus extinctum, ſaltem magna ex parte labefactatum eſt liberum arbitrium ex peccato primi parentis. Reſpondeo cum diſtinctione: ſi naturales ejus vires ſpectemus, nihil eſt labefactatum; ſi dona ſupernaturalia, quibus in ſtatu innocentiæ erat ornatum, fatemur iis ſpoliatum eſſe per peccatum Ada-

Adami: ac proinde non poſſe tam multa præſtare, quam ſi iiſdem donis adhuc inſtructum eſſet. Hoc ſenſu dixit Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 2. *Liberum arbitrium non quidem extinctum eſſe, ſed tamen viribus attenuatum*. Non eſt extinctum, quia retinuit vires naturales: attenuatum eſt, quia ſpoliatum eſt donis ſupernaturalibus. Hinc apparet, nos ex una parte diſſentire a Pelagianis, ex altera a Calviniſtis. Pelagiani dicebant, liberum arbitrium nullo modo lęſum eſſe. Calviniani clamant, omnino extinctum eſſe. Catholici docent, labefactatum eſse quoad ſupernaturalia; integrum manſiſſe quoad naturalia. Semper Eccleſia media inter duos hęreticos, ſicut Chriſtus inter duos latrones, crucifigitur, ut ait Tert.

9. Sed objicitur parabola de eo, qui incidit in latrones: Is non ſolum ſpoliatus eſt veſtibus, ſed etiam in carne plagas accepit, atque ita ſemivivus relictus eſt. Similiter liberum arbitrium non tantum ſpoliatum eſt donis ſupernaturalibus, quibus veſtitum erat, ſed etiam in ſua natura vulneratum eſt, & quaſi ſemivivum relictum. Sane Divus Thomas enumerat quatuor vulnera, quę illi inflicta ſunt, ſcilicet ignorantiam, malitiam, infirmitatem, concupiſcentiam. Reſpondeo. Illa parabola habet alium ſenſum literalem, alium myſticum. Myſticus pro argumento inducitur. Eum Patres ſic explicant: Homo, qui ab Hieruſalem in Jericho deſcendebat, eſt Adam cum ſua poſteritate: Hieruſalem erat in monte, Jericho in valle: Hieruſalem viſionem pacis, Jericho Lunam ſignificat. Adam ergo ab Hieruſalem, id eſt, a gratia Dei, & a ſublimi dignitatis gradu, in quo conditus erat, deſcendit in Jericho, id eſt, in abjectum ſtatum peccati; atque ita amiſsa pace animi factus eſt mutabilis, ſicut Luna: Latrones, in quos incidit, dęmones ſunt, qui eum primo ſpoliaverunt gratia: deinde etiam vulneraverunt. Sacerdos, & Levita, qui eadem via pręteribant, Lex Moſaica eſt, quę hominem non ſanavit. Samaritanus eſt Chriſtus, qui miſericordia motus poſuit hominem vulneratum in equum, id eſt in humanitatem ſuam, & deduxit in hoſpitium, id eſt, in Eccleſiam. Vulnera ejus lavit vino, id eſt, ſuo ſanguine, & unxit oleo, id eſt, miſericordia, & charitate. Diſcedens vero, id eſt, in cœlum rediens, commiſit illum ſtabulario, id eſt, Petro Vicario ſuo, cui etiam corporis, & ſanguinis ſui pretium diſpenſandum reliquit. Hic eſt parabolę ſenſus myſticus, quem omnes fere Patres attigerunt. Jam quęritur, quomodo Adam non ſolum ſpoliatus ſit, ſed etiam vulneratus. Res facilis eſt. Triplicia erant dona ſupernaturalia in Adamo. Pri-

mo gratia, & charitas, quæ reddebant illum juſtum, & gratum Deo. Secundo, juſtitia originalis, quæ domabat carnis, & appetitus ſenſitivi rebellionem, & utrumque rectæ rationi ſubjiciebat. Tertio, corporis incorruptio, & immortalitas, quæ excludebat omnem læſionem, & fatigationem corporis. His ſublatis per peccatum, non ſolum non potuit præſtare opera ſupernaturalia, & meritoria, quæ requirunt gratiam, & charitatem: ſed neque tam facile, & commode potuit exercere moralia, & civilia, quæ alioqui gratiam non requirunt. Nam ſublata juſtitia originali, cœpit caro repugnare rationi; ſublata incorruptione, cœperunt organa corporis deſtrui, & fatigari. Atque hoc ſenſu vires naturales liberi arbitrii dicuntur accepiſſe plagam, non quod in ſe vulneratæ ſint, ſed quia infirmiores factæ ex amiſſione illorum donorum. Et hoc eſt, quod ſignificat D. Th. per quatuor vulnera. Sunt enim quatuor potentiæ animæ, ſcilicet intellectus, voluntas, & uterque appetitus ſenſitivus, alter iraſcibilis, alter concupiſcibilis. In intellectu erat prudentia: in voluntate charitas, & juſtitia: in iraſcibili fortitudo: in concupiſcibili temperantia. Hæ virtutes ablatæ ſunt per peccatum; & ideo potentiæ illæ non quidem in ſe, & in ſuis naturalibus læſæ ſunt, ſed tamen infirmiores factæ, propter privationem ſupernaturalium. Idem docet D. Auguſt. lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum c. 2. cum ait: *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit arbitrium de humano genere? Libertas periit quidem per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.* Hic Auguſtinus ſignificat periiſſe libertatem gratiæ, non libertatem naturæ.

10. Aſſerimus ſecundo, liberum arbitrium, quoad vires ſuas naturales, non tolli per peccata actualia, quæ quis propria voluntate committit: Ac proinde hominem peccatorem poſſe libere agere, non quidem opera meritoria, & ſupernaturalia ſine gratia Dei, ſed tamen opera moralia, & naturalia. Hæc aſſertio non indiget nova probatione, quia ex dictis convincitur. Proferam tantum exempla ad confirmandum. An non Cain erat peccator? & tamen illi dictum eſt a Deo; *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Et David nonne peccato erat obſtrictus, quando ei dictum eſt: *Trium tibi datur optio: elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi.* An non illi, qui quotidie peccata peccatis accumulant, peccatores ſunt? & tamen nova peccata committunt, quod ſine libertate fieri non poteſt. Nam ut ait Aug. lib. de vera relig. c. 14. *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.*

Et

Et infra: *Et quoniam peccari dubium non eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium*. Et in lib. de duabus animabus c. 11. cum dixiſſet, peccatum non committi, niſi ab eo, qui libero arbitrio præditus eſt, ſubjicit hæc verba: *Nonne iſta cantant & in montibus Paſtores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, antiſtites in locis ſacris; & in orbe terrarum genus humanum?* Addo ego, ſed non Calviniſtæ in pulpitis. Illud hic notandum eſt ex D. Thoma, quod licet homo non perdat liberum arbitrium per peccatum actuale, tamen ſæpius peccando acquirit habitum quendam, ac propenſionem ad peccata incitantem; atque ideo difficilius fertur in bonum, quam ſi non peccaſſet.

11. Aſſerimus tertio, liber. arbitr. non tolli, ſed adjuvari per gratiam Dei. Eſt autem triplex gratia Dei. Prima præveniens, ſeu excitans. Secunda adjuvans. Tertia juſtificans. Præveniens non tollit libertatem, quia, ut optime definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. & can. 4. homo libere aſſentitur, & cooperatur gratiæ excitanti, ita ut poſſit diſſentire, & eam rejicere, ſi velit: quod niſi eſſet, quare Scriptura tam anxie nos moneret, ut Deo vocanti, & excitanti conſentiamus? Zach. 1. Joelis 2. Ezech. 18. *Convertimini, & agite Pœnitentiam*. Quare nobis imputaret, quando non conſentimus? Jer. 7. 13. *Vocavi vos, & non reſpondiſtis*. Et Iſa. 50. 2. *Vocavi, & non erat, qui audiret*. Et Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* Denique, quare ſtaret ad oſtium cordis noſtri, pulſans, & expectans, donec aperiamus? Apoc. 3. 20. *Sto ad oſtium, & pulſo*. Ex his omnibus ſic concludo: Quando Deus excitat peccatores ad pœnitentiam, vel liberum eſt illis converti, vel non eſt. Si eſt liberum: ergo gratia excitans non tollit libertatem. Si non eſt liberum: ergo ſuperfluæ ſunt minæ, admonitiones, & increpationes divinæ. Jam de gratia adjuvante idem ſtatuo, & ratio ſumitur ex dictis. Nam ſi libere conſentimus gratiæ excitanti, ut probatum eſt; conſentimus autem per gratiam adjuvantem, certe gratia adjuvans non tollit libertatem. Idem alio modo oſtendi poteſt. Nam hæc gratia nihil aliud eſt, quam ſupernaturalis concurſus Dei ad opera noſtra ſupernaturalia, & perinde ad illa ſe habet ſicut ſe habet concurſus naturalis Dei ad opera noſtra naturalia. Atqui hic non tollit libertatem arbitrii in actionibus naturalibus: ergo nec alter in ſupernaturalibus. Supereſt gratia juſtificans, quæ non deſtruit, ſed ſanat, & perficit naturam. Hæc omnia perſpicua ſunt. Solum de gratia præveniente objici poteſt illud Jo. 6. 44 *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum*. Qui trahit aliquem, vim, & ne-

& neceſſitatem infert: ſed Deus trahit hominem per gratiam prævenientem: ergo per illam gratiam infert illi vim, & neceſſitatem: ergo gratia præveniens non cohæret cum libertate arbitrii. Reſp. Homo variis modis poteſt trahi. Primo, vi, & neceſſitate. Secundo, affectu, amore, vel laude, juxta illud Poetæ: *Trahit ſua quemque voluptas*. Deus trahit hominem, non vi, ſed amore, & benevolentia. Sic explicat Aug. hunc locum tr. 29. in Joa.

12. Aſſerimus quarto, Libertatem arbitrii non tolli, aut impediri per ſcientiam Dei. Hoc copioſe, & eleganter diſputat D. Aug. l. 3. de lib. arb. c. 2. & ſeq. Eſt autem duplex Dei præſcientia: Una conditionata, quæ antecedit liberum actum voluntatis divinæ. Hac Deus præcognoſcit, quid liberum arbitrium cujuſque hominis, aut Angeli facturum eſſet, ex hypotheſi, ſi in tali rerum ordine, cum his, aut illis auxiliis, & circumſtantiis poneretur. Hoc modo præcognovit Tyrios, & Sidonios acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi miracula apud illos facta fuiſſent. Et Saulem obſeſſurum urbem Ceilam, & cives tradituros Davidem Sauli, niſi fugeret. Denique quoſdam juſtos lapſuros eſſe in peccata, ſi diutius viverent; & ideo ne labantur, eripit illos ex hac vita, dum adhuc juſti ſunt. De hac ſcientia multa habet Aug. lib. de bono perſev. c. 9. & 10. & in lib. de corr. & gratia cap. 8. & alibi. Altera Dei præſcientia eſt abſoluta, quæ ſequitur liberum decretum divinæ voluntatis. Hac Deus abſolute præcognoſcit, quidquid reipſa futurum eſt. Hoc modo præcognovit, & prædixit omnia in veteri Teſtamento, quæcunque in novo eventura eſſent. Unde Tertull. lib. 2. contra Marcionem recte dicit, *Præſcientiam Dei tot habere teſtes, quot fecit Prophetas*. Utraque præſcientia eſt certa, & infallibilis: tum quia Deus eſt prima veritas, ac proinde in cognitione falli, aut errare non poteſt: tum etiam, quia intellectus Dei eſt infinite perfectus, ideoque ad omnem veritatem ſe extendit: ergo nulla veritas latere eum poteſt. Neutra tamen pugnat cum libertate arbitrii. Et quidem de præſcientia conditionata manifeſtum eſt, quia per illam Deus non prævidet, quid revera facturus ſit Petrus, aut Paulus, ſed quid facturus eſſet, ſi hæc, aut illa hypotheſis poneretur; in eo autem, quod facturus eſſet ſub conditione, & tamen revera facturus non eſt, non patitur detrimentum libertatis. De præſcientia vero abſoluta idem patet, quia licet Deus per illam abſolute prævideat, quid Petrus, aut Paulus facturus ſit; tamen illa præſcientia ſequitur decretum voluntatis divinæ, ac proinde Deus per illam prævidet res eo modo futuras, quo juxta decretum, aut permiſſionem Dei futuræ ſunt. Si ergo juxta decretum, aut permiſſionem

Dei futuræ ſunt contingenter, aut libere: prævidet eas futuras contingenter, aut libere: ſi neceſſario, neceſſario: nulla igitur libertas, nulla contingentia, nulla neceſſitas rerum oritur ex hac præſcientia Dei, ſed præſupponitur. Idem confirmatur ratione D. Aug. nam ſi præſcientia Dei tolleret libertatem, vel id faceret, quia præſcientia eſt, vel quia Dei eſt. Non primum, quia tunc etiam noſtra præſcientia tolleret libertatem, quod tamen falſum eſt. Si enim Deus revelaret mihi, Petrum cras alio profecturum, illa mea præſcientia, per revelationem acquiſita, non imponeret Petro neceſſitatem proficiſcendi. Nec ſecundum, quia ſicut Deus præſcit quid nos facturi ſimus, ſic etiam præſcit, quid ipſemet facturus ſit: ſed præſcientia Dei non imponit ipſi neceſſitatem: ergo neque nobis. Denique confirmatur ex ipſo Calvino, qui concedit, hominem in ſtatu innocentiæ fuiſſe præditum libero arbitrio, & ex illa libertate aliquid feciſſe. Vel ergo Deus præſcivit hominem in illo ſtatu aliquid libere facturum, vel non præſcivit. Certe ignorare non potuit, qui omnia novit. Si ergo Deus præſcivit, & tamen homo libere operatus eſt, ſane præſcientia Dei non tollit libertatem arbitrii noſtri.

13. Occurrit hic moleſta objectio non a Calvino, ſed jam olim multo ante nata. Eſt autem hujuſmodi. Præſcientia Dei eſt certa, & infallibilis: ergo quidquid Deus præſcit futurum, hoc certo, & infallibiliter futurum eſt: præſcit autem omnia, quæ facturi ſumus: ergo omnia certo, & infallibiliter futura ſunt: ergo omnia neceſſario fient. Reſp. negando ultimam hanc conſequentiam. Concedo, Deum omnia futura præſcire certo, & infallibiliter. Concedo etiam, omnia, quæ futura ſunt, certo, & infallibiliter eſſe futura: nego tamen neceſſario eſſe futura. Poteſt enim aliquid eſſe certum, & infallibile, quod tamen non ſit neceſſarium, ſed contingens, aut liberum: quo pacto certum, & infallibile eſt, me jam loqui, aut ambulare, quod tamen libere facio. Eſt & alia vetus objectio multo difficilior, in hunc modum: Deus ab æterno præſcivit Antichriſtum peccaturum: ergo Antichriſtus peccabit. Hæc conſequentia eſt legitima, & antecedens hujus conſequentiæ eſt neceſſarium: ergo & conſequens eſt neceſſarium: cum neceſſitate autem non poteſt ſtare libertas. Et confirmatur ex regula Dialecticorum, quia quando conditionalis propoſitio eſt vera, ſi ejus antecedens eſt abſolute neceſſarium, etiam conſequens eſt abſolute neceſſarium: Alioqui in bona conſequentia poſſet eſſe antecedens verum, & conſequens falſum: ſed hæc conditionalis eſt vera: *Si Deus hoc ſcivit futurum, hoc ita eveniet:* & antecedens eſt neceſſarium: ergo etiam conſequens eſt neceſſarium.

14. Hoc

14. Hoc argumentum dicebat VVicleſſus adeo eſſe efficax, ut Armacanus viginti annos in ſolutione illius laboraverit,& tandem vi ejus coactus dixerit, Deum in ſua præſcientia poſſe errare. Sed nihil tale in Armacano legitur. Unde ſatis apparet, VVicleſſum falſo hoc illi impoſuiſſe, ut notat Thomas VValdenſis. Eſt autem ipſum argumentum per ſe difficile, & valde torquet Theologos. Quid quiſque ſentiat, non dicam. Paucis rem ipſam declarabo. Ac primum illa regula Dialecticorum (quando conditionalis propoſitio eſt vera, ſi ejus antecedens eſt neceſſarium, etiam conſequens eſt neceſſarium) locum habet, quando antecedens eſt neceſſarium ex intrinſeca connexione terminorum; non autem, quando ſolum eſt neceſſarium ex accidenti, ſeu ex ſuppoſitione. Conſtat autem, hoc antecedens (*Deus præſcit Antichriſtum peccaturum*) non eſſe neceſſarium ex intrinſeca connexione terminorum, quia præſcientia Dei non habet intrinſecam connexionem cum peccato Antichriſti. Eſt autem neceſſarium ex ſuppoſitione, quia poſito, quod Antichriſtus ſit peccaturus, non poteſt Deus hoc ignorare. Hæc ſolutio brevis, & clara eſt. Poteſt tamen aliter, & ſub aliis terminis explicari. Duplex eſt neceſſitas alicujus effectus: una antecedens, altera comitans, ſeu conſequens. Antecedens neceſſitas eſt, quæ oritur ex cauſa antecedente, & neceſſario operante, atque ad unum determinata. Poſita enim tali cauſa, neceſſario ſequitur effectus. Hoc pacto neceſſarium eſt, ſolem cras oriri, quia ortus ſolis provenit a cauſa neceſſaria, & determinata. Comitans, ſeu conſequens neceſſitas eſt, quæ non oritur ex cauſa antecedente, & neceſſaria; ſed ex ipſa poſitione effectus, etiamſi effectus liber ſit, & a libera cauſa proveniat. Hoc pacto neceſſarium eſt, Petrum ſedere, poſito, quod ſedeat, aut Petrum ſediſſe, poſito, quod ſederit; aut Petrum ſeſſurum eſſe, poſito, quod ſeſſurus ſit. Hæc neceſſitas non tollit libertatem, ſed potius præſupponit. Quod ergo Deus præſciat Antichriſtum peccaturum, eſt quidem neceſſarium, non tamen antecedente, ſed conſequente neceſſitate. Illa enim neceſſitas non oritur ex aliqua cauſſa neceſſario operante, quæ pręcedat peccatum, ſed oritur ex ipſa poſitione futuri peccati. Poſito enim, quod Antichriſtus ſit libere peccaturus, neceſſe eſt, Deum hoc non ignorare, quia omnia novit. Nihilominus, quod ſit peccaturus, hoc non provenit ex aliqua cauſa antecedente, quę urgeat, aut neceſſitet illum ad peccandū. Hoc ſenſu dicunt Patres, & Scholaſtici, pręſcientiam Dei, qua futura cognoſcit, eſſe poſteriorem rebus futuris, & nullo modo priorem. Quia enim aliquid futurum eſt, ideo a Deo futurum cognoſcitur, & non contra. Non enim ideo futurum eſt, quia a Deo cognoſcitur.

15. Aſ-

15. Aſſerimus quinto, libertatem arbitrii non impediri per decretum, aut voluntatem Dei. Eſt autem duplex decretum, de quo dubitari poteſt. Unum, quo Deus ab æterno ſtatuit concurrere cum libero noſtro arbitrio ad omnes ejus actiones. Alterum, quo ſtatuit dare gratiam prævenientem, & adjuvantem ad opera gratiæ. Si per hæc duo decreta nulla neceſſitas infertur libero arbitrio, aut ejus actionibus, ſalva manet libertas. At ita res habet; nam per prius decretum, quo Deus ſtatuit nobiſcum concurrere ad agendum, nihil aliud fit in tempore, quam quod detur nobis concurſus generalis Dei ad noſtras actiones: hic autem concurſus non tollit libertatem, quia non eſt prior noſtro concurſu, nec prævenit, aut determinat noſtram voluntatem ad agendum, ſed eſt ſimul tempore, & cauſalitate cum noſtra determinatione; ergo non affert neceſſitatem antecedentem, quæ ſola tollit libertatem arbitrii, ut dictum eſt. Poſterius vero decretum, quo Deus ſtatuit nos prævenire gratia excitante, vel adjuvare gratia cooperante, nihil etiam lædit noſtram libertatem. Nam per illud decretum nihil aliud fit, quam quod detur nobis gratia excitans, & adjuvans: hæc autem nullam imponit neceſſitatem, ut paulo ante oſtendi. At objicies: nemo poteſt reſiſtere decreto Dei. Ergo omnia, quæ Deus fieri decrevit, fiunt neceſſario. Reſp. Hoc non recte infertur. Potius ſic inferendum erat. Nemo poteſt reſiſtere decreto Dei, ergo omnia, quæ Deus fieri decrevit, fiunt eo modo, quo Deus decrevit, & voluit, ut fierent; at decrevit eo modo concurrere cum noſtra voluntate ad agendum, ut voluntati relinquatur ſua libertas; ergo eo modo concurrit. Huic autem decreto nemo poteſt reſiſtere, ideſt nemo poteſt impedire, quominus Deus libere nobiſcum concurrat ad agendum, manente nobis integra noſtra libertate, ſicut ipſe decrevit.

16. Aſſerimus ſexto, libertatem arbitrii non impediri per providentiam, aut prædeſtinationem Dei. Hoc ex dictis optime concluditur. Nam in prædeſtinatione, ex parte Dei, nihil aliud ſpectari poteſt, quam præſcientia, & voluntas Dei, quarum neutra lædit libertatem. At ex parte effectuum eſt gratia excitans, adjuvans, & ſanctificans, quæ etiam cohærent cum libertate. Idem convinco ex principiis Calvini; quia providentia, & prædeſtinatio non minus habebant locum in ſtatu innocentiæ, quam modo habent, ut Calvinus fatetur. At tunc optime cohærebant cum libero arbitrio; ergo etiam modo cohærebunt. Atque hæc breviter dicta ſint ex ſententia Catholicorum.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quid reſpondendum ad dilemma Calviniſticum?

1. DIxi ſuperius, ex doctrina Calvini ſequi hoc dilemma, quod miſeros ad deſperationem provocat: Aut ſum prędeſtinatus, aut reprobatus. Si prędeſtinatus, nihil refert, bene, an male vixero, quia neceſſario ſalvabor. Si reprobatus, certo pereundum mihi eſt, quantumvis cupiam eſſe bonus, & virtutis ſtudioſus. Quid ergo ſupereſt, quam ut faciam, quod lubet, & fruar voluptatibus, quamdiu licet? Hoc argumento olim convictus fuit Religioſus ille, de quo ſupra dixi ex Auguſtino, & noſtro ſęculo multi illum imitantur, qui relictis monaſteriis, ad laxiorem vitam redeunt, & omnibus flagitiis fœdiſſime ſe immergunt. Et ſane argumentum tale eſt, quod ex Calvini principiis affabre contextum, a Calviniſtis ſolvi non poteſt.

2. Conatur quidem Calvinus l.3.c.23. §. 12. ad hoc argumentum reſpondere, ſed nihil agit. Potius vim argumenti auget, & ſuis ipſe principiis contradicit. Sunt autem duo reſponſionis ipſius capita, quorum alterum ad prędeſtinatos, alterum ad reprobos pertinet. Primo dicit, electionis ſcopum eſſe vitę ſanctimoniam, ac proinde electos debere ad eam meditandam alacriter ſe excitare, non autem deſidiam prętexere. Secundo dicit, reprobos impudentiſſime mentiri, quando prętendunt ſe perdituros operam, ſi ſtudeant bene vivere; ſi enim reprobi ſunt, inquit, non poſſunt bene agere, quia neceſſitate decreti divini ad male agendum impelluntur. Hæc ſolutio quam inanis ſit, nemo non videt. Ac primo, quomodo electi poſſunt ſe excitare ad vitę ſanctimoniam, ſi, ut alibi dixit Calvinus, libero arbitrio prędιti non ſunt? ſi omnia ab iis neceſſitate, nihil libertate agitur? Deinde, quorſum hoc faciant, ſi ſola electio ſufficit ad ſalutem? ſi efficaciter electi ſunt, nullo reſpectu bonorum operum? Denique, quid poteſt obeſſe, ſi non modo non excitent ſe, ſed etiam adulteria, & homicidia committant? Hæc enim illis non imputantur, teſte Calvino. Sane ſi non alia ſolutio expectanda eſt, perget quiſque dicere: Si electus ſum, nihil refert, quomodo me geram, quia certo certius ſalvabor. Jam quod ſecundo loco dixit Calvinus de reprobis, quid aliud eſt, quam ipſum deſperationis barathrum? Si non poſſunt reprobi ne conari quidem bene agere, ſed neceſſario ipſis pereundum eſt, quid aliud ſequitur, quam ut abjiciant ſe, & in omnem vivendi licentiam ſe effundant?

3. Mul-

3. Multo rectius ſolvit hoc argumentum quidam Medicus, quam Calvinus. Hiſtoriam refert Cæſarius, quæ ſic habet: *Ludovicus Landgravius propter deploratam vivendi licentiam a viris religioſis correptus, graviterque monitus, ut ad bonam frugem rediret, antequam inopina morte præveniretur, pro excuſatione hoc aſſerebat: Si prædeſtinatus ſum, nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre; ſi reprobus, nulla bona opera conferre. Itemque illud; Cum venerit dies mortis meæ, certo moriar; illum nec bene vivendo potero extendere, nec male vivendo prævenire. Quid factum? Incidit in gravem morbum. Medicum ad ſe vocat. Is, ut erat vir prudens, & verborum Landgravii memor, Domine mi, inquit, fruſtra me vocas. Nam ſi venit hora mortis tuæ, certo morieris; nec poſſum te juvare; ſi non venit, non indiges mea ope. Quid ita vero, inquit Landgravius? Quin juva me, antequam mors adrepat. Tum Medicus: Si putas vitam corporis conſervari poſſe adhibita medicina, cur ſimiliter non credis vitam animæ juvari poſſe pœnitentia, & contritione? Hoc verbo vicit Medicus, & Landgravio perſuaſit.*

4. Theologi hoc modo ſolvunt. Si prædeſtinatus ſum, ideſt ſi a Deo ordinatus ſum ad vitam æternam per certa media, quæ in mea ſunt poteſtate, conſequendam, certo conſequar vitam æternam, modo illa media adhibuerim. Rurſum, ſi ſum reprobatus, ideſt, ſi a Deo ordinatus ſum ad perpetuos cruciatus propter mea peccata, quæ libere commiſſurus ſum, certo damnabor, ſi illa peccata committam, & ab iis non abſtineam. Hæc ſolutio reddit animum tranquillum, & pacatum. Neque eum, qui in peccatis eſt, facit deſperare; nec ei, qui juſtus eſt, ſecuritatem promittit. Quin potius utrumque monet, ut cum timore, ac tremore ſalutem ſuam operentur.

CAPUT IV.

De Gratia.

1. CAlvinus ſic ſentit. Primo, Chriſtum non omnibus, ſed paucis, ideſt ſolis prædeſtinatis largiri ſuam gratiam. 2. Et his paucis non dare quamcumque gratiam, ſed tantum actualem; nulli habitualem, & ſanctificantem. 3. Porro hanc actualem tam parce, ac tenuiter dari a Chriſto, ut nemini ſufficiat ad legem ſervandam. 4. Imo cum hoc onere dari, ut qui illam accipiunt, non poſſint ea libere uti, aut cum ea coopera-

ri.

ti. Tria priora puncta refutata ſunt. Primum l. 3. c. 2. qu. 1. Alterum l. 1. c. 16. qu. 2. Tertium l. 1. c. 17. q. 3. Supereſt quartum, quod hoc loco refutandum eſt, tametſi præcedenti capite aliquid de eo dictum ſit.

2. Docet ergo Calvinus, per gratiam actualem, quæ a Chriſto datur, tolli libertatem arbitrii; nec eſſe in noſtra poteſtate cum illa cooperari, vel non cooperari. Sic enim habet l. 2. inſtit. c. 3. §. 10. *Ac voluntatem movet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari, ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties a Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt: quem trahit, volentem trahit.* Hic aperte reprehendit Chryſoſtomum, & totam antiquitatem, quæ multis ſæculis tradidit, & credidit, gratiam Dei prævenientem ita movere, & excitare noſtram voluntatem, ut liberum ſit conſentire, vel diſſentire.

3. Sed Calvinus potius reprehendi debet, qui opponit ſe non ſolum antiquis Eccleſiæ Doctoribus, ſed etiam Scripturis ipſis. Antequam hoc oſtendo, breviter explicanda eſt illius ſententia. Poteſt enim duobus modis intelligi. Primo, ut voluntas noſtra a Deo mota, & excitata conſentiat quidem divinæ motioni, non tamen libere, ſed neceſſario, ita ut non poſſit non conſentire. Secundo, ut mota, & excitata nihil ipſa agat, ſed totum, quidquid fit, a ſola gratia procedat, & voluntas ſolum paſſive ſe habeat. Hoc poſteriori modo aſſeritur a Calvino. Nam l. 2. inſtit. c. 3. §. 7. ſic habet: *Erunt fortaſſe, qui concedent, voluntatem a bono ſuopte ingenio averſam ſola Dei virtute converti; ſic tamen, ut præparata ſuas deinde in agendo partes habeat.* Et paulo poſt: *Hoc perperam illi tribuitur. Ideo non recte a Chryſoſtomo ſcriptum eſt, nec gratiam ſine voluntate, nec voluntatem ſine gratia quicquam poſſe operari.* Hic iterum reprehendit Chryſoſtomum, & aperte docet contra omnes Patres, voluntatem a Deo excitatam, & præparatam non habere ſuas partes in agendo, ſed totum, quod fit, a ſola gratia effici.

4. Hinc patet, duos errores in hac doctrina contineri. Alter eſt, quod voluntas non cooperetur gratiæ, ſed omnino nihil agat. Alter, quod non ſit in poteſtate voluntatis conſentire, aut refragari. Uterque pernicioſus, & ſacræ Scripturæ contrarius. Prior refellitur ex illo 1. Corinth. 15. 10. *Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quæ verba ſic explicat D. Aug. lib. de gratia, & libero arbitrio c. 5. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum, id eſt non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola,*

ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Hoc unicum teſtimonium, tam clare explicatum, ſufficeret. Addam tamen plura. Pſalm. 26. 9. *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me*. Et Pſalm. 69. 1. *Deus in adjutorium meum intende*. Si Deus adjuvat nos, ſane & nos aliquid agimus, ut recte argumentatur Auguſtin. ſerm. 13. de verb. Apoſtol. *Nomen*, inquit, *Adjutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis*. Eodem ſpectant illa 2. Cor. 6. 1. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Et Roman. 8. 21. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*. Et Philip. 4. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. Et Auguſt. Tract. 72. in Joan. *Operanti in ſe Chriſto cooperatur homo ſalutem æternam, & juſtificationem ſuam*.

5. Hinc recte colligunt Theologi, duplex eſſe officium gratiæ actualis: alterum prævenire, excitare, & præparare noſtram voluntatem, & conſenſum: alterum voluntatem jam præparatam adjuvare, & cum ea cooperari ad conſenſum eliciendum. Unde Auguſtinus in Enchiridio cap. 31. *Hominis voluntatem Deus præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*. Et lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 18. *Quod ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, & adjuvante non poſſumus*. D. Bernardus lib. de gratia, & libero arbitrio: *Conatus noſtri caſſi ſunt, ſi non adjuvantur: & nulli, ſi non excitantur*.

6. Sed objicit Calvinus illud 1. Cor. 12. 9. *Deus operatur omnia in omnibus*. Et 2. Cor. 3. 5. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Et Philip. 1. 6. *Deus operatur in vobis velle, & perficere*. Ex his colligit, Deum omnia facere per ſuam gratiam, nos nihil. Reſpondeo. Primum teſtimonium non eſt ad rem. Non enim agit ibi Apoſtolus de gratia præveniente, de qua nunc quæſtio eſt; ſed de gratiis gratis datis, ut vocant, id eſt, de dono linguarum, prophetiæ, miraculorum; quæ omnia dicit eſſe a Deo: quod nemo negat. Ex ſecundo hoc ſolum colligi poteſt, nos ſine auxilio divinæ gratiæ nihil, quod ad ſalutem pertineat, poſſe inchoare, aut perficere, quod fatemur cum Auguſtino lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 2. *Nemo*, inquit, *ſibi ſufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcunque opus bonum*. Simili modo explicandum eſt illud: *Deus operatur in vobis velle, & perficere*, id eſt, Deus in principio, & progreſſu boni operis adeſt vobis per ſuam gratiam, ita ut veſtrum velle, & perficere non ſolum ſit a vobis, ſed etiam a Deo, qui vobiſcum operatur. Sic explicat D. Auguſtinus lib. de gratia, & lib. arbitr. cap. 9. cum ait: *Non enim, quia dixit: Deus operatur in vo-*

bis velle, & perficere, ideo liberum arbitrium abſtuliſſe putandus eſt. Quod ſi ita eſſet, non ſuperius dixiſſet: Cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini. Et infra cap. 17. *Ut velimus, ſine nobis operatur: cum autem volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur*.

7. Poteſt & illud objici Rom. 8. 12. *Quicunque ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*. Sed jam olim reſpondit D. Auguſtinus ſer. 23. de verbis Domini, cum ait: *Dicit mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Reſpondeo: Imo & agis, & ageris. Et tunc bene agis, ſi a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor eſt. Ipſum nomen adjutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis. Agnoſce, quid poſcas, agnoſce, quid confitearis, quando dicis: Adjutor meus eſto, ne derelinquas me. Adjutorem utique invocas Deum. Nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur*. Vides, quomodo ubique pugnet pro nobis Auguſtinus contra Calviniſtas.

8. Objicitur & illud Jacobi 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum*. Reſpondeo. Verum eſt, dona fidei, ſpei, charitatis, & actualis gratiæ eſſe a Deo, tanquam ab authore omnis boni ſpiritualis; non tamen indę conficitur, nos cum ejuſmodi donis non cooperari. Imo ideo conferuntur a Deo, ut cum ipſis cooperemur. Hoc ſignificat Chriſtus in parabola Euangelica, Lucæ 19. 13. cum ait: *Vocatis autem ſervis ſuis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos, Negotiamini, dum venio*. Et infra: *juſſit vocari ſervos, quibus dedit pecuniam, ut ſciret, quantum quiſque negotiatus eſſet*. Hic per ſervos intelliguntur omnes fideles Chriſtiani, quibus diſtribuit dona ſuæ gratiæ, eo fine, ut quiſque bene iis utatur, juxta monitum Apoſtoli 2. Cor. 6. 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*.

9. Hactenus contra priorem Calvini errorem. Alter erat, non eſſe in poteſtate hominis conſentire, vel reſiſtere gratiæ Dei excitanti, ſeu prævenienti. Hic etiam refellitur. Primo ex ſcripturis, Actor. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Loquitur de Judæis, qui tametſi per gratiam, & inſpirationem Spiritus ſancti ſæpe excitarentur ad fidem, & pœnitentiam; nolebant tamen inſpirationi locum dare, ſed ſponte, ac plena libertate illi reſiſtebant. Eodem ſpectat illud Pſal. 94. 8. *Hodie, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, id eſt, ſi internam vocem Spiritus ſancti perceperitis, nolite illi reſiſtere, ſed acquieſcite. Ita enim loquitur, quaſi ſit in poteſtate illorum, vel obtemperare monitioni divinæ, vel obdurato corde reluctari. Et illud Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* Et Ap. 3. 20. *Ego ſto ad oſtium, & pul-*

& pulſo: ſi quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum: Hic ſupponitur eſſe in poteſtate noſtra aperire januam cordis Deo pulſanti, & non aperire.

10. Conſentiunt nobiſcum Patres. Aug. lib. de ſpiritu, & littera cap. 34. *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Nihil brevius, nihil nervorſius dici potuit. Et in lib. de gratia Chriſti c. 14. *Quis non videat venire quemquam, aut non venire, arbitrio voluntatis?* Et in tr. in titulum Pſal. 71. prope finem: *Non erat in poteſtate tua, ut non naſcereris ex Adam: eſt in poteſtate tua, ut credas in Chriſtum.* Et D. Proſper lib. 2. de vocat. gentium, c. 28. *Sicut qui crediderunt, juvantur, ut in fide maneant: ſic qui nondum crediderunt, juvantur, ut credant. Et ſicut illi in ſua habent poteſtate, ut exeant, ita & iſti in ſua habent poteſtate, ut veniant.* Omitto alios Patres in re perſpicua.

11. Accedit hæc ratio efficaciſſima. Conſtat ex ſcripturis, alios conſentire divinæ voluntati, alios reſiſtere. Conſenſerunt Matthæus in telonio, Paulus in itinere, Zachæus in arbore, Latro in cruce; reſtiterunt Judæi, de quibus Stephanus Act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Et Prov. 1. 24. *Vocavi, & renuiſtis.* Vel ergo utrique, tam hi, quam illi libere id fecerunt; vel neceſſario, aut coacte. Si libere, vicimus. Si neceſſario, aut coacte, duo ſequuntur abſurda: Alterum, quod nec illi laudandi, nec hi vituperandi ſint: Alterum, quod Deus det quibuſdam ſuam gratiam, & per eam ipſos cogat ad reſiſtendum, quod plane a divina bonitate eſt alienum. Quid enim hoc aliud eſſet, quam Deum eſſe authorem peccati obdurationis, aut conferre ſuam gratiam in noſtram perniciem, aut damnationem? Et ſi ita eſt, quomodo alibi dicit: *Nolite obdurare corda veſtra?* Niſi iterum occurrat Calvinus, & Beza cum ſuo ſolenni reſponſo, *Deum ironice hoc dicere, & illudere miſeras mortalium mentes.* Ita enim ſolent iſti Theologi, cum urgentur, ſacras litteras interpretari.

12. Sed citat pro ſe Calvinus illud Ezech. 36. 26. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* Hinc infert, ſicut non eſt in poteſtate lapidis, ut convertatur in carnem, ſed ſolũ paſſive ſe habet; ita non eſt in poteſtate voluntatis humanæ, ut ex mala fiat bona, ſed mere paſſive ſe habet. Reſpondeo. Voluntas noſtra ſecundum ſe nec eſt cor lapideum, nec carneum, ſed vis quædam media, & naturalis, quæ formam lapidis, aut carnis ſucceſſive poteſt ſuſcipere, id eſt, quæ nunc peccati duritiem, nunc gratiæ teneritudinem in ſe habere poteſt. Neutrum tamen fit ſine ipſius libera cooperatione. Hinc idem Ezech. cap. 31. dicit: *Projicite a vobis iniquitates veſtras, & facite vobis cor no-*

vum: unde ſequitur, cor lapideum non poſſe fieri carneum, niſi & Deus per ſuam gratiam, & voluntas per ſuum conſenſum concurrat. De concurſu Dei intellige illud, *Dabo vobis cor carneum*. Et Pſal. 50. 12. *Cor mundum crea in me Deus*. De concurſu autem noſtræ voluntatis, *Facite vobis cor novum*.

CAPUT V.

De Authore peccati.

CAlvinus ita ſentit. 1. Deum ab æterno non ſolum præſciviſſe, & permiſiſſe, ſed etiam efficaciter voluiſſe, ordinaſſe, prædeſtinaſſe, ut Adam peccaret, & totam poſteritatem in ruinam ſecum pertraheret. 2. Similiter ab æterno voluiſſe, ordinaſſe, prædeſtinaſſe, ut alia peccata fierent, quæ quotidie fiunt ab hominibus. 3. Ut hoc decretum executioni mandetur, Deum quotidie mandare, urgere, & impellere Satanam, ut maleficia concipiat, & homines ad peccandum inducat. 4. Neque eo contentum eſſe, ſed ipſum quoque per ſe occulta quadam vi incitare, movere, neceſſitare miſeros mortales ad omnia flagitiorum genera perpetranda. 5. Imo ipſum nobiſcum peccata noſtra operari; eoque magis ipſum, quam nos, quod ipſe ſit principale agens, & operans, nos mera duntaxat inſtrumenta. 6. Quare ſimpliciter concedi oportere, Deum eſſe cauſam, & authorem omnium peccatorum, omnia fieri ipſo volente, decernente, prædeſtinante, jubente, impellente, operante. Hæc Calvini doctrina, vel potius blaſphemia refellenda eſt.

QUÆSTIO I.

An Deus ab æterno prædeſtinaverit peccatum Adæ?

1. CAlvinus docet, Deum ab æterno non ſolum prævidiſſe, & permiſiſſe, ſed etiam voluiſſe, & prædeſtinaſſe lapſum primi parentis, & poſterorum. Sic enim ſcribit lib. 3. Inſt. cap. 23. §. 4. *Fateor ſane in hanc, qua nunc illigati ſunt, conditionis miſeriam Dei voluntate decidiſſe univerſos filios Adæ*. Et §. 7. *Diſertis verbis hoc extare negant, decretum fuiſſe a Deo, ut ſua defectione periret Adam*. Et infra: *Decretum quidem horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præſciverit Deus, quem exitum eſſet habiturus homo, & ideo præſciverit, quia decreto*

ſuo

ſuo ſic ordinaverat. Et infra: *Nec abſurdum videri debet, quod dico, Deum non modo primi hominis caſum, & in eo poſterorum ruinam prævidiſſe, ſed arbitrio quoque ſuo diſpenſaſſe*. Omitto alia loca.

2. Hæc Calvini doctrina falſa, & hæretica eſt. Et dupliciter refutari poteſt, generatim, & ſpeciatim. Generatim hoc modo; Nullum peccatum fit Deo abſolute volente, & prædeſtinante, ut oſtendam quæſt. ſequenti; ergo nec peccatum Adami. Speciatim vero ſint hæc argumenta. Primum; Nihil divina fide credendum eſt Calvino, & Calviniſtis, niſi quod in ſacris litteris continetur; ſed Adamum peccaſſe Deo volente, & prædeſtinante non continetur in ſacris litteris; ergo Adamum peccaſſe Deo volente, & prædeſtinante, non eſt divina fide credendum; videat ergo Calvinus, qua fide ipſe hoc credat, & aſtruat. Major propoſitio a Calvino, & Calviniſtis negari non poteſt. Eſt enim firmiſſimum ipſorum propugnaculum, quo contra Catholicos conantur ſe tueri. Semper clamant, & inculcant; *Verbum Dei ſcriptum, Verbum Dei ſcriptum*; extra hoc verbum nihil in negotio fidei admittendum; fruſtra a Catholicis obtrudi Traditiones, Patres, rationes; ſola Scriptura lites omnes dirimi oportere. Minor vero probatur, quia nullum hactenus teſtimonium ex tota Scriptura afferri potuit, quo Calviniſtæ probent Dei voluntate, & prædeſtinatione lapſum eſſe Adamum. Nam quandocumque Scriptura de hoc lapſu loquitur, tribuit illum ſerpenti, Diabolo, Evæ, Adamo, nuſquam Deo. Sap. 2. verſ. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem; & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Et Joan. 8. 44. *Ille homicida erat ab initio*. Et Gen. 3. 13. *Serpens decepit me*. Et ibidem: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno*. Et iterum: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ*. Et Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*. Si ergo hæc controverſia de peccato Adami, Scriptura judice, dirimenda eſt, nihil aliud habebimus ex Scriptura, quam quod Catholici docent, Diaboli invidia, ſerpentis deceptione, mulieris hortatu, propria libertate lapſum eſſe Adamum. Hæc omnia ſacris litteris conſignata ſunt. De Deo volente, & prædeſtinante verbum nullum.

3. Hoc argumentum nec Calvinus, nec diſcipulus ejus Beza potuit effugere. Et quidem Calvinus lib. 3. inſt. c. 23. §. 7. nullum ex Scriptura teſtimonium, ſed leves quaſdam ratiunculas adduxit, quibus conatus eſt probare, lapſum Adami fuiſſe a Deo decretum. Illas paulo poſt diluemus. Beza vero in libro de arcana Dei prædeſtinatione contra Caſtalionem, cum omnia Scripturæ

loca percurriſſet, nihil aliud pro Calvino ſuo potuit reperire, niſi illud Epheſ. 1. v. 11. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Miror ſane, ut modeſtiſſime dicam, Calviniſtarum impudentiam. Nihil a Catholicis volunt audire, niſi ſacris ſcripturis aperte traditum; Patrum, & Conciliorum authoritatem faſtidioſe repudiant; & ecce tum agitur de re maximi momenti, nempe de ruina totius humani generis in primo parente, volunt ſibi fidem haberi, cum tamen nullam ſcripturam convenientem, ſed nec ullum Patrem, nullum Concilium pro ſe poſſint allegare. Nam quod attinet ad locum illum Apoſtoli, quem Beza produxit, nihil præſidii ex eo haberi poteſt, ut ſeq. quæſt. §. 15. conſtabit.

4. Alterum argumentum: Quod Deus diſertis verbis ſerio, ac ſevere prohibet fieri, id certe abſolute non vult fieri; at diſertis verbis ſerio, ac ſevere prohibuit, ne Adam peccaret; ergo abſolute non voluit, ut Adam peccaret. Major tam certa eſt, quam certum eſt, Deum non eſſe ſibi contrarium, aut mendacem, & deceptorem. Nam ſi abſolute aliquid fieri vellet, quomodo ſerio, ac ſevere prohiberet illud fieri, niſi aut pugnaret ipſe ſecum, aut nos miſere ludificaret? Minor aperte habetur in ſcripturis, Gen. 2. 15. *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret eum: præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Hic videmus Deum non modo præcepiſſe Adamo, ne peccaret; ſed etiam gravem pænam comminatum eſſe, ſi præcepto non obediret. Falſum ergo eſt, quod Calvinus ſomniat, Deum abſolute voluiſſe, ut Adam peccaret.

5. Tertium argumentum: Deus non ſolum prohibuit Adamo ſub gravi mortis comminatione, ne peccaret; ſed etiam cum peccavit, ſeveriſſime illum punivit; ergo non fuit voluntas, & decretum Dei, ut Adam peccaret. Gen. 3. 17. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas, & tribulos germinabit tibi. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Et infra: *Ejecitque Adam, & collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim*. Sane, ſi Deus abſolute voluiſſet Adamum peccare, an non crudelis eſſet, qui tam ſevere in illum animadverteret? An non merito dixiſſet Adam: Domine, ſi feci, quod voluiſti, quare tam graviter mihi iraſceris? Cur e paradiſo ejicis? Cur tot maledictionibus pro-

proſcindis? Cur ad labores, ſudores, & miſerias innocentem condemnas? Rectius Fulgentius, quam Calvinus, *Deus non eſt ultor, cujus eſt author.*

6. Quartum argumentum: Illud præceptum, quod Deus impoſuit Adamo, ita reliquit in libera ejus poteſtate, ut potuerit vel implere, vel tranſgredi pro ſuo arbitrio; ergo abſolute non voluit, ut tranſgrederetur: ergo nec abſolute voluit, ut peccaret: ergo Adam non peccavit, Deo abſolute volente, & decernente. Diſcurſus facilis eſt. Prima propoſitio, in qua eſt vis argumenti, patet ex illo Eccleſiaſtici 15. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata, & præcepta ſua: Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Quid clarius dici poteſt? De eodem præcepto loquitur Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate; nec rurſus comminatio mortis tranſgreſſioni adſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur.*

7. Quintum argumentum: Nemo rectus, & prudens poteſt ex amico velle facere inimicum ſine omni alterius culpa præcedente: ſed Adam in ſtatu innocentiæ erat amicus Dei: ergo Deus non potuit recte, & prudenter velle, ut peccaret. Major propoſitio lumine naturali nota eſt, & ab omni hominum genere recepta. Et bene monet ſcriptura, Prov. 27. 10. *Amicum tuum ne dimiſeris.* Et Eccl. 6. 14. *Amicus fidelis protectio fortis: medicamentum vitæ, & immortalitatis.* Si Calvino credimus, Deus non fuit Adamo amicus fidelis. Quare? quia non fuit illi protectio fortis, ſed potius cauſa ruinæ, ac perditionis. Non fuit medicamentum vitæ, & immortalitatis, ſed pharmacum mortis, & corruptionis.

8. Sed quid opus eſt pluribus argumentis? Calvinus ex Calvino refelli poteſt. Quæro ex ipſo, an Adam libere peccaverit, nec ne? Quidquid dicat Calvinus, captus eſt. Si libere peccavit, falſum eſt, Deo volente peccaſſe, quia *voluntas Dei*, teſte Calvino, *eſt rerum neceſſitas.* Si non libere peccavit, falſa ſunt illa Calvini verba lib. 1. Inſt. cap. 15. §. 8. *Potuit Adam ſtare, ſi vellet, quando non niſi propria voluntate cecidit.* Quocunque ſe vertat Calvinus, in ſeipſum incurrit.

9. Hactenus contra Calvinum. Nunc videamus, quid Calvinus pro ſe afferat. Ac prima ejus ratio, qua conatur probare Adamum lapſum ex Dei voluntate, & decreto, habetur lib. 3. Inſt. c. 23. his verbis: *Quaſi vero idem Deus, quem Scriptura prædicat.*

Hh 4 *fa-*

facere, quæcunque vult, ambiguo fine condiderit nobiliſſimam ex ſuis creaturis. Credo hanc eſſe vim argumenti. Scriptura dicit, Deum facere quæcunque vult: ergo Deus non ambiguo fine condidit hominem. Ergo condidit eum, ut peccaret: ergo homo Dei conſilio, ac decreto lapſus eſt. Quis non videat, quam elumbis ſit hæc argumentatio? Concedo, Deum facere, quæcunque vult. Concedo, non ambiguo fine condidiſſe hominem. Nego eo fine condidiſſe, ut peccaret, aut periret.

10. Altera Calvini ratio: *Atqui prædeſtinatio, velint, nolint, in poſteris ſe profert. Neque enim factum eſt naturaliter, ut a ſalute exciderent omnes unius parentis culpa. Quid eos prohibet fateri de uno homine, quod inviti de toto humano genere concedunt? Quid enim tergiverſando luderent operam? Cunctos mortales in unius hominis perſona morti æternæ mancipatos fuiſſe, Scriptura clamat. Hoc cum naturæ adſcribi nequeat, ab admirabili Dei conſilio perfectum eſſe, minime obſcurum eſt*. Quaſi dicat: non eſt factum naturaliter, ſed decreto, ac conſilio Dei, ut a ſalute exciderent omnes unius parentis culpa: ergo quod de toto humano genere concedimus, idem dicendum eſt de primo parente: ergo etiam primus parens decreto, & conſilio Dei lapſus eſt. Hoc argumentum Calvini dupliciter peccat. Primo, quia antecedens falſum eſt. Eſt enim (aliquo ſenſu) naturaliter factum, ut, cadente primo homine, caderet totum genus humanum. Ratio eſt, quia primus homo ſuo peccato vitiavit in ſe naturam humanam: ergo qui per naturalem propagationem ab eo naſcuntur, naturaliter injuſti, & peccatores naſcuntur. Unde eſt illud Epheſ. 2. 3. *Eramus & nos natura filii iræ, ſicut & cæteri*. In quem locum ſcribens D. Auguſt. tract. 44. in Joannem ait: *Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ: quomodo naturæ, niſi peccante primo homine, vitium pro natura inolevit?* Et ipſemet Calvinus in eundem locum: *Locus*, inquit, *eſt inſignis contra Pelagianos, & quicunque peccatum originale negat. Nam quod naturaliter ineſt omnibus, id certe eſt originale. Naturaliter vero nos omnes damnationi obnoxios Paulus docet*. Deinde, non eſt par ratio Adami, & poſterorum. Et aliud eſt, Deum voluiſſe, ut, ſi Adam peccaret, tota poſteritas eſſet culpæ obnoxia: aliud, Deum voluiſſe, ut Adam peccaret cum ſua poſteritate. Hoc poſterius falſum eſt, & hæreticum: illud prius verum, & Catholicum.

11. Tertia Calvini ratio: *Inficiari nemo poterit, quin præſciverit Deus, quem exitum eſſet habiturus homo, antequam ipſum conderet, & ideo præſciverit, quia decreto ſuo ordinarat*. Vis argumenti hæc eſt: Quidquid Deus prævidet futurum, non alia ratione

præ-

prævidet, niſi quia voluit, & decrevit, ut fieret: ſed ab æterno prævidit lapſurum primum parentem: ergo ab æterno voluit, & decrevit, ut laberetur primus parens. Sed major propoſitio aperte falſa eſt, & nititur alio falſo principio. Putat enim Calvinus, quæcunq; fiunt, Deo volente, & non tantum permittente, fieri. Unde ſequitur, quidquid prævidet futurum, ideo prævidere, quia voluerit, ac decreverit, ut futurum eſſet. At in utroque errat. Catholica doctrina eſt, multa fieri Deo permittente, non autem volente; ac proinde Deum præſcire multa futura, non quia voluit, ſed quia permiſit, ut fierent. Recte Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio cap. 4. *Sicut tu quædam, quæ feciſti, meminiſti, nec tamen, quæ meminiſti, omnia feciſti: ita Deus omnia, quorum ipſe author eſt, præſcit, nec tamen omnium, quæ præſcit, ipſe author eſt: quorum autem non eſt author, juſtus eſt ultor.* Et lib. 1. de anima, & ejus origine: *Præſcientia Dei peccatores prænoſcit, non facit.*

QUÆSTIO II.

An Deus ab æterno prædeſtinaverit peccata aliorum hominum?

1. CAlvinus docet, omnia peccata, quæ fiunt ab hominibus, æterno Dei conſilio decreta, & prædeſtinata eſſe, omniaque fieri Deo volente, & non ſolum permittente. Sic enim habet lib. 1. inſtit. cap. 18. §. 1. *Tergiverſando itaque effugium quærunt, Dei tantum permiſſu, non etiam voluntate hoc fieri. Ipſe vero palam ſe facere pronuntians, effugium illud repudiat. Quod autem nihil efficiant homines, niſi arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agitent, niſi quod ipſe jam apud ſe decreverit, & arcana ſua directione conſtituat, innumeris, & claris teſtimoniis probatur.* Et lib. 3. cap. 23. §. 6. *Fruſtra de præſcientia lis movetur, ubi conſtat ordinatione potius, & nutu omnia evenire.* Et §. 9. *Excuſabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi neceſſitatem, præſertim cum ex Dei ordinatione ſibi injiciatur hujuſmodi neceſſitas. Nos vero negamus rite inde excuſari, quandoquidem Dei ordinationi, qua ſe exitio deſtinatos conqueruntur, ſua conſtat æquitas, nobis quidem incognita, ſed illa certiſſima.* Et alibi ſimilia.

2. Hæc propoſitio eſt caput totius controverſiæ. Itaque diligenter refutari debet: Non tamen magnopere laborandum eſt, cum habeamus apertiſſima Scripturæ, Patrum, & omnium pene ho-

hominum teſtimonia, ex quibus hæc argumenta deſumpta ſunt. Primum eſt: Quando Scriptura ſacra videtur eandem rem alibi aſſerere, alibi negare; tunc illi parti adhærendum eſt, cui magis favent verba, & ſenſus Scripturæ, conſenſus, & explicatio antiquorum Patrum; at Scriptura videtur aliquando aſſerere peccata fieri Deo volente, & prædeſtinante; aliquando videtur id negare: & huic poſteriori parti magis favent verba, & ſenſus Scripturæ, ac conſenſus Patrum: ergo huic poſteriori parti adhærendum eſt, nempe, peccata non fieri Deo volente, & prædeſtinante. Minor propoſitio, in qua eſt tota vis argumenti, probatur ex collatione utriuſq; partis. Calviniſtæ citant pro ſe hæc teſtimonia. Geneſis 45. verſ. 8. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*. Et cap. 50. 19. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Et Actorum 2. verſ. 23. *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſtis*. Et c. 4. verſ. 27. *Convenerunt vere in civitate iſta facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*. Hinc colligunt Calviniſtæ, peccatum fratrum Joſephi, & peccatum Judæorum crucifigentium Chriſtum facta eſſe voluntate, conſilio, & præſcientia Dei. His addi poteſt illud Epheſ. 1. verſ. 11. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Quod attulit Beza, ut probaret peccatum Adami factum eſſe Dei voluntate. Nec plura adduci poſſunt pro hac ſenrentia. Nam cætera omnia, quæ citari ſolent, pertinent ad ſequentes quæſtiones.

3. At Catholici opponunt hæc loca. Pſalm. 5. verſ. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Et Sap. 14. verſ. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*. Et Habac. 1. verſ. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*. Et Jerem. 19. verſ. 5. *Ædificaverunt excelſa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum*. Et Ezech. 18. verſ. 23. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus?* Et 2. Petri 3. verſ. 9. *Deus neminem vult perire*. Et 1. Theſſal. 4. 3. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*. Jam expendamus hæc teſtimonia cum prioribus, & videamus, cui parti inſiſtendum ſit. Teſtimonia pro Calvino citata nihil aliud dicunt, quam Joſephum Dei voluntate miſſum eſſe in Ægyptum; & Chriſtum Dei præſcientia, & conſilio traditum eſſe Judæis; & omnia, quæ a Deo fiunt, fieri ſummo conſilio, & non temere. Hæc ſane, ſi bene explicentur, nihil obſunt noſtræ cauſæ. At teſtimonia pro nobis citata expreſſe dicunt, Deum non velle iniquitatem: (Calvinus dicit, velle) Deum odiſſe iniquitatem (ſi odit, quomodo vult?) Deum non poſſe reſpicere ad iniquitatem: (multo minus decernere,

nere, & prædeſtinare) peccata non aſcendiſſe in cor Dei: (quomodo ergo a Deo præordinata?) non eſſe voluntatem Dei, ut homo peccet mortaliter: (Calvinus dicit eſſe hanc Dei voluntatem) Deum non velle quemquam perire: (Calvinus dicit ideo Deum velle peccatum, ut homo pereat) Dei voluntatem eſſe, ut ſancti ſimus, non ut peccatores. Attende lector, quiſquis es, & verba Scripturæ diligenter expende; nec dubita de ſenſu. Senſus eſt, Deum adeo bonum eſſe, ut non ſolum deteſtetur mala, & nullo modo velit ea fieri, quantum in ſe eſt, ut probant noſtra teſtimonia; ſed etiam quando prævidet hominem male acturum, velit hoc malum præviſum in bonum uſum convertere. Prævidit malam voluntatem fratrum Joſephi, & Judæorum: quid fecit? utramque ad bonum exitum ordinavit: alteram ad exaltationem Joſephi: alteram ad humani generis redemptionem. Hic germanus ſenſus eſt, Deo dignus, ab ipſa Scriptura, & SS. Patribus approbatus. Nam Geneſis 50.20. dixit Joſeph ſuis fratribus: *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, & ſalvos faceret multos populos.* Quid clarius? Mala fuit voluntas fratrum Joſephi. Hanc Deus prævidit, non prædeſtinavit. Bonus fuit effectus ex ea ſecutus. Hunc Deus voluit, & prædeſtinavit. Recte Auguſtinus in Enchiridio c. 100. *Non ſineret bonus fieri male, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene.* Et lib. 22. de civitate Dei, cap. 5. *Multa quidem fiunt a malis contra voluntatem Dei; ſed tantæ eſt ille ſapientiæ, tantæque virtutis, ut in eos exitus, ſive fines, quos bonos, & juſtos ipſe præſcivit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adverſa.*

4. Habes ſenſum Scripturæ. Audi conſenſum Patrum. Nec omnes, ſed paucos, & præcipuos adducam. D. Auguſtinus libro de prædeſtinatione ſanctorum cap. 10. *Præſcire potens eſt Deus, etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata.* Et lib. 1. de ordin. cap. 1. *Sequitur, aut divinam providentiam non uſque ad hæc ima protendi, aut certe omnia Dei voluntate committi; utrumque impium, ſed magis poſterius.* S. Proſper in reſponſione ad capitula Gallorum, cap. 12. *Voluntas Dei nunquam vult, niſi bona: præſcientia autem & bona noſcit, & mala: ſed bona, quæ aut ipſe facit, aut etiam, ut nos faciamus, imperat; mala autem, quæ omnino ipſe non facit, nec fieri ſuaſit, aut impulit.* Et cap. 14. *Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædeſtinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor eſt, non malorum.* Et Divus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 13. *Potuit Deus, ſicut voluit, prædeſtinare quoſdam ad gloriam, quoſdam ad pœnam. Sed quos præ-*

deſti-

deſtinavit ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam: quos autem prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam. Poſſet enim peccatum aliquod ex prædeſtinatione Dei eſſe, ſi poſſet aliquis hominum juſte peccare. Nullus autem hominum juſte peccat, quamvis eum Deus juſte peccare permittat. Et Leo IX. Pontifex in epiſtola ad Petrum Antioch. *Credo Deum prædeſtinaſſe ſolùm bona, præſciviſſe autem bona, & mala.* Et Concilium Arauſic. cap. 25. *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſint, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Omitto alios Patres. Hos ideo produxi, quia cum poſt obitum D. Auguſtini nonnulli eſſent, qui ex libris Auguſtini, præſertim ex libro de prædeſt. Sanctorum male intellecto colligerent Deum prædeſtinaſſe impios ad peccata; ſupradicti Patres conſtanter ſe oppoſuerunt, aſſerentes, peccata non fieri ex Dei prædeſtinatione. Vide D. Fulgentium lib. citato, cap. ult.

5. Secundum argumentum: Deus non poteſt velle, & deſiderare id, quod ipſius naturæ plane contrarium eſt, & quod ipſe maxime execratur: ſed peccatum eſt tale: ergo Deus non poteſt velle, & deſiderare, ut fiat peccatum. Major propoſitio per ſe nota eſt. Prima pars minoris probatur, quia natura Dei eſt infinita bonitas: peccatum autem eſt malitia. At malitia directe repugnat bonitati infinitæ. Ex hac repugnantia fit, ut peccatum nullo modo poſſit referri ad Deum, tanquam ad cauſam; quia inter cauſam, & effectum debet eſſe proportio; at inter Deum, & peccatum non eſt proportio, ſed contrarietas, & repugnantia. Quo ſpectat illud Baſilii, hom. 2. in Hexameron: *Nihil contrariorum a ſuo contrario gignitur. Neque enim vita mortem parere ſolet: neque tenebræ principium afferunt luci: neque ſanitatem morbus efficit.* Et illud Chriſti in Euangelio, Matth. 7. 18. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Quod ad inſtitutum noſtrum eleganter accommodavit D. Gregorius Nyſſenus ho. 2. in Eccleſiaſten. *Deus, qui eſt natura bonus, bona quoque præbet omnino, quoniam omnis arbor bona bonos fructus facit, & neque ex ſpinis uva, neque ex vite ſpina naſcitur. Quod ſua natura bonum eſt, ex ſuis theſauris malum non produxerit. Neque enim bonus homo ex abundantia cordis mala loquitur, ſed ea loquitur, quæ ſuæ naturæ ſunt convenientia. Quanto ergo magis fons bonorum nihil mali ex ſua natura profuderit?*

6. Secunda pars minoris probatur ex illo Sap. 14. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.* Et ex ipſo Calvino lib. 3. Inſtit. c. 23. §. 4. cum ait: *Juſtitiam naturaliter amat: injuſtitiam averſatur.*

Et

Et ratio colligitur ex dictis, quia voluntas, & natura Dei ſunt reipſa idem: ergo quod naturæ Dei contrarium eſt, hoc etiam voluntati Dei contrarium eſſe debet: ergo voluntas neceſſario illud execratur. Hinc ſequitur, odium illud, quo Deus fertur in peccatum, non eſſe liberum, ſed naturale, ac neceſſarium; ſicut amor, quo amat ſeipſum, neceſſarius, ac naturalis eſt, non liber. Odium enim ſupponit amorem, & in eo fundatur. Ideo enim Deus odit peccatum, quia peccatum eſt contrarium naturæ ſuæ, quam amat. Sicut ergo naturam ſuam amat neceſſario, ita peccatum neceſſario execratur. Hinc ulterius ſequitur, Deum non poſſe ullo modo velle, aut amare peccatum; ſicut non poteſt ullo modo ceſſare ab amore ſui ipſius, aut ſeipſum odiſſe. Unde nihil intereſt, an peccatum committatur a reprobo, an a prædeſtinato. Nam a quocumque committitur, ſemper eſt contrarium naturæ, ac voluntati Dei: ergo voluntas Dei ſemper illud execratur.

7. Hoc idem argumentum confirmatur ex Philoſophia in hunc modum: Omnis appetitus fertur in aliquod bonum ſive verum, ſive apparens, & ſi appetitus eſt rectus, & ordinatus, ſemper fertur in verum bonum, & honeſtum: ſed voluntas Dei eſt appetitus ordinatiſſimus: ergo voluntas Dei ſemper fertur in bonum verum, & honeſtum: ergo nunquam fertur in peccatum ſub ratione peccati: ergo Deus non vult peccatum ſub ratione peccati. Dicet forte aliquis pro Calvino: Deum velle quidem peccatum, non tamen ſub ratione peccati, ſed propter bonum finem, ut ſcilicet poſſit manifeſtare ſuam juſtitiam in vindicando. Sed hæc reſponſio nulla eſt. Primo, quia Calvinus revera docet, Deum velle peccatum ſub ratione peccati. Hoc oſtendo ex ipſius principiis. Docet enim, Deum ideo velle, & prædeſtinare peccatum, ut habeat cauſam damnationis reproborum; ſed cauſa damnationis reproborum eſt peccatum ſub ratione peccati: Ergo, ſecundum Calvinum, Deus vult, & prædeſtinat peccatum ſub ratione peccati. Secundo, quia quando objectum voluntatis eſt turpe, tunc bonus finis non excuſat, neque impedit malitiam voluntatis. Nemo enim poteſt recte appetere adulterium, aut mendacium, etiamſi bono fine dicat ſe appetere. Nam veriſſime dixit Apoſtolus Roman. 3. verſ. 8. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.*

8. Tertium argumentum. Deus non poteſt ex animo velle, & deſiderare, ut id fiat, quod diſerte, ſerio, ac ſevere prohibet fieri: ſed diſerte, ſerio, ac ſevere prohibet fieri peccata: ergo non vult, nec deſiderat fieri peccata. Minor paſſim patet ex tota ſcri-

ptu-

ptura: ubique Deus prohibet peccata. Major vero per ſe nota eſt, quia Deus non poteſt habere contrarias voluntates: ergo non poteſt unum, idemque velle fieri, & ſimul ſerio prohibere, ne fiat. Hoc argumentum proponit Calvinus, & non poteſt ſolvere. Nam lib. 1. inſtitut. cap. 16. §. 3. ſic habet: *Nam quod primo objiciunt, ſi nihil eveniat, niſi volente Deo, duas eſſe in eo contrarias voluntates, quia occulto conſilio decernat, quæ lege ſua palam vetuit, facile diluitur*. Audiamus quæſo ex Calvino, quam facile hoc ipſe diluat. Primo, digreditur more concionatoris. Tandem poſt multa verba, quæ ad rem parum faciunt, ſolvit objectionem his verbis: *Quomodo idem diverſo modo nolit fieri, & velit, non capimus*. Eſt hoc facile diluere. Omnes ruſtici norunt hanc artem. Nam quæcunque, & quantumvis difficilia illis objeceris, ſtatim dicent: *Non capimus*. Lubet hic tria notare circa ſolutionem Calvini. Primo, quod præter voluntatem, qua Deus palam in ſcripturis vetat peccata, fingat aliam voluntatem Dei occultam, qua velit peccata. Sane, cum fateatur eſſe occultam, & non haberi palam in ſcripturis, ſatis oſtendit, a ſe, & a ſuo cerebro confictam eſſe. Secundo, quod objectionem difficillimam conetur extenuare, quaſi nullius momenti ſit, & nullo negotio diſſolvi poſſit. Tertio, quod cum ſolutio danda eſſet, fateatur ſe non capere. Hæc obiter.

9. Quartum argumentum. Nemo, niſi Tyrannus, punit illud, quod ipſius voluntate, ac conſilio factum eſt: At Deus punit peccata hominum, & quidem graviſſimis ſuppliciis tam in hac, quam in altera vita: ergo peccata hominum non fiunt voluntate, ac conſilio Dei: niſi dicamus, Deum eſſe Tyrannum. Occurrunt Calviniſtæ: Deum punire peccata ob bonum finem, nempe ut manifeſtet potentiam, ac juſtitiam ſuam in vindicando. Sed hac reſponſione non tollunt, ſed potius augent vim argumenti: Nam hoc proprium Tyrannorum eſt, eo fine, ac conſilio velle alios delinquere, ut poſſint in iis vindicandis ſuam explere libidinem.

10. Quintum argumentum. Si Deus vellet hominem peccare, ſequeretur hominem non peccare, quando peccat, quæ eſt aperta contradictio. Nam ille certe non peccat, qui ſuam voluntatem conformat cum divina voluntate; & qui idem vult, quod Deus vult illum velle: at, qui peccatum committit, conformat ſuam voluntatem cum divina voluntate, teſte Calvino, quia Deus vult illum committere peccatum: ergo qui peccatum committit, non peccat. Nemo ergo peccat omnino: ſi nemo peccat, fruſtra venit Chriſtus ad peccata mundi tollenda; & vera eſt ſententia

Li-

Libertinorum, peccatum nihil eſſe, niſi falſam opinionem. Hoc argumentum confirmatur ex duobus principiis. Alterum eſt, id, quod regulæ, & gnomoni reſpondet, non poſſe eſſe curvum, & diſtortum. Alterum, voluntatem Dei eſſe regulam, & normam noſtrarum actionum, quod etiam concedit Calvinus lib. 3. inſtitut. cap. 23. §. 2. his verbis: *Dei voluntas non modo ab omni vitio pura, ſed ſummæ perfectionis regula, & legum omnium lex eſt.* Hinc ſumo duo nova argumenta. Prius: Omnis actio peccati eſt conformis ſuæ regulæ, nempe voluntati divinæ: Ergo nulla actio peccati eſt curva, aut vitioſa. Poſterius: Voluntas Dei eſt lex noſtra: ſed voluntas Dei eſt, ut peccemus: ergo peccando ſervamus legem Dei. Hinc duo ſequuntur contra Calvinum. Primo, neminem peccando peccare? nam qui legem Dei ſervat, non peccat: at qui furatur, ſervat legem, & voluntatem Dei: ergo qui furatur non peccat. Secundo, legem Dei non eſſe impoſſibilem, quia quotidie ab omnibus ſervatur. Quotidie enim peccant homines.

11. Ut hujus argumenti vis magis appareat, quæro ex Calvino: An peccaverint Judæi ſpoliantes Ægyptios? An Oſee Propheta ſumens ſibi uxorem fornicationum, & generans filios fornicationum? An Abrahamus volens interficere, & immolare filium ſuum? Non peccarunt, ſed bene, & laudabiliter egerunt. Quare? Quia hæc erat voluntas Dei. Quid ſequitur? ergo cum voluntas Dei ſit, quæ per Euangelium Calvini nobis annunciatur, ut homines committant furta, homicidia, adulteria, certe qui id faciunt, non peccant, ſed bene, & laudabiliter agunt, ſecundum idem Euangelium.

12. Sextum argumentum. Si Deus ab æterno prædeſtinaſſet omnia peccata, quæ futura ſunt, & ea abſolute vellet fieri tali tempore, loco, & a tali perſona, fruſtra docuiſſet nos Chriſtus orare, *Et ne nos inducas in tentationem*. Nam ſi Deus ab æterno decrevit, ut Petrus cras vincatur a tentatione, & incidat in peccatum luxuriæ, an id decretum mutari poteſt? Minime poteſt. Quid ergo prodeſt, ſi Petrus ex Chriſti inſtituto oret, ne inducatur in tentationem? nihil plane. An forte Chriſtus hoc ignoravit? veriſimile eſt, quia Calvini Euangelium nondum erat promulgatum.

13. Septimum argumentum. Si Deus vult peccata perpetrari, & hoc firmiter credunt Calviniſtæ, ſequitur omnes bene agere apud Calviniſtas, qui aliena diripiunt, adulteria, & homicidia committunt, templa, & altaria evertunt: e contrario, eos ſolos peccare, qui hæc fieri prohibent. Nam illi priores conformant:

ſe di-

ſe divinæ voluntati, poſteriores vero directe obſiſtunt. Nam vetant ea fieri, quæ Deus abſolute vult fieri. Neque hoc poſſunt ignorare, ſi a Calvino imbuti ſunt. Igitur adulteri apud Calviniſtas, homicidæ, fures, & raptores cenſendi ſunt viri ſecundum cor, & conſilium Dei. Magiſtratus vero, Principes, Reges, Patresfamilias, Ludimagiſtri, qui prohibent ſcelera, cenſendi ſunt Deo rebelles, & ab ejus voluntate alieni. Quis hoc credat?

14. Octavum argumentum. Si omnia, quæ ab omnibus fiunt, Deo volente, & decernente fiunt, nullo modo poſſunt Catholicis iraſci Calviniſtæ, ſi ab eis patiantur tormenta, mortem, mala omnia. Quare? quia ſciunt ſe hæc omnia pati Deo volente, & ſuam voluntatem debent Deo conformare, ſi boni viri eſſe volunt. Nec video, quomodo Calvinus ipſe, qui hæc docuit, jure merito potuiſſet ſuccenſere carnifici, quando ipſius corio impreſſit characterem caſtitatis.

15. Sat multa argumenta contra Calvinum congeſta ſunt. Supereſt explicandum illud D. Pauli ad Epheſ. 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, quo ſolo teſtimonio uſus eſt Beza, quando debuit probare ex ſcripturis, Adamum Deo volente, & prædeſtinante lapſum eſſe. Video autem duplicem ſyllogiſmum ſtrui poſſe ex illo loco Divi Pauli pro ſententia Calviniſtarum. Unus eſt: Omnia, quæ in mundo fiunt, tam bona, quam mala, operatur Deus conſilio voluntatis ſuæ: ſed peccata ſunt in mundo: ergo Deus operatur peccata conſilio voluntatis ſuæ. Alter eſt: Omnia, quæ Deus operatur, conſilio voluntatis ſuæ operatur: ſed peccata Deus operatur: ergo operatur illa conſilio voluntatis ſuæ. In priori ſyllogiſmo falſa eſt major, in poſteriori minor. Hoc oſtendam quæſt. 5. ubi ex profeſſo diſputandum eſt, an Deus operetur peccata: Et quæſt. 6. an Deus ſit auctor peccatorum.

16. Poteſt & illud afferri pro Calvino: Sæpe unum peccatum eſt pœna alterius peccati: at Deus vult pœnam: ergo vult illud peccatum, quod eſt pœna alterius peccati. Major aſſeritur a D. Auguſtino lib. 5. contra Julianum cap. 5. Et manifeſte colligitur ex illo Rom. 1. 28. *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt*. Reſpondeo. Poſterius peccatum proprie non eſt pœna prioris peccati, ſed tantum improprie, idque duobus modis. Primo, quia Deus aliquando deſerit, ac deſtituit hominem ſua gratia in pœnam præcedentis peccati. Homo autem deſertus a Deo facile iterum peccat. Quare non ipſum peccatum, quod ſequitur, ſed deſertio, quæ præcedit, eſt pœna juſte a Deo inflicta. Et hoc ſenſu intelligitur lo-

cus

eus Apoſtoli citatus. Secundo, quia ſæpe fit, ut poſteriori peccato ſit annexa aliqua infamia, vel triſtitia, vel ſimile incommodum: & tunc peccatum poſterius, non ratione ſui, ſed ratione mali annexi, dicitur eſſe pœna prioris peccati. Hoc ſenſu intelligitur illud Divi Auguſtini libro 1. Confeſſionum, cap. 12. *Juſſiſti, Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſit ſibi omnis inordinatus animus.*

17. Tertio objici ſolet: Si Deus ſolum permittit peccata, ut nos Catholici docemus, aut volens, aut nolens permittit. Si nolens, omnipotens non eſt; Si volens, jam Deo volente peccata fiunt: quæ eſt Calvini ſententia. Reſpondeo, Deus peccata permittit volens, ut docet Auguſtinus in Enchiridio c. 100. Et tamen volente Deo non fiunt peccata, ſed Deo non volente. Aliud enim eſt peccatum, aliud permiſſio peccati. Peccatum malum eſt: permiſſio bona. Deus permiſſionem peccati vult, peccatum non vult. Et permiſſio peccati fit Deo volente; peccatum non fit Deo volente. Occurres: Si peccatum non fit Deo volente: ergo fit Deo nolente, & invito: ergo omnipotens non eſt. Reſpondeo. Non ſequitur, quia velle, & nolle ſunt contraria, inter quæ dari poteſt medium; ſcilicet non velle. Itaque hæc tria diſtinguenda ſunt: peccatum fit Deo volente: peccatum fit Deo nolente: peccatum fit Deo non volente. Duo priora falſa ſunt: Tertium verum eſt. Eodem modo ſe habent hæc tria: Deus eſt volens peccatum: Deus eſt nolens peccatum: Deus eſt non volens peccatum. Hoc poſtremum verum, illa duo priora falſa ſunt.

QUÆSTIO III.

An Deus impellat Diabolum, ut nos inducat ad peccandum?

1. Affirmat Calvinus lib. 1. inſtit. cap. 18. §. 1. his verbis: *Scimus Satanam ſe coram Deo ſiſtere ad excipienda juſſa, non minus quam Angelos, qui ſponte obediunt: diverſo quidem id modo, & fine, ſed tamen ne quid aggredi poſſint, niſi volente Deo.* Et infra; *Ergo quidquid agitent homines, vel Satan ipſe, Deus tamen clavum tenet, ut ad exequenda ſua judicia convertat eorum conatus: vult Deus perfidum Regem Achab decipi: operam ſuam offert diabolus ad eam rem: mittitur cum certo mandato, ut ſit Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* Et infra: *Ridiculum eſſet, Judicem tantum permittere, non etiam decernere, quid fieri velit, & mandare*

executionem miniſtris. Et §.2. *Fateor quidem interpoſita Satanæ opera ſæpe Deum agere in reprobis: ſed ut ejus impulſu Satan ipſe ſuas partes agat, & perficiat, quatenus datum eſt*. Et infra: *Dicitur Satan excæcare infidelium mentes. Sed unde hoc, niſi, quòd a Deo ipſo manat efficacia erroris?* Et lib. 3. cap. 4. §.3. *Proprie ergo agere dicitur Satan in reprobis, in quibus regnum ſuum; hoc eſt, nequitiæ exercet. Dicitur & Deus ſuo modo agere, quod Satan ipſe (inſtrumentum cum ſit iræ ejus) pro ejus nutu, atque imperio huc, atque illuc ſe inflectit ad exequenda ejus juſta judicia*. Et §. 5. *Porro Satanæ miniſterium intercedere ad reprobos inſtigandos; quoties huc, atque illuc Dominus providentia ſua eos deſtinat, vel ex uno loco ſatis conſtiterit*. Et infra: *Spiritus ergo impurus, Dei Spiritus vocatur; quia ad ejus nutum, potentiamque reſpondet; inſtrumentum magis ipſius in agendo; quam a ſcipſo author*. Et alibi.

2. Hæc Calvini propoſitio impia eſt, & Scripturæ contraria. Scriptura dicit, Eccleſiaſt. 15.21. *Nemini mandavit Deus impie agere*. Quæro jam ex Calvino, an Diabolus impie agat, quando ex mandato Dei incitat homines ad peccatum? Si impie agit: ergo Deus mandat illi impie agere: ergo citata Scripturæ verba falſa ſunt. Si non impie agit: ergo diabolus multum debet Calvino, quem ſuæ innocentiæ patronum, ac defenſorem habet.

3. Rurſum, Scriptura de diabolo dicit, Joann. 8. 44. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax eſt, & pater ejus*: At Calvinus dicit; cum loquitur mendacium, non loquitur ex propriis, ſed ex Deo. Quare? Quia Dei mandato, & inſtinctu loquitur. Imo, ut utar verbis Calvini, *A Deo ipſo manat efficacia erroris, & mendacii*. Itaque ſecundum Calvini Euangelium, non diabolus, ſed Deus eſt pater mendacii, *Deus clavum tenet: diabolus eſt tantum Dei inſtrumentum*.

4. Tertio ex Calvini ſententia ſequitur, mandata Dei eſſe contraria. Mandat Diabolo, ut inducat hominem ad peccandum; e contrario mandat homini, ut non peccet, ſed reſiſtat diabolo. Imo ſequitur, mandata Dei, quibus præcipit peccata, habere efficaciam a Deo, quia ſemper effectum ſortiuntur, ut vult Calvin. mandata vero, quibus vetat peccata, & præcipit virtutes, non habere efficaciam a Deo, quia non ſemper effectum habent, ut docet experientia. Hinc ulterius ſequitur, Deum eſſe promptiorem, ac propenſiorem ad mala, quam ad bona; quia mala, quæ præcipit, ſemper eveniunt: bona, quæ præcipit, non ſemper eve-

veniunt: Et quod illa eveniant, hæc non eveniant; pendet ex ſola Dei voluntate, ac beneplacito. Tertio ſequitur; Deum plus tribuere diabolo, quam bonis Angelis. Nam cum mandat diabolo, ut inducat homines ad peccandum; efficaciter cum illo concurrit. Cum autem mandat Angelis, ut inducant homines ad virtutem, non concurrit cum illis efficaciter. Et hoc ſignificavit Calvinus illis verbis ſupra citatis; *Scimus Satanam ſe coram Deo ſiſtere ad excipienda juſſa non minus, quam Angelos: diverſo quidem id modo; ac fine;* &c. Quis eſt ille diverſus modus? is nimirum, quod dæmon non ſolum excipiat juſſa divina, ſed etiam ad effectum perducat, manante ab ipſo Deo efficacia; ut Calvinus loquitur: Angeli vero accipiant quidem juſſa, ſed ſæpe irrito eventu, ut ipſimet teſtantur apud Jerem. c. 51. verſ. 9. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata; relinquamus eam.* Hinc poſtremo ſequitur; Deum omnia ſimulate nobiſcum agere. Quomodo enim poteſt ſincere, & candide nos hortari ad reſiſtendum diabolo, ſi diabolus ab ipſo Deo habet efficaciam ſubvertendi cor noſtrum? Fruſtra clamat Apoſtolus Paulus Epheſ. 6. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Nam quæ eſt armatura Dei contra Deum? Si diabolus ſtruit nobis inſidias, & Deus præbet illi efficaciam; quomodo induemur arma Dei contra efficaciam Dei? niſi forte regnum Dei in ſe diviſum ſit, quod in Evangelio noſtro non invenitur.

5. Quarto poteſt refutari Calvinus ex dictis in præcedenti quæſtione. Nam ibi oſtenſum eſt, Deum nullo modo velle peccatum, ſed potius odiſſe, & execrari, quippe quod ipſius naturæ plane contrarium eſt. Quomodo ergo per diabolum, tanquam miniſtrum, ac inſtrumentum ſuum, poteſt hominem ad peccandum incitare?

QUÆSTIO IV.

An Deus occulta vi moveat, & neceſſitet nos ad peccandum?

1. Affirmat Calvinus lib. 1. Inſtitut. cap. 18. §. 2. his verbis: *Quantum ad arcanos motus ſpectat, quod de corde Regis prædicat Salomon flecti huc illuc, prout Deo viſum eſt, ad totum certe genus humanum extenditur, tantundemque valet, ac ſi dixiſſet, quidquid animis concipimus, arcana Dei inſpiratione ad ſuum finem dirigi. Et certe, niſi Deus intus operaretur in mentibus hominum, non recte dictum eſſet, auferre labium*

a veracibus, a ſenibus prudentiam: auferre cor principibus terra; ut errent per devia. Et infra loquens de Aſſyriis: *Unde apparet certa deſtinatione Dei impulſos*. Et §. 4. *Homo juſto Dei impulſu agit, quod ſibi non licet*. Et lib. 3. c. 23. §. 9. *Excuſabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi neceſſitatem, præſertim cum ex Dei ordinatione ſibi injiciatur hujuſmodi neceſſitas. Nec vere inde negamus rite excuſari, quandoquidem Dei ordinationi, qua ſe exitio deſtinatos conqueruntur, ſua conſtet æquitas, nobis incognita, ſed illa certiſſima*.

2. Hæc propoſitio Calvini eodem fere modo refellenda eſt, quo præcedens. Nam aperte pugnat cum Scriptura. Eccleſ. 15. 21. *Nemini mandavit impie agere*. Et Jacobi 1. 13. *Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*. Notat D. Auguſtinus l. 2. de conſenſu Evangeliſtarum c. 3. duplex eſſe genus tentationis; unum ad probandum, alterum ad ſeducendum: & de priori ſcriptum eſſe, Gen. 22. 1. *Tentavit Deus Abraham*: De poſteriori vero ſcriptum eſſe, Jacobi 1. v. 13. *Ipſe autem neminem tentat*. Ergo ex ſententia Auguſtini Deus neminem tentat ad ſeducendum, id eſt, neminem excitat, movet, aut impellit ad peccandum. Imo plus addit D. Paul. 1. Cor. 10. 13. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*. Quaſi dicat: tantum abeſt, ut Deus vos tentet, ut ne patiatur quidem vos tentari, quin cum divina gratia poſſitis tentationi reſiſtere.

3. Addi poteſt & illud Jerem. 19. 5. *Ædificaverunt excelſa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum*. Hic quæro ex Calvino, an Judæi, quando idola erexerunt falſo Deo, fecerint hoc Deo incitante, impellente, neceſſitante? ſi affirmat, falſa eſt Scriptura, quæ id negat. Si autem negat, fallitur Calvinus, qui id ſupra eſſe aſſeruit.

4. Et ſane, ſi Calvini ſententia vera eſt, quomodo Sanctus Stephanus potuit dicere Judæis, Actor. 7. v. 51. *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: ſicut Patres veſtri, ita & vos*. Poterant reſpondere Judæi: erras Stephane; fecimus, quod Spiritus Domini ſuggeſſit, & tacitus inſpiravit. Ille nos interna motione impulit, ac incitavit, ut interficeremus Prophetas. Hoc fecimus. Et jam arcana inſpiratione nobis ſuggerit, ut te lapidibus obruamus. Hoc etiam facimus. In quo ergo reſiſtimus Spiritui ſancto? Hæc, inquam, & ſimilia potuiſſent congerere Judæi, ſi Calvini Evangelium audiviſſent.

5. Sed paulo diligentius rem diſcutiamus. Conſtat in Eccleſia, inter cætera gratiæ dona, diſcretionem eſſe ſpirituum, juxta illud 1. Corinth. 12. verſ. 4. *Diviſiones gratiarum ſunt: idem autem*

Spi-

Spiritus. Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii ſermo ſcientiæ: alii fides: alii gratia ſanitatum: alii prophetia: alii diſcretio ſpirituum, &c. Et D. Joannes Apoſtolus in Epiſtola 1. c. 4. 1. monet: *Chariſſimi, nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint*. Jam quæro ex Calvino: unde poſſimus diſcernere, an Spiritus, qui nos impellit, ſit ex Deo, nec ne? Exempli gratia. Si ſentiam interdum inſtinctum, ſeu inſpirationem, quæ ad bellum ſuſcipiendum, aut ad fœdus cum hoſte ineundum me inclinet, quo pacto ſciam, an hic Spiritus ex Deo ſit, an ex diabolo? an debeam illi credere, & obedire, vel non debeam? Catholici facile reſpondent, id ex boni, & mali diſcrimine penſandum eſſe. Nam ſi res in ſe bona, & honeſta ſit, ad quam ſpiritus me impellit; & ſi ad bonum finem dirigatur, nec ulla appareat vitioſa circumſtantia: ſignum eſt, inſpirationem a Deo fieri. Si autem res in ſe mala, & illicita ſit, aut bona quidem, ſed in malum finem ordinetur: merito ſuſpectus debet eſſe Spiritus. At ex Calvini ſententia nihil reſponderi poteſt. Nam ſi Deus non ſolum ad bona, ſed etiam ad mala opera, ut ad furta, homicidia, adulteria, nos interius citat, & impellit, ſemper potero exiſtimare, ex Deo eſſe Spiritum; qui me ſolicitat. Quorſum ergo illa Apoſtoli cautela: *Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint?* Et vero, ſi utrique proprium eſt, tam Deo, quam Diabolo incitare ad peccandum, quid refert ſcire, a Deo, an a diabolo ad peccandum impellaris?

6. Ubi jam eſt illud, toties a Calviniſtis decantatum, Sacram Scripturam intelligi oportere ſecundum internos inſtinctus, & interna critiria? Omnes legunt Sacram Scripturam, Catholici, Lutherani, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ. Nec tamen omnes eodem ſenſu Scripturam, quam legunt, intelligunt. Aliter Catholici, aliter Calviniſtæ, aliter Lutherani interpretantur hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*. At qui optime, & ſinceriſſime intelligunt? Proculdubio Calviniſtæ, ut ipſi putant. Unde ſciunt? Ex internis critiriis. A quo ſpiritu critiria illis inſpirantur? A Deo. At quid tum poſtea? Nam ſi Deus non ſolum veram, & ſanam doctrinam, ſed etiam errores, mendacia, hæreſes, & falſas interpretationes interius loquitur, & inſpirat, imo ſi efficacia erroris a Deo manat, ut Calvinus ait: unde conſtabit, ſenſum Scripturę, quem Deus inſpirat Calviniſtis, eſſe ſanum, verum, legitimum, & non potius falſum, mendacem, & ſpurium, cum uterque a Deo inſpirari ſoleat? Hic reſpondeat Calvinus, aut pro Calvino Calviniſta aliquis.

7. Sed objicit Calvinus quædam Scripturæ teſtimonia, quibus

 vide-

videtur probari poſſe, Deum hortari, & inſtigare hominem ad peccatum, ut 2. Reg. 16. 10. *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David*. Et 2. Regum 24. 1. *Commovit Dominus David dicentem: Vade, numera Iſrael, & Judam*. Et Ezech. 14. 9. *Ego Dominus decepi Prophetam illum*. Et 2. Theſ. 2. 10. *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio*. Et Pſal. 43. verſ. 19. *Declinaſti ſemitas noſtras a via tua*. Et Pſal. 104. 25. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*. Et Joan. 13. 27. *Quod facis, fac citius*. Reſpondeo. Deus circa peccata hominum multa facit, ex quibus citata teſtimonia explicanda ſunt. Primo, Non impedit conatum eorum, qui parati ſunt male agere. Secundo, negat illis ſpeciale auxilium gratiæ, quo deſtituti facile in peccatum labuntur. Tertio, ſæpe flectit, & gubernat interius humanas voluntates, ut licet vitio proprio malæ ſint, tamen a divina providentia ad unum potius malum, quam ad aliud, non poſitive, ſed permiſſive ordinentur. Quarto, ſæpe præbet homini occaſionem boni, qua ipſe abutitur ad malum. Quinto, peccata impiorum dirigit, & ordinat ad ſalutem electorum. Hæc omnia fuſius in Scholaſtica Theologia explicata ſunt.

QUÆSTIO V.

An Deus operetur nobiſcum peccata noſtra?

1. Calvinus docet, Deum una nobiſcum peccata noſtra operari: eoque magis ipſum, quam nos, quod ipſe ſit principale agens, & operans, nos mera duntaxat inſtrumenta. Verba ejus ſunt hæc, lib. 1. Inſtit. cap. 17. §. 5. *Ego plus concedo fures, & homicidas, & alios maleficos divinæ eſſe providentiæ inſtrumenta, quibus Dominus ipſe ad exequenda, quæ apud ſe conſtituit, judicia utitur*. Et cap. 18. §. 1. *Ergo quidquid agitent homines, vel Satan ipſe, Deus tamen clavum tenet*. Et infra: *Abſalon inceſto coitu patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat; Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat*. Et §. 2. *Et certe niſi operaretur in mentibus hominum, non recte dictum eſſet auferre labium a veracibus*. Et lib. 3. cap. 4. §. 2. *Omitto hic univerſalem Dei motionem, unde creaturæ omnes ut ſuſtinentur, ita efficaciam quidvis agendi ducunt: & de illa ſpeciali actione tantum loquor, quæ in unoquoque facinore apparet*. Et plura alibi.

2. Hanc doctrinam accepit Calvinus a Zvvinglio, Luthero, Melanchthone, & aliis hæreticis ſui temporis. Nam Zvvinglius ſerm. de providentia ad Cattorum Principem cap. 6. ait: *Quando faci-*

facimus adulterium, aut homicidium, Dei opus eſt motoris, authoris, impulſoris. Lutherus ſcripſit hæc verba, *mala opera in impiis Deus operatur*, quæ diſcipuli ejus eraſerunt. Philippus Melanchthon ad ca. 8. Epiſtolæ ad Romanos, editione prima ait: *Adulterium Davidis, & proditio Judæ ita eſt proprium opus Dei, ſicut vocatio, & converſio Pauli.* Hos imitatus Calvinus dicit, deteſtabile ſcelus Abſalonis eſſe opus Dei: Deum in omnibus ſceleribus clavum tenere: Deum non ſolum concurſum quendam generalem præbere ad agendum, ſed ſpecialem quandam actionem exhibere in unoquoque facinore. Quid amplius? Nihil aliud, quam ut dicat, Deum non eſſe Deum.

3. Impia, & blaſphema ſunt hæc. Longe aliter docent Scripturæ, Patres, ratio ipſa. Ex Scripturis proferam duo teſtimonia. Sap. 11. 25. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Et Sap. 14. 9. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus.* Ex his teſtimoniis ita concludo: Deus nihil eorum odit, quæ ipſe operatur: ſed Deus odit peccatum: ergo Deus non operatur peccatum. Iiſdem teſtimoniis uſus eſt D. Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ubi diſputat de illis verbis, *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et quærit, quomodo Deus potuerit odiſſe Eſau, cum tamen dicatur odiſſe nihil eorum, quæ fecit? Aut quare dixerit Deus, *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui?* Et ſimiliter non dixerit Deus, *Solem dilexi, Lunam autem odio habui?* Et tandem poſt multa reſpondet his verbis: *Qui nodus ita ſolvitur, ut intelligamus omnium creaturarum eſſe artificem Deum: omnis autem creatura Dei bona eſt: & omnis homo, in quantum homo eſt, creatura eſt, non in quantum peccator. Eſt ergo creator Deus & corporis, & animi humani. Neutrum horum malum, & neutrum odit Deus. Nihil enim odit eorum, quæ fecit. Eſt autem animus præſtantior corpore, Deus vero & animo, & corpore: utriuſque effector, & conditor; nec odit in homine, niſi peccatum. Eſt autem peccatum hominis inordinatio, atque perverſitas, ideſt, a præſtantiore conditore averſio, & ad condita inferiora converſio. Non igitur odit Deus Eſau hominem, ſed odit Deus Eſau peccatorem.* Hæc Auguſtinus apertiſſime contra Calvinum.

4. Ad teſtimonia Scripturæ accedunt Patrum teſtimonia. Tertullian. in libro adverſus Hermogenem: *Jam ergo malum ab ipſo, qui eſt mali ſi non author, quia non effector, certe permiſſor, quia dominator.* D. Ambroſius lib. de Paradiſo, c. 15. *Deus operatur, quod bonum eſt, non quod malum.* Et in lib. in Hexameron c. 8. *Nunquid malitiam Deus creavit? ſed ea ex nobis orta, non a creatore Deo condita, morum levitate generatur.* Et infra: *Eradicari hanc Deus vult de animis ſingulorum. Quomodo ipſe eam generaret, cum clamet*

Propheta, deſinite a malitiis veſtris? Et præcipue S. David: Deſine a malo, & fac bonum. Quomodo ergo ei initium a Domino damus? ſed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Eccleſiam putaverunt. D. Auguſtinus in epiſt. 105. ad Sixtum: *Iniquitatem, quam rectiſſima veritas improbat, damnare novit ipſe, non facere.* Et lib. 6. Hypognoſtici circa medium: *Mala Judæ praſcivit, non fecit.* Plures citabo ſequenti quæſtione.

5. Poſtremo accedunt rationes: Prima: Quicquid Deus operatur, hoc voluntate operatur, Pſal. 113. 3. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Et Pſal. 184. *Ipſe mandavit, & creata ſunt.* Et Epheſ. 1. verſ. 11. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* At jam ſupra oſtenſum eſt Deum non velle peccatum, ſed potius odiſſe, deteſtari, & prohibere, quippe quod ipſius naturæ plane repugnans eſt: ergo Deus non operatur peccatum.

6. Secunda ratio. Si Deus operaretur peccatum, tanquam agens principale, & homo duntaxat eſſet inſtrumentum, plane ſequeretur, Deum potius peccare, quam hominem; quod omnino impium eſt. Nam in opere malo non inſtrumentum, ſed principale operans meretur reprehenſionem; vel quia ineptum fecit inſtrumentum; vel quia ſciens, ac volens male eo uſus eſt.

7. Tertia ratio. Sequeretur hominem perire, ac damnari propter peccata, quæ Dei potius, quam ipſius ſunt opera. Hoc argumentum Zvvinglius indigne tulit ſibi objici, & cum ſtomacho ait: *De hoc ipſum Deum interroga: ego enim ei non fui a conſiliis.* Calvinus lib. 1. inſtit. c. 18. §. 1. proponit hanc quæſtionem: quomodo Deus agens per reprobos nullam ex eorum vitio labem contrahat; imo in opere communi ab omni culpa ſit immunis, miniſtros autem ſuos juſte damnet? & reſpondet, ut ſolet: *vix capit ſenſus carnis.*

8. Quarta ratio: Peccatum formaliter conſiſtit in privatione, & defectu, ut docent Theologi cum D. Auguſtino; ergo non poteſt eſſe niſi a cauſa deficiente: Deus autem non poteſt in agendo deficere. Hinc Aug. lib. 12. de civit. c. 7. ait: *Nemo quærat cauſam malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens: quia neque illa eſt effectio, ſed defectio.* Sed ſuſpicor Calvinum aliter ſentire de formali ratione, ſeu de malitia peccati. Non enim in privatione, ſed in aliqua natura, ſeu entitate putat eam conſiſtere. Notavit hoc Maldonatus, qui probe perſpectam habuit ſententiam Calviniſtarum, quam Pariſiis & publice, & privatim egregie refutavit. Et facile apparet ex ipſis Calvini verbis, præſertim ex illis ſupra citatis: *Omiſſo hic univerſalem Dei motionem, unde creaturæ omnes ut ſuſtinentur, ita efficaciam quidvis agen-*

gendi ducunt: De illa ſpeciali actione tantum loquor, quæ in unoquoque facinore appareat. Hic Calvinus, præter generalem illum concurſum, quo Deus ad omnem actionem creaturæ concurrit, agnoſcit aliquem influxum particularem, quo Deus ſpeciali modo effective producit peccatum, quatenus peccatum eſt, & ab opere bono diſtinguitur. At quid opus erat hoc influxu ſpeciali, niſi peccatum, quatenus peccatum eſt, ex ſententia Calvini, eſſet entitas realis, ac poſitiva? ſed ſi hoc concedit Calvinus, incidit in errorem Manichæorum, quem multi Patres, & præſertim D. Auguſtinus multis locis refutavit.

9. Solet objici illud Iſaiæ 45. 7. *Ego Dominus, & non eſt alter: faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Sed jam olim a Patribus ad hunc locum reſponſum eſt. *Mala dicuntur*, inquit Tertullianus, *& delicta, & ſupplicia. Nos, ſeparatis malis delicti, & malis ſupplicii, malis culpæ, & malis pœnæ ſuum cuique parti definimus auctorem: malorum quidem peccati, & culpæ, diabolum: malorum vero ſupplicii, & pœnæ, Deum creatorem.* Similia habet Origenes lib. 6. contra Celſum; Caſſianus collat. 6. cap. 5. Heſychius lib. 4. in Leviticum, cap. 14. Damaſcenus lib. 4. cap. 40. Hieronymus in lamentationes Jeremiæ cap. 3. Qui omnes duplex diſtinguunt malum: alterum culpæ, alterum pœnæ. Prius negant eſſe a Deo; poſterius concedunt. At, inquit Calvinus, adulterium Abſalonis erat malum culpæ, & tamen a Deo fuit. Sed negamus a Deo fuiſſe. Voluit quidem Deus præviſa mala voluntate Abſalonis uti ad puniendum Davidem, non tamen dedit illi malam voluntatem, ſed permiſit. Recte enim Auguſt. lib. 5. de civit. cap. 8. *A Deo ſunt omnes poteſtates: quamvis ab illo non ſint omnium voluntates.* Et cap. 9. *Sicut omnium creaturarum creator eſt, ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.* Et in lib. de ſpiritu, & littera, c. 31. *Nuſquam legimus: Non eſt voluntas niſi a Deo: Et recte non ſcriptum eſt, quia verum non eſt. Alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo: quoniam mala voluntas jam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus, id eſt, ſi non habeat poteſtatem.* Et lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſ. c. 18. *Malam voluntatem ad auctorem Deum eſſe referendam nefas eſt dicere.* Item, *Si ergo voluntas aut bona eſt, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, reſtat, ut bonam habeamus ex Deo.*

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

An Deus ſimpliciter dicendus ſit Author peccati?

1. AFfirmat Calvinus lib. 1. Inſtit. c. 18. §. 3. his verbis: *Et jam ſatis aperte oſtendi, Deum vocari omnium eorum auctorem, quæ iſti cenſores volunt otioſo tantum ejus permiſſu contingere.* Loquitur de peccatis, de quibus diſputare cœperat, nominatim de cæcitate, & tyrannide Achabi, de inceſtu Abſalonis, de convicio Semei, de Apoſtaſia, & idolomania decem tribuum, de cædibus, rapinis, & incendiis Chaldæorum in Judæa, de rabie furentium Judæorum in Chriſtum, de iniquiſſimo Pilati judicio, & de aliis ſimilibus. Hæc omnia vocat Dei opera, horum omnium auctorem eſſe Deum pronunciat, ridetque Catholicos, qui hæc ſola permiſſione putant evenire.

2. Hæc Calvini propoſitio, quam ipſe accepit ab antiquis hæreticis, Cerdoniſtis, Marcioniſtis, Priſcillianiſtis, Albigenſibus, Florino, tam impia, & blaſphema eſt, ut eam tum alii omnes, tum ipſe etiam Calvinus fuerit execratus. Aliorum teſtimonia paſſim obvia ſunt. Sanctus Irenæus integrum opus adverſus hanc hæreſim ſcripſit, teſte Euſebio lib. 5. hiſt. c. 19. Similiter Baſilius ſcripſit integram homiliam, cujus titulus eſt: *Quod Deus non eſt author malorum*. D. Auguſtinus tres libros ſcipſit de libero arbitrio ea potiſſimum de cauſa, ut oſtenderet, Deum non eſſe auctorem peccati. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 20. nihil aliud docet, niſi Deum non eſſe auctorem mali, & explicat teſtimonia Scripturæ, quæ in contrarium afferri poſſunt. Ceteri Patres paſſim idem docent. D. Chryſoſtomus homil. 23. in Acta Apoſtolorum: *Nullus*, inquit, *dicat, Deus nobis auctor malorum eſt*. Et infra: *Satius fuerit ſexcenties defodi, quam Deum audire talia per nos*. Tertullianus in libro adverſus Hermogenem: *Nec enim fieri poteſt, ut ſit initiator aut artifex ullius mali operis, qui nomen ſibi perfecti vindicat & parentis, & judicis*. Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſ. c. 17. *Nullius culpa humanæ in Deum referas cauſam*. Proſper in reſponſione ad capitula Gallorum cap. 14. *Bonorum Deus auctor eſt, non malorum*. Sanctus Gregorius lib. 29. moralium cap. 21. *Dominus auctor eſt naturæ, non culpæ*. Longum eſſet omnium aliorum teſtimonia congerere, præſertim in re certa.

3. Idem dixerunt, & ſenſerunt profani auctores. Mercurius

Triſ-

Triſmegiſtus in Pimandro cap. ultimo ait, *A Deo factore nihil turpe, nihil malum prodire*, Plato in 2. Dialogo de Republ. *Bonorum quidem ſolus Deus cauſa eſt dicendus: malorum autem quamlibet etiam aliam præter Deum cauſam quærere decet*. Et infra: *Malorum alicui cauſam eſſe Deum, cum bonus ſit, refellendum eſt omnino, nec permittendum hoc quenquam dicere in ſua civitate, ſi bonis inſtrui legibus civitas debet: Nec inſuper quenquam audire, ſive ſit ille minor, ſive ſenior; ſive carminibus hæc inſerantur, ſive ſoluta oratione narrentur, tanquam quæ neque dictu ſancta ſint, neque aliis utilia, nec inter ſe conſona*.

4. Jam Calvinus ipſe non uno loco diſertis verbis affirmat Deum non eſſe auctorem malorum, Nam in præfatione libri de ęterna prędeſtinatione ait: *Inter omnes pios fixum hoc, & confeſſum eſſe debet, non eſſe, cur ſuis peccatis ſocium homines Deum adſcribant, nec ullo modo ſocium involvant, ad partem culpæ ſuſtinendam*. Et in fine ejuſdem libri: *Ergo cum juſta de cauſa, licet nobis ignota, a Domino procedant, quæ ſcelerate ab hominibus maleficia perpetrantur: etiamſi rerum omnium prima cauſa ſit ejus voluntas, peccati tamen eſſe auctorem nego*. Et lib. 1. Iuſtitut. cap. 17. §. 3. reprehendit Lyconidem, qui apud Plautum dicit, *Deus impulſor fuit: credo Deos voluiſſe*. Denique idem Calvinus in admonitione adverſus Libertinos longa diſputatione probare nititur, Deum non eſſe cauſam peccati. Et Theodorus Beza, tum in reſponſione ad Heshuſium, tum in alia ad Caſtalionem, diligenter purgat ſe, & Calvinum ſuum ab illa nota, quod Deum auctorem peccati faciat.

5. At ſi ita eſt, inquies, ſi Calvinus negat Deum eſſe auctorem peccati, quomodo ergo nos dicimus, eum hoc aſſeruiſſe? Reſpondeo. Calvinus facit, quod alii faciunt heretici, Affirmat, negat, ſicut vult. Quando diſputavit contra Catholicos, contra nudam Dei permiſſionem, aperte aſſeruit, Dei voluntate, & decreto fieri peccata: Deum auctorem eſſe omnium flagitiorum, non permiſſorem. Verba ejus ſuperius recitata ſunt. At poſtea, quando Libertini, (novi heretici, partim ex Luthero, partim ex Calvino geniti) cœperunt palam ex doctrina Calvini profiteri, Deum eſſe auctorem ſcelerum, ac flagitiorum omnium, aliaque paradoxa paſſim diſſeminarunt, non continuit ſe Calvinus, & verſis velis, ſeipſum cœpit oppugnare in ſuis filiis. Neque Calvino hoc novum eſt, Alibi ſępe hoc factitavit, ut non ſemel hactenus notavi, ac deinceps notabo.

6. Quod autem Calvinus ſenſerit, Deum eſſe auctorem peccatorum, dupliciter oſtendi poteſt, Primo ex verbis Calvini, quę

pau-

paulo ante recitata ſunt. Secundo rationibus, quæ in doctrina ipſius fundantur. Prima ratio: Qui phyſice, & effective, & tanquam principale agens producit aliquod opus, eſt phyſica, & effectiva cauſa illius operis, ut per ſe patet: ſed Deus, teſte Calvino, phyſice, & effective, & tanquam principale agens producit adulteria, furta, & homicidia, ut in præcedentibus quæſtionibus oſtenſum eſt: ergo Deus, teſte Calvino, & phyſica, & effectiva cauſa illorum ſcelerum eſt. Secunda ratio: Qui alium incitat, impellit, & neceſſitat ad opus aliquod faciendum, eſt moralis cauſa, & primarius author illius operis, quod etiam per ſe notum eſt: At Deus, teſte Calvino, incitat, impellit, & neceſſitat homines ad omnia ſcelera perpetranda, ut in ſuperioribus viſum eſt; ergo Deus, teſte Calvino, eſt moralis cauſa, & primarius author omnium flagitiorum. Tertia ratio: Is, qui utitur inſtrumento, eſt primarius author illius operis, quod ipſe per inſtrumentum facit; ſed Deus, ex doctrina Calvini ſuperius tradita, utitur homine tanquam inſtrumento ad perpetranda peccata: ergo Deus eſt primarius author peccatorum. Quarta ratio: Qui efficaciter procurat, ut aliquis peccet, is illius peccati author dici debet: ſed Deus, ut docet Calvinus, ęterna ſua prędeſtinatione efficaciter procurat omnia peccata; ergo omnium author dicendus eſt.

7. Hæc argumenta, quę partim ex Calvini verbis, partim ex lumine naturali, & omnium hominum conſenſu contexta ſunt, conantur Calviniſtę eludere hac unica diſtinctione. Ajunt, Deum quidem eſſe authorem furtorum, adulteriorum, homicidiorum, & aliorum ſimilium operum: non tamen eſſe authorem peccatorum; quia putant illa non eſſe peccata, quatenus ſunt a Deo. Itaque concedunt, Deum impellere, & cogere impios ad furta, & homicidia perpetranda, imo Deum operari hæc omnia per homines, tanquam per ſua inſtrumenta; negant tamen Deum operari peccata, quia illa opera, quatenus a Deo ſunt, non ſunt peccata: ſed ſolum quatenus procedunt a mala impiorum voluntate. Sed hæc evaſio nulla eſt, etiam Calvino teſte. Nam neque Libertini volebant concedere, Deum revera eſſe authorem peccatorum, (quia putabant peccatum nihil aliud eſſe, niſi falſam opinionem) ſed tantum eſſe cauſam adulterii, homicidii, furti; & tamen eo nomine reprehenduntur a Calvino in epiſtola ad Rotomagenſes adverſum Franciſcanum quendam Libertinum his verbis: *Conteſtatur ſibi longe aliam eſſe mentem, ſeque Deum mali authorem facere nolle affirmat; ſed quid prodeſt hujuſmodi ſubterfugium in re tam aperta?* Hoc idem dici poteſt de Calvino, & Calviniſtis, qui in re tam aperta ſubterfugium quærunt.

8. De-

8. Deinde quæro ex Calvino, quare mendacium, odium, aut homicidium ſint peccata, quatenus procedunt ab homine, qui eſt tantum inſtrumentum: & non ſint peccata, quatenus procedunt a Deo, qui eſt agens, & cauſa principalis? Reſpondebit, quia voluntas Dei bona eſt, hominis mala. Item quæro, cur in eodem opere bona ſit voluntas Dei, & mala voluntas hominis? Invenio quatuor cauſas apud adverſarios, quas breviter examinabo. Prima eſt, quia natura humana vitio primi parentis tota corrupta eſt. Sed hæc ratio non habet locum in primo peccato Adami, & Luciferi. Nam ſi quęram, quare voluntas Adami, & Luciferi fuerit mala in primo peccato, & voluntas Dei bona? non poteſt apte reſponderi, totam naturam humanam, & Angelicam fuiſſe corruptam. Hoc enim falſum eſt. Altera illorum ratio eſt, quia Deus non vult peccatum, ut culpam, ſed ut pœnam alterius peccati. Sed neque hęc ratio poteſt accommodari ad peccata primi parentis, & Luciferi. Nam primum illorum peccatum non potuit eſſe pœna alicujus peccati præcedentis, cum ante primum peccatum nullum aliud præceſſerit. Tertia ratio eſt, quia Deus habet bonum finem propoſitum, homo malum. Deus enim vult homines peccare, ut habeat quos juſte damnet, & quorum liberaliter miſereatur, ut ea ratione juſtitię, & miſericordiæ ſuę gloriam manifeſtet. Homo autem peccat, ut libidinem ſuam expleat, non ut gloriæ Dei ſerviat. Hanc rationem reddit *Zvvinglius* in libro de providentia c.6. Calvinus l.1. Inſt.c.17.§.5. & in libro de æterna Dei prædeſtinatione, & in inſtructione adverſus Libertinos, c.14. & Beza in reſponſione ad Sebaſtianum Caſtalionem in refutatione ſecundæ calumniæ. Hæc ratio ex ipſo Calvino refutari poteſt, quia ipſe ex ſuis principiis fateri debet, Deum eſſe cauſam malæ intentionis, ſeu voluntatis. Nam ſi Deus ab æterno decrevit, & prædeſtinavit peccatum, quod poſſit juſte punire, aut liberaliter condonare; & peccatum non eſt peccatum, niſi mala intentione fiat; neceſſe eſt, Deum prædeſtinaſſe, & decreviſſe, ut homo mala intentione operaretur: ergo mala intentio eſt effectus divinę prædeſtinationis: ergo etiam peccatum, quatenus peccatum, eſt effectus Dei: ergo Deus eſt cauſa, & author peccati, quatenus peccatum eſt, ex ſententia Calvini. Quarta ratio eſt Zvvinglii, qui ideo putat malam eſſe hominis voluntatem in opere malo, Dei non malam, quia Deo non eſt poſita lex, homini autem poſita eſt; ac proinde in eodem opere voluntas hominis tranſgreditur legem, & mala eſt; Dei voluntas non tranſgreditur, & mala non eſt. Hęc doctrina Zvvinglii refellitur ab ipſo Calvino lib. 3. Inſtitutionum cap. 23. §.2. in fine; *Non fingimus*, inquit, *Deum exlegem*, &c.

Et

Et merito, quia quamvis Deo non ſit lex poſita ab aliquo ſuperiore, (quippe qui ſuperiorem non habet) tamen ipſa bonitas, & natura Dei eſt ipſi lex. Sicut ergo mendacium, & quodvis aliud peccatum contra legem naturæ repugnat naturæ, & bonitati Dei, ut ſupra oſtenſum eſt; ita etiam repugnat legi; quam Deus naturali obligatione ſervare debet; ergo ſi voluntas Dei, ſicut voluntas hominis, eligeret mendacium, furtum, aut homicidium, non minus tranſgrederetur legem ſibi connaturalem; quam voluntas hominis, ac proinde vel ambæ eſſent malæ, vel neutra.

CAPUT VI.

De reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia.

DUæ ſunt ſolemnes Controverſiæ inter nos, & Adverſarios de Euchariſtia. Una: An Chriſtus ſit vere præſens in Euchariſtia? Altera: An fiat præſens per Tranſubſtantiationem, ideſt per converſionem ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti? In priori diſſentiunt a nobis Calviniſtæ, qui negant Chriſtum in Euchariſtia præſentem eſſe. In poſteriori Lutherani, qui quidem fatentur præſentem eſſe, non tamen per tranſubſtantiationem, ſed alio modo: Hi refutati ſunt lib. 2. cap. 3. Calviniſtæ hoc loco refellendi; & quidem hoc ordine. Primo, explicabo ſtatum quæſtionis de præſentia Chriſti in Euchariſtia. 2. Oſtendam, Calviniſtas negare præſentiam Chriſti. 3. Calviniſtas jugulare ſeipſos. 4. Non intelligere quid dicant. 5. Scripturam corrumpere. 6. Repugnare Patribus. 7. Divinis miraculis confutari. 8. Nullo fundamento ſubnixos eſſe. 9. Merito ſuſpectos eſſe debere.

Status Quæſtionis de præſentia Chriſti in Euchariſtia.

1. POteſt aliquis quatuor modis eſſe preſens alicubi. Primo per ſignum, figuram, vel imaginem ſui; quo pacto Imperator eſt præſens in effigie, quæ illum repræſentat. Secundo per apprehenſionem, quo pacto amicus amico preſens eſt, quando de illo reipſa cogitat. Tertio per effectum, vel operationem; quo pacto Sol eſt nobis præſens per lumen, & calorem, quem in terris producit. Quarto per ſeipſum, quo pacto Sol eſt præſens in cœlo.

2. Hoc poſito, certum eſt apud omnes tam Catholicos, quam adver-

adverſarios, Chriſtum præſentem eſſe tribus prioribus modis in legitimo uſu Euchariſtiæ. Primo, quia per externas ſpecies panis, & vini, tanquam per ſigna quædam divinitus inſtituta, Chriſti caro, & ſanguis repręſentantur. Secundo, quia ex illa repræſentatione Chriſtum fide apprehendimus. Tertio, quia per illa ſigna operatur in nobis effectum gratiæ; & refectionis ſpiritualis. Eſt igitur præſens repræſentative; objective, & effective; ſeu virtualiter. Iiſdem modis fuit præſens in Sacramentis, & ſacrificiis antiquæ legis. Primo, quia illa Chriſtum figurabant. Secundo, quia Judæi per fidem in Chriſtum venturum credebant. Tertio, quia per Chriſti futura merita gratiam conſequebantur.

3. Tota difficultas eſt de quarto modo, an ſcilicet Chriſtus non ſolum per figuram, & apprehenſionem, & per effectum, ſed etiam per ſeipſum ſit præſens in Euchariſtia? Calviniſtæ negant, ut paulo poſt videbimus. Unde ſequitur, Chriſtum ex illorum ſententia non aliter præſentem eſſe in Euchariſtia, quam olim fuerit in ſacrificiis Moſaicis; nempe ſacramentaliter, objective, & effective; non autem per ſeipſum. Catholici plus tribuunt Euchariſtiæ. Volunt Chriſtum omnibus modis ibi præſentem eſſe. Hoc in Concilio Tridentino explicant per illas tres particulas, *Vere, Realiter, Subſtantialiter*; quaſi dicant: Chriſtum non ſolum duntaxat ſecundum figuram, ſed etiam ſecundum veritatem: neque ſolum per apprehenſionem, ſed etiam reipſa: neque ſolum per effectum, & operationem, ſed etiam per ſeipſum, & ſubſtantiam ſuam in Euchariſtia præſentem eſſe.

4. Unde patet, hunc eſſe ſtatum quæſtionis: An Chriſtus per ſeipſum, & per ſubſtantiam ſuam ſit præſens in Euchariſtia, nec ne? vel, An Vere, Realiter, & Subſtantialiter ſit ibi, nec ne? vel, an caro, & ſanguis Chriſti ſit in Euchariſtia, & non tantum figura, vel apprehenſio, vel operatio carnis, & ſanguinis? Hæc enim eodem recidunt. Nunc ergo videndum eſt, quid Calviniſtę de hac re ſentiant, & quomodo refutari poſſint.

Calviniſtæ negant præſentiam Chriſti in Euchariſtia.

5. Hoc aperte conſtabit ex tribus illorum propoſitionibus, quas hic ſubjungam. Prima eſt: Corpus Chriſti non eſſe alibi, quam in cœlo, ac proinde tanto intervallo diſtare ab Euchariſtia, quanto diſtat cœlum a terra. Ita Calvinus in confeſſione de re ſacramentaria, ubi in fine ſic ait: *Tollenda eſt qualibet localis præſentiæ imaginatio. Nam cum ſigna hic in mundo*

do ſint, oculis cernantur, palpentur manibus: Chriſtus, quatenus homo eſt, non alibi, quam in cælo quærendus eſt. Et ibidem: *Quia tamen corpus Chriſti finitum eſt, & cælo, ut loco, continetur, neceſſe eſt a nobis tanto locorum intervallo diſtare, quanto cælum abeſt a terra.*

6. Altera propoſitio eſt, verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, non proprie, ſed figurate intelligenda eſſe, ut ſenſus ſit; *Hoc eſt corpus meum*; ideſt, hic panis eſt ſignum, ſeu figura corporis mei. Similiter, *Hic eſt Sanguis meus*, ideſt, hoc vinum eſt ſignum, ſeu figura ſanguinis mei. Hæc propoſitio ſequitur ex præcedenti. Nam ſi corpus Chriſti non alibi, quam in cęlo eſt, non poteſt vere, ac proprie eſſe in Euchariſtia, ſed tantum figurate: ac proinde verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, non poſſunt intelligi, quaſi corpus Chriſti vere, ac proprie ſit pręſens in Euchariſtia, ſed quod ibi ſit pręſens figura, ſeu ſacramentum corporis Chriſti. Ita Calvinus l. 4. inſt. c. 17. §. 21. Pleſſæus lib. 4. de Euchariſtia, c. 1. & alii Calviniſtę paſſim. Verba Pleſſæi ſunt hęc; *Panis ſignificat corpus Chriſti: Panis eſt ſignum corporis Chriſti: Panis eſt corpus Chriſti in ſigno.*

7. Tertia propoſitio eſt; Corpus Chriſti cum tantum ſit in cœlo, non aliter percipi, & manducari a nobis in Euchariſtia, quam ſola fide, neque opus eſſe ad hanc manducationem, ut per ſeipſum pręſens ſit, & e cœlo ad nos deſcendat, ſed ſufficere, ut per fidem nos ſibi pręſentes faciat in cęlo. Nam per fidem in cęlum ad Chriſtum aſſurgimus. Ita Calvinus lib. 4. inſtit. c. 17. §. 5. his verbis; *Interim vero hanc non aliam eſſe quam fidei manducationem, fatemur: & nulla alia fingi poteſt.* Et §. 31. *Chriſtus præſens illis non videtur, niſi ad nos deſcendat. Quaſi vero ſi ad ſe nos evehat* (nempe per fidem) *non æque potiamur ejus præſentia.* Et infra: *Neceſſe non eſt, Chriſtum elicere in terras, ut nobis ſit conjunctus:* quia ſcilicet ſola fide ſufficienter nobis conjungitur. Hinc Pleſſęus lib. 4. de Euchariſt. cap. 1. diſerte fatetur Chriſtum non aliter manducari, & bibi in Euchariſtia, quam in Baptiſmo, aut in Verbo Dei, ſeu Evangelio, quia non aliter manducatur, & bibitur, quam ſola fide.

8. In his tribus propoſitionibus continetur doctrina Calviniſtarum, in qua ipſi cum Berengario, Vvicleffo, & Zvvinglianis conſentiunt, & a Catholicis diſcrepant. Catholici ſic docent. Primo, Chriſtum non tantum in cœlo, ſed etiam in Euchariſtia *vere, realiter, & ſubſtantialter* pręſentem eſſe. Secundo, verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, proprie, non figurate intelligenda eſſe. Tertio non ſola fide, ſed *vere, realiter, & ſubſtantialiter* Chriſtum in Euchariſtia manducari.

Cal-

Calviniſtæ ſeipſos jugulant.

9. HOc breviter oſtendam, diſcurrendo per ſingulas propoſitiones jam allatas. Prima eſt, corpus Chriſti non alibi eſſe, quam in cœlo, ac proinde tanto intervallo diſtare ab Euchariſtia, quanto cœlum abeſt a terra. Hanc evertit Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 10. his verbis: *Omnino iſthæc piis tenenda eſt regula, ut quoties ſymbola vident a Deo inſtituta, illic rei ſignatæ veritatem adeſſe certe cogitent, ac ſibi perſuadeant*. Et in c. 11. prioris ad Corinthios: *Chriſtus viſibile illud ſymbolum nobis porrigendo, una dat etiam nobis ſuum corpus. Neque enim fallax eſt, qui vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi eſt extra controverſiam, veritatem hic cum ſuo ſigno conjunctam eſſe*. Quid clarius? Ait veritatem cum ſuo ſigno, id eſt, corpus Chriſti cum ſymbolo panis conjunctum eſſe; ac proinde, quando ſymbolum illud nobis porrigitur, ſimul porrigi corpus Chriſti, quod per illud repræſentatur. Evertit ergo, quod antea dixerat, corpus Chriſti non eſſe conjunctum cum pane, ſed tanto intervallo ab eo diſtare, quanto abeſt cœlum a terra.

10. Altera propoſitio eſt, verba illa Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, non proprie, ſed figurate intelligenda eſſe, ut ſenſus ſit, *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, Hic panis eſt ſignum, ſeu figura corporis mei. Hanc evertit Calvinus. Nam cum antea docuiſſet cum Zvvinglio, panem eſſe ſignum, ſeu figuram corporis Chriſti abſentis, ideſt, in cœlo, & non alibi exiſtentis, poſtea oppugnans Zvvinglium aſſeruit, panem eſſe ſignum corporis Chriſti præſentis: & ſic incaute ſeipſum jugulavit. Hoc partim patet ex locis jam citatis; partim ex libello de cœna Domini in fine, ubi contra Zvvinglium, & Oecolampadium ſic ait: *Dum nimis ſtudioſe, ac diligenter in hoc toti incumbebant, ut aſſererent panem, & vinum, corpus, & ſanguinem Chriſti vocari, quod ipſorum ſigna ſint, non cogitarunt ſibi hoc interea ſimul agendum, ut adjungerent ita ſigna eſſe, ut nihilominus veritas cum eis conjuncta ſit*. Ubi nota, Calvinum agnoſcere duplex ſigni genus: Quoddam nudum, ſeu vacuum, quod rem ſignatam repræſentat tantum, ſed non exhibet, quo pacto imago Cæſaris repræſentat Cæſarem, ſed non exhibet; & figuræ veteris Teſtamenti repræſentabant, ſed non exhibebant Chriſtum: Aliud non nudum, & vacuum, ſed conjunctum cum re ſignata, quia non tantum repræſentat illam, ſed etiam exhibet. Et hujus generis ſignum vult eſſe panem Euchariſticum. Huc ſpectat, quod lib. 4. cap. 17. §. 21. ait: *Etſi ſymbo-*

lum a re ſignata differt: quia tamen rem, cui præſentandæ conſecratum eſt, non figurat tantum, ceu nuda, & inanis teſſera, ſed etiam vere exhibet: cur non ejus appellatio in ipſum jure competat? Quod ſi humanitus excogitata ſymbola, quæ imagines ſunt rerum abſentium potius, quam notæ præſentium, quas etiam ipſas fallaciter ſæpe adumbrant, earum tamen titulis interdum ornantur; quæ a Deo ſunt inſtituta, multo majori ratione rerum nomina mutuantur, quarum & certam, minimeque fallacem ſignificationem ſemper gerunt, & adjunctam habent ſecum veritatem. Hoc loco probat Calvinus, panem recte vocari Corpus Chriſti, tali argumento: Quando ſignum non tantum repræſentat, ſed etiam vere exhibet rem ſignatam, tunc recte vocari poteſt nomine rei ſignatæ: At panis Euchariſticus non ſolum repræſentat, ſed etiam vere exhibet Corpus Chriſti: ergo panis Euchariſticus recte vocari poteſt Corpus Chriſti. Quid aliud hinc colligas; quam Corpus Chriſti præſens eſſe in Euchariſtia, quod tamen Calvinus antea negaverat? ergo ſeipſum deſtruit.

11. Tertia propoſitio eſt, Corpus Chriſti non aliter percipi, & manducari, quam ſola fide. Hanc dupliciter evertit Calvinus, primo, quia oppugnat Zvvinglianos, qui fidei manducationem admittunt. Sic enim de iis loquitur l.4. c.17. §. 5. *Sed hoc non perinde convenit inter omnes, qualis ſit ejus participandi ratio. Sunt enim, qui manducare Chriſti carnem, & ſanguinem ejus bibere uno verbo definiunt, nihil eſſe aliud, quam in ipſum Chriſtum credere. Sed mihi expreſſius quiddam, ac ſublimius videtur voluiſſe docere Chriſtus in præclara illa concione, ubi carnis ſuæ manducationem nobis commendat.* Secundo, quia expreſſe docet cum Pleſſæo, corpus Chriſti *Vere*, *Realiter*, *& Subſtantialiter* a nobis manducari, ac proinde non ſola fide. Sic enim habet in lib. de Cœna Domini. *Neceſſe eſt, nos in cœna vere corpus, & ſanguinem Chriſti recipere.* Et infra: *Intelligimus Chriſtum nobis in cœna veram, propriamque corporis, & ſanguinis ſui ſubſtantiam donare.* Et in c. 11. prioris ad Corinth. *Concludo, realiter, ut vulgo loquuntur, nobis in cœna dari corpus Chriſti.* Et l. 4. Inſt. c. 17. §. 32. *In ſacra cœna jubet me ſub ſymbolis panis, ac vini corpus, & ſanguinem ſuum ſumere, manducare, ac bibere. Nihil dubito, quin & ipſe vere porrigat, & ego recipiam.* Et Pleſſæus l. 4. de Euchar. c. 2. *Dum ſacra cœna ex præſcripto Chriſti celebratur, Chriſtum realiter, & ſubſtantialiter recipimus.* Vides, opinor, Calvinum Calvino contrarium eſſe: & quod uno loco affirmat cum Zvvinglio, altero negare contra Zvvinglium; & conſequenter contra ſeipſum. Neque hoc novum eſt, ut ſæpe dixi.

Cal-

Calviniſtæ non intelligunt, quid dicant.

12. Ipſe Calvinus hoc fatetur, ut jam oſtendam. Dixerat prius cum Zvvinglio, panem eſſe ſymbolum Chriſti abſentis, eo quod tanto intervallo abeſſet Chriſtus ab Euchariſtia, quanto abeſt cœlum a terra. Poſtea aſſeruit contra Zvvinglium, & contra ſeipſum, panem eſſe ſymbolum Chriſti præſentis, ita ut non ſolum repræſentaret, ſed etiam reipſa Chriſtum nobis exhiberet. Videbat hæc duo non cohærere: & tamen, ut ſuperbum eſt hæreticorum genus, nec hoc, nec illud voluit revocare; aut ullam repugnantiam in ſuis verbis agnoſcere. Quid ergo? Prætendit rem eſſe difficilem, & myſterii plenam, quæ nec verbis explicari, nec ingenio comprehendi poſſit. Audi, quid dicat lib. 4. inſtit. c. 17. §. 7. *Nihil reſtat*, inquit, *niſi ut in ejus myſterii admirationem prorumpam, cui nec mens plane cogitando, nec lingua explicando par eſſe poteſt*, & infra §. 10. *Etſi autem incredibile videtur, in tanta locorum diſtantia penetrare ad nos Chriſti carnem, ut nobis ſit in cibum, meminerimus, quantum ſupra ſenſus omnes noſtros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quam ſtultum ſit ejus immenſitatem noſtro modo velle metiri. Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides.* Et Beza in tractatu de re Sacramentaria quæſt. 9. *Fatemur incomprehenſibile eſſe myſterium Dei, quo fit, ut quod eſt, & manet in cœlis, & non alibi, vere communicetur nobis, qui in terra ſumus, & non alibi.*

13. Hic iterum vides morem, & ingenium hæreticorum. Cum in aperta contradictione deprehenſos ſe vident, non contradictionem, ſed myſterium interpretantur. Quæ potuit eſſe manifeſtior contradictio, quam uno loco aſſerere, corpus Chriſti nuſquam eſſe, niſi in cœlo; & alio, corpus Chriſti conjunctum eſſe cum ſymbolo panis in Euchariſtia? At Calvino, & Bezæ non contradictio, ſed myſterium eſt, quod intelligi nequeat. Audi ſimile exemplum in eodem Calvino. Docuit alibi, peccata omnia Deo volente, & decernente perpetrari. Objiciebant Catholici, hoc conſiſtere non poſſe cum Scriptura, quæ ait, peccata fieri Deo vetante, & prohibente: non poſſe contrarias in Deo eſſe voluntates, quarum una velit, altera non velit peccata ab hominibus committi. Quid Calvinus? Ait myſterium eſſe, quod a nobis capi, aut intelligi non poſſit. Sic enim habet, ut cap. 5. q. 2. §. 8. retuli: *Quod objiciunt, ſi nihil eveniat, niſi volente Deo, duas eſſe in eo contrarias voluntates, quia occulto conſilio decernat, quæ lege ſua palam vetuit, facile diluitur.* Quam facile, audiamus. Per-

git igitur poſt pauca, & ſic diluit: *Quomodo Deus diverſo modo idem nolit fieri, & velit, non capimus.* Sane illa diluendi ratio eſt omnium facillima. Implica te mille contradictionibus; affirma, & nega quod vis, urgeant adverſarii; facile te expedies cum Calvino hac voce, *non capimus: myſterium eſt.*

Calviniſtæ Scripturam corrumpunt.

14. Ne longus ſim, uno verbo oſtendam. Catholici e Scriptura producunt 4. potiſſimum argumenta, quibus probant Chriſtum in Euchariſtia præſentem eſſe: Calviniſtæ nullum, niſi corrumpant Scripturam, poſſunt diſſolvere. Primum petunt ex figuris Euchariſtiæ. Alterum ex Chriſti promiſſione, Joan. 6. 51. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Tertium ex inſtitutione, Matth. 26. 26. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Quartum ex uſu, 1. Corinth. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Et cap. 11. 27. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Hæc, inquam, ſunt argumenta Catholicorum, quæ docte, & copioſe perſequitur Bellarm. l. 1. de Euchariſtia cap. 3. & ſequentibus.

15. Ego, relictis aliis, uno ſolo, quod ex inſtitutione ſumitur, contentus ero; cujus vim Calviniſtæ, niſi corrupto textu, nunquam effugient. Eſt autem tale: Chriſtus inſtituit Euchariſtiam his verbis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur.* At hæc verba debent proprie, non autem figurate intelligi: ergo corpus, & ſanguis Chriſti proprie, & non figurate ſunt in Euchariſtia. Minor, in qua tota difficultas eſt, probatur ex illis verbis Luc. 22. 20. *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro vobis funditur:* Ubi illud relativum, *Qui*, refertur ad Calicem, ut patet ex Græco textu, qui ſic habet: Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id eſt, Hoc poculum, novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, quod pro vobis effunditur. Ex quo loco ſic argumentor: In illo poculo, quod Chriſtus tradidit Apoſtolis bibendum in cœna Euchariſtica, vel erat proprie, & vere vinum, vel proprie, & vere ſanguis Chriſti. Non potuit proprie, & vere eſſe vinum, quia poculum vini non eſt effuſum pro ſalute noſtra. Chriſtus autem loquitur de poculo, quod pro ſalute noſtra effuſum eſt. *Hoc*, inquit, *eſt poculum in meo ſanguine,* (vel poculum mei ſanguinis) *quod pro vobis effunditur.* Neceſſe ergo eſt in illo poculo fuiſſe vere, & proprie ſanguinem Chriſti.

16. Hic

16. Hic omnino premuntur Calviniſtæ, nec apparet ullum effugium. Vidit hoc Beza Calvini diſcipulus, & præ deſperatione, cum aliud non poſſet, maluit textum depravare, quam errorem deſerere. Sic igitur verba Chriſti mutavit: *Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ*, ideſt, *Hoc poculum novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur*. Audax facinus. Ipſemet Beza fatetur in omnibus Græcis Codicibus haberi: *Hoc eſt poculum in meo ſanguine, quod pro vobis effunditur*; & tamen omnibus refragantibus reponit hæc verba, *Hoc eſt poculum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur*. Bezam ſequuntur alii Calviniſtæ. Sed plerique non advertunt fraudem: ſi adverterent, nihil dubito, quin ad ſaniorem mentem redirent potius, quam in errore tam manifeſto perſiſterent.

Calviniſtæ repugnant Patribus.

17. Sane qui Scripturam tam indigne tractant, non reverebuntur authoritatem Patrum. Video autem Calviniſtas dupliciter in hoc genere peccare. Primo, quod aperte repugnent Patribus. Secundo, quod nihilominus populo perſuadeant, Patres ipſis patrocinari. Sic enim loquitur Calvinus in ultima admonitione ad Vveſtphalum: *Conſtat vetuſtos omnes Scriptores, qui totis quinq; ſæculis poſt Apoſtolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari*. Verius dixiſſet: uno ore nobis refragari. Quod dupliciter oſtendo. Primo, quia multi ex vetuſtis Scriptoribus expreſſe docent, panem, & vinum Euchariſticum ſubſtantialiter mutari in carnem, & ſanguinem Chriſti, ut Ambroſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Cyprianus, Gregorius Nyſſenus, Hilarius, quorum teſtimonia lib. 2. cap. 3. §. 10. & ſequentibus citata ſunt: ergo ex illorum ſententia Chriſtus ſecundum carnem, & ſanguinem vere præſens eſt in Euchariſtia. Secundo, alii diſerte affirmant hanc præſentiam. Audiamus illorum verba.

18. Origenes hom. 5. in diverſa loca Euangelii ſic ſcribit: *Quando manducas, & bibis corpus, & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur*. Calvinus diceret: Non ingreditur ſub tuum tectum, ſed manet in cœlo. Item Hilarius lib. 8. de Trinitate: *De veritate carnis, & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus:* niſi apud Calviniſtas.

19. Optatus Milevitanus l. 6. contra Parmenianum: *Quid eſt altare, niſi ſedes corporis, & ſanguinis Chriſti*? Et infra: *Hoc tam immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam calices Chriſti ſan-*

guinis portatores. Et Auguſt. conc. 1. in Pſalm. 35. *Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait: Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis*; non ſolam figuram corporis, ut putant Calviniſtæ. Contra quos ſcribit Damaſcenus lib. 4. de fide c. 14. *Non eſt*, inquit, *figura corporis, & ſanguinis Chriſti: abſit enim hoc: ſed eſt ipſum Corpus Domini deificatum*.

20. Nolo eſſe prolixior in citandis Patribus. Satis jam conſtat non omnes uno ore Calviniſtis patrocinari, niſi patrocinari idem ſit, quod refragari. Nihilominus in tanta luce tam impudentes ſunt adverſarii, ut quorundam Patrum authoritatem objectare nobis audeant. Ajunt quoſdam docere, Chriſtum eſſe in Euchariſtia tanquam in ſigno: Sed facilis reſponſio eſt. Dixi ſupra, Chriſtum 4. modis præſentem eſſe in Euchariſtia. 1. Per ſignum, ſeu figuram ſui. 2. Per apprehenſionem. 3. Per effectum, & operationem. 4. Per ſeipſum. Patres ergo, qui dicunt præſentem eſſe per ſignum, non negant præſentem eſſe per ſeipſum. Ubi nota has duas loquendi formulas diſtinguendas eſſe: Chriſtus eſt in Euchariſtia præſens per ſignum, & figuram ſui; & Chriſtus eſt in Euchariſtia præſens per ſignum, & figuram ſui tantum. Prior vera eſt, poſterior falſa.

Calviniſtæ divinis Miraculis confutantur.

21. DUplicia ſunt miracula, ut notat D. Th. 3. p. q. 29. ar. 1. ad 2. Quædam ſunt objecta fidei, quia creduntur. Quædam teſtimonia, ſeu motiva fidei, quia juvant, vel confirmant fidem. Priora ſolent eſſe occulta, ut fides eorum ſit magis meritoria. Poſteriora debent eſſe publica, & nota, ut poſſint fidem noſtram teſtari, & confirmare.

22. Utrumque miraculorum genus reperitur circa Euchariſtiam. Et quidem miracula prioris generis ſunt potiſſimum quatuor. Primum eſt, quod ſubſtantia panis, & vini convertatur in carnem, & ſanguinem Chriſti. Secundum, quod accidentia panis, & vini maneant ſine ſubjecto. Tertium, quod corpus Chriſti exiſtat ſine extenſione locali. Quartum, quod exiſtat in diverſis locis. Hæc occulta ſunt, neque ſub ſenſum cadunt.

23. Miracula poſterioris generis, quibus confirmari poteſt præſentia Chriſti in Euchariſtia, ſunt varia. Quædam contigerunt ante exortam hæreſim Berengarii, ut videre eſt apud Cyprianum ſer. de lapſis, Nicephorum l. 13. c. 7. Sozomenum l. 8. c. 5. Proſperum in lib. de prædictionibus p. 4. c. 6. Gregorium lib. 2. Dialog. c. 27.

&

& lib. 3. c. 3. Petrum Diaconum in vita ejuſdem Gregorii. Alia contigerunt poſt exortam hæreſim Berengarii, de quibus ſcribit Paſchaſius in l. de corpore, & ſanguine Domini c. 14. Et Guidmundus lib. 3. de Sacram. Et his miraculis ipſe quoque Berengarius ad ejurandam hæreſim permotus eſt. Alia contigerunt poſt Joannem Vvicleffum, qui Berengarii hæreſim renovavit, ut conſtat ex Thom. Vvaldenſi tom. 2. de Sacram. c. 63. ubi refert, ſe præſente Londini in Eccleſia S. Pauli quendam Vvicleffiſtam ab Epiſcopo Cantuarienſi juſſum eſſe adorare Euchariſtiam, & confiteri præſentiam Chriſti. Hunc, cum facere recuſaret, reſpondiſſe, araneam eſſe digniorem veneratione, quam Euchariſtiam. Mox horribilem araneam ex ſummo templi tecto in os blaſphemi deſcendiſſe, & vix multorum manibus prohiberi potuiſſe, quominus ad linguam, & fauces penetraret.

24. Porro hæc miracula poſſunt ad tria capita revocari. Quædam continent ſingularia Dei beneficia, quæ ex fide præſentiæ Chriſti in Euchariſtia conferuntur fidelibus, ut ſunt reſtitutio ſanitatis, & expulſio dæmonum, liberatio a naufragio, vel incendio, & ſimilia. Quædam continent pœnam, ſeu ultionem eorum, qui non credunt, vel rident præſentiam Chriſti in Euchariſtia. Exempla paſſim obvia ſunt. Quædam denique continent viſiones, quibus Chriſtus in Euchariſtia ſub forma pueri, vel carnis apparuiſſe legitur, ut patet ex Algero l. 1. de Sacram. c. 3. & ex aliis. Et quidem prima fiunt potiſſimum propter fideles, media propter infideles, poſtrema propter dubios.

25. Hinc ſumo tria argumenta contra Calviniſtas. 1. eſt: Illa fides non poteſt eſſe falſa, quam Deus confirmat miraculoſis beneficiis: at fidem præſentiæ Chriſti in Euchariſtia confirmat miraculoſis beneficiis: ergo illa fides non poteſt eſſe falſa. Major per ſe nota eſt, quia Deus, cum ſit prima veritas per eſſentiam, non poteſt confirmare falſitatem, ſeu mendacium. Minor patet ex Cypriano, Nicephoro, & aliis authoribus ſup. cit. qui ſcribunt, multos invocando Chriſtum in Euchariſtia impetraſſe ab eo ſanitatem, & alia beneficia miraculoſa, quæ procul dubio non impetraſſent, ſi Chriſtus in Euchariſtia præſens non eſſet. Faciamus aliquem eſſe, qui putet Chriſtum eſſe præſentem in lapide, & ex illa perſuaſione imploret ſanitatem a Chriſto, tanquam in lapide exiſtente: An impetrabit? Nemo dixerit. Cur ergo impetrat, qui in Euchariſtia præſentem putat, niſi quia revera præſens eſt?

26. Alterum argumentum eſt: Deus non ſolet eos miraculoſe punire, qui aliquid dicunt vel faciunt ex vera fide: at miraculoſe punit illos, qui negant, vel rident præſentiam Chriſti in Eu-

chariſtia: ergo eam negando, vel ridendo, non agunt ex vera fide. Minor patet ex Thoma Vvaldenſi, & aliis authoribus citatis. Refert Optatus Milevitanus, quoſdam ſuis canibus Euchariſtiam objeciſſe, & mox ab ipſis canibus, quaſi injuriam Chriſto factam vindicantibus, dilaniatos, ac diſcerptos eſſe. Similia paſſim occurrunt apud alios ſcriptores.

27. Tertium argumentum eſt: Qui revera in fide dubii ſunt, & a Deo veritatem in ſimplicitate quærunt, non ſolent a Deo illudi falſis apparitionibus: ergo quando apparet illis Chriſtus in Euchariſtia ſub forma pueri, vel carnis, non eſt falſa apparitio: ergo per eam ſignificat Deus, non amplius dubitandum eſſe, quin Chriſtus ſecundum carnem, & ſanguinem præſens ſit in Euchariſtia.

28. Facile video, quid reſponſuri ſint Calviniſtæ. Dicent, falſum eſſe, miracula illa a Deo fieri; nec eſſe vera miracula, ſed præſtigias Dæmonum, & meras illuſiones. Nimirum Phariſæis ſimiles ſunt, qui, cum Chriſtus faceret miracula, & turbæ mirarentur, dicebant: *in Beelzebub dæmoniorum principe ejicit dæmonia*. Et ſane alia reſponſio a Calviniſtis expectari non poterat. Qui enim, deſperata cauſa, Scripturæ textum audent depravare, & ſanctorum Patrum teſtimonia aſpernari, quomodo veriſimile eſt de miraculis bene loqui, & ſentire eos poſſe? Nihilominus prudens lector facile advertit, quid de tali hominum genere exiſtimandum ſit, qui omne præſidium ſuum in impudentia, & negandi libidine collocatum habent.

Calviniſtæ nullo fundamento ſubnixi ſunt.

29. Oſtendi hactenus, Calviniſtas & apertis Scripturæ teſtimoniis, & authoritate Patrum, & divinis miraculis confutari: imo & ſibi ipſis contrarios eſſe. Unde facile apparet, nihil ſolidi fundamenti pro ſua opinione ſtabilienda habere eos poſſe. Nihilominus, qui omnium hæreticorum mos eſt, hinc inde corradunt aliquot argumenta, præſertim ex Scripturis, Patribus, & ratione naturali, quæ quanti momenti ſint, paucis examinandum eſt.

30. Ac primo contendunt, hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, non poſſe proprie, ſed debere figurate accipi. Hoc autem probant a ſimili, quia hæ locutiones figuratæ ſunt: *Agnus eſt Phaſe*: *Petra erat Chriſtus*; *Ego ſum vitis*: *ſeptem boves ſunt ſeptem anni*: ergo etiam hæc eſt figurata: *Hoc eſt corpus meum*; *hic eſt ſanguis meus*.

meus. Reſp. Quidquid ſit de antecedente, neganda eſt conſequentia. Nam ſi ille modus argumentandi valeret, totum argumentum retorqueri poſſet in adverſarios, hoc modo: Hæ locutiones ſunt propriæ: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; *Paulus eſt Doctor gentium*; *Petrus eſt Apoſtolus*; *Judas eſt proditor*: ergo etiam hæc eſt propria, *Hoc eſt corpus meum*, *hic eſt ſanguis meus*. Nunc quæro ex Calviniſtis, an hæc mea conſequentia ſit bona, nec ne? Si bona eſt, jam vicimus. Si mala eſt, cur ſuam volunt eſſe bonam? Eſt enim ejuſdem generis, & valoris.

31. Sed urgent: Hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*, debent eodem ſenſu intelligi, quo iſta: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*: ſed hæc intelliguntur figurate: ergo & illa. Minor probatur, quia duplex figura eſt in illis verbis, una in nomine *calicis*, altera in nomine *teſtamenti*. Nam calix ſumitur pro vino, tanquam continens pro contento per metonymiam. Similiter teſtamentum ſumitur pro ſigno, vel figura teſtamenti. Non enim vinum, aut ſanguis eſt proprie teſtamentum, ſed ſignum teſtamenti. Unde Matth. dixit: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*; non autem, *Hic eſt ſanguis meus novum teſtamentum*. Confirmatur primo, quia ſi vinum, aut ſanguis eſſet proprie teſtamentum, jam ſingulis diebus renovaretur teſtamentum Chriſti, & præcedens antiquaretur. Secundo, neceſſe eſſet, Chriſtum ſæpe mori. Teſtamentum enim non valet, niſi intercedente morte teſtatoris.

32. Reſpondeo, dupliciter peccat hoc argumentum. Primo, quia male infert. Tametſi enim daremus hanc locutionem eſſe figuratam, *Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, non tamen ſequeretur, hanc etiam figuratam eſſe, *Hic eſt ſanguis meus*. Patet in exemplo domeſtico. Nam hæc propria eſt, *Bibe hoc vinum*; hæc figurata, *Bibe hunc calicem*. Non ergo licet ab una argumentari ad aliam. Secundo, nec ullam figuram eſſe in illis verbis, *Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*. Ac primo, quod in nomine calicis non ſit, ſic oſtendo. Nam illa verba, *Hic calix in meo ſanguine*, Hebraiſmum ſonant, & perinde valent, ac ſi dicas: *Hic calix mei ſanguinis*, ut habemus in Canone Miſſæ. Atqui in his verbis nulla plane eſt figura. Sicut enim proprie dicimus: *hoc eſt vas aquæ*, *hæc eſt amphora vini*: ita ſimiliter: *hic eſt calix ſanguinis*. Item ſicut proprie dicimus, *Bibite ex illo vaſe*, *vel ex illa amphora*; ita etiam proprie, *Bibite ex illo calice*.

33. Nec in nomine Teſtamenti eſt ulla figura. Nam teſtamen-

tum proprie dictum duo ſignificat. Primo, voluntatem, ſeu diſpoſitionem, ſeu promiſſionem, & pactum teſtatoris. Secundo, authenticum inſtrumentum, quo continetur voluntas, diſpoſitio, vel promiſſio teſtatoris; aut quo applicatur nobis jus ad hæreditatem a teſtatore promiſſam. Hoc modo proprie vocari poſſunt teſtamenta, non ſolum Biblia, quibus continetur voluntas Dei teſtantis, & promittentis; ſed etiam ſacramenta, quibus applicatur nobis jus ad hæreditatem a Deo promiſſam. Unde circumciſio, quæ erat ſacramentum veteris legis, per quod dabatur Judæis jus ad terram promiſſionis, proprie vocatur teſtamentum, ut patet ex illo Eccleſ. 44. 21. *In carne ejus ſtare fecit teſtamentum*. Eadem circumciſio dicitur etiam fœdus, & ſignum fœderis, Gen. 17. 10. & 11. Et utrumque proprie. Erat enim ſignum fœderis, ut fœdus accipitur pro divina miſſione. Et ſimul erat fœdus, ut fœdus accipitur pro inſtrumento, quo applicatur promiſſio. Inter omnia autem ſacramenta præcipue Euchariſtia dicitur teſtamentum; tum quia eſt authenticum inſtrumentum, quo confertur nobis jus ad æternam hæreditatem; tum etiam, quia continet apertiſſimam repræſentationem effuſionis ſanguinis Chriſti, quo ſancitum eſt novum teſtamentum, & a quo ſuam vim habet.

34. Ex his patet, quomodo proprie dictum ſit, non ſolum a Matthæo, & Marco: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*: ſed etiam a Luca, & Paulo: *Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*. Nam illi ſumunt nomen teſtamenti pro voluntate, & promiſſione teſtatoris: hi pro inſtrumento illius promiſſionis. Unde ſenſus Matthæi, & Marci eſt: *Hic eſt ſanguis novi teſtamenti*, id eſt, Hic eſt ſanguis, quo ſancitur voluntas, pactum, & promiſſio Dei. Senſus autem verborum Lucæ, & Pauli eſt, *Hic calix ſanguinis mei eſt novum teſtamentum*, id eſt: Hoc Sacramentum Euchariſtiæ ſub ſpecie vini eſt authenticum inſtrumentum, quo applicatur nobis jus ad hæreditatem a Deo promiſſam.

35. Solutum eſt argumentum. Ad 1. confirmationem dico, ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini contentum eſſe quidem proprie dictum teſtamentum, juxta ſenſum jam explicatum; non tamen ſequi inde, ſingulis diebus renovari teſtamentum, ſed tantum repeti. Nam celebratio Euchariſtiæ, quæ quotidie fit, non eſt nova inſtitutio teſtamenti, ſed ejuſdem repetitio. Unde ſicut unum, idemque teſtamentum civile, quod in charta ſcriptum eſt, poteſt ſæpe deſcribi ſine ulla ſui mutatione: ſic Euchariſtia poteſt ſæpe repeti, & tamen non ideo mutari. Ad 2. dico, non eſſe neceſſe, Chriſtum quotidie mori, etiamſi quotidie repetatur teſta-

men-

mentum. Non enim requiritur mors teſtatoris ad repetendum, ſed ad ſanciendum, & confirmandum teſtamentum.

36. Secundum argumentum ſumunt adverſarii ex illis verbis Matthæi 26. 29. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.* Hæc enim verba dicta ſunt a Chriſto poſt conſecrationem calicis: ergo poſt conſecrationem fuit vinum in calice: ergo non fuit ſanguis Chriſti, niſi figurate. Reſpondeo. Chriſtus duo dixit diſcipulis: Primo, ſe non amplius manducaturum paſcha cum ipſis; Secundo, nec amplius bibiturum vinum: utrumque dixit in cœna paſchali ante inſtitutionem Euchariſtiæ. Hoc patet ex Luca, qui cap. 22. verſ. 15. ſic ſcribit: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar: Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei: & accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos: dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Hæc Lucas, qui deinde ſubiungit inſtitutionem Sacramenti Euchariſtiæ. Unde patet, alium fuiſſe calicem vini, de quo Chriſtus dicebat, ſe non amplius bibiturum, & alium fuiſſe calicem ſanguinis, de quo nihil tale dixit. Utriuſque calicis meminit Lucas loco citato. Objicies: Matthæus, & Marcus narrant, Chriſtum poſt inſtitutionem Euchariſtiæ dixiſſe, ſe non amplius bibiturum de vino. Reſpondeo: Lucas narrat dixiſſe ante inſtitutionem. Conſtat autem Lucam rem narrare eo ordine, quo contigit, reliquos non item. Primo, quia ſicut Chriſtus dixerat, ſe non amplius bibiturum de vino; ſic dixerat, non amplius manducaturum Paſcha: hoc autem dixit ante inſtitutionem Euchariſtiæ: ergo & illud. Secundo, quia illa verba, *Donec illud bibam novum in regno Patris mei*, non poſſunt intelligi, niſi de cœlo; at in cœlo non erat bibiturus ſanguinem ſuum nec vere, nec metaphorice: vinum autem metaphorice bibiturus erat, juxta illud Lucæ 22. verſ. 29. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo:* ergo non de ſanguine, ſed de vino dixit: *Non bibam amodo de genimine vitis.*

37. Tertium argumentum ſumitur ex illo 1. Corinth. 10. 3. *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt.* Hinc colligunt, Judæos manducaſſe eandem eſcam ſpiritalem, quam nos manducamus; at illi manducaverunt corpus Chriſti tantum in figura, idque

per

per ſolam fidem: ergo nos eodem modo manducamus. Reſpondeo: Dupliciter hic peccant Calviniſtæ. Primo, quia Apoſtolus non dicit, Judæos manducaſſe nobiſcum eandem eſcam, ſed ipſos inter ſe eandem manducaſſe. Sic enim habet: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt*. Ex quibus verbis patet, Apoſtolum non conferre Judæos nobiſcum, ſed illos ipſos inter ſe: vult enim oſtendere, tametſi omnes tam boni, quam mali perceperint eadem Dei beneficia, non tamen omnes placuiſſe Deo. Unde mox ſubdit: *ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo*. Secundo peccant Calviniſtæ, quia volunt Apoſtolum loqui de manducatione ſpiritali per fidem, quæ ſecundum ipſos eſt propria electorum. Hoc autem falſum eſt, quia loquitur de manducatione, quæ communis erat bonis, & malis, ut ex dictis patet.

38. Quartum ſumitur ex illo Joan. 12. 26. *Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit*; at miniſtri Chriſti non ſunt in Euchariſtia: ergo nec Chriſtus. Reſpondeo. Adverſarii videntur mihi nugari in citandis ſcripturis. Quid ſi retorqueam argumentum hoc modo? *Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit*. At miniſtri Chriſti non ſunt in cruce inter duos latrones: ergo nec Chriſtus. Sed ad rem. Senſus verborum Chriſti eſt hic: Miniſtri mei erunt mecum in regno cœlorum, & videbunt gloriam meam, ut clare exprimitur cap. 17. 24. *Pater, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam*.

39. Ejuſdem notæ ſunt multa alia, quæ omitto, ne in re ſeria ludere videamur. Ex Patribus nihil afferunt adverſarii, quod reſponſione indigeat. Videantur, quæ dicta ſunt §. 20. Unum ſupereſt argumentum ex ratione naturali petitum, quod eſt tale: Impoſſibile eſt, ut idem corpus ſimul exiſtat in diverſis locis: atqui corpus Chriſti poſt aſcenſionem eſt in cœlo, & ibi manſurum eſt: ergo non poteſt ſimul eſſe in altari. Reſpondeo: Major propoſitio neganda eſt; nec adverſarii poſſunt illam probare, niſi emendicando rationes quaſdam probabiles ex Scholaſticis Theologis, & earum ſolutiones omittendo. Quæ autem ſint illæ rationes, & quomodo diſſolvi debeant, explicatum eſt in Scholaſtica Theologia.

Cal-

Calviniſtæ merito ſuſpecti eſſe debent.

40. EX dictis colligi poſſunt hæ cauſæ, cur merito ſuſpecta eſſe debeat Calviniſtarum de Euchariſtia ſententia. 1. Quia ſeipſam deſtruit. 2. Quia tam obſcura, & implicita eſt, ut ne ab ipſis quidem Calviniſtis explicari, aut intelligi poſſit. 3. Quia defendi nequit, niſi corrumpendo, & depravando ſacram ſcripturam. 4. Quia repugnat Patribus, & toti antiquitati. 5. Quia divinis miraculis confutata eſt. 6. Quia nullo firmo fundamento eſt ſubnixa.

41. Addo alias duas cauſas. Una eſt, quod Zvvinglius fateatur ſe eam accepiſſe a nocturno ſpiritu. Hic autem ſpiritus merito ſuſpectus eſt. Primo, quia ipſemet Zvvinglius, cui apparuit, de eo ſic loquitur: *Ater fuerit, an albus, nihil memini*. Secundo, quia Gretſerus noſter in diſceptatione de ſomnio Zvvinglii prolixe probat, fuiſſe dæmonem. Idem affirmant Lutherani. Nec Calviniſtæ omnino id negant. Hoc patet ex David. Paræo Calviniſta Heidebergenſi, in prælectionibus catechiſticis, in ſolutione cujuſdam argumenti Lutheranorum. Lutherani ſic argumentantur: Doctrina Calviniſtica de Euchariſtia profecta eſt a dæmone, qui eam Zvvinglio inſpiravit: ergo non poteſt eſſe vera. Reſpondet Paræus, retorquendo argumentum hoc modo: Doctrina Lutherana de abroganda Miſſa eſt etiam a dæmone inſpirata, ergo ſimiliter non poteſt eſſe vera. Perinde agunt, ut Poeta cecinit: *Væ tibi tu, nigra dicebat cacabus ollæ.*

42. Altera eſt, quod Judas proditor credatur fuiſſe primus author hujus doctrinæ Calviniſtarum, ut plerique colligunt ex Euangelio Joan. c. 6. Nam cum Chriſtus dixiſſet: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*, (nempe præſentiam corporis mei in Euchariſtia) continuo ſubjungit Joannes: *Sciebat enim ab initio Jeſus, qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum*. In quem locum ita ſcribit Auguſt. tract. 27. in Jo. *Sunt quidam, qui non credunt, & ideo non intelligunt, quia non credunt*. Et paulo poſt: *Ibi erat & Judas, qui manſit ad inſidiandum, non intelligendum*. Et Chryſoſt. hom. 46. in Joan. *Intuere Chriſti ſapientiam. Neque Judam manifeſtavit, neque latere voluit: illud, ne impudentius contenderet: hoc, ne latere arbitratus, licentius auderet. Prius ergo eum non credentibus annumeravit, cum diceret: Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Cum autem in malitia perſeveraret, vehementius eum arguit: Unus, inquit, ex vobis diabolus eſt*. Ecce quem ducem ſequantur Calviniſtæ. Eum, qui, Chriſto teſte, diabolus eſt: eum, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jeſum, Act. 1. 16.

CA-

CAPUT VII.

De Baptiſmo Infantium.

1. CAlviniſtæ docent hæc duo: Primo, omnes filios fidelium ab utero materno naſci ſanctos, & hæredes vitæ æternæ, ac proinde ſalvari poſſe ſine baptiſmo: Filios autem infidelium, etiamſi baptizentur, non ſalvari, nec baptiſmum illis prodeſſe. Secundo, qui autem ex toro illegitimo naſcuntur, ſive ſint filii fidelium, ſive infidelium, æternæ damnationi obnoxios eſſe, nec ad baptiſmum admittendos. Utraque pars examinanda eſt.

Prior Pars de Filiis Fidelium.

2. PRiorem partem docet Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 6. c. 5. his verbis: *Verum infantes a regno Dei arcere libuit, qui ante erepti ſunt ex hac vita, quam efferri ad baptiſmum potuerint, quaſi vero de nihilo dictum ſit, eos naſci ſanctos, qui ex fidelibus naſcuntur. Imo quo jure ad baptiſmum eos admittimus, niſi quod promiſſionis ſint hæredes? Niſi enim ante ad eos pertineret vitæ promiſſio, baptiſmum profanaret, quiſquis illis daret. Quod ſi Deus in regnum ſuum eos adoptavit, quanta injuria ſit promiſſioni; quaſi per ſe ad eorum ſalutem non ſufficiat?* Et infra: *Incluſa eſt infantium ſalus in promiſſione, qua Deus fidelibus teſtatur, ſe fore illis, & ſemini eorum in Deum. Hac ratione ſibi naſci pronunciabat, qui ex Abraham ducebat originem. Hujus promiſſionis beneficio recipiuntur ad baptiſmum, quia cenſentur Eccleſiæ membra. Non a baptiſmo igitur initium habet eorum ſalus, ſed quæ jam in verbo fundata eſt, baptiſmo obſignatur.* Et l. 2. Inſt. c. 6. §. 24. *Infans a matris utero, in fœdere, id eſt in promiſſione vitæ æternæ continetur.* Et ibidem: *Filiorum haud dubie loco habet eorum filios, quorum ſemini in patrem ſe fore pollicitus eſt.*

3. Ex his, & aliis Calvini verbis, quæ ibidem habentur, colligi poſſunt hæc puncta. 1. Illam promiſſionem, quæ Abrahæ facta eſt, Gen. 17. 7. *Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te*, pertinere ad omnes parentes fideles, & eorum filios. 2. Itaque omnes filios fidelium vi illius promiſſionis eſſe ſanctos, & hæredes vitæ æternæ, nec poſſe unquam perire. 3. Quamvis ergo moriantur ſine baptiſmo, nihilominus ſalvari vi promiſſionis. 4. Non enim baptiſmum inſtitutum eſſe, ut infantes per illum effi-

efficiantur ſancti, ſed ut eorum ſanctitas obſignetur, cum baptiſmus nihil aliud ſit, quam publicum ſigillum, quo Eccleſia teſtatur, filios fidelium ſanctos eſſe, & in fœdere promiſſionis contineri. 5. Unde ſicut olim filii Abrahæ obſignabantur ſigillo circumciſionis; ita nunc filios fidelium ſigillo baptiſmi obſignari. 6. Et ſicut olim non circumcidebantur filii infidelium, eo quod in fœdere promiſſionis non continerentur; ita nunc filios infidelium non debere admitti ad baptiſmum, quia a promiſſionis fœdere excluſi ſunt. Denique ſicut ſigillum Regis cenſetur profanari, quando falſæ ſcripturæ, vel epiſtolæ appenditur; ita merito profanari baptiſmum, quando confertur iis, qui promiſſionem Dei non habent, cujuſmodi ſunt omnes infideles.

4. Hæc Calvini ſententia manifeſte falſa eſt, & ex ſcripturis refelli poteſt. Hoc probo ex tribus principiis. Primum eſt, quod omnes infantes, tam fidelium, quam infidelium, naſcantur in peccato originali. (Rom. 5. 12. & ad Epheſ. 2. 3.) Alterum, quod ratione peccati originalis ſint filii mortis, iræ, damnationis. (ibidem) Tertium, quod non poſſint effici filii Dei, niſi renaſcantur in Deo per baptiſmum, juxta illud Joan. 3. 3. *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei*. Et infra: *Oportet vos naſci denuo*. Cauſam addit: *quia quod natum eſt ex carne, caro eſt*. q. d. Qui naſcuntur ex parentibus per carnalem generationem, naſcuntur filii iræ, & corruptionis, nec poſſunt ſalvari, niſi renaſcantur ex Deo per baptiſmum. Hinc D. Aug. l. 3. de ani. & ejus orig. c. 5. *Noli*, inquit, *credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus*. Et epiſt. 28. ad Hieronymum: *Quiſquis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur, & curritur, quia ſine dubio creditur, alias in Chriſto vivificari non poſſe*. Jam ſubſumo. Atqui Calvinus dicit, parvulos in Chriſto vivificari, qui ſine baptiſmo de vita exeunt; ergo Calvinus, teſte Auguſtino, contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam.

5. Nec obſtat promiſſio Abrahæ facta. Imo ex illa ipſa promiſſione ſumo tria argumenta contra Calviniſtas. Primum eſt tale: Promiſſio, quæ Abrahæ facta eſt, dupliciter poteſt explicari. 1. In ſenſu litterali. 2. In ſenſu myſtico. Si explicetur in litterali, nihil ad rem Calvini facit. Non enim Deus, ſecundum

dum litteram, promiſit Abrahæ, & ſemini ejus vitam æternam; ſed poſſeſſionem terræ Chanaam. Verba promiſſionis ſunt hæc: *Dabo tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaam in poſſeſſionem æternam*. Si autem explicetur in ſenſu myſtico; tunc quidem poteſt intelligi de vita æterna, non tamen deſcendit ad filios per carnalem generationem ex parentibus fidelibus, ut falſo interpretatur Calvinus, ſed per fidem in Chriſtum. Hoc docet Apoſtolus ad Roman. 4. & 9. & ad Galat. 3. & 4. Ubi diſerte explicat, eos eſſe filios Abrahæ ſecundum promiſſionem vitæ æternæ, non qui ſunt filii carnis, ſed qui ſunt filii fidei, ideſt, qui imitantur fidem Abrahæ. Sic enim loquitur ad Galat. 3. v. 7. *Cognoſcite, quia qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ*. Et ibidem verſ. 9. *Qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham*. Tunc ergo ſecundum Apoſtolum incipimus eſſe filii Abrahæ, vi promiſſionis, cum incipimus eſſe fideles; At infantes non incipiunt eſſe fideles ab utero materno, ſed in baptiſmo: *Illis enim baptizari, eſt credere*, ut loquitur Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 27. Ergo infantes non naſcuntur Sancti ab utero materno, ſed efficiuntur Sancti, quando per baptiſmum regenerantur, ut ſupra ex Euangelio dictum eſt.

6. Alterum argumentum: Poſt promiſſionem Abrahæ factam, Jacob, & Eſau ex parentibus fidelibus nati ſunt; & tamen Eſau ab utero materno non fuit ſanctus, & hæres vitæ æternæ, ut patet ex illo Rom. 9. 13. *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Ergo non omnes filii fidelium, vi illius promiſſionis, ab utero materno naſcuntur ſancti, & hæredes vitæ æternæ.

7. Tertium: Si omnes naſcuntur ſancti, plane ſequitur, omnes Judæos naſci ſanctos. Omnes enim naſcuntur ex 12. Patriarchis filiis Jacob. At 12. Patriarchæ fuerunt fideles, ergo proximi illorum filii fuerunt ſancti ab utero materno: ergo & horum filii, & ſic deinceps. Quomodo ergo reprobati ſunt? quomodo excluſi ab Euangelio? quomodo exciſi a radice? quomodo gentiles in eorum locum ſuffecti?

Poſterior pars de filiis illegitimis.

8. POſteriorem partem docent Calviniſtæ in Synodo Vilnenſi anno 1589. die 11. Mart. ubi publice decretum eſt, ne quis parvulos illegitime natos baptizare audeat, ut refert Adrianus Jungius l. 2. de doctrina, & moribus Euangelicorum, c. 17. Et in Palatinatu Anno 1587. Articuli quidam Calviniſticæ Re-

Reformationis diſſeminati ſunt, quorum ſecundus habebat hæc verba: *Infantes, qui ex illegitimo toro naſcuntur, æternæ proditioni, ac damnationi obnoxii ſunt, nec per baptiſmum juvari poſſunt.* Scio, hos articulos a quibuſdam Calviniſtis rejici, tanquam ſuppoſititios. Sed quidquid ſit, videtur hæc ſententia aperte ſequi ex principiis Calvini. Ipſe enim docet, promiſſionem Abrahæ, & aliis fidelibus parentibus factam jure hæreditario deſcendere ad filios per carnalem propagationem eo modo, quo civilia pacta, feuda, & bona hæreditaria parentum ad filios derivantur: Atqui omni jure, tam divino, quam humano, pacta, & bona paterna derivantur ad filios legitimos, non autem ad illegitimos: ergo illegitimi non continentur in promiſſione Abrahæ facta: ergo ſigillo baptiſmi obſignari non debent. Itaque ad illos ſpectat illud Saræ, Gen. 21. 10. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.*

9. Hæc doctrina, cujus Calviniſtas merito jam pudet, falſa eſt. An non Chriſtus pro omnibus mori voluit, tam legitimis, quam illegitimis? Hos enim nuſquam legitur excluſiſſe. An non pro omnibus baptiſmum inſtituit? *In Chriſto*, inquit Apoſtolus ad Gal. 3. 28. *non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina.* Et Petrus Act. 10. 34. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus.* Et ſane habemus clarum exemplum in Scriptura. Jephte, qui fuit fortiſſimus Judex Iſraelitarum, ex muliere meretrice natus eſt, ut legimus in libro Judicum, c. 11. An propterea æternæ damnationi fuit obnoxius? Minime profecto. Nam Apoſtolus Heb. 11. v. 32. inter ſanctos veteris Teſtamenti illum recenſet.

10. Accedit teſtimonium Auguſt. lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum, c. 6. & 7. ubi proponit hanc quæſtionem; an infantes propter merita, vel demerita parentum prædeſtinentur, vel reprobentur. Et reſpondet negative, quia ſæpe fit, inquit, ut infans natus ex parentibus optimis, & ſanctiſſimis ſine baptiſmo moriatur, & pereat: natus vero ex patre fornicatore, & matre meretrice, per baptiſmum regeneretur, & ſalvetur.

CAPUT VIII.

De Exorciſmo.

1. VAriæ ceremoniæ adhiberi ſolent ante baptiſmum, quarum una ex præcipuis eſt exorciſmus, quo Diabolus expellitur ab homine baptizando, ne baptiſmum, vel fructum illius impediat. Eſt autem duplex pars exorciſmi: una dicitur *Exſufflatio*: altera *Adjuratio*. Nam Epiſcopus, vel Sacerdos, antequam conferat Baptiſmum, ſolet exſufflare, & adjurare Diabolum, ut exeat ab eo, qui baptizandus eſt. Et quidem, quando exſufflat, utitur his verbis: *Exi ab eo, immunde ſpiritus, & da locum advenienti Spiritui Sancto, da honorem Deo vivo, & vero*. Quando autem adjurat, utitur iſtis: *Exorcizo te immunde ſpiritus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N.*

2. Nunc quæſtio eſt, An hujuſmodi ceremonia toleranda, & uſurpanda ſit? Negant Calviniſtæ cum antiquis Pelagianis. Et quidem Calvinus l. 4. inſt. c. 15. §. 19. ait, eſse *adventitiam farraginem, Satanæ impoſturam, ludibrium, nugas, theatricam pompam, exoticas ſordes*. Eodem modo loquuntur Calvini diſcipuli. Lutherani hactenus admiſerunt Exorciſmum. Niſi quod ante aliquot annos Ægidius Hunnius cœperit illum reſpuere, & oppugnare. Cujus objectiones paulo poſt diluendæ ſunt.

3. Nos duplici de cauſa defendimus, & uſurpamus hanc ceremoniam. 1. Quia ſemper in Eccleſia Catholica fuit uſurpata, ut fatetur Calvinus. 2. Quia ab initio in bonum, ac laudabilem finem inſtituta eſt. Audiamus antiquos Patres. Auguſt. lib. 1. cont. Julian. Pelag. ca. 2. ſic habet: *Verum eſt, quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Eccleſiam totam: quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, & a principe mortis erueret: quod in libro meo, cui velut reſpondes, a me poſitum eſt: ſed id tu commemorare timuiſti, tanquam ipſe a toto orbe exſufflandus eſſes, ſi huic exſufflationi, qua Princeps mundi & a parvulis ejicitur foras, contradicere voluiſſes*. Et lib. 2. de nupt. & concupiſc. c. 18. de eodem Juliano: *Accuſat Eccleſiam toto orbe diffuſam, in qua ubiq; omnes baptizandi infantuli non ob aliud exſufflantur, niſi ut ab eis Princeps mundi ejiciatur foras, a quo neceſſe eſt vaſa iræ poſſideantur, cum ex Adam naſcuntur, ſi in Chriſto non renaſcantur. Contra iſtam fundatiſſimam veniens veritatem, ne univerſam Chriſti Eccleſiam oppugnare videatur, quaſi me*

unum

unum alloquitur. Et ib. c. 29. citat pro hac re antiquos Patres contra Julian. & poſtea ſubdit: *Hos iſte audeat dicere Manichæos, & antiquiſſimam Eccleſiæ Traditionem iſto nefario crimine aſpergat, qua exorcizantur, & exſufflantur parvuli, ut in regnum Chriſti a poteſtate tenebrarum, hoc eſt, Diaboli, & Angelorum ejus eruti transferantur. Nos autem paratiores ſumus cum iſtis viris, & cum Eccleſia Chriſti in hujus fidei antiquitate firmata, qualibet maledicta, & contumelias perpeti, quam Pelagiani cujuslibet eloquii prædicatione laudari*. Hæc omnia valent contra Calviniſtas.

4. Conſentiunt alii Patres. Chryſoſtomus hom. de Adam, & Heva, ſic ſcribit: *Illud etiam, quod circa baptizandum in univerſo mundo, ſive ſint parvuli, ſive juvenes, ſancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplemur intuitu: quod cum ad regenerationis veniunt ſacramentum, non prius fontem vitæ ingrediuntur, quam exorciſmis, & inſufflationibus Clericorum ſpiritus ab iis immundus abigatur*. Quæ verba tranſcripſit Cœleſtinus Papa epiſt. 1. cap. 12.

5. Optatus Milevitanus lib. 4. contra Donatiſtas. *Neminem fugit, quod omnis homo, qui naſcitur, quamvis de Chriſtianis parentibus naſcatur, ſine ſpiritu immundo eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum ab homine excludi, & ſeparari: Hoc exorciſmus operatur, per quem ſpiritus immundus depellitur, & in loca deſerta fugatur.*

6. Gregorius Magnus in libro ſacramentorum: *Et exſufflat ter in faciem, dicens, Exi ab eo, Satana: redde honorem Deo vivo, & vero: redde honorem Jeſu Chriſto filio ejus, & Spiritui Paraclito*, &c. *Recede ab hoc famulo Dei, quia iſtum ſibi Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemq; baptiſmatis vocare dignatus eſt: & hoc ſignum ſanctæ crucis, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte Diabole numquam audeas violare*, &c. *Exorcizo te, immunde ſpiritus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N.* &c.

7. Ex his teſtimoniis, ut alia omittam, habemus hæc. 1. Quod infantes naſcantur ſub poteſtate diaboli. 2. Quod Diabolus cum ſua poteſtate ab iis expelli debeat ante baptiſmum. 3. Quod illa expulſio fiat per exſufflationem, & exorciſmum. 4. Quod ſemper in Eccleſia toto orbe fuerit uſurpata hęc ceremonia. 5. Quod antiquitate fidei, & fundatiſſima veritate ſubnixa ſit. 6. Quod Pelagiani, & Calviniſtę, qui exſufflationi contradicunt, toto orbe exſufflandi ſint. 7. Quod qui illam oppugnant, totam Eccleſiam oppugnent. 8. Quod potius maledicta, & contumelias Pelagianorum, & Calviniſtarum perpeti debeamus, quam ipſis conſentire, & Exorciſmum deſerere. Notent hæc adverſarii.

8. Multa objicit Hunnius, quæ facile diſſolvuntur. Prima objectio. Nec Chriſtus inſtituit exorciſmum, nec Apoſtoli uſurparunt: ergo. Reſpondeo cum diſtinctione. Duo enim ſpectari debent in Exorciſmo. Unum eſt, poteſtas ejiciendi Dæmonem. Hanc Apoſtoli, & eorum ſucceſſores immediate a Chriſto habent, ut patet ex illo Marc. 3. 15. *Dedit illis poteſtatem ejiciendi dæmonia*. Alterum eſt externa ceremonia, quæ adhibetur ad ejiciendum Dæmonem. Hanc Eccleſia inſtituit, partim exemplo Chriſti, partim ſuo jure, & authoritate. Quod ſic oſtendo. Illa externa ceremonia conſiſtit in duobus. 1. In exſufflatione. 2. In pronuntiatione horum verborum: *exi ab eo immunde ſpiritus*: Item, *Exorcizo te immunde ſpiritus, ut exeas ab eo*. Utroq; uſus eſt Chriſtus. Priori quidem Joan. 20. 22. *Hoc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum*. Sicut enim Chriſtus per illam inſufflationem ſignificabat, Spiritum ſanctum ingredi in Apoſtolos; ita Eccleſia per exſufflationem ſignificat, ſpiritum malum exire ab infantibus. Poſteriori vero Matth. 17. 17. *Et increpavit illum Jeſus, & exiit ab eo dæmonium*. Et Marc. 1. 25. *Et comminatus eſt ei Jeſus, dicens: Obmuteſce, & exi de homine*.

9. Dices: Chriſtus dedit Apoſtolis poteſtatem ejiciendi Dæmonem ab homine corporaliter obſeſſo: at infantes, qui portantur ad baptiſmum, non ſunt corporaliter obſeſſi: ergo non dedit poteſtatem ejiciendi dæmonem ab infantibus baptizandis. Reſpondeo, dupliciter intelligi poteſt, infantes corporaliter obſideri a Dæmone. Primo, quod Dæmon habet poteſtatem in eorum corpora, qua poſſit ea vexare, torquere, ſtrangulare. Secundo, quod actu utatur hac poteſtate, eorum corpora vexando, torquendo, ſtrangulando. Priori modo ſunt corporaliter obſeſſi, non poſteriori. Et ideo adhibetur Exorciſmus, ut poteſtas Dæmonis expellatur ab illorum corporibus, ne ea vexare poſſit. Quo ſenſu intelligendum eſt illud Auguſt. l. 2. de peccato originali cap. 40. *Prius exorcizatur in parvulis, & exſufflatur poteſtas contraria*. Igitur Chriſtus, quando dedit Apoſtolis poteſtatem ejiciendi Dæmonia, non reſtrinxit illam poteſtatem ad ſolos corporaliter obſeſſos poſteriori ſenſu, ſed abſolute dedit poteſtatem ejiciendi Dæmonia a quibuſcunque, & quomodocunque obſeſſis.

10. Secunda objectio. Dæmon non expellitur ab infantibus per exorciſmum, ſed per baptiſmum. Reſpondeo. Per utrumque expellitur, ſed diverſo modo. Per baptiſmum expellitur ab anima, per exorciſmum a corpore, & a ſenſibus. Nota: Dæmon habet poteſtatem in homines non baptizatos ratione peccati originalis, ut recte docet D. Thom. in 3. p. qu. 71. art. 2. ad 1. Hanc

autem

autem poteſtatem habet tribus modis. Primo in anima, quatenus ipſa per peccatum a Deo averſa eſt, & Diabolo ſubjecta. Secundo in corpore, quatenus Diabolus poteſt illud vexare, agitare, cruciare, ſtrangulare. Tertio in phantaſia, aliiſque ſenſibus internis, & externis, quatenus poteſt eos afficere per illuſiones, deceptiones, falſas opiniones, terrores, & id genus ludibria, & terriculamenta. Hinc ſequitur, Diabolum tribus modis expelli poſſe ab homine. Primo, liberando animam a peccato: quod fit per baptiſmum, aut pœnitentiam. Secundo, expellendo illum a corpore, ne illi noceat: quod fit per exorciſmum. Tertio, expellendo a ſenſibus, ne ludificet, aut terreat: quod fit etiam per Exorciſmum. His tribus modis expellitur ab infantibus. Primo, quia per baptiſmum purgantur a peccato originali. Secundo, per Exorciſmum expellitur a corpore, ne illud ſtrangulet ante baptiſmum. Tertio, per eundem Exorciſmum expellitur a ſenſibus, ne poſtea, cum Infantes adoleverint, per illuſiones, aut terrores impediat illos in vita ſpirituali, quam in baptiſmo acceperant.

11. Hinc patet, quo ſenſu ſupra dixerimus, per Exorciſmum expelli Dæmonem ab infantibus, ne impediat baptiſmum. Poteſt enim dupliciter illum impedire. Primo, impediendo ſuſceptionem baptiſmi; ut ſi infantem ſtrangularet in ipſa baptiſmi inchoatione. Secundo, impediendo fructum baptiſmi: ut ſi infantem, cum adoleſcit, per falſas opiniones, aut errores abduceret a fide, vel gratia baptiſmi. Hinc ulterius patet, non fruſtra ſuppleri exorciſmum, ſi antea fuiſſet neglectus. Nam licet infans per baptiſmum ſit liberatus a peccato originali: poteſt tamen poſtea infeſtari a Diabolo, niſi per exorciſmum muniatur.

12. Tertia objectio. Si exorciſmus haberet vim expellendi dæmonem, haberet illam ex mandato, & promiſſione Chriſti: at Chriſtus nuſquam mandavit Exorciſmum, nec promiſit illi vim expellendi dæmonem: ergo. Reſpondeo. Exorciſmus, proprie loquendo, non accepit a Chriſto vim, ſeu poteſtatem expellendi dæmonem, ſed Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, juxta illud Marci 3. 15. *Dedit illis poteſtatem ejiciendi dæmonia*. Nihilominus Apoſtoli, & eorum ſucceſſores in uſu illius poteſtatis adhibent externam ceremoniam; ſicut etiam Chriſtus adhibuit. Adhibent enim exſufflationem, & certam verborum formulam. An autem hæc ceremonia participet aliquam virtutem expellendi, ſi non phyſicam, ſaltem moralem, ſcholaſtica controverſia eſt, neque hoc loco valde neceſſaria. Videri poteſt Bellarminus lib. 2. de ſacramentis in genere cap. 31. Suarez, & alii.

13. Quarta objectio. Nullus cultus poteſt placere Deo, qui ab

hominibus inſtitutus eſt ſine expreſſo Dei mandato: at Exorciſmus eſt talis cultus: ergo non poteſt placere Deo. Reſpondeo. Major falſa eſt, etiam ex conceſſione adverſariorum. Nam ipſi uſurpant multas ceremonias in Baptiſmo, & Euchariſtia, quæ ſine expreſſo Dei mandato inſtitutæ ſunt. Certe Calvinus in libello de formula ſacramentorum miniſtrandorum præſcribit has ceremonias baptiſmi. 1. Ut infans afferatur ad Baptiſmum die dominico, vel alio celebri, quo populus in Eccleſia frequens eſt, ut coram populo baptizetur. 2. Ut qui infantem afferunt, interrogentur, an ſpondeant ſe inſtructuros infantem, cum adoleverit. 3. Ut nomen imponatur infanti baptizando. 4. Ut forma ſacramenti pronuncietur lingua patria. 5. Ut recitetur ſymbolum, oratio dominica, & aliæ preces. Hæ autem ceremoniæ a Deo expreſſe mandatæ non ſunt. Si ergo hæ laudabiliter a Calviniſtis uſurpari poſſunt ſine expreſſo Dei mandato: cur non ſimiliter exorciſmus a Catholicis? Et hactenus quidem contra Calviniſtas. Deinceps contra Anabaptiſtas agendum eſt.

Finis Libri Tertii.

LIBER QUARTUS
DE
CONTROVERSIIS ANABAPTISTARUM.

V*Aria ſunt genera Anabaptiſtarum. Aliqui vocantur* Cathari, *ideſt puri ab omni peccato, & macula. Hi omittunt illam particulam Orationis Dominicæ:* Dimitte nobis debita noſtra. *Alii* Tacentes, *qui interrogati de religione non reſpondent, ſed quaſi attoniti hærent in ſuis phantaſiis. Alii* Enthuſiaſtæ, *qui jactant ſe cum Deo loqui, & cæleſtibus viſionibus illuſtrari. Alii* Libertini, *qui putant Chriſtianam libertatem in eo conſiſtere, ut nulli Principi, aut Magiſtratui politico ſubjecti ſint. Alii* Adamitę, *qui nudi incedunt ſine veſtibus, ſicut Adam, & Heva in Paradiſo incedebant. Alii* Memnoniſtę, *a quodam Memnone Friſio ſic dicti. Alii aliis nominibus appellantur. Omnes tamen communi titulo vocari ſolent Anabaptiſtæ. Horum dogmata, ſive communia omnibus, ſive aliquorum propria, ſunt hæc fere. Primo nullum eſſe peccatum originale. 2. Infantes non eſſe baptizandos, eo quod baptiſmi capaces non ſint. 3. Apud Chriſtianos non debere eſſe Magiſtratum ſæcularem, ſeu politicum. 4. Chriſtianis prohibitum eſſe bellum. 5. Similiter prohibitum eſſe juramentum. 6. Polygamiam eſſe licitam. 7. Matrimonium diſſolvi poſſe propter diverſitatem religionis. 8. Animas juſtorum poſt hanc vitam extingui. Quæ omnia falſa ſunt, ut patebit ex ſequentibus.*

CAPUT I.

De Peccato Originali.

1. ANabaptiſtę cum Pelagianis negant peccatum originale. Fatentur quidem Adamum peccaſſe, ſed ſimul addunt, peccatum illius ſoli ipſi, non autem poſteris nocuiſſe. Itaq; poſteros nec peccatum originale, nec mortem, aut alias miſerias ex Adamo contrahere, ſed naſci in puris naturalibus, ut vocant

 ideſt

ideſt ſine virtute, & vitio, & quod poſtea moriantur, aut aliis miſeriis ſubjecti ſint, hoc non provenire ex pœna peccati, ſed ex cauſis naturalibus. Ita ex adverſariis refert Petrus Martyr in cap. 5. epiſt. ad Roman. Ex Catholicis, Bellarminus lib. 4. de ſtatu peccati, cap. 2. & plures alii. Hic error refellitur per duas ſequentes concluſiones.

2. Prima Concluſio. Infantes in ipſa conceptione contrahunt peccatum originale ex Adamo, & cum illo naſcuntur. Eſt unum ex præcipuis fidei noſtræ fundamentis, teſte Auguſtino lib. 1. contra Julianum, cap. 2. Et probatur ex Scripturis, Pſal. 50. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. Loquitur de peccato originali, in quo conceptus eſt. Loquitur autem de eo in plurali numero, quia unum illud peccatum eſt quaſi fons omnium aliorum peccatorum, ut recte notat Bellarminus in Comment. illius Pſalmi. Item Rom. 5. 12. *Per unum hominem* (nempe Adamum) *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Et ibidem: *Per inobedientiam unius hominis* (Adami) *peccatores conſtituti ſunt multi*, qui ab Adamo deſcenderunt. Quod ſic explico: Deus voluit Adamum, tanquam primum parentem totius humani generis, eſſe caput, & principem omnium poſterorum, & omnium voluntates in illius voluntate collocavit: ita quidem, ut ſi Adamus peccaret comedendo e ligno vetito, omnes cum eo, & in eo cenſerentur peccare. Quod etiam factum eſt. Et hoc ſenſu dicit Apoſtolus: *In quo omnes peccaverunt*. Vide S. Auguſt. lib. 3. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 7.

3. Eodem ſpectat illud Epheſ. 2. 3. *Eramus & nos natura filii iræ, ſicut & cæteri*. Senſus eſt: Sicut cæteri homines propter peccatum originale, quod a nativitate, ſive ab ortu natura contraxerunt, erant filii iræ, & vindictæ Dei; ita & nos. Nam illa particula, *natura*, idem ſignificat, quod ex naturali nativitate ſeu propagatione ex Adamo. Nota: Peccatum illud, in quo naſcimur, appellatur duplici nomine. Primo dicitur *originale*, quia in prima noſtra origine, ſeu conceptione illud contrahimus. Secundo dicitur *peccatum naturæ*, tum quia totam naturam humanam inficit, tum etiam, quia non committitur propria noſtra voluntate, ſed per naturalem generationem ex Adamo nobis communicatur. Itaque duplex illius cauſa poteſt aſſignari. Una eſt peccatum Adami. Altera naturalis generatio ex Adamo. Diverſo tamen modo. Nam peccatum Adami directe, & quaſi effective (moraliter tamen, non phyſice) cauſat in nobis peccatum ori-

originale in ipſo inſtanti noſtræ conceptionis. Generatio verò naturalis ſubſtituit, & applicat ſubjectum, in quo peccatum Adami poſſit producere ſuum effectum, id eſt, peccatum, ſeu maculam originalem. Vide, quæ diximus in Scholaſtica Theologia, ubi ex profeſſo de hac re diſputatum eſt.

4. Multa ſolent objici a Pelagianis, & Anabaptiſtis. Ac primo objicitur illud Ezec. 18.20. *Filius non portabit iniquitatem Patris*. Reſpondeo: Niſi ſit particeps peccati Patris. Poteſt autem duobus modis eſſe particeps. Primo, ſi imitetur peccatum patris. Quo ſenſu dictum eſt Exod. 20. v. 5. *Ego ſum Dominus Deus tuus zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem, eorum, qui oderunt me*. Secundo, ſi ipſius voluntas conſtituatur in voluntate patris, tanquam in capite, & principio totius poſteritatis. Hoc ſenſu ſumus participes peccati Adæ.

5. Secundo objicitur illud 2. Cor. 5. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque propria corporis, ſicut geſſit, ſive bonum, ſive malum*. At parvuli nihil geſſerunt. Reſpondeo. Vel adverſarii volunt hunc locum intelligendum eſſe de ſolis adultis, & ſic non valet objectio: vel etiam de parvulis, & tunc quæram, quid boni geſſerint parvuli baptizati? Quod ſi ſatis eſt, eos geſſiſſe bonum per alios, etiam ſatis erit parvulos non baptizatos geſſiſſe malum per alios. Vide D. Auguſtin. lib. 6. contra Julianum cap. 2.

6. Tertio objicitur illud Rom. 4. 15. *Ubi lex non eſt, nec prævaricatio*. Sed parvulis non eſt lex, quia non eſt illis cognitio legis; ergo nec prævaricatio. Reſpondeo. Illa lex, quæ data eſt Adamo in Paradiſo de non comedendo fructu, fuit etiam data omnibus ejus poſteris in illo. Et quia ille tranſgreſſus eſt eam legem, omnes quoque poſteri in illo tranſgreſſi ſunt, juxta illud Apoſtoli: *In quo omnes peccaverunt*.

7. Quarto objicitur illud Rom. 5. 19. *Per unius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi*. Hinc colligunt adverſarii, peccatum Adæ non derivari in poſteros per propagationem, ſed per imitationem. Nam ſi per propagationem derivaretur, jam omnes æqualiter illud contraherent. At Apoſtolus dicit, non omnes, ſed multos illud contrahere; ergo non loquitur de propagatione, ſed de imitatione. Reſp. Apoſtolus utrumque dixit, & *multos*, & *omnes*. Nam antea dixerat, peccatum Adę tranſiiſſe in omnes, & ſimiliter juſtitiam Chriſti tranſire in omnes. Nunc dicit, per inobedientiam Adæ multos conſtitui peccatores; & ſimiliter per juſtitiam Chriſti multos conſtitui juſtos. Qui

ſunt

ſunt illi multi? Nempe omnes, qui ex Adamo naſcuntur per ſeminalem generationem: & ſimiliter omnes, qui in Chriſto renaſcuntur per baptiſmum. Hi ergo & multi ſunt, & omnes ſunt. Non quidem ſimpliciter omnes, (quia Heva, & Chriſtus non ſunt conſtituti peccatores per Adamum, nec infideles conſtituti ſunt juſti per Chriſtum) ſed omnes, qui ex Adamo, & Chriſto naſcuntur; ex Adamo per ſeminalem generationem, ex Chriſto per ſpiritualem regenerationem. Eodem ſenſu dictum eſt Gen. 17. 5. *Patrem multarum gentium conſtitui te*. Et c. 22. 18. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*: Ubi patet, eos qui promittuntur Abrahamo in filios, nunc dici *multos*, nunc *omnes*, quia omnes ſunt in certo quodam genere, non tamen omnes reſpectu totius humani generis.

8. Quinto objicitur illud Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum introivit*. Hinc colligunt adverſarii, peccatum intraſſe in mundum per imitationem, non autem per generationem. Si enim per generationem intraſſet, jam non intraſſet per unum hominem, ſed per duos, quia generatio requirit marem, & fœminam. Aug. l. 2. Hypognoſticon dupliciter reſpondet. Primo, virum, & mulierem conjunctos per matrimonium non eſſe duos, ſed unum, juxta illud Matth. 19. 6. *Non ſunt duo, ſed una caro*. Secundo, utrumque dictum eſſe in Scriptura, & per unum, & per unam intraſſe peccatum in hunc mundum, ut ſatis fieret curioſis Pelagianis. Nam l. c. dicitur: *Per unum hominem*. At Eccl. 25. 33. dicitur: *A muliere factum eſt initium peccati, & per illam omnes morimur*. Tertio reſponderi poteſt, Adamum eſſe primariam cauſam peccati originalis, quia, peccante Adamo, nos omnes ſimul in eo peccavimus. Rom. 5. 12. Nam Deus conſtituerat illum, ut eſſet caput totius humani generis, cum hoc pacto, ut, ſi ipſe peccaret, omnes ſimul poſteri in eo peccarent. Aliud eſt de Heva. Deus non conſtituit illam, ut eſſet caput, ſed ut eſſet ſub viro, tanquam ſub capite. (1. Cor. 11. 3. & Eph. 5. 23.) Tametſi igitur Heva peccaverit; non tamen fuit primaria cauſa peccati originalis, ſed tantum occaſio. Cum enim comediſſet de fructu prohibito, invitavit Adamum, ut & ipſe comederet, & ſic dedit illi occaſionem peccandi. Et hoc ſenſu intelligitur illud, *A muliere factum eſt initium peccati*. Reliquę ſubtiliores objectiones videri poſſunt in noſtra Scholaſtica Theol. in tract. de pecc. originali.

9. Secunda concluſio. Non ſolum peccatum originale, ſed etiam multa alia mala contrahimus ex peccato primi parentis. Et ſunt duplicia; quędam in anima, quędam in corpore. Prioris generis ſunt hęc. 1. Ignorantia in intellectu. 2. Malitia in voluntate. 3. Concupiſcentia, & infirmitas in appetitu. Poſterioris ſunt

ſunt hæc, 1. Mortalitas, 2. Morbus, 3. Mors. 4. alii defectus corporales, quos patimur. Vide D. Tho. in 1. 2. q. 85. art. 3, 5, & 6. & alios bonos Authores.

CAPUT II.

De Baptiſmo Infantium.

1. Anabaptiſtæ ex duplici capite negant Infantes eſſe baptizandos. Primo, quia non contrahunt peccatum originale, & ideo non indigent baptiſmo, ſeu ablutione. Nam qui ſordidus non eſt, non neceſſe habet lavari, & mundari. Hoc jam refutatum eſt. Secundo, quia non ſunt capaces baptiſmi. Nam illi tantum ſunt capaces baptiſmi, juxta Chriſti voluntatem, & inſtitutionem, qui ſunt capaces doctrinæ, & fidei. Vult enim eos, qui baptiſmum ſuſcepturi ſunt, prius doceri, & credere, antequam baptizentur, Matth. 28, 19, *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Et Marci 16, 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. At infantes, propter defectum ætatis, non ſunt capaces doctrinæ, & fidei: ergo nec baptiſmi. Hoc refutandum eſt.

2. Prima concluſio. Infantes ſunt capaces gratiæ juſtificantis. Quod dupliciter probo. Primo exemplo Joannis Baptiſtæ, qui in utero materno accepit gratiam juſtificantem, per quam ſanctificatus, & a peccato originali liberatus eſt. Quod futurum prædixerat Angelus Zachariæ patri ejus, Luc. 1, 15. *Et ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*. Et eventus reipſa docuit, teſtante Eliſabeth matre ejus, ib. v. 44. *Exultavit in gaudio Infans in utero meo*. Secundo ratione, quia infantes reipſa participant peccatum Adami, quando naſcuntur in peccato originali, ut oſtenſum eſt: ergo poſſunt etiam participare gratiam Chriſti, per quam liberentur ab illo peccato. Non enim gratia Chriſti minus efficax eſt, quam peccatum Adæ, ut argumentatur Apoſt. Rom. 5. 20.

3. Secunda concluſio. Infantes ſunt etiam capaces baptiſmi, & legitime baptizari poſſunt. Probatur 1. ex dictis, quia ſunt capaces gratiæ, ſunt etiam capaces juſtificationis a peccato originali: ergo etiam remedii contra illud peccatum. At in novo teſtamento non eſt aliud remedium ordinarium, quam baptiſmus: ergo ſunt capaces baptiſmi. Secundo ex iis Scripturæ locis, ubi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, in quibus probabile eſt fuiſſe aliquos infantes. Act. 16. 15. *Cum autem baptizata eſſet Lydia, & domus ejus*. Et inf. v. 33. *Et baptizatus eſt ipſe*, (nempe cuſtos carceris)

ceris) *& omnis domus ejus continuo*. Et 1. Cor. 1. 16. *Baptizavi autem & Stephanæ domum*. Tertio ex praxi, & traditione Eccleſiæ, quia ſemper uſitatum fuit in Eccleſia, ut infantes baptizarentur. De qua Auguſtin. lib. 10. de Geneſi, cap. 23. *Conſuetudo*, inquit, *matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, nec ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio*. Et lib. 4. de Baptiſ. cap. 24. expreſſe ait, Apoſtolicam eſſe traditionem, quod parvuli ſint baptizandi. Et lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 26. Pelagianos non fuiſſe auſos negare baptiſmum parvulorum, quod viderent in tota Eccleſia uſitatum eſſe.

4. Nota. Tametſi Pelagiani, & Anabaptiſtæ in eo conveniunt, quod negant infantes habere peccatum originale, in eo tamen diſcrepant, quod Pelagiani putent eos baptizandos eſſe, non quidem ad expiandum originale, quod nullum eſt ex eorum ſententia, ſed ad conſequendum regnum cœlorum; ut refert Aug. lib. de Hæreſib. c. 88. Et hoc ſenſu citant illud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. At Anabaptiſtæ contendunt infantes non eſſe capaces baptiſmi, & ideo baptizandos non eſſe, quod eſt contra Pelagianos, imo contra conſenſum totius Eccleſiæ, quem Pelagiani in hoc puncto ſecuti ſunt. Videamus nunc, quid objiciant Anabaptiſtę contra noſtras concluſiones.

5. Prima objectio. In Scriptura nullum habemus mandatum, vel exemplum de baptiſmo infantium: ergo baptiſmus infantium rejiciendus eſt. Reſp. Negatur antecedens. Nam mandatum habemus, Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit*. Exemplum habemus in locis ſupra citat. ubi integræ familię dicuntur baptizatę. Poteſt etiam negari conſequentia; quia licet in Scriptura nullum eſſet vel mandatum, vel exemplum de baptiſmo infantium; ſufficeret nobis traditio Eccleſię, de qua ex Auguſtino dictum eſt.

6. Secunda objectio. Chriſtus mandavit Apoſtolis, ut prius docerent homines doctrinam fidei, & poſtea baptizarent. (Matth. 28. 19.) Ergo infantes non ſunt baptizandi, niſi prius doceantur. At doceri non poſſunt in infantia: ergo nec baptizari. Reſpondeo. Chriſtus eo loco pręſcripſit ordinem, quem debebant ſervare Apoſtoli in converſione gentilium adultorum. *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes*. Erat autem hic ordo. Primo, ut inſtituerent illos in fide. 2. Ut baptizarent. 3. Ut docerent ſervare pręcepta Dei. Nam fides, & baptiſmus non ſufficiunt adultis, niſi accedat obſervatio legis. Hic ordo in infantibus ſervari non poteſt; nec Chriſtus, cum hoc dixit, de infantibus locutus eſt.

7. Ter-

7. Tertia objectio. Reprobi non ſunt baptizandi, ne profanetur baptiſmus: ſed multi ex infantibus ſunt reprobi: ergo non ſunt baptizandi. Reſp. 1. Eodem argumento probaretur, nec adultos eſſe baptizandos: Nam etiam multi ex adultis ſunt reprobi. 2. Valet hoc argumentum contra Calviniſtas, qui dicunt baptiſmum eſſe ſigillum æternæ prædeſtinationis, ac proinde profanari hoc ſigillum, quando appenditur homini reprobo, qui ab æterno non eſt prædeſtinatus: Sicut profanatur ſigillum Regis, quando appenditur alicui Scripturæ, vel diplomati, quod non eſt Regis, ſed adverſarii ipſius, contra mentem, & voluntatem Regis. 3. Non valet contra Catholicos. Nam Catholici docent Baptiſmum eſſe ſignum gratiæ, quæ confertur homini, dum baptizatur. At gratia confertur omnibus infantibus in baptiſmo, ſive ſint reprobi, ſive prædeſtinati.

8. Quarta objectio. Gregorius Nazianzenus in oratione in ſanctum baptiſma (quæ eſt oratio 40.) optat differri baptiſmum, donec pueri de fide ſua poſſint aliquid reſpondere. Et Auguſt. l. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas, c. 24. ſcribit, baptiſmum parvulorum non fuiſſe a Conciliis ſtabilitum. Reſp. Nazianzenus optabat quidem differri baptiſmum parvulorum uſque ad triennium, niſi eſſet periculum mortis, quia in tali periculo putabat eos baptizari poſſe: quod eſt contra Anabaptiſtas. Nihilominus alii Patres non probabant ſententiam illius de differendo baptiſmo. Auguſtinus male citatur ab adverſariis. Non enim dicit, baptiſmum parvulorum non eſſe ſtabilitum a Conciliis, eo ſenſu, quaſi eum non approbet, ſed ut oſtendat, antiquiorem eſſe omnibus Conciliis. Verba ejus ſunt hæc: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Unde patet, baptiſmum parvulorum, ex ſententia Auguſtini, non indigere authoritate Conciliorum, quia ab ipſis Apoſtolis habet originem, & authoritatem.

CAPUT III.

De Magiſtratu Politico.

1. Certum eſt apud Judæos in veteri Teſtamento licitum fuiſſe Magiſtratum politicum, vel, quod idem eſt, in Republica Judæorum fuiſſe Reges, Principes, Judices, qui populum gubernarent, judicia exercerent, tranſgreſſores legis punirent, idque Deo volente, & approbante. Quod variis

Scripturæ teſtimoniis confirmari poteſt. Primo ex illo Exod. 22. 28. *Diis non detrahet, & Principi tuo non maledices*. Ubi Judices populi vocantur Dii. Sicut etiam Pſ. 81. 1. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*. Cur autem vocantur Dii? Quia locum Dei tenent, & judicia Dei exercent, juxta illud 2. Par. 19. 5 *Joſaphat conſtituit Judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per ſingula loca, & præcipiens Judicibus: Videte, ait, quid faciatis: Non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini*. Et Deut. 1. 16. *Quod juſtum eſt, judicate, quia Dei judicium eſt*. Secundo ex illo Prov. 8. 15. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam*. Omitto reliqua.

2. Quæſtio eſt, An etiam apud Chriſtianos hoc habeat locum? Negant Anabaptiſtæ, aſſerentes non licere Chriſtianis gerere Magiſtratum politicum, erigere tribunalia, exercere judicia, delinquentes punire gladio. Primo, quia Chriſtus, & Apoſtoli id prohibent. Chriſtus quidem Luc. 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum; vos autem non ſic*. Apoſtolus vero Eph. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma*. Si unus Dominus, non ergo plures. Faceſſant igitur Reges, Principes, Magiſtratus. Secundo, quia eſt contra libertatem Chriſtianam. Unde Apoſtolus 1. Cor. 7. 23. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*, ideſt, empti eſtis a Chriſto in libertatem; nolite iterum ſervire Cæſari, Principi, Magiſtratui ſæculari. Tametſi ergo Judæi, qui ſervi erant, fuerint ſubjecti Magiſtratui politico, Chriſtiani tamen, qui non ſunt ſervi, ſed liberi, non debent eſſe ſubjecti. Tertio, quia Reges, & Principes ſolent abuti ſua potentia, & magis obeſſe Reipublicæ, quam prodeſſe; ut patet de Pharaone, Nabuchodonoſore, Saule, Roboam, Jeroboam, & aliis Regibus Iſrael, qui omnes fuerunt mali.

3. Sed hic error Anabaptiſtarum facile refellitur ex contrariis fundamentis. Primo, quia falſum eſt Chriſtum, & Apoſtolos prohibuiſſe Chriſtianis, ne habeant Magiſtratum politicum. Nam cum Chriſtus dixit, *Vos autem non ſic*, locutus eſt ſolis Apoſtolis, quos volebat eſſe humiles, & non exercere dominium in alios, eo modo, quo Reges gentiles ſolent dominari in ſubditos. Unde mox adjecit: *Sed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*. Quod etiam confirmavit ſuo exemplo. Nam cum ipſe eſſet major, quam omnes Apoſtoli, non tamen dominabatur, ſed miniſtrabat illis. *Ego*, inquit, *in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*. Eodem ſenſu Petrus in priori Epiſt. c. 5. 2. *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei*,

non

non ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Hinc apparet nullius momenti eſſe argumentum Anabaptiſtarum, quod ſic formandum eſt: Apoſtoli, & Epiſcopi non debent dominari in ſubditos, more Regum gentilium: ergo apud Chriſtianos non debet eſſe Magiſtratus politicus. Verum quidem eſt antecedens, ſed conſequentia nulla eſt.

4. Similiter cum dixit Apoſtolus, *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma*, non excluſit Magiſtratum politicum, ſed pluralitatem Deorum. Unus eſt enim Deus, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium; cujus alii Reges, & Domini miniſtri ſunt, juxta illud Rom. 13. 6. *Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.*

5. Addo, tantum abeſſe, quod Chriſtus, & Apoſtoli prohibuerint Magiſtratum ſæcularem, ut potius aperte approbaverint: quod manifeſte eſt contra Anabaptiſtas: Chriſtus quidem Matth. 22. 21. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: quæ autem ſunt Dei, Deo:* Apoſtolus autem Rom. 13. v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas, niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinatæ ſunt; itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Et infra: *Non ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui male agit.* Et 1. Tim. 2. 1. *Obſecro igitur fieri orationes pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt.* Et ad Tim. 3. 1. *Admone illos principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe.* Et 1. Petri 2. 17. *Deum timete, Regem honorificate.* Quid clarius dici potuit?

6. Quod autem reſpondent Anabaptiſtæ Chriſtum, & Apoſtolos commendaſſe quidem Chriſtianis, ut obedirent Regibus, & Principibus gentilibus qui tunc gubernabant, non tamen approbaſſe, ut ex ipſis Chriſtianis eſſent aliqui, qui tali officio fungerentur, frivolum eſt. Primo, quia Apoſtolus approbat ipſam poteſtatem, quam habent Reges, & Principes, tanquam a Deo ordinatam. *Qui reſiſtit poteſtati*, inquit, *Dei ordinationi reſiſtit.* Secundo, approbat etiam ſubjectionem, quæ debetur poteſtati. *Admone illos poteſtatibus ſubditos eſſe.* Tertio, optat, ut Reges ethnici convertantur ad fidem Chriſtianam. Cum enim voluiſſet orationes fieri pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, adjecit cauſam: *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Si ergo Deus, teſte Apoſtolo, vult etiam Reges venire ad agnitionem veritatis, neceſſe eſt, ut velit eos fieri Chriſtianos: ergo etiam inter Chriſtianos poteſt eſſe Magiſtratus politicus.

7. Hæc

7. Hæc de primo fundamento. Secundo, falſum quoque eſt, quod aſſerunt Anabaptiſtæ, eſſe contra libertatem Chriſtianam, ſubeſſe Magiſtratui ſæculari. Nam ſi ita eſſet, non dixiſſet Chriſtus: *Reddite Cæſari, quæ Cæſaris ſunt*, ideſt, reddite illi tributum, vectigal, honorem, obedientiam, ut explicat Apoſtolus, Rom. 13. 7. Nec Paulus dixiſſet: *Admone illos, principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe*. Quia potius reſpondiſſent Chriſtiani, ſe liberos eſſe a tali ſubjectione; ideoque nolle principibus, & poteſtatibus ſubeſſe. Hoc non reſponderunt. Sciebant enim Chriſtianam libertatem non conſiſtere in eo, ut liberi eſſent ab obedientia, & ſubjectione, quæ debetur Magiſtratui, ſed in aliis duobus. Primo in eo, ut liberi eſſent a ſervitute diaboli, & peccati. Joan. 8. 36. *Si vos filius liberavit, vere liberi eritis*. Et Rom. 6. 18. *Liberati a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ*. Secundo in eo, ut liberi eſſent a jugo, & ſervitute legis Moſaicæ, cui ſubjecti erant Judæi, Rom. 6. 14. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*, ideſt, non eſtis ſub jugo, dominio, & reatu legis Moſaicæ. De quo jugo dixit Petrus Act. 15. 10. *Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Quod dixit contra eos, qui volebant novis Chriſtianis imponere jugum circumciſionis, quæ erat pars quædam jugi legis Moſaicæ.

8. Illud porro, quod objicitur ex Apoſtolo: *Pretio redempti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*: non debet intelligi de ſubjectione, & obedientia, quæ exhibetur Magiſtratui a Deo conſtituto, quia illam Apoſtolus commendat, ſed de ſervitute, ſeu obſequio, quod præſtatur homini propter hominem, & non propter Deum. Nota. Homo poteſt homini dupliciter ſervire. Primo, in rebus tantum licitis, & honeſtis propter Deum. Secundo, in rebus etiam illicitis, propter reſpectum humanum: Prius bene fit, poſterius male. Hoc patet ex eodem Apoſtolo, Epheſ. 6. 5. ubi ait: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes: ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus*.

9. Tertio, ex eo, quod aliqui Reges, & Principes ſæculares ſolent abuti ſua poteſtate, non ſequitur, poteſtatem illorum eſſe illicitam, & proſcribendam. Alioqui etiam poteſtas Eccleſiaſtica, quam Chriſtus dedit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, eſſet illicita, & proſcribenda, quia multi Prælati ea abutuntur. Idem dico de matrimonio, de mercatura, de cibo, & potu, & de ſimilibus.

Mul-

Multi illis abutuntur. An ideo illicita, & proſcribenda? abſit. Sic potius ratiocinandum: Poteſtas politica, ſicut & Eccleſiaſtica, a Deo ordinata eſt, Rom. 13. 2. Ergo licita, & uſurpanda eſt. Quamvis igitur multi abutantur hac poteſtate, non ideo poteſtas mala eſt; ſed illi, qui abutuntur, mali ſunt. Nec ſubditi minus tenentur obedire Principi malo, quam bono, quia non debent reſpicere mores Principis, ſed poteſtatem, quam a Deo habet. Quo ſpectat illud 1. Pet. 2. 18. *Subditi eſtote in timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.*

CAPUT IV.

De Bello: An Chriſtianis licitum ſit?

1. TRiplex poteſt eſſe quæſtio. 1. An bellum ex natura ſua ſit licitum? 2. An jure divino fuerit licitum Judæis in veteri Teſtamento? 3. An jure divino ſit licitum Chriſtianis in novo Teſtamento? In hac tertia diſſentiunt a nobis Anabaptiſtæ: in reliquis non item. Concedunt bellum ex natura ſua licitum eſſe: concedunt licitum fuiſſe Judæis: negant licitum eſſe Chriſtianis, quia Chriſtiani debent eſſe manſueti, & pacifici. Hoc examinandum eſt.

2. Prima Concluſio. Bellum ex natura ſua licitum eſt, quando adſunt hæ tres conditiones. 1. Legitima authoritas indicendi bellum. 2. Juſta cauſa. 3. Recta intentio. Si omnes, vel aliqua iſtarum conditionum deſit, non eſt licitum. Ita D. Tho. in 2. 2. qu. 40. ar. 1. & alii paſſim. Et quidem ſi deſit prima, vel ſecunda conditio, non ſolum charitati, ſed etiam juſtitiæ contrarium eſt, cum onere reſtitutionis. Si deſit ſola tertia, non eſt contrarium juſtitiæ, ſed charitati. Bellarm. lib. de laicis cap. 15.

3. Legitima authoritas indicendi bellum offenſivum eſt in quovis Principe, vel Republica non agnoſcente ſuperiorem in temporalibus; cujuſmodi eſt Imperator, Rex Hiſpaniæ, Rex Galliæ, Dux Lotharingiæ, Reſpublica Veneta, & ſimiles. Hi omnes poſſunt indicere bellum offenſivum. De bello defenſivo eſt alia ratio. Nam ſicut quilibet homo privatus poteſt jure naturali ſe defendere contra iniquum invaſorem, vim vi repellendo; ita etiam quilibet Princeps, & Reſpublica, etiamſi agnoſcat ſuperiorem in temporalibus. Bellarminus loco citato. Molina tract. 2. de jure, & juſtit. diſp. 100. & alii. Notandum tamen eſt, Principem inferiorem in tribus caſibus poſſe ſuſcipere bellum offenſivum. Primo, quando præſumit conſenſum ſupremi Principis. Secun-

do, quando diuturna; & legitima præſcriptione hoc jus obtinuit. Tertio, quando neceſſitas urget, nec propriæ ſecuritati, aut indemnitati ſatis eſt conſultum, niſi ſtatim vindicta exerceatur. Molina diſp. 100. & 101.

4. Juſta cauſa indicendi bellum, generatim loquendo, eſt gravis injuria, quæ alicui Principi, Regi, Reipublicæ vel imminet, vel facta eſt. Si imminet, ut impediatur per bellum defenſivum jure defenſionis. Si facta eſt, ut vel reſarciatur per bellum offenſivum, jure juſtitiæ commutativæ; vel vindicetur, jure juſtitiæ vindicativæ. D. Auguſt. quæſt. 10. ſuper Joſue. D. Thom. qu. 40. art. 1. Molina diſp. 102.

5. Speciatim ſolent hæ, & ſimiles cauſæ aſſignari. *Primo*, publica Principis contumelia. Sic David movit bellum contra Hanon Regem Ammonitarum, eo quod nuncios a Davide miſſos affeciſſet magna contumelia, dimidiam barbæ partem, & veſtes uſque ad nates præſcindendo, 2. Reg. 10. 4. *Secundo*, rebellio ſubditorum. Sic idem David ſuſcepit bellum contra Seba filium Bochri, qui cum quibuſdam aliis ſeparaverat ſe a Davide legitimo ſuo Rege, 2. Reg. 20. 1. *Tertio*, defenſio malefactorum, ne juſte puniantur. Sic filii Iſrael pugnarunt contra Beniamitas, eo quod nollent tradere quoſdam ex ſua Tribu, qui nefandum flagitium perpetrarant. Judic. 20. 1. *Quarto*, ſuppetiæ inimicis latæ. Sic David percuſſit viginti duo millia virorum de Syria Damaſci, quia ſuppetias tulerant Adarezer Regi Seba, 2. Reg. 8. 5. *Quinto*, negatio innoxii tranſitus per alienam terram, qui jure naturali negari non poteſt. Sic Iſraelitæ indixerunt bellum Arad Regi Chananæo, quod negaret illis tranſitum per ſuam provinciam, Num. 21. 1. *Sexto*, violatum fœdus. Sic Rex Joram indixit bellum Regi Moab, qui nolebat illi ſolvere centum millia ovium, quæ ex antiquo fœdere tenebatur ſolvere, 4. Reg. 3. 5. *Septimo*, idololatria ſubditorum. Sic Moyſes cum filiis Levi bello aggreſſus eſt filios Iſrael, & interfecit triginta tria millia hominum, propterea quod aureum vitulum adoraſſent, Exod. 32. 26. An idem dici poſſit de hæreticis, dicemus lib. 5. cap. 17.

6. Recta intentio, quæ eſt tertia conditio ad juſtum bellum requiſita, triplex eſt. Prima, recuperare amiſſa. Altera, injuriam juſte vindicare. Tertia ſtabilire pacem Reipublicæ. Si alio fine, vel intentione bellum ſuſcipias, male facis. Unde Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. cap. 74. ait: *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſimilia, hæc ſunt quæ in bellis jure culpantur.* Vide D. Tho. qu. 40. ar. 1. Molinam diſp. 107. & alios paſſim.

7. Ser-

7. Servatis his tribus conditionibus, certum eſt, bellum eſſe licitum, ac juſtum ex natura rei. Quod ulterius ſic confirmo: Bellum, ut dixi, vel eſt defenſivum, vel offenſivum. Si defenſivum: conſtat ex natura ſua licitum eſſe. Nam ſi jure naturali licet homini privato vim vi repellere, multo magis id licet Principi, aut Communitati. Si offenſivum, tunc etiam licitum eſt ob ſimilem rationem. Nam ſi homo privatus poteſt adverſario ſuo intentare litem, vel actionem injuriarum per viam juris; cur Princeps, vel Communitas non poſſit idem facere per viam belli, quando via juris non eſt ſufficiens? Alioqui publica injuria, quæ Principi, vel Communitati facta eſt, nunquam poſſet reſarciri, aut vindicari; & conſequenter nec publica juſtitia, & indemnitas cuſtodiri, quod eſt abſurdum.

8. Dices: Etiamſi ſerventur hæ tres conditiones, quæ jam explicatæ ſunt, nihilominus bellum eſſe videtur contrarium paci, & charitati. Nam inter illos, qui bellum contra ſe mutuo gerunt, non poteſt eſſe pax, & charitas, ſed pugna, & diſſenſio. Reſpondeo: Ex parte illius, qui injuſtam cauſam fovet, aut malam intentionem habet, contrarium eſt paci, & charitati. De hoc nemo dubitat. At ex parte alterius, qui juſtam cauſam fovet, & rectam habet intentionem, non eſt contrarium, ſed conforme charitati. Quod ſic oſtendo: Homo privatus, qui ex charitate diligit ſe, & proximum ſuum, poteſt ſecundum ordinem charitatis præferre ſe proximo: ut ſi occurrat caſus, in quo vel ipſe, vel proximus debet pati aliquod damnum, vel incommodum, poteſt ſalva charitate ſeipſum ſalvare cum damno, vel incommodo proximi, modo non faciat illi injuriam, ut in Scholaſtica noſtra oſtenſum eſt. Idem dico de Principe, vel Republica. Si ergo Principi inferatur injuria ab alio Principe, poteſt ſalva charitate vindicare injuriam per bellum, & ſic ſe indemnem conſervare. In quo facto ſervatur ſimul charitas, & juſtitia: Charitas, quia ſervatur regula charitatis; *Proximus ſum egomet mihi*: Juſtitia, quia officium juſtitiæ eſt, illatam injuriam legitime vindicare.

9. Dices 2. Bellum eſt cauſa multarum cædium, ac damnorum: ergo eſt illicitum. Reſpondeo: Hoc verum eſt ex parte illius, qui injuſtam cauſam fovet, non ex parte alterius, qui juſtam fovet. Nam Princeps, qui alteri facit injuriam, eſt cauſa belli, & conſequenter omnium damnorum, quæ fiunt per bellum. At Princeps, qui patitur injuriam, non eſt cauſa belli, ſed invitus cogitur ad bellum, ut vindicet injuriam ſibi illatam, & ſtabiliat publicam pacem, juſtitiam, & tranquillitatem. Quo ſpectat illud Auguſtini epiſt. 207. ad Bonifacium Comitem: *Non pax quæritur, ut bellum*

excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur. Eſto ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis militatem bellando perducas.

10. Sed contra: Qui fovet juſtam cauſam, poſſet impedire mortem multorum hominum, ſi abſtineret a bello. Reſpondeo: Sic eſt. Sed ſimul impediret publicam juſtitiam, quæ poſtulat, ut injuria vindicetur. Igitur Princeps, qui fovet juſtam cauſam, debet ex una parte ponderare damna, quæ ſequuntur ex bello, & ex altera publicam juſtitiam, quæ defenditur per bellum. Hæc in re magni momenti præferenda eſt. Unde ſi quis vellet abſtinere a bello propter hoc ſolum, ne interficiantur homines, daret occaſionem majoris mali, quia ſic nulla ſervaretur juſtitia publica, ſed impune liceret furari, latrocinari, & alias injurias exercere. Nec eſſet vir bonus, ſed timidus. Audi eundem Auguſtinum apud Gratianum, can. Quid culpatur, 23. qu. 1. *Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum eſt, non religioſorum.*

11. Secunda Concluſio. Bellum fuit licitum in veteri Teſtamento, ſervatis illis conditionibus, quæ ſupra enumeratæ ſunt. Ratio eſt, quia quod ex natura ſua licitum eſt, hoc etiam licitum fuit Judæis, niſi ſpeciali mandato fuerit illis prohibitum: at bellum ex natura ſua licitum eſt, ut dixi; nec ullo ſpeciali mandato fuit Judæis prohibitum, cum nullum extet tale mandatum in veteri teſtamento; ergo, &c. Et confirmatur tripliciter. Primo, quia Deus non ſolum permiſit bellum in veteri teſtamento, ſed etiam mandavit, Num. 25. 16. & 1. Reg. 15. 2. & alibi. Secundo, præſcripſit leges gerendi bellum, ut paulo poſt dicam. Tertio, laudantur in ſcriptura, qui in veteri teſtamento fortiter ſe geſſerunt in bello: ſic laudatur Abraham, Gen. 14. 19. Sic Levitæ, Exod. 32. 29. Sic Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, Samuel, David, & alii. Hebr. 11. 32.

12. Quæres, quæ fuerint leges a Deo præſcriptæ in veteri teſtamento? Reſpondeo: Fuerunt duplices. Aliæ ceremoniales, quæ jam abrogatæ ſunt. Aliæ morales, quæ adhuc durant; cujuſmodi ſunt hæ. 1. Ut milites ſint puri ab omni peccato, & immunditia. 2. Ut ſervent ordinem a ſuperiore præſcriptum. 3. Ut confidant in Deum, & ab ipſo petant ſubſidium. 4. Ut parcant innocentibus, quantum fieri poteſt. 5. Ut hoſti offerant prius pacem, antequam illum bello offenſivo invadant. Num. 10. & Deut. 20. & 23.

13. Tertia Concluſio. Etiam Chriſtianis in novo Teſtamento licitum eſt bellum, ſervatis iiſdem conditionibus. Ita D. Auguſt. lib. 22. cont. Fauſt. cap. 74. & Epiſt. 5 ad Marcellinum, & Epiſt. 50.

ad

ad Bonifacium Comitem. Ambroſ. lib. 1. de offic. cap. 40. & in illud Luc. 3. 14. *Contenti eſtote ſtipendiis veſtris*. Gregorius lib. 1. Epiſt. 32. Bernardus ſermone ad milites templi, cap. 3. & alii paſſim. Et probatur ex Euangelio.

14. Primo, quia Joannes Baptiſta rogatus a militibus: *Quid faciemus & nos?* non diſſuaſit illis militiam, ſed dixit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris*, Luc. 3. v. 14. Utitur hoc teſtimonio Auguſtinus Epiſt. 5. ad Marcellinum, & lib. 22. contra Fauſt. cap. 7.

15. Similiter Chriſtus rogatus a Phariſæis, an liceret Cæſari dare cenſum, ſeu tributum pro ſtipendiis militaribus? reſpondit, *Reddite Cæſari, quæ Cæſaris ſunt*. Matth. 22. 21. De quo idem Auguſtinus loco poſterius citato ait: *Sed quia Manichæi aperte Joannem blaſphemare conſueverunt, ipſum Dominum Jeſum Chriſtum audiant, hoc ſtipendium jubentem reddi Cæſari, quod Joannes dicit debere ſufficere militi. Reddite*, inquit, *Cæſari, quæ Cæſaris ſunt. Ad hoc enim tributa præſtantur, ut propter bella neceſſarium militi ſtipendium præbeatur*.

16. Tertio, Chriſtus commendavit fidem Centurionis, qui dicebat: *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alii, veni, & venit*. Non reſpondit Chriſtus: *Deſere militiam*, ſed potius: *Non inveni tantam fidem in Iſrael*. Matth. 8. 10. Unde Auguſtinus loco citato: *Fidem Centurionis laudavit, non militiæ deſertionem imperavit*.

17. Et ratio duplex eſt. Una, quia Principes Chriſtiani poſſunt uti gladio in puniendis privatis malefactoribus. Rom. 13. v. 4. Ergo etiam in vindicanda publica injuria. Altera, quia bellum ex natura ſua licitum eſt, ut ſupra oſtendi: ergo etiam licitum eſt Chriſtianis, modo non ſit illis peculiari mandato prohibitum; at non eſt prohibitum, ut patebit ex ſolutione eorum, quæ contra objiciuntur. Sunt autem hæc, & ſimilia.

18. Primo illud Matth. 5. 39. *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Reſpondeo: Hoc dupliciter intelligi poteſt. Primo, ut abſolute nunquam reſiſtas malo, ſed quotieſcunque te aliquis percutit in unam maxillam, præbeas illi & alteram. Hoc neceſſe non eſt. Nam neque Chriſtus, neque Apoſtolus hoc fecit. Chriſtus enim, cum percuteretur in una maxilla coram Pontifice, non præbuit alteram, ſed reſtitit increpando: *Si bene locutus ſum, quid me cædis? ſi autem male, teſtimonium redde de malo*. Jo. 18. v. 23. Similiter Paulus, cum ex mandato Pontificis juberetur

percuti, reſpondit; *Percutiet te Deus, paries dealbate*. Act. 23. 3. Secundo poteſt intelligi, ut non reſiſtas malo, ideſt, ut non quæras privatam vindictam, ſed potius paratus ſis alteram maxillam præbere, ideſt alteram injuriam accipere, quam accep tam ulciſci. Hoc Chriſtus vult. Nec inde ſequitur, bellum eſſe illicitum. Nam etiam qui bellum infert, non debet hoc facere ex primo affectu vindictæ, ſed ex recta intentione boni publici, ut in prima concluſione dictum eſt.

19. Secundo, illud Matth. 26. v. 52. *Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Reſpondeo; Chriſtus prioribus verbis modeſte reprehendit Petrum ob has cauſas. Primo, quod cum omnes Apoſtoli interrogaſſent, *Domine, ſi percutimus in gladio?* ipſe ſolus, non expectato Chriſti reſponſo, ſtrinxiſſet gladium, & ſervum Pontificis vulneraſſet. 2. Quod temerarium eſſet, unum hominem inſurgere contra integram militum cohortem. 3. Quod, ſi opus fuiſſet, Angeli Chriſtum defendiſſent. *An putas*, inquit, *quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* 4. Quod non vellet ſuam mortem impediri. *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Hæc non obſtant, quominus bellum ſit licitum, ſervatis conditionibus, de quibus ſupra.

20. Poſterioribus verbis non ſignificat, omnes, qui gladium acceperint, gladio perituros, (quia conſtat hoc falſum eſſe) ſed allegat veterem legem, quæ jubebat homicidam occidi, Gen. 9. 6. *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur & ſanguis illius*. Et Levit. 24. 17. *Qui percuſſerit, & occiderit hominem, morte moriatur*. Ex eo autem, quod homicidæ ſecundum legem debeant occidi, non ſequitur, bellum eſſe illicitum; alioqui fuiſſet etiam illicitum in veteri Teſtamento, quia ibi lex lata eſt contra homicidas. Et ratio eſt, quia bellum ſuſcipitur pro defenſione publicæ juſtitiæ ad publicam injuriam propulſandam, & vindicandam. Homicidium autem committitur contra publicam legem ad deſtruendam juſtitiam.

21. Tertio, illud 2. Corinth. 10. 4. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed ſpiritualia*, nempe lorica juſtitiæ, ſcutum fidei, galea ſalutis, gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei, ut habetur Epheſ. 6. 14. Reſpondeo: Hic confunduntur duo teſtimonia. quæ diſtinguenda ſunt. Unum eſt 2. Cor. 10. 4. *In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo*, &c. Alterum Epheſ. 6. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli*. Et

poſtea

poſtea ſequitur, quæ ſit illa armatura, nempe *lorica Juſtitiæ, ſcutum fidei*, &c. In priori loquitur Apoſtolus de militia, quam Apoſtoli exercent in prædicando, & ſuadendo Euangelio. Et eſt hic ſenſus: Tametſi vivamus in carne humana, non tamen utimur carnalibus armis in promulgando Euangelio, cujuſmodi ſunt humana ſcientia, prudentia, facundia, aſtutia, adulatio, jactantia, affectata gravitas, quibus utuntur mundani homines: ſed utimur præſidiis divinis, ideſt zelo, charitate, patientia, oratione, virtute miraculorum, quæ majorem vim habent, quam præſidia humana. Hunc ſenſum expreſſit 1. Corinth. 1. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis*, &c. In poſteriori loquitur de militia, quam omnes Chriſtiani debent exercere contra diabolum. Et quia diabolus nos oppugnat armis ſpiritualibus, ideſt pravis ſuggeſtionibus; ideo nos viciſſim debemus ſumere arma ſpiritualia, quibus illi reſiſtamus, cujuſmodi ſunt fides, juſtitia, veritas, verbum Dei.

22. Hæc eſt vera interpretatio utriuſque teſtimonii. Ex neutro ſequitur, bellum externum, quod contra hoſtes geritur, prohibitum eſſe Chriſtianis. Non enim valet hæc conſequentia: Apoſtoli in prædicando Euangelio non utuntur mediis humanis, ſed divinis: ergo bellum eſt prohibitum. Neque hæc: Chriſtiani contra diabolum aſſumunt arma fidei, juſtitiæ, & veritatis: ergo homines non poſſunt aſſumere arma corporalia.

CAPUT V.

De Juramento.

1. JUrare nihil eſt aliud, quam Deum, qui falli, aut mentiri non poteſt, in teſtem invocare. Quod dupliciter fit. Vel enim vocamus eum in teſtem, quando aliquid aſſerimus, vel quando aliquid promittimus. Unde duplex ſolet diſtingui juramentum, unum aſſertorium, quo noſtram aſſertionem; alterum promiſſorium, quo noſtram promiſſionem confirmamus. In priori vocamus Deum in teſtem, quod aſſertio noſtra ſit vera; in poſteriori, quod promiſſio noſtra ſincere facta ſit. Vide infra lib. 5. cap. 22. §. 6.

2. Hoc poſito, quæſtio eſt: An Chriſtianis licitum ſit jurare? Negant Anabaptiſtæ cum Vvicleffiſtis, aſſerentes juramentum omnino prohibitum eſſe in Euangelio, ita ut in nullo caſu liceat jurare. Nam Chriſtus, inquiunt, dedit nobis hanc legem, Matth.

 5. 33.

ℑ. 33. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino: neque per cælum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Jeroſolymam, quia civitas eſt magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt, Non, Non, quod autem his abundantius eſt, a malo eſt. Quam legem repetit Jacobus Apoſtolus in Epiſtola ſua canonica c. 5. v. 12. his verbis: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare neque per cælum, neque per terram, nec aliud quodcunque juramentum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, Eſt, Non, Non.*

3. Sed errant. Nam juramentum non eſt abſolute prohibitum a Chriſto, ſed abuſus juramenti. Prior pars patet, quia Apoſtolus Paulus ſæpe legitur juraſſe, quod non feciſſet, ſi a Chriſto fuiſſet abſolute prohibitum; Rom. 1. v. 9. *Teſtis mihi eſt Deus*. Et 2. Cor. 1. 23. *Teſtem invoco Deum in animam meam*. Et Philip. 1. 8. *Teſtis mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti*. Et 1. Tim. 5. v. 21. *Teſtor coram Deo, & Chriſto Jeſu*. Et in epiſtola ad Hebræos c. 6. 16. affirmat, omnem controverſiam finiri per juramentum. Quod etiam confirmari poteſt ex quotidiana praxi, quæ viget apud Chriſtianos in judiciis, & tribunalibus. Quando enim reus ſuam innocentiam non poteſt probare per teſtes, jubetur illam interpoſito juramento atteſtari. Et ſic ceſſat lis, & controverſia. (infra lib. 5. c. 22. §. 7.)

4. Poſteriorem partem ſic explico. Abuſus juramenti in eo conſiſtit, quod aliqui ſolent facile etiam in rebus parvi momenti, & ſine ulla neceſſitate, Deum in teſtem vocare: ſicut olim faciebant Judæi, & nunc mali Chriſtiani. Hoc non licet. Nam qui id faciunt, peccant contra reverentiam Deo debitam. Eſt enim contra reverentiam Deo debitam, ſi quis illum ſine neceſſitate, & in rebus exiguis in teſtem adhibeat. Imo nemo noſtrum auderet Principem, aut Regem ſine neceſſitate in teſtem adducere. D. Th. in 2. 2. q. 89. ar. 2. Hunc abuſum prohibet Chriſtus. Et jam ante prohibitus fuit Eccl. 23. 9. *Jurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa*. Eodem ſenſu intelligitur illud Exo. 20. v. 7. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Et Deut. 5. 11. *Non uſurpabis nomen Domini Dei tui fruſtra*. Nam illæ duæ particulæ, *In vanum*, *& fruſtra* idem valent, ac ſi dicas, Temere, & ſine neceſſitate.

5. Cum ergo Chriſtus ait: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, partim repetit antiquam legem, partim perficit. In eo repetit, quod non ſit temere, aut fruſtra, aut in vanum, aut ſine ne-

neceſſitate jurandum. In eo perficit, quod nullo modo, aut forma, neque per Deum, neque per creaturas, jurandum ſit ſine neceſſitate. Quod antiqua lex non exprimebat. Verba ejus ſunt: *Non aſſumes nomen Dei in vanum*, id eſt, non jurabis per Deum ſine neceſſitate. Verba Chriſti ſunt: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, id eſt, neque per Deum, neque per cœlum, neque per terram, neque per ſanctam civitatem, neque per caput tuum. Itaque illa particula, *omnino*, non ſignificat, quod nullo tempore, aut nullo caſu licitum ſit jurare, ut falſo interpretantur Anabaptiſtæ, ſed quod nulla forma, id eſt neque per Deum, neque per creaturas licitum ſit jurare abſque neceſſitate. Eodem modo intelligendus eſt Jacobus Apoſtolus. Vide Maldonatum in cap. 5. Matth.

6. Hæc omnia confirmantur ex D. Auguſt. l. de Mendacio c. 15. circa medium, ubi ſic ſcribit: *Apoſtolus* (Paulus) *in epiſtolis ſuis jurans* (ſupra §. 3.) *oſtendit, quomodo accipiendum eſſet, quod dictum eſt: Dico vobis, non jurare omnino: ne ſcilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur: & ex facilitate jurandi ad conſuetudinem, & a conſuetudine in perjurium decidatur. Et ideo non invenitur juraſſe, niſi ſcribens, ubi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem.*

CAPUT VI.

De Polygamia.

1. Anabaptiſtæ docent, Polygamiam eſſe licitam, id eſt; licitum eſſe homini Chriſtiano plures ſimul habere uxores, ut notat Bellarminus libro de Matrimonio ca. 10. Qui error damnatus eſt in Concilio Trid. ſeſſ. 24. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit*. Pro majori declaratione hæc breviter explicanda ſunt: Primo polygamiam repugnare primæ inſtitutioni matrimonii, quæ a Deo facta eſt in paradiſo. 2. Repugnare etiam aliquo modo legi naturæ. 3. Deum tamen conceſſiſſe, ut poſt diluvium liceret habere plures uxores, quod ante diluvium non licebat. 4. Hanc conceſſionem, quam alii diſpenſationem vocant, confirmatam fuiſſe per legem Moſaicam. 5. Sed revocatam eſſe per legem Euangelicam, quia Chriſtus in Euangelio reduxit matrimonium ad primam inſtitutionem, ita ut non amplius liceat habere plures ſimul uxores. Hæc ſingula per ſingulas Concluſiones confirmabo.

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

2. POlygamia repugnat primæ inſtitutioni Matrimonii, quæ a Deo facta eſt in paradiſo. Ita docet Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophyl. Beda, Anſelmus in cap. 19. Matt. Ambroſius in lib. de viduis circa finem, Auguſtinus lib. 1. de nuptiis, & concupiſc. c. 9. aſſerentes matrimonium initio inſtitutum fuiſſe inter unum, & unam; & conſequenter excluſam polygamiam. Quod dupliciter probari poteſt. Primo ex Scriptura, quæ utitur numero ſingulari, Gen. 1. 27. *Maſculum, & fœminam creavit eos.* Et c. 2. 24. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Non dixit in plurali, *Maſculum, & duas, vel tres fœminas creavit*, nec *adhærebit uxoribus ſuis*: nec *erunt plures in diverſa carne*. Secundo, ex ipſa hominis creatione. Nam ſi Deus voluiſſet Adamum habere plures uxores, ſine dubio creaſſet illi plures fœminas, quas in uxores ducere potuiſſet; At unam tantum creavit. Voluit ergo una uxore contentum eſſe. Unde Innocentius, cap. Gaudemus, de divortiis, accommodate ait: *Unam tantum coſtam in unam fœminam, non plures coſtas in plures fœminas fuiſſe converſas.*

3. Accedit, quod nec Adam, nec ullus alius ab initio mundi uſque ad diluvium habuerit ſimul plures uxores, niſi ſolus Lamech (Gen. 4. 19.) Qui idcirco reprehenditur a Nicolao Papa in Epiſt. ad Lotharium Regem, ubi illum vocat *adulterum* (cap. An non, 24. quæſt. 3.) At ſi licuiſſet habere plures, cur Lamech eo nomine reprehenderetur? Cur nullus alius ex tot millibus virorum, qui vixerunt ante diluvium, plures accepiſſet?

CONCLUSIO SECUDNDA.

4. POlygamia repugnat etiam aliquo modo legi naturæ. Ita Innocentius loco citato, D. Thomas 3. part. quæſt. 65. art. 1. & alii paſſim Theologi, excepto Durando, & aliis pauculis. Et probatur 1. ex dictis, quia ſi polygamia omnino conformis eſſet naturæ, Deus, qui eſt author naturæ, ab initio illam inſtituiſſet; præſertim cum eo tempore fuiſſet maxime neceſſaria ad propagandum genus humanum. At Deus non inſtituit tunc polygamiam, ſed monogamiam: ergo polygamia non eſt omnino conformis legi naturali.

5. Secundo, quia contra legem naturæ fit, quando res uni tradita, & ab eo legitime poſſeſſa alteri traditur poſſidenda: ſed ma-

maritus in matrimonio tradit corporis ſui poteſtatem uxori; ergo iure naturæ non poteſt illam alteri tradere.

6. Tertio, quidquid repugnat fini matrimonii a natura intento, hoc repugnat rei naturali: at pluralitas uxorum repugnat fini matrimonii a natura intento, & quidem duplici fini. Alter eſt mutuum obſequium viri, & fœminæ: alter remedium concupiſcentiæ. Utrique repugnat pluralitas uxorum. Priori quidem, quia nihil magis repugnat mutuæ charitati, & obſequio conjugum, in domeſtica vivendi ratione, quam rixæ, & contentiones; at ſi unus vir haberet plures uxores, facillime inter eas oriretur contentio, æmulatio, & invidia; maxime, ſi una plus, alia minus a viro diligeretur, vel, ſi una eſſet ſterilis, altera fœcunda. Exempla ſunt in ſcripturis. Nam Sara non potuit ferre Agar, Gen. 21. 9. Rachel invidebat Liæ propter fœcunditatem, Gen. 30. 1. Phenenna affligebat Annam, 1. Reg. 16. Poſteriori vero, quia qui plures haberet uxores, non poſſet omnibus, & ſingulis ſatisfacere; quoad ipſarum libidinem, & concupiſcentiam.

7. Dixi in concluſione, *Aliquo modo*. Non enim abſolute, & ſimpliciter contra naturam eſt, habere plures uxores, ſed tantum ex parte. Quod ſic explico: Finis matrimonii triplex eſt. Primus, procreatio, ſeu propagatio prolis. Secundus, mutuum obſequium conjugum in domeſtica vivendi ratione. Tertius, remedium concupiſcentiæ. Primus eſt primarius, ſeu principalis: reliqui duo ſecundarii. Igitur polygamia non repugnat fini primario, id eſt, procreationi prolis, quia quo quis habet plures uxores, eo poteſt plures liberos procreare, ſed repugnat finibus ſecundariis, ut oſtenſum eſt. Unde ſequitur, polygamiam ratione finis primarii conformem eſſe legi naturæ, ratione ſecundarii repugnantem.

8. Et hoc probant tria argumenta pro concluſione allata; ſed ſecundum debet explicari hoc modo: Contra legem naturæ fit, quando res uni tradita ad certum finem ita traditur alteri, ut ille finis impediatur; non tamen quando res uni tradita ad certum finem ita traditur alteri, ut ille finis non impediatur. Si ergo vir daret poteſtatem ſui corporis uni fœminæ, vel ad mutuum obſequium, vel ad remedium concupiſcentiæ, faceret contra legem naturæ, ſi eandem traderet alteri fœminæ ad eundem finem, quia tunc finis ille impediretur. Si autem daret uni ad procreationem prolis, & alteri ad eundem finem, non faceret contra legem naturæ, quia per hoc finis ille non impediretur.

CON-

CONCLUSIO TERTIA.

9. Deus conceſſit poſt diluvium, ut liceret habere plures ſimul uxores, quod antea non licebat. Ita authores citati. Ratio ſumitur ex ipſo facto. Nam conſtat quoſdam ſanctos viros habuiſſe plures uxores, quas procul dubio non accepiſſent, niſi fuiſſet illis a Deo conceſſum. Quo pacto Abraham habuit duas, Saram, & Agar: Jacob duas, Liam, & Rachelem, Elcana duas, Annam, & Phenennam: David plures, Achinoam, Abigail, Naacha, Aggith, Abital, Eglam, Bethſabee, Michol. Et ſic de aliis. Quanquam aliqui dubitant de Abrahamo, aſſerentes Saram quidem fuiſſe legitimam ipſius uxorem: Agar autem non uxorem, ſed concubinam. Quod tripliciter probant. Primo ex illo Gen. 25. v. 5. *Dederat Abraham cuncta, quæ poſſederat, Iſaac: filiis autem concubinarum largitus eſt munera*. Ubi per concubinas intelliguntur Agar, & Cetura. Secundo, ex verbis Judæorum, Joan. 8. 41. *Nos ex fornicatione nati non ſumus*, id eſt, non ſumus nati ex Agar concubina Abrahæ, ſed ex Sara legitima ejus uxore. Tertio, quia aliqui Patres ita ſentiunt, ut Ambr. l. 1. de Abrahamo, c. 4. & Aug. l. 2. contra adverſar. legis, & Prophetar. c. 9. & l. 22. contra Fauſt. c. 30. & l. 16. de Civ. Dei, c. 25. Ambo enim excuſant Abrahamum, quod vivente legitima uxore quæſiverit filium ex ancilla: aſſerentes eum id feciſſe, non ex libidine, ſed ex amore poſteritatis. Quod ſi putaſſent Agar fuiſſe legitimam ejus uxorem, non opus erat tali excuſatione.

10. Hæc tamen ſententia non placet. Primo, quia magnam injuriam facit Abrahamo, quaſi ſciens commiſerit adulterium; quod abſit a tanto Patriarcha. Secundo, quia repugnat ſcripturæ, quæ non ſolum Saram, ſed etiam Agar appellat uxorem Abrahæ, Gen. 16. 3. Tertio, repugnat etiam Apoſtolo, ad Gal. 4. 22. ubi ait, Abrahamum habuiſſe duos filios, unum de ancilla, & unum de libera, & per hoc fuiſſe ſignificatum, quod Deus habiturus eſſet duos populos: unum ex ſynagoga: alterum ex Eccleſia. Ergo ex ſententia Apoſtoli Abraham fuit figura Dei: Duo filii Abrahæ Iſmael, & Iſaac, fuerunt figura duorum populorum, nempe populi Judaici, & populi Chriſtiani: Agar, mater Iſmaelis, fuit figura ſynagogæ, & Sara, mater Iſaac, figura Eccleſiæ. Jam vero ſicut Eccleſia eſt legitima, non autem adulterina mater Chriſtianorum; ita ſynagoga fuit legitima, non autem adulterina mater Judæorum: ergo ſimiliter, ſicut Sara fuit legitima mater Iſaac; ita Agar, legitima ma-

mater Iſmaelis: & conſequenter utraque legitima uxor Abrahæ.

11. Ad argumenta contraria ſic reſpondeo. Ad 1. Nomen concubinarum ſæpe ſumitur pro veris uxoribus, ſed ſecundariis, & ignobilioribus. Nam inter plures unius viri uxores ſolebat una eſſe primaria, quæ erat Domina, & gubernatrix familiæ, cui reliquæ honorem deferebant; ſic Sara erat Domina; Agar ancilla; utraque tamen uxor. Tametſi igitur Agar, & Cetura loco citato vocentur concubinæ Abraham; erant tamen uxores, & alibi ſic vocantur. Agar quidem Gen. 16. 3. Cetura vero Gen. 24. 1. Vide Pererium, & Cornelium in c. 25. Gen. v. 5. & Bellarmin. de Matrimonio c. 11. Nota. Abraham habuit tres uxores, unam primariam, quæ erat Sara, duas ſecundarias, quæ erant Agar, & Cetura. Non tamen habuit tres ſimul, ſed tantum duas, Saram, & Agar. Nam poſt mortem Saræ duxit Ceturam (Gen. 25. 1.)

12. Ad 2. Judæi non loquuntur de fornicatione carnali, ſed de ſpirituali, ideſt, de idololatria. Itaque ſenſus illorum non eſt hic: *Nos non ſumus nati ex Agar, concubina Abrahæ*: ſed hic potius; *Nos non ſumus idololatræ, ſed cultores veri Dei*. Quod patet ex ipſorum verbis: *Nos, inquiunt, ex fornicatione non ſumus nati, unum Patrem habemus Deum*. Quæ poſteriora verba non cohærerent cum prioribus, ſi eſſet ſermo de fornicatione carnali. Non enim eſſet bona connexio, ſi dixiſſent: nos non ſumus nati ex concubina Abrahæ, ſed unum patrem habemus Deum. Hæc autem eſt bona: nos non ſumus cultores idolorum, ſed unius veri Dei. Vel, nos non deſcendimus ex gentilibus idololatris, ſed ex Patriarchis unius Dei cultoribus. Vide Auguſt. & Maldonatum in illum locum, & Bellar. de Matrimonio cap. 11.

13. Ad 3. Ambroſius, & Auguſtinus non diſſentiunt a nobis. Nam Ambroſius tripliciter excuſat Abrahamum. Primo, quod eo tempore nondum eſſet prohibitum adulterium per legem ſcriptam. Secundo, quod amore poſteritatis, non ardore libidinis id fecerit, uxore conſentiente, & tandem pœnitentiam egerit. Tertio, quod non peccaverit, ſed futurum myſterium ſignificaverit; quod explicat Apoſtolus ad Galat. c. 4. 22. (de quo ſupra §. 10.) Hæc tertia excuſatio eſt vera. Ex qua ſequitur, Abrahamum ex inſtinctu Dei feciſſe, quod fecit, ut hoc facto ſignificaret, fore aliquando, ut Deus conjungat ſibi Synagogam, & Eccleſiam, ſicut ipſe conjunxerat ſibi Agar, & Saram. Jam vero Auguſt. non negat, Agar fuiſſe uxorem Abrahami, cum ſcriptura diſerte hoc affirmet, Gen. 16. 3. ſed ſolum defendit Abrahamum contra Manichæos, aſſerens, illum, vivente adhuc Sara uxore, accepiſſe Agar ancillam, non ex libidine, ut putabant

bant Manichæi, ſed ex amore poſteritatis; & quidem Sara conſentiente, & inſtigante. Quod eſt veriſſimum, ut patet Geneſ. 16. 1.

14. Nota. Sara, cum adverteret ſe eſſe ſterilem, videtur ex divina inſpiratione inſtigaſſe Abrahamum, ut acciperet Agar ancillam, & ex illa prolem ſuſcitaret ad præfigurandum myſterium, de quo dictum eſt. Sicut etiam Rebecca ex divino inſtinctu inſtigavit Jacob filium ſuum, ut fingeret ſe eſſe primogenitum, & hoc prætextu peteret a Patre ſuo Iſaac benedictionem. Quæ res etiam non carebat myſterio.

15. Quæres. Quare Deus poſt diluvium conceſſit polygamiam, quæ ante non erat conceſſa? Reſp. Conceſſit illam duplici de cauſa. Primo ad propagandam prolem, qui eſt primarius finis matrimonii. Secundo, ut eſſet figura, ſeu typus pluralitatis, ſeu multitudinis gentium, quæ Chriſto tanquam ſponſo erat conjungenda. Ita Auguſt. lib. de bono conjugali c. 18. D. Thom. 3. p. q. 65. art. 2. ad 5. Valentia q. 1. de Matrimonio p. 3.) Sed quare propter eaſdem cauſas non conceſſit illam in principio mundi? Reſp. Hoc pendet ex libera ipſius voluntate: poteſt tamen dari hæc cauſa, quia monogamia, quam inſtituit in principio mundi, poterat utrumque præſtare. Primo, quia erat ſufficiens ad propagandam prolem. Gen. 6. 1. Secundo, quia erat typus, ſeu figura conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, Epheſ. 3. 2. Nota. Chriſtus poteſt conferri vel cum Eccleſia, quæ eſt una; vel cum multitudine gentium, quæ recipiuntur in Eccleſiam. Priori modo fuit repræſentatus per monogamiam: poſteriori per polygamiam. Nam ſicut ante diluvium vir conjunctus uni tantum uxori erat figura conjunctionis cum una Eccleſia: ita poſt diluvium vir conjunctus pluribus uxoribus erat figura conjunctionis Chriſti cum multis populis ac gentibus.

16. Sed cur Deus ad eundem plane finem, nempe ad propagandam prolem, primo ordinavit monogamiam, ac deinde polygamiam? Reſp. Deus ſolet pro diverſitate temporum ordinare diverſa media ad eundem finem. Sic ad dirigendum hominem in ſuis actionibus ordinavit primo legem naturalem; deinde legem Moſaicam; poſtremo legem Euangelicam. Similiter, ad tollendum peccatum originale inſtituit aliud remedium in ſtatu naturæ, aliud in ſtatu legis ſcriptæ, aliud in ſtatu gratiæ. Ad ſuſtentationem hominis conceſſit primo carnes animalium, ſine ulla reſtrictione: poſtea reſtrinxit hanc conceſſionem ad carnes eorum tantum animalium, quæ in lege Moſaica habebantur munda; tandem ſublata hac reſtrictione rediit ad primam conceſſionem. Idem dico in propoſito. Ad propagatio-

nem

nem prolis ordinavit primo monogamiam: deinde conceſſit polygamiam: demum, exploſa polygamia, revocavit monogamiam, & ſimul commendavit cœlibatum, ac virginitatem.

17. Dices; Polygamia eſt utilior ad propagandam prolem, quam monogamia: Reſp. Ita quidem nos putamus: ſed aliter res habet in conſilio, & providentia Dei. Quod patet ex eventu. Nam quando inſtituit monogamiam in paradiſo, dixit Adamo, & Hevæ: *Creſcite, & multiplicamini*. Quibus verbis dedit illis, & proximis eorum poſteris benedictionem, & fœcunditatem. Itaque monogamia conjuncta cum hac benedictione erat ſufficientiſſima ad humani generis propagationem. Quando autem, ceſſante hac benedictione, cœperunt fœminæ eſſe ſteriles, tunc conceſſit polygamiam, ut hac ratione ſterilitatem compenſaret. Sic contigit Abrahamo. Habuit uxorem ſterilem: conceſſa eſt illi alia uxor, ut prolem ſuſcitaret. Gen. 16. v. 2. Poſtea multæ aliæ ſteriles fœminæ ſubſecutæ ſunt, ut Rachel, uxor Jacob: Anna, uxor Elcanæ: N. uxor Manue: Michol, uxor David: Sunamitis, uxor N. Eliſabeth, uxor Zachariæ; & aliæ plures. Et quod mirum eſt, cum Salomon habuerit uxores ſeptingentas, & concubinas trecentas, non legitur tamen habuiſſe aliam prolem, niſi Roboam. Unde neceſſe eſt, omnes uxores, & concubinas, excepta una, fuiſſe ſteriles.

18. Dices 2. Polygamia, ut ſupra oſtenſum eſt, repugnat ſecundario fini matrimonii, qui eſt mutuum obſequium conjugum, & remedium libidinis. Cur ergo Deus illam conceſſit? Reſpondeo: Deus pro ſua providentia obtulit ſufficiens ſubſidium, vel ad tollendam illam repugnantiam, vel certe ad cavendum, ne obeſſet, ſed potius prodeſſet. Idque tribus fere modis: Primo, quia fœminas, quæ nubebant uni viro, hortabatur ad conſervandam concordiam. Sic per Angelum hortatus eſt Agar ancillam Abrahæ, ut ſe ſubmitteret, & accommodaret Saræ, ad cavendas contentiones, Gen. 16. 9. Secundo aliquando permittebat hujuſmodi contentiones ex una parte ad exercitium patientiæ alterius partis, & poſtea magno beneficio compenſabat. Sic permiſit Annam affligi a Phenenna; & poſtea conſolatus eſt illam conceſſione inſperatæ prolis. 1. Reg. 1. 20. & c. 2. 1. Tertio, aliquando mitigabat æſtum libidinis, ut non opus eſſet frequenti uſu matrimonii. Sic fecit Saræ filiæ Raguelis, quod ipſa fatetur, Tob. 3. 16. *Tu ſcis, Domine*, inquit, *quia nunquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia*. Et infra: *Virum cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere*.

CON-

CONCLUSIO QUARTA.

19. HÆc conceſſio divina, qua licebat habere plures uxores, confirmata eſt per legem Moſaicam. Hoc tripliciter probari poteſt. Primo, quia nuſquam eſt revocata per legem Moſaicam. Secundo, quia viri ſancti, qui vixerunt ſub lege Moſaica, habuerunt plures uxores, ut Elcana, David, & alii. Tertio, quia lex Moſaica expreſſe videtur approbare polygamiam, Deut. 21. 15. *Si habueris homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam: & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos dividere, non poteris filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ, ſed filium odioſæ agnoſces primogenitum.* Ubi ſermo eſt de veris uxoribus. 1. Quia in textu vocantur uxores. 2. Quia filii illarum poterant eſſe hæredes patris, & dividere ſubſtantiam illius; quod non licuiſſet, ſi altera fuiſſet uxor, & altera tantum concubina. Nam filii concubinæ non potuiſſent eſſe hæredes.

20. Objici poteſt illud Deut. 17. 17. *Non habebit uxores plurimas.* Quod nihil aliud eſt, quam prohibere polygamiam. Reſp. Hoc dictum eſt de ſolo Rege, non de aliis. Deinde, non prohibetur ibi abſolute pluralitas uxorum: alioqui Elcana, & David peccaſſent, quia habuerunt plures uxores, ſed prohibetur nimia multitudo uxorum alienigenarum, ſeu idololatricarum, propter periculum ſubverſionis. Hoc patet ex ipſo contextu, qui ſic habet: *Non habebis uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus,* nempe ad cultum falſorum Deorum. In quo peccavit Salomon, juxta illud 3. Reg. 11. 1. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas.* Et paulo poſt: *Depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos.*

CONCLUSIO QUINTA.

21. HÆc conceſſio revocata eſt a Chriſto, ut jam non liceat habere plures uxores. Sic definitum eſt in Concilio Trident. ſeſſ. 24. can. 2. Et merito. Nam Chriſtus in Euangelio reducit Matrimonium ad primam inſtitutionem, & revocat conceſſionem, quæ Judæis erat facta. Nam duo erant illis conceſſa ex indulgentia. Primo, ut dato libello repudii, poſſent ſuas uxores dimittere, & alias ducere. Secundo, ut poſſent plures ſimul habere uxores. Utrumque a Chriſto revocatum eſt, Matth. 19. 3. Prius quidem his verbis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et infra: *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere*

tere uxores veſtras. Ab initio autem non fuit ſic: Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Poſterius his verbis: *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos. Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.*

22. Ubi illa particula, *Ab initio non erat ſic*, manifeſte ſignificat, ea, quæ Judæis erant permiſſa, fuiſſe contra primam Matrimonii inſtitutionem. Eſt ergo hic ſenſus. 1. Ab initio non licebat dimittere uxores. 2. Ab initio fecit Deus maſculum, & fœminam, id eſt, uni viro dedit unam tantum uxorem. Igitur ab initio nec fuit libellus repudii, nec polygamia: ſed utrumque permiſſum fuit Judæis ex quadam indulgentia. Nunc permiſſio illa revocatur, & reditur ad primævam inſtitutionem. Sic explicant interpretes. Eodem ſenſu loquitur Apoſtolus Rom. 7. 3. *Mulier, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Quod eſt contra conceſſionem repudii. Et 1. Cor. 7. 2. *Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* Quod eſt contra conceſſionem polygamiæ.

23. Dices. Valentinianus Imperator, qui fuit pius, & Catholicus, legem promulgavit, ut liceret unicuique duas uxores habere, teſte Socrat. l. 4. hiſt. c. 27. Reſpondeo. Valentinianus merito reprehenditur ab omnibus Catholicis, & quidem duplici titulo. Primo, quod arrogaverit ſibi poteſtatem, quam non habuit. Non enim licebat illi abrogare legem Euangelicam, & aliam contrariam ſtatuere. Secundo, quod prętextu hujus legis voluerit ſuam turpitudinem, & libidinem occultare. Nam ipſe, cum haberet legitimam uxorem, nomine Severam, ex qua ſuſceperat Gratianum, aliam inſuper duxit, nomine Juſtinam, cujus amore tenebatur. Ne igitur ſolus eſſet polygamus, quæſivit ſocios ſui ſceleris, permittendo omnibus polygamiam.

24. Juxta ea, quæ hactenus dicta ſunt, tria tempora diſtingui poſſunt. Primum ab initio mundi uſque ad Abrahamum. Secundum ab Abrahamo uſque ad Chriſtum. Tertium a Chriſto uſque ad finem mundi. In primo fuerunt primi parentes cum ſuis poſteris. In ſecundo Judæi cum ſuis progenitoribus, Abrahamo, Iſaac, & Jacob. In tertio ſunt Chriſtiani. In primo viguit ſola monogamia. In ſecundo conceſſa eſt polygamia. In tertio reducta eſt monogamia, & exploſa polygamia. Quid hoc ſignificat? Nihil aliud, quam quod Deus initio mundi inſtituerit matrimonium in perfecto ſtatu: deinde ex quadam indulgentia permiſerit quædam Judæis, quæ multum derogabant perfectioni matri-

monii; denique reduxerit matrimonium ad primævam perfectionem. Hoc in multis aliis ſolet evenire. Verbi gratia: Natura humana ab initio fuit creata in ſua perfectione. Paulatim degeneravit per peccatum. Tandem per Chriſtum reſtaurata eſt. Omitto ſimilia exempla, quæ nota ſunt.

CAPUT VII.

De Vinculo Matrimonii.

1. ANabaptiſtæ docent, vinculum Matrimonii apud Chriſtianos diſſolvi poſſe propter diſparitatem fidei: ut ſi uxor nolit amplecti eandem fidem, & religionem, quam maritus profitetur; & in tali caſu maritum poſſe cum alia matrimonium contrahere. Ita refert Valentia quæſt. 1. de matrimonio pag. 7.

§. 2. Quæ doctrina manifeſte damnata eſt in Conc. Trident. ſeſſ. 24. can. 5. his verbis: *Si quis dixerit, propter hæreſim diſſolvi poſſe matrimonii vinculum, anathema ſit.* Et refellitur ex illo generali principio, quo uſus eſt Chriſtus, Matth. 19. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* q. d. Matrimonium, quod indiſſolubili vinculo inter virum, & fœminam a Deo inſtitutum eſt, non poteſt diſſolvi authoritate hominis, ſed ſolius Dei: ſicut lex, quæ a Rege firmiter ac legitime ſancita eſt, non poteſt tolli authoritate ſubditorum, ſed ſolius Regis. Deus autem non vult diſſolvi matrimonium inter Chriſtianos propter ſolam hæreſim: ergo in tali caſu manet indiſſolubile.

3. Quod ſic oſtendo: Deus in veteri Teſtamento conceſſit Judæis, ut ipſorum matrimonium poſſet diſſolvi per libellum repudii, ac proinde, ut maritus poſſet dimittere ſuam uxorem, & aliam ducere, ut patet ex illo Deut. 24. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxerit*, &c.

4. Hanc conceſſionem, quæ facta eſt Judæis propter duritiem cordis eorum, revocavit Chriſtus in Evangelio, & voluit matrimonium apud Chriſtianos eſſe penitus indiſſolubile, ſicut fuit in prima ſui inſtitutione, inter Adam, & Hevam. Unde generatim dixit, Marci 10. 11. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.* Et Luc. 16. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur.* Eodem modo Apoſtolus Rom. 7. 2. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alliga-*

liga-

ligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, &c. Tametſi ergo in lege Moſaica conceſſum fuerit Judæis ob certas cauſas dimittere uxores ſuas, & alias ducere; Chriſtianis tamen id conceſſum non eſt, ſed ſervanda eſt hæc regula generalis: vir non poteſt dimittere uxorem, & aliam ducere.

5. Loquor de Chriſtianis; quia aliud eſt de infidelibus. Nam ſi duo infideles contrahant matrimonium, & poſtea alter conjugum fiat Chriſtianus, & alter perſiſtat in infidelitate, poteſt Chriſtianus infidelem dimittere, & cum alia Chriſtiana contrahere, ut docet Apoſtolus 1. Cor. 7. 15. quod Chriſtianis non licet. In nullo enim caſu poteſt maritus Chriſtianus uxorem Chriſtianam dimittere, & cum alia contrahere.

6. Dices. Poteſt id facere in cauſa fornicationis, ut fatetur Chriſtus Matth. 5. 32. *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Ex quo colligitur, ſi vir poteſt dimittere uxorem propter fornicationem carnalem, poſſe etiam propter hæreſim, quæ eſt fornicatio ſpiritualis. Reſpondeo: Aliud eſt, dimittere ſuam uxorem propter fornicationem: aliud, illa dimiſſa, ac vivente, aliam ducere. Prius conceſſum eſt a Chriſto, non poſterius. Sic explicat Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 10. cum ait: *iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit* (ob fornicationem, ſeu adulterium) *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Ubi duo conſideranda ſunt. 1. Quod aliquando uxor poſſit diſcedere a viro ex legitima cauſa, quod Theologi vocant divortium. 2. Quod non poſſit alium virum accipere, ſed debeat manere innupta, vel viro ſuo reconciliari. Et ratio eſt, quia matrimonium Chriſtianorum eſt ſacramentum, & repræſentat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, Epheſ. 5. 32. Hæc autem conjunctio eſt indiſſolubilis, Oſeæ 2. 19.

CAPUT VIII.

De Animabus Juſtorum poſt hanc vitam.

1. Anabaptiſtæ, præſertim qui Libertini dicti ſunt, docent, animas juſtorum poſt hanc vitam dormire, ideſt extingui, ut refert Calvinus in Pſychopannychia, & noſter Bellarm. l. 4. de Chriſto, c. 7. Poteſt autem dupliciter hoc intelligi. Primo, quod dormiant, ſeu extinguantur in perpetuum. Secundo, quod non quidem in perpetuum, ſed uſque ad extremum Judicii diem.

2. Priori ſenſu manifeſte falſum eſt, quia tollit immortalitatem animæ. Nam ſi animæ juſtorum extinguuntur poſt hanc vitam in perpetuum: ergo non ſunt immortales, ſed æque mortales, ac animæ brutorum animalium, nec poſt hanc vitam habent ullam mercedem laborum ſuorum, nec ulla datur Eccleſia triumphantium hominum in cœlis. Quæ omnia abſurda ſunt, & merum ſapiunt atheiſmum.

3. Poſteriori etiam falſum eſt. Primo, quia anima Chriſti poſt hanc vitam non fuit extincta uſque ad diem judicii. Secundo, nec animæ Abraham, Iſaac, Jacob, juxta illud Matth. 22. 23. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob. Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Tertio, nec anima Samuelis, 1. Reg. 28. 12. Quarto nec anima Oniæ Pontificis, 2. Machab. 15. v. 12. Quinto, nec anima Latronis, cui dictum eſt: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Sexto, nec animæ eorum, ad quos deſcendit Chriſtus in triduo mortis, 1. Petri 3. 19. & ſic de aliis.

4. Calvinus in hoc puncto ſibi contrarius eſt. Nam loco cit. ſic argumentatur: Anima Chriſti poſt mortem non eſt extincta: ergo nec animæ aliorum juſtorum extinguuntur. Antecedens probat dupliciter. Primo ex illo Act. 2. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* Secundo, ex eo quod anima Chriſti divina virtute, ſeu divinitate fuerit ſuffulta, ne rueret in interitum. Ex quo ſequitur contra Calvinum, animas aliorum juſtorum, quæ non ſunt ſuffultæ divinitate, poſt hanc vitam interire; & ſic Calvinum ſentire, quod Anabaptiſtæ ſentiunt.

Finis Libri Quarti.

LIBER QUINTUS DE CONTROVERSIIS POLITICORUM.

Politici non pertinent ad peculiarem aliquam ſectam, ſed cum quavis religione permixti ſunt. Nam & apud Catholicos, & apud Lutheranos, & Calviniſtas reperiuntur aliqui, qui vel pluris faciunt politicam, quam fidem Chriſti: vel certe, qui movent quæſtiones aliquo modo ad politicam pertinentes. Porro quæ ab ipſis diſputantur, hæc fere, & ſimilia ſunt. 1. An quilibet in ſua fide ſalvari poſſit? 2. An aliquando liceat negare fidem Chriſti, præſertim ad vitandam mortem? 3. An aliquando liceat tacere, aut diſſimulare fidem Chriſti propter eandem cauſam? 4. An aliquando liceat ſimulare alienam fidem, & religionem? Et ſpeciatim 5. An per ſimulationem liceat cum gentilibus idola colere? 6. An cum hæreticis publice orare? 7. An conciones illorum audire? 8. An Sacramenta cum illis participare? 9. An illos ad ſepulturam comitari? 10. An carnes cum illis comedere diebus ab Eccleſia prohibitis? 11. An cum illis de Fide diſputare? 12. An libros illorum legere? 13. An matrimonia cum illis contrahere? 14. An in aliis rebus cum illis paciſci? 15. An ſi paciſcaris cum illis, fides ſervanda ſit? 16. An Princeps Catholicus poſſit tolerare hæreticos in ſua Provincia? 17. An poſſit illos pœna capitis afficere propter hæreſim? 18. An poſſit Judæos tolerare? 19. An Reges, & Principes habeant Primatum Eccleſiæ? 20. An in aliquo caſu liceat mentiri? 21. An æquivocatione uti? 22. An qui juravit ſe permanſurum in Lutheraniſmo, teneatur præſtare?

CAPUT I.

An quilibet in ſua fide ſalvari poſſit?

1. MUlti Politici putant, Catholicos in Catholica, Lutheranos in Lutherana, Calviniſtas in Calviniſtica fide ſalvari poſſe: Sed non eodem modo id explicant. Poteſt autem du-

Poſterior diſcutitur.

5. IN poſterioris explicatione ſumitur hoc principium: Omnes ſalvari poſſe, qui credunt 12. Articulos Fidei, qui in ſymbolo Apoſtolorum comprehenſi ſunt. Quod quidem principium, abſolute loquendo, verum non eſt. Verum tamen eſt cum aliis limitationibus. 1. Omnes ſalvari poſſe, qui explicite credunt duodecim articulos ſymboli, ſecundum verum, & legitimum ſenſum. 2. Et reliquos ut minimum implicite credunt. 3. Et qui nullum habent errorem veræ fidei contrarium. 4. Et denique qui ſervant mandata Dei. An hæc omnia poſſint accommodari Lutheranis, & Calviniſtis, videndum eſt. Non poſſe, ſic oſtendo.

6. Primo, Lutherani, & Calviniſtæ non credunt explicite duodecim Articulos ſymboli Apoſtolorum. Nam unus ex illis eſt; *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*. Hunc verbo tenent; reipſa negant. Afferunt enim ſanctam Eccleſiam Catholicam, quæ primis trecentis poſt Chriſtum annis floruit, poſtea a vera fide defeciſſe, adulteram factam eſſe, & multis ſęculis in illa defectione, & adulterio perduraſſe: ac proinde non amplius manſiſſe ſanctam, & Catholicam, ſicut antea fuerat. Si ita eſt, nemo multis ſæculis potuit dicere: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*. Quid hoc aliud eſt, quam iſtum fidei articulum ex ſymbolo Apoſtolorum expungere?

7. Secundo, Lutherani, & Calviniſtæ multos articulos fidei, qui extra ſymbolum ſunt, ne quidem implicite credunt. Nam is cenſetur implicite credere articulos fidei, qui in confuſo credit, quod Eccleſia credit; & paratus eſt in particulari credere, quidquid ab Eccleſia credendum proponitur. At Lutherani, & Calviniſtæ non ſunt parati credere in particulari, quidquid ab Eccleſia credendum proponitur. Imo parati potius ſunt accuſare Eccleſiam, quaſi a vera fide defecerit, & adultera facta ſit.

8. Tertio, Lutherani, & Calviniſtæ docent multos errores, qui veræ fidei contrarii ſunt. Hoc fuſe oſtenſum eſt l. 1. 2. & 3. Denique non ſervant præcepta Dei. Imo docent ſervari non poſſe. Ex quo ſequitur, eos propria conſcientia convinci, reos, ac tranſgreſſores ſe eſſe. Nam qui firmiter credit in conſcientia, mandata Dei a nullo mortalium ſervari poſſe, neceſſe eſt, ut firmiter credat in conſcientia, nec a ſe ſervari poſſe: & conſequenter ſe illa non ſervare. Unde ulterius fateri debent, Chriſtum roganti adoleſcenti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?*

non

non rectè reſpondiſſe: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Nam ſi impoſſibile eſt ſervare mandata, non poteſt alicui prudenter ſuaderi, ut ea ſervet: Sicut medicus non poteſt prudenter ſuadere febricitanti, ut ſi ſanari velit, deglutiat ſaxum, aut molarem lapidem. Hoc enim impoſſibile eſt.

9. Ex dictis ſic concludo: Illi non poſſunt ſalvari in ſua fide, qui neque explicite credunt duodecim articulos fidei, neque parati ſunt alios credere, qui ab Eccleſia ad credendum proponuntur; & inſuper multos docent errores veræ fidei contrarios, neque ſervant mandata Dei: at Lutherani, & Calviniſtę ſunt tales: ergo in ſua fide ſalvari non poſſunt.

CAPUT II.

An liceat negare fidem Chriſti ad vitandam mortem?

1. Refert Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 37. fuiſſe olim hæreticos, qui docerent, non peccare eos, qui in perſecutionibus negant Chriſtum externa voce, dummodo eum corde confiteantur. Idem hoc tempore ſentiunt multi Politici.

2. Rectius docent noſtri Theologi, nullo modo licitum eſſe externa voce negare fidem Chriſti, ne quidem ad evitandam mortem. Primo, quia hoc eſt contra confeſſionem fidei, quę nos obligat, ut fidem Chriſti non negemus. Quod ipſemet Chriſtus affirmat, Matth. 10. 32. *Omnis*, inquit, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt.* Unde Auguſtinus tr. 36. in Joan. ait: *Quanta vita eſt confiteri Chriſtum, tanta mors eſt negare Chriſtum.* Eodem ſpectat illud Apoſtoli, Rom. 10. 8. *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus: quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitavit illum a mortuis, ſalvus eris.* Ubi duo requirit ad ſalutem. Primo, internam fidem in Chriſtum. 2. Externam confeſſionem illius fidei: Non quod hæc duo ſufficiant, ſed quod neceſſaria ſint. Unde etiam ſubdit: *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

3. Secundo, quia eſt contra virtutem veritatis. Nam veritas obligat nos, ut non mentiamur. Mentiremur autem, ſi externa voce negaremus fidem Chriſti, quam interno corde confitemur.

Hinc

bant Manichæi, ſed ex amore poſteritatis; & quidem Sara conſentiente, & inſtigante. Quod eſt veriſſimum, ut patet Geneſ. 16.1.

14. Nota. Sara, cum adverteret ſe eſſe ſterilem, videtur ex divina inſpiratione inſtigaſſe Abrahamum, ut acciperet Agar ancillam, & ex illa prolem ſuſcitaret ad præfigurandum myſterium, de quo dictum eſt. Sicut etiam Rebecca ex divino inſtinctu inſtigavit Jacob filium ſuum, ut fingeret ſe eſſe primogenitum, & hoc prætextu peteret a Patre ſuo Iſaac benedictionem. Quæ res etiam non carebat myſterio.

15. Quæres. Quare Deus poſt diluvium conceſſit polygamiam, quæ ante non erat conceſſa? Reſp. Conceſſit illam duplici de cauſa. Primo ad propagandam prolem, qui eſt primarius finis matrimonii. Secundo, ut eſſet figura, ſeu typus pluralitatis, ſeu multitudinis gentium, quæ Chriſto tanquam ſponſo erat conjungenda. Ita Auguſt. lib. de bono conjugali c. 18. D. Thom. 3. p. q. 65. art. 2. ad 5. Valentia q. 1. de Matrimonio p. 3.) Sed quare propter eaſdem cauſas non conceſſit illam in principio mundi? Reſp. Hoc pendet ex libera ipſius voluntate: poteſt tamen dari hæc cauſa, quia monogamia, quam inſtituit in principio mundi, poterat utrumque præſtare. Primo, quia erat ſufficiens ad propagandam prolem. Gen. 6. 1. Secundo, quia erat typus, ſeu figura conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, Epheſ. 5.

2. Nota. Chriſtus poteſt conferri vel cum Eccleſia, quæ eſt una; vel cum multitudine gentium, quæ recipiuntur in Eccleſiam. Priori modo fuit repræſentatus per monogamiam: poſteriori per polygamiam. Nam ſicut ante diluvium vir conjunctus uni tantum uxori erat figura conjunctionis cum una Eccleſia: ita poſt diluvium vir conjunctus pluribus uxoribus erat figura conjunctionis Chriſti cum multis populis ac gentibus.

16. Sed cur Deus ad eundem plane finem, nempe ad propagandam prolem, primo ordinavit monogamiam, ac deinde polygamiam? Reſp. Deus ſolet pro diverſitate temporum ordinare diverſa media ad eundem finem. Sic ad dirigendum hominem in ſuis actionibus ordinavit primo legem naturalem; deinde legem Moſaicam; poſtremo legem Euangelicam. Similiter, ad tollendum peccatum originale inſtituit aliud remedium in ſtatu naturæ, aliud in ſtatu legis ſcriptæ, aliud in ſtatu gratiæ. Ad ſuſtentationem hominis conceſſit primo carnes animalium, ſine ulla reſtrictione: poſtea reſtrinxit hanc conceſſionem ad carnes eorum tantum animalium, quæ in lege Moſaica habebantur munda; tandem ſublata hac reſtrictione rediit ad primam conceſſionem. Idem dico in propoſito. Ad propagationem

nem

nem prolis ordinavit primo monogamiam: deinde conceſſit polygamiam: demum, exploſa polygamia, revocavit monogamiam, & ſimul commendavit cœlibatum, ac virginitatem.

17. Dices; Polygamia eſt utilior ad propagandam prolem, quam monogamia: Reſp. Ita quidem nos putamus: ſed aliter res habet in conſilio, & providentia Dei. Quod patet ex eventu. Nam quando inſtituit monogamiam in paradiſo, dixit Adamo, & Hevæ: *Creſcite, & multiplicamini*. Quibus verbis dedit illis, & proximis eorum poſteris benedictionem, & fœcunditatem. Itaque monogamia conjuncta cum hac benedictione erat ſufficientiſſima ad humani generis propagationem. Quando autem, ceſſante hac benedictione, cœperunt fœminæ eſſe ſteriles, tunc conceſſit polygamiam, ut hac ratione ſterilitatem compenſaret. Sic contigit Abrahamo. Habuit uxorem ſterilem: conceſſa eſt illi alia uxor, ut prolem ſuſcitaret. Gen. 16. v. 2. Poſtea multæ aliæ ſteriles fœminæ ſubſecutæ ſunt, ut Rachel, uxor Jacob: Anna, uxor Elcanæ: N. uxor Manue: Michol, uxor David: Sunamitis, uxor N. Eliſabeth, uxor Zachariæ; & aliæ plures. Et quod mirum eſt, cum Salomon habuerit uxores ſeptingentas, & concubinas trecentas, non legitur tamen habuiſſe aliam prolem, niſi Roboam. Unde neceſſe eſt, omnes uxores, & concubinas, excepta una, fuiſſe ſteriles.

18. Dices 2. Polygamia, ut ſupra oſtenſum eſt, repugnat ſecundario fini matrimonii, qui eſt mutuum obſequium conjugum, & remedium libidinis. Cur ergo Deus illam conceſſit? Reſpondeo: Deus pro ſua providentia obtulit ſufficiens ſubſidium, vel ad tollendam illam repugnantiam, vel certe ad cavendum, ne obeſſet, ſed potius prodeſſet. Idque tribus fere modis: Primo, quia fœminas, quæ nubebant uni viro, hortabatur ad conſervandam concordiam. Sic per Angelum hortatus eſt Agar ancillam Abrahæ, ut ſe ſubmitteret, & accommodaret Saræ, ad cavendas contentiones, Gen. 16. 9. Secundo aliquando permittebat hujuſmodi contentiones ex una parte ad exercitium patientiæ alterius partis, & poſtea magno beneficio compenſabat. Sic permiſit Annam affligi a Phenenna; & poſtea conſolatus eſt illam conceſſione inſperatæ prolis. 1. Reg. 1. 20. & c. 2. 1. Tertio, aliquando mitigabat æſtum libidinis, ut non opus eſſet frequenti uſu matrimonii. Sic fecit Saræ filiæ Raguelis, quod ipſa fatetur, Tob. 3. 16. *Tu ſcis, Domine*, inquit, *quia nunquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia*. Et infra: *Virum cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere*.

CON-

CONCLUSIO QUARTA.

19. HÆc conceſſio divina, qua licebat habere plures uxores, confirmata eſt per legem Moſaicam. Hoc tripliciter probari poteſt. Primo, quia nuſquam eſt revocata per legem Moſaicam. Secundo, quia viri ſancti, qui vixerunt ſub lege Moſaica, habuerunt plures uxores, ut Elcana, David, & alii. Tertio, quia lex Moſaica expreſſe videtur approbare polygamiam, Deut. 21. 15. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam: & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ, ſed filium odioſæ agnoſcet primogenitum.* Ubi ſermo eſt de veris uxoribus. 1. Quia in textu vocantur uxores. 2. Quia filii illarum poterant eſſe hæredes patris, & dividere ſubſtantiam illius; quod non licuiſſet, ſi altera fuiſſet uxor, & altera tantum concubina. Nam filii concubinæ non potuiſſent eſſe hæredes.

20. Objici poteſt illud Deut. 17. 17. *Non habebit uxores plurimas.* Quod nihil aliud eſt, quam prohibere polygamiam. Reſp. Hoc dictum eſt de ſolo Rege, non de aliis. Deinde, non prohibetur ibi abſolute pluralitas uxorum: alioqui Elcana, & David peccaſſent, quia habuerunt plures uxores, ſed prohibetur nimia multitudo uxorum alienigenarum, ſeu idololatricarum, propter periculum ſubverſionis. Hoc patet ex ipſo contextu, qui ſic habet: *Non habebis uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus*, nempe ad cultum falſorum Deorum. In quo peccavit Salomon, juxta illud 3. Reg. 11. 1. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas.* Et paulo poſt: *Depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos.*

CONCLUSIO QUINTA.

21. HÆc conceſſio revocata eſt a Chriſto, ut jam non liceat, habere plures uxores. Sic definitum eſt in Concilio Trident. ſeſſ. 24. can. 2. Et merito. Nam Chriſtus in Euangelio reducit Matrimonium ad primam inſtitutionem, & revocat conceſſionem, quæ Judæis erat facta. Nam duo erant illis conceſſa ex indulgentia. Primo, ut dato libello repudii, poſſent ſuas uxores dimittere, & alias ducere. Secundo, ut poſſent plures ſimul habere uxores. Utrumque a Chriſto revocatum eſt, Matth. 19. 3. Prius quidem his verbis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et infra: *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere*

tere uxores veſtras. Ab initio autem non fuit ſic: Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Poſterius his verbis: *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos. Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.*

22. Ubi illa particula, *Ab initio non erat ſic*, manifeſte ſignificat, ea, quæ Judæis erant permiſſa, fuiſſe contra primam Matrimonii inſtitutionem. Eſt ergo hic ſenſus. 1. Ab initio non licebat dimittere uxores. 2. Ab initio fecit Deus maſculum, & fœminam, id eſt, uni viro dedit unam tantum uxorem. Igitur ab initio nec fuit libellus repudii, nec polygamia: ſed utrumque permiſſum fuit Judæis ex quadam indulgentia. Nunc permiſſio illa revocatur, & reditur ad primævam inſtitutionem. Sic explicant interpretes. Eodem ſenſu loquitur Apoſtolus Rom. 7. 3. *Mulier, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Quod eſt contra conceſſionem repudii. Et 1. Cor. 7. 2. *Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* Quod eſt contra conceſſionem polygamiæ.

23. Dices. Valentinianus Imperator, qui fuit pius, & Catholicus, legem promulgavit, ut liceret unicuique duas uxores habere, teſte Socrat. l. 4. hiſt. c. 27. Reſpondeo. Valentinianus merito reprehenditur ab omnibus Catholicis, & quidem duplici titulo. Primo, quod arrogaverit ſibi poteſtatem, quam non habuit. Non enim licebat illi abrogare legem Euangelicam, & aliam contrariam ſtatuere. Secundo, quod prętextu hujus legis voluerit ſuam turpitudinem, & libidinem occultare. Nam ipſe, cum haberet legitimam uxorem, nomine Severam, ex qua ſuſceperat Gratianum, aliam inſuper duxit, nomine Juſtinam, cujus amore tenebatur. Ne igitur ſolus eſſet polygamus, quæſivit ſocios ſui ſceleris, permittendo omnibus polygamiam.

24. Juxta ea, quæ hactenus dicta ſunt, tria tempora diſtingui poſſunt. Primum ab initio mundi uſque ad Abrahamum. Secundum ab Abrahamo uſque ad Chriſtum. Tertium a Chriſto uſque ad finem mundi. In primo fuerunt primi parentes cum ſuis poſteris. In ſecundo Judæi cum ſuis progenitoribus, Abrahamo, Iſaac, & Jacob. In tertio ſunt Chriſtiani. In primo viguit ſola monogamia. In ſecundo conceſſa eſt polygamia. In tertio reducta eſt monogamia, & exploſa polygamia. Quid hoc ſignificat? Nihil aliud, quam quod Deus initio mundi inſtituerit matrimonium in perfecto ſtatu: deinde ex quadam indulgentia permiſerit quædam Judæis, quæ multum derogabant perfectioni matri-

 monii:

monii; denique reduxerit matrimonium ad primævam perfectionem. Hoc in multis aliis ſolet evenire. Verbi gratia: Natura humana ab initio fuit creata in ſua perfectione. Paulatim degeneravit per peccatum. Tandem per Chriſtum reſtaurata eſt. Omitto ſimilia exempla, quæ nota ſunt.

CAPUT VII.

De Vinculo Matrimonii.

1. ANabaptiſtæ docent, vinculum Matrimonii apud Chriſtianos diſſolvi poſſe propter diſparitatem fidei: ut ſi uxor nolit amplecti eandem fidem, & religionem, quam maritus profitetur; & in tali caſu maritum poſſe cum alia matrimonium contrahere. Ita refert Valentia quæſt. 1. de matrimonio pag. 7.

2. Quæ doctrina manifeſte damnata eſt in Concil. Trident. ſeſſ. 24. can. 5. his verbis: *Si quis dixerit, propter hæreſim diſſolvi poſſe matrimonii vinculum, anathema ſit.* Et refellitur ex illo generali principio, quo uſus eſt Chriſtus, Matth. 19. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* q. d. Matrimonium, quod indiſſolubili vinculo inter virum, & fœminam a Deo inſtitutum eſt, non poteſt diſſolvi authoritate hominis, ſed ſolius Dei: ſicut lex, quæ a Rege firmiter ac legitime ſancita eſt, non poteſt tolli authoritate ſubditorum, ſed ſolius Regis. Deus autem non vult diſſolvi matrimonium inter Chriſtianos propter ſolam hæreſim: ergo in tali caſu manet indiſſolubile.

3. Quod ſic oſtendo: Deus in veteri Teſtamento conceſſit Judæis, ut ipſorum matrimonium poſſet diſſolvi per libellum repudii, ac proinde, ut maritus poſſet dimittere ſuam uxorem, & aliam ducere, ut patet ex illo Deut. 24. 1. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxerit*, &c.

4. Hanc conceſſionem, quæ facta eſt Judæis propter duritiem cordis eorum, revocavit Chriſtus in Evangelio, & voluit matrimonium apud Chriſtianos eſſe penitus indiſſolubile, ſicut fuit in prima ſui inſtitutione, inter Adam, & Hevam. Unde generatim dixit, Marci 10. 11. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.* Et Luc. 16. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur.* Eodem modo Apoſtolus Rom. 7. 2. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alliga-*

liga-

ligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, &c. Tametſi ergo in lege Moſaica conceſſum fuerit Judæis ob certas cauſas dimittere uxores ſuas, & alias ducere; Chriſtianis tamen id conceſſum non eſt, ſed ſervanda eſt hæc regula generalis: vir non poteſt dimittere uxorem, & aliam ducere.

5. Loquor de Chriſtianis; quia aliud eſt de infidelibus. Nam ſi duo infideles contrahant matrimonium, & poſtea alter conjugum fiat Chriſtianus, & alter perſiſtat in infidelitate, poteſt Chriſtianus infidelem dimittere, & cum alia Chriſtiana contrahere, ut docet Apoſtolus 1. Cor. 7. 15. quod Chriſtianis non licet. In nullo enim caſu poteſt maritus Chriſtianus uxorem Chriſtianam dimittere, & cum alia contrahere.

6. Dices. Poteſt id facere in cauſa fornicationis, ut fatetur Chriſtus Matth. 5. 32. *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Ex quo colligitur, ſi vir poteſt dimittere uxorem propter fornicationem carnalem, poſſe etiam propter hæreſim, quæ eſt fornicatio ſpiritualis. Reſpondeo: Aliud eſt, dimittere ſuam uxorem propter fornicationem: aliud, illa dimiſſa, ac vivente, aliam ducere. Prius conceſſum eſt a Chriſto, non poſterius. Sic explicat Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 10. cum ait: *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit* (ob fornicationem, ſeu adulterium) *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Ubi duo conſideranda ſunt. 1. Quod aliquando uxor poſſit diſcedere a viro ex legitima cauſa, quod Theologi vocant divortium. 2. Quod non poſſit alium virum accipere, ſed debeat manere innupta, vel viro ſuo reconciliari. Et ratio eſt, quia matrimonium Chriſtianorum eſt ſacramentum, & repræſentat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, Epheſ. 5. 32. Hæc autem conjunctio eſt indiſſolubilis, Oſeæ 2. 19.

CAPUT VIII.

De Animabus Juſtorum poſt hanc vitam.

1. Anabaptiſtæ, præſertim qui Libertini dicti ſunt, docent, animas juſtorum poſt hanc vitam dormire, ideſt extingui, ut refert Calvinus in Pſychopannychia, & noſter Bellarm. l. 4. de Chriſto, c. 7. Poteſt autem dupliciter hoc intelligi. Primo, quod dormiant, ſeu extinguantur in perpetuum. Secundo, quod non quidem in perpetuum, ſed uſque ad extremum Judicii diem.

2. Priori ſenſu manifeſte falſum eſt, quia tollit immortalitatem animæ. Nam ſi animæ juſtorum extinguuntur poſt hanc vitam in perpetuum: ergo non ſunt immortales, ſed æque mortales, ac animæ brutorum animalium, nec poſt hanc vitam habent ullam mercedem laborum ſuorum, nec ulla datur Eccleſia triumphantium hominum in cœlis. Quæ omnia abſurda ſunt, & merum ſapiunt atheiſmum.

3. Poſteriori etiam falſum eſt. Primo, quia anima Chriſti poſt hanc vitam non fuit extincta uſque ad diem judicii. Secundo, nec animæ Abraham, Iſaac, Jacob, juxta illud Matth. 22. 23. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob. Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*. Tertio, nec anima Samuelis, 1. Reg. 28. 12. Quarto nec anima Oniæ Pontificis, 2. Machab. 15. v. 12. Quinto, nec anima Latronis, cui dictum eſt: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Sexto, nec animæ eorum, ad quos deſcendit Chriſtus in triduo mortis, 1. Petri 3. 19. & ſic de aliis.

4. Calvinus in hoc puncto ſibi contrarius eſt. Nam loco cit. ſic argumentatur: Anima Chriſti poſt mortem non eſt extincta: ergo nec animæ aliorum juſtorum extinguuntur. Antecedens probat dupliciter. Primo ex illo Act. 2. 27. *Non derelinques animam meam in inferno*. Secundo, ex eo quod anima Chriſti divina virtute, ſeu divinitate fuerit ſuffulta, ne rueret in interitum. Ex quo ſequitur contra Calvinum, animas aliorum juſtorum, quæ non ſunt ſuffultæ divinitate, poſt hanc vitam interire; & ſic Calvinum ſentire, quod Anabaptiſtæ ſentiunt.

Finis Libri Quarti.

LIBER QUINTUS

DE

CONTROVERSIIS POLITICORUM.

POlitici non pertinent ad peculiarem aliquam ſectam, ſed cum quavis religione permixti ſunt. Nam & apud Catholicos, & apud Lutheranos, & Calviniſtas reperiuntur aliqui, qui vel pluris faciunt politicam, quam fidem Chriſti: vel certe, qui movent quæſtiones aliquo modo ad politicam pertinentes. Porro quæ ab ipſis diſputantur, hæc fere, & ſimilia ſunt. 1. An quilibet in ſua fide ſalvari poſſit? 2. An aliquando liceat negare fidem Chriſti, præſertim ad vitandam mortem? 3. An aliquando liceat tacere, aut diſſimulare fidem Chriſti propter eandem cauſam? 4. An aliquando liceat ſimulare alienam fidem, & religionem? Et ſpeciatim 5. An per ſimulationem liceat cum gentilibus idola colere? 6. An cum hæreticis publice orare? 7. An conciones illorum audire? 8. An Sacramenta cum illis participare? 9. An illos ad ſepulturam comitari? 10. An carnes cum illis comedere diebus ab Eccleſia prohibitis? 11. An cum illis de Fide diſputare? 12. An libros illorum legere? 13. An matrimonia cum illis contrahere? 14. An in aliis rebus cum illis paciſci? 15. An ſi paciſcaris cum illis, fides ſervanda ſit? 16. An Princeps Catholicus poſſit tolerare hæreticos in ſua Provincia? 17. An poſſit illos pœna capitis afficere propter hæreſim? 18. An poſſit Judæos tolerare? 19. An Reges, & Principes habeant Primatum Eccleſiæ? 20. An in aliquo caſu liceat mentiri? 21. An æquivocatione uti? 22. An qui juravit ſe permanſurum in Lutheraniſmo, teneatur præſtare?

CAPUT I.

An quilibet in ſua fide ſalvari poſſit?

1. MUlti Politici putant, Catholicos in Catholica, Lutheranos in Lutherana, Calviniſtas in Calviniſtica fide ſalvari poſſe: Sed non eodem modo id explicant. Poteſt autem du-

 plex

plex eſſe explicatio. Una, omnes, & ſingulos ſalvari poſſe in ſua fide, modo credant in Chriſtum, juxta illud Jo. 3. v. 15. *Ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et ratio eſt, quia qui tenet fundamentum fidei, ſalvari poteſt. At Chriſtus eſt fundamentum fidei, teſte Apoſt. 1. Cor. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*: ergo qui tenet hoc fundamentum, ideſt qui credit in Chriſtum, ſalvari poteſt. Jam vero Catholici, Lutherani, & Calviniſtæ credunt in Chriſtum: ergo per fidem in Chriſtum ſalvari poſſunt.

2. Altera eſt, omnes, & ſingulos ſalvari poſſe in ſua fide, modo credant duodecim articulos fidei, qui in Symbolo Apoſtolorum comprehenſi ſunt. Ratio eſt, quia in illis articulis continetur ſumma, ſeu regula totius fidei Chriſtianæ, ut recte notat S. Aug. ſer. 135. de temp. cum ait: *Symbolum eſt regula fidei veſtræ brevis, & grandis: brevis numero verborum, grandis pondere ſententiarum.* Et ſerm. 181. *Apoſtoli certam regulam Fidei tradiderunt, quam ſecundum numerum Apoſtolorum duodecim ſententiis comprehenſam, Symbolum vocaverunt: per quam credentes Catholicam tenerent unitatem, & hæreticam convincerent pravitatem.* Nunc autem & Catholici, & Lutherani, & Calviniſtæ credunt duodecim Articulos Fidei, qui in Symbolo comprehenſi ſunt: ergo per hanc fidem ſalvari poſſunt. Hæ duæ explicationes breviter diſcutiendæ ſunt.

Prior Explicatio diſcutitur.

3. PRior explicatio poteſt duobus modis intelligi. Primo, omnes ſalvari poſſe, qui confuſe credunt in Chriſtum, etiamſi non credant in particulari præcipua myſteria de Chriſto. Secundo, omnes ſalvari poſſe, qui diſtincte credunt in Chriſtum, credendo Chriſti divinitatem, humanitatem, nativitatem ex Virgine, paſſionem, mortem, reſurrectionem, & alia myſteria, quæ in Symbolo Apoſtolorum conſignata ſunt. Si intelligatur hoc ſecundo modo, jam convenit cum poſteriori explicatione, de qua paulo poſt. Si autem intelligatur primo modo, falſum eſt. Non enim ſufficit ad ſalutem, ſi confuſe tantum credas in Chriſtum. Primo, quia alias omnes hæretici ſalvari poſſent, ut Arriani, Donatiſtæ, Pelagiani, & ſimiles alii. Omnes enim ut minimum confuſe credunt in Chriſtum. At conſequens abſurdum eſt. Nam zizania, quæ a diabolo ſeminantur in medio tritici, jubentur alligari in faſciculos ad comburendum, Matth. 23. 25. Hæretici autem ſunt zizania. Secundo, ſi Catholici in Catholica, Lutherani

ni in Lutherana, & Calviniſtæ in Calviniſtica fide ſalvari poſſent, eo quod omnes, ſaltem confuſe, credant in Chriſtum; quid neceſſe eſſet tot lites, & controverſias inter illos excitare? Aut cur Lutherani excluderent Catholicos, & Calviniſtas, & hi viciſſim illos? Nam ſi omnes in ſua fide ſalvari poſſunt, maneat quiſque in ſua fide, ceſſent perſecutiones, & anathemata; conſervetur pax, & tranquillitas. Hoc autem non fit.

n. 4. Nec obſtant teſtimonia ſcripturæ, quæ pro priori explicatione allata ſunt. Non enim intelliguntur de Chriſto in confuſo, ſed diſtincte, & in particulari quoad præcipua myſteria, quæ nobis revelata ſunt. Verbi gratia, cum Chriſtus de ſeipſo dixit, *ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat*, locutus eſt ſpeciatim de ſua divinitate, ut patet ex contextu, qui ſic habet: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat*. Et infra: *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. Itaque non ſufficit ad ſalutem, ſi credas in Chriſtum in confuſo, ſed neceſſe eſt, ut credas in Chriſtum, quatenus eſt unigenitus Dei Filius. Similiter cum Apoſtolus dixit, *Chriſtum eſſe fundamentum fidei*, locutus eſt de præcipuis Chriſti myſteriis, ut alibi ſic explicat: Nempe de Chriſti divinitate, Rom. 1. 4. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*. De humanitate, Galat. 4. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*. De paſſione, 1. Corint. 1. 23. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum*. De morte, ſepultura, & reſurrectione, ibid. cap. 15. 3. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas: & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die*. Et infra v. 14. *Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*. De Aſcenſione, Epheſ. 4. 8. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*. De ſeſſione ad dexteram Dei Patris, Rom. 8. 34. *Qui eſt ad dexteram Dei*. Et Coloſ. 3. 1. *Quæ ſurſum ſunt ſapite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*. Et de aliis ſimilibus, quæ ſigillatim complexus eſt Athanaſius in Symbolo. Et tandem concludit: *Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*: ubi per fidem intelligit myſteria fidei, quæ neceſſario credenda ſunt: Ac potiſſimum myſteria de Chriſto, quæ fidei Chriſtianæ fundamentum conſtituunt.

Poſterior diſcutitur.

5. IN poſterioris explicatione ſumitur hoc principium: Omnes ſalvari poſſe, qui credunt 12. Articulos Fidei, qui in ſymbolo Apoſtolorum comprehenſi ſunt. Quod quidem principium, abſolute loquendo, verum non eſt. Verum tamen eſt cum aliis limitationibus. 1. Omnes ſalvari poſſe, qui explicite credunt duodecim articulos ſymboli, ſecundum verum, & legitimum ſenſum. 2. Et reliquos ut minimum implicite credunt. 3. Et qui nullum habent errorem veræ fidei contrarium. 4. Et denique qui ſervant mandata Dei. An hæc omnia poſſint accommodari Lutheranis, & Calviniſtis, videndum eſt. Non poſſe, ſic oſtendo.

6. Primo, Lutherani, & Calviniſtæ non credunt explicite duodecim Articulos ſymboli Apoſtolorum. Nam unus ex illis eſt; *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*. Hunc verbo tenent; reipſa negant. Aſſerunt enim ſanctam Eccleſiam Catholicam, quæ primis trecentis poſt Chriſtum annis floruit, poſtea a vera fide defeciſſe, adulteram factam eſſe, & multis ſeculis in illa defectione, & adulterio perduraſſe: ac proinde non amplius manſiſſe ſanctam, & Catholicam, ſicut antea fuerat. Si ita eſt, nemo multis ſæculis potuit dicere: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*. Quid hoc aliud eſt, quam iſtum fidei articulum ex ſymbolo Apoſtolorum expungere?

7. Secundo, Lutherani, & Calviniſtæ multos articulos fidei, qui extra ſymbolum ſunt, ne quidem implicite credunt. Nam is cenſetur implicite credere articulos fidei, qui in confuſo credit, quod Eccleſia credit; & paratus eſt in particulari credere, quidquid ab Eccleſia credendum proponitur. At Lutherani, & Calviniſtæ non ſunt parati credere in particulari, quidquid ab Eccleſia credendum proponitur. Imo parati potius ſunt accuſare Eccleſiam, quaſi a vera fide defecerit, & adultera facta ſit.

8. Tertio, Lutherani, & Calviniſtæ docent multos errores, qui veræ fidei contrarii ſunt. Hoc fuſe oſtenſum eſt l. 1. 2. & 3. Denique non ſervant præcepta Dei. Imo docent ſervari non poſſe. Ex quo ſequitur, eos propria conſcientia convinci, reos, ac tranſgreſſores ſe eſſe. Nam qui firmiter credit in conſcientia, mandata Dei a nullo mortalium ſervari poſſe, neceſſe eſt, ut firmiter credat in conſcientia, nec a ſe ſervari poſſe: & conſequenter ſe illa non ſervare. Unde ulterius fateri debent, Chriſtum roganti adoleſcenti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?*

non

non rectè reſpondiſſe: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Nam ſi impoſſibile eſt ſervare mandata, non poteſt alicui prudenter ſuaderi, ut ea ſervet: Sicut medicus non poteſt prudenter ſuadere febricitanti, ut ſi ſanari velit, deglutiat ſaxum, aut molarem lapidem. Hoc enim impoſſibile eſt.

9. Ex dictis ſic concludo: Illi non poſſunt ſalvari in ſua fide, qui neque explicite credunt duodecim articulos fidei, neque parati ſunt alios credere, qui ab Eccleſia ad credendum proponuntur; & inſuper multos docent errores veræ fidei contrarios, neque ſervant mandata Dei: at Lutherani, & Calviniſtę ſunt tales: ergo in ſua fide ſalvari non poſſunt.

CAPUT II.

An liceat negare fidem Chriſti ad vitandam mortem?

1. Refert Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 37. fuiſſe olim hæreticos, qui docerent, non peccare eos, qui in perſecutionibus negant Chriſtum externa voce, dummodo eum corde confiteantur. Idem hoc tempore ſentiunt multi Politici.

2. Rectius docent noſtri Theologi, nullo modo licitum eſſe externa voce negare fidem Chriſti, ne quidem ad evitandam mortem. Primo, quia hoc eſt contra confeſſionem fidei, quę nos obligat, ut fidem Chriſti non negemus. Quod ipſemet Chriſtus affirmat, Matth. 10. 32. *Omnis*, inquit, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt.* Unde Auguſtinus tr. 36. in Joan. ait: *Quanta vita eſt confiteri Chriſtum, tanta mors eſt negare Chriſtum.* Eodem ſpectat illud Apoſtoli, Rom. 10. 8. *Hoc eſt verbum fidel, quod prædicamus: quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitavit illum a mortuis, ſalvus eris.* Ubi duo requirit ad ſalutem. Primo, internam fidem in Chriſtum. 2. Externam confeſſionem illius fidei: Non quod hæc duo ſufficiant, ſed quod neceſſaria ſint. Unde etiam ſubdit: *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

3. Secundo, quia eſt contra virtutem veritatis. Nam veritas obligat nos, ut non mentiamur. Mentiremur autem, ſi externa voce negaremus fidem Chriſti, quam interno corde confitemur.

Hinc

Hinc ſequitur, eaſdem ob cauſas non licere negare ſe eſſe Catholicum; qui Catholicus eſt. Prima, quia hoc eſſet negare fidem Chriſti, quod eſt contra obligationem confeſſionis fidei. 2. Eſſet mendacium, quod eſt contra obligationem veritatis. Quæres, an ſimiliter peccaret, qui negaret ſe Lutheranum, aut Calviniſtam eſſe, ſi revera talis eſſet? Reſpondeo: Peccaret quidem contra veritatem, non tamen contra confeſſionem fidei. Nam confeſſio fidei non obligat illum ad confitendam falſam fidem, qualis eſt Lutherana, & Calviniana. Idem dico de Catholico, qui negaret ſe Sacerdotem, aut Religioſum eſſe, peccaret quidem contra veritatem, quia mentiretur, non tamen contra confeſſionem fidei, quia non negaret fidem, ſed ſtatum.

CAPUT III.

An aliquando liceat tacere, aut diſſimulare fidem Chriſti.

1. Aliud eſt negare fidem, aliud tacere, diſſimulare, occultare. Prius nunquam licet, ut dixi. De poſteriori diſputamus. De quo poteſt duplex eſſe quæſtio. Una, an aliquis poſſit tacere, aut diſſimulare fidem, quando rogatur a Judæis, Turcis, aut Gentilibus, an ſit Chriſtianus? vel ab Hæreticis, an ſit Catholicus? Altera, an aliquis exiſtens apud gentiles, vel hæreticos tempore perſecutionis poſſit fugere, vel ſe occultare, ne cogatur reſpondere de rebus fidei, ut ſic periculum mortis evadat?

2. Prima Concluſio: Is, qui intuitu fidei, aut religionis interrogatur ab infidelibus, (cujuſmodi ſunt Gentiles, Judæi, Turcæ, hæretici,) an ſit Chriſtianus, an Catholicus? poteſt ſe habere quatuor modis. Primo, ſi aperte neget ſe eſſe talem. Hoc non licet, ut dixi. Secundo, ſi aperte confiteatur. Hoc licet, quando ſit ad honorem Dei, aut utilitatem proximi. Tertio, ſi penitus taceat. Quarto, ſi ambigue reſpondeat, aut interrogantem eludat hoc, vel ſimili modo: Quid ad te? Quorſum me rogas? De his duobus poſterioribus modis quæſtio eſt. Et reſpondeo cum diſtinctione. Qui interrogatur a publica perſona, an ſit Chriſtianus, vel Catholicus, non poteſt tacere, aut ambigue tergiverſari; ſed tenetur aperte confiteri, ſe Chriſtianum, aut Catholicum eſſe, etiam cum periculo vitæ. Qui autem interrogatur a privata perſona, poteſt tacere, aut eludere; neque tenetur aperte confiteri, ſe talem eſſe. Ita Sanchez lib. 2. Moralium c. 4. n. 6. ubi citat plures authores pro hac ſententia.

3. Ra-

3. Ratio ſumitur ex differentia, quæ eſt inter publicam, & privatam perſonam. Nam publica habet jus, ac poteſtatem interrogandi, ac proinde interrogatus tenetur ei reſpondere. Non poteſt autem reſpondere, niſi quod verum eſt. Ergo ſi interrogatur, an ſit Chriſtianus, aut Catholicus, tenetur reſpondere, ſe talem eſſe. At privati homines non habent jus, ac poteſtatem interrogandi, & examinandi alios de rebus ad ſe non pertinentibus; ac proinde interrogati non tenentur illis reſpondere. Poſſunt ergo vel tacere, vel interrogationem eludere, eo modo, quo ſupra dictum eſt. Neque ſuo ſilentio, aut eluſione ſignificant, ſe non audere fateri veritatem, ſed ſe parvi facere interrogationem eorum, quorum nihil intereſt, quales ipſi ſint.

4. Dices; Perſona publica, de qua hic agimus, eſt Princeps, vel Magiſtratus infidelis, qui non habet poteſtatem examinandi Chriſtianos de ſua fide: ergo doctrina noſtra nititur falſo fundamento. Reſp. Princeps, vel Magiſtratus infidelis (ſive ſit gentilis, ſive Turca, ſive hæreticus) ex duplici capite poteſt habere hujuſmodi poteſtatem. Primo, quando examinat ſuos ſubditos, qui legitime illi ſubjecti ſunt: ut ſi Rex Angliæ examinaret ſuos ſubditos de fide, & Religione. Secundo, quando examinat extraneos, qui in ipſius regno, vel Provincia commorantur: ut ſi idem Rex examinaret Belgas, aut Germanos, qui in Anglia mercaturam exercent, aut alterius negotii cauſa eo veniunt. Cenſetur enim habere jus, ac poteſtatem examinandi, quid in ſuo Regno ſive a domeſticis, ſive ab extraneis geratur; & cujus quiſque ſit vitæ, famæ, ac religionis, ut hac ratione conſervet pacem, & tranquillitatem in regno ſibi commiſſo.

5. Dices 2. Tunc tenemur confiteri fidem Chriſtianam, quando id cedit ad honorem Dei: ſed non minus id cedit ad honorem Dei, quando interrogamur a perſona privata, quam quando à publica; quia utroque caſu ſignificamus, nos magnificare fidem Chriſtianam, & pro illa paratos eſſe mori: ergo in utroque caſu tenemur confiteri fidem. Reſpondeo. Negatur major. Non enim quidquid cedit ad honorem Dei, tenemur facere ex præcepto. Verbigratia; Cedit ad honorem Dei, ſi Sacerdos quotidie offerat Deo ſacrificium; ſi Laicus quotidie det eleemoſynam; ſi quotidie in memoriam Chriſti abſtineat a vino: & tamen ad hæc præſtanda non obligatur ex præcepto. Deinde, minor diſtinguenda eſt. Tametſi enim in utroque caſu, ſive interrogeris a publica, ſive a privata perſona, confeſſio cedat ad honorem Dei; non tamen in utroque eſt neceſſitas confitendi fidem. In uno quidem eſt, quia neceſſe eſt reſpondere ei, qui habet poteſtatem

ſtatem interrogandi: in altero non eſt, quia non neceſſe eſt reſpondere ei, qui non habet poteſtatem interrogandi.

6. Quæ dicta ſunt, intelligi debent cum hac limitatione, niſi utilitas proximorum aliud exigat. Nam fieri poteſt, ut Chriſtianus, quando a privatis hæreticis, aut gentilibus interrogatur de ſua fide, ex hac parte teneatur confiteri ſe Chriſtianum eſſe: licet alias non teneatur. Idque in duobus potiſſimum caſibus. Primo, ſi adeſſent alii Chriſtiani, qui graviter offenderentur, aut ſcandalizarentur ex ipſius ſilentio, vel diſſimulatione. Secundo, ſi adeſſent hæretici, aut gentiles, qui bene affecti eſſent ad fidem Chriſtianam; & propter alterum, qui non auderet eam profiteri, inciperent dubitare de illius veritate. In utroque caſu tenetur fateri, ſe Chriſtianum eſſe. Et ſic intelligendus eſt D. Thom. in 2. 2. q. 3. art. 2. Azor. lib. 8. Morallum cap. 27. qu. 1. Toletus l. 4. ſummæ cap. 2.

7. Secunda concluſio. Homo Chriſtianus, tempore perſecutionis, poteſt fugere, vel ſe occultare, ne cogatur reſpondere de rebus fidei, & ſic periculum vitæ evadat. Eſt communis ſententia, & colligitur ex illo Matt. 10. 23. *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*. Quod etiam confirmatur exemplo Pauli Apoſtoli, qui, cum cuſtodirentur portæ civitatis, per murum in ſporta demiſſus eſt, ut poſſet fugere. Actor. 9. 25. & 2. Cor. 11. 13. Et ratio eſt, quia qui fugit in tali caſu non ſignificat per ſuam fugam ſe non eſſe Chriſtianum, vel negare velle fidem Chriſti, ſed potius contrarium, ſc. nolle fidem Chriſti negare, & ideo fugere periculum negandi: vel certe, ſe cupere adhuc diutius vivere, ut poſſit fidem Chriſti propagare: quod omnino Paulum ſpectaſſe credibile eſt. Videatur S. Athanaſius in Apologia pro ſua fuga.

8. Poteſt tamen fieri, ut hujuſmodi fuga propter aliquam circumſtantiam fiat illicita; præſertim in Paſtore, vel Epiſcopo, qui ratione ſui officii tenetur manere apud ſuos ſubditos tempore perſecutionis, etiam cum periculo vitæ. Idque ex duplici cauſa. Primo, ne ſubditi fideles, qui manent in perſecutione, relinquantur ſine paſtore, cujus præſentia tunc maxime neceſſaria eſt. Nam ut recte argumentatur Nicolaus Papa, c. Sciſcitaris 7. q. 1. ſi gubernator navis in tranquillitate non debet deſerere navem, multo minus in tempeſtate. Ex quo infert, neque paſtorem in periculis perſecutionum debere ſuos ſubditos deſerere. Secundo, quia fuga paſtorum ſolet eſſe occaſio minoris æſtimationis fidei, ut inſinuat D. Th. in 2. 2. q. 3. art. 2. ad 3. Nam infideles inſultant Chriſtianis, & contemnunt eorum religionem, quan-

quando vident eam a propriis paſtoribus, in caſu neceſſitatis non defendi.

CAPUT IV.

An aliquando liceat ſimulare alienam fidem, & religionem?

1. HActenus dictum eſt, quomodo Chriſtianus, aut Catholicus debeat ſe gerere circa confeſſionem propriæ fidei; nunc videndum eſt, an poſſit aliquando ſimulare alienam ſectam, ſeu religionem. Quod dupliciter fieri ſolet. Primo, externis verbis; ut ſi dicat ſe Arrianum, aut Judæum, aut Turcam, aut gentilem eſſe. Hoc nunquam licet, ut ſupra demonſtratum eſt: tum quia hoc eſſet negare fidem Chriſti: tum etiam, quia eſſet apertum mendacium in re gravi. Secundo, externis ſignis, cujuſmodi ſunt fere hæc. 1. Cum gentilibus adorare idolum, aut incenſum illi offerre. 2. Cum hæreticis publice orare, conciones audire, ſacramenta participare, & quæ ſimilia ſunt.

2. Eſt ergo quæſtio, an liceat homini Chriſtiano, & Catholico apud hæreticos, vel alios infideles uſurpare hujuſmodi ſigna, ut occultet ſe Chriſtianum, & Catholicum eſſe, ne forte cognitus occidatur. Aliqui generatim putant licere, modo fiat animo ſimulandi tantum abſque interna voluntate profitendi falſam ſectam, & religionem. Ita Adrianus in 4. quæſt. 1. de Baptiſmo, in reſponſione ad 5. argumentum. Et videtur eſſe ſententia D. Hieronymi in c. 2. ad Galatas, ubi ait: *Utilem eſſe ſimulationem, & aſſumendam in tempore*. Et excuſat Apoſtolos, qui per ſimulationem uſurparunt ceremonias Moſaicas, quæ tamen erant non ſolum mortuę, ſed etiam mortiferę, ut loquuntur Scholaſtici, ideſt, non ſolum erant abrogatę, ſed etiam illicitę.

3. Hęc ſententia probatur variis modis. Primo, exemplo Jehu Regis Iſraelitarum, qui ſimulabat ſe velle ſacrificium offerre idolo Baal, ut haberet occaſionem occidendi omnes ſacerdotes Baal, qui erant in templo congregati, 4. Reg. 10. 19. Quam ipſius ſimulationem etiam Deus approbavit, cum dixit ad Jehu: *Studioſe egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis*. Ibidem v. 30.

4. Deinde, exemplo Davidis, qui immutando faciem ſuam coram Rege Achis ſimulabat ſe ſtultum eſſe, ut evaderet periculum mortis, quod putabat ſibi imminere, 1. Reg. 21. 13. Utroque exemplo utitur Hieronymus, & ex eo Adrianus, ad hanc ſenten-

ſententiam confirmandam: Et ſubdit Hieronymus: *Nec mirum, juſtos homines aliqua ſimulare pro tempore ob ſuam, & aliorum ſalutem, cum & ipſe Dominus noſter non habens peccatum, nec carnem peccati, ſimulationem peccatricis carnis aſſumpſerit, ut condemnans in carne peccatum, nos in ſe faceret juſtitiam Dei.*

5. Tertio, exemplo Heliſæi Prophetæ; qui etiam approbavit ſimulationem in cauſa religionis. Nam, ut habetur 4. Reg. 5. 19. cum Naaman Syrus ut ſatisfaceret Regi ſuo gentili, ſtatuiſſet animo ſimulato in templo Remmon adorare, petivit ab Heliſæo, ut pro ſe oraret Deum, ut hæc culpa ipſi ignoſceretur. Heliſæus autem reſpondit: *Vade in pace.* Quaſi diceret, poteris hoc bona conſcientia facere, ſi non habes animum adorandi falſum Deum, ſed tantum ſimulandi adorationem.

6. Quarto probatur a ſimili, quia in aliis rebus licet uti ſimulatione, quando non urget præceptum confitendi veritatem; ut ſi quis non legitime examinetur a judice, poteſt diſſimulare veritatem, & judicem eludere. Ergo idem licebit facere in rebus fidei, præſertim ſi fiat ſine ſcandalo.

7. Notat Valentia tom. 3. q. 3. p. 2. dub. 4. hanc opinionem non videri omnino improbabilem. Primo, propter authoritatem Hieronymi, & Adriani. 2. Propter exempla, & argumenta, quibus confirmata eſt. 3. Quia tametſi videatur favere ſententiæ hæreticorum, de quibus c. 2. dictum eſt, multum tamen ab ea differt. Nam illi dicebant licitum eſſe negare veram fidem, & falſam profiteri, etiam cum mendacio, & perjurio, ut refert D. Auguſtinus lib. contra mendacium c. 2. & in lib. de hæreſibus cap. 70. ubi citat hoc illorum dogma: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.* At Hieronymus, & Adrianus non defendunt mendacium, aut perjurium, ſed ſolam ſimulationem, quæ ſine mendacio, & perjurio eſſe poteſt.

8. Alii tamen authores non probant hanc ſententiam generatim acceptam; ſed utuntur diſtinctione. Nam externa ſigna, quibus ſimulari poteſt falſa religio, tametſi multa ſint, ut dictum eſt, poſſunt tamen revocari ad duo capita. Quædam enim proprie, ac ſpeciatim inſtituta ſunt ad cultum falſæ religionis: alia vero, tametſi propria ſint infidelium, non tamen inſtituta ſunt ad cultum falſæ religionis, ſed ad alium finem. Docent igitur, priora eſſe illicita, & contra confeſſionem fidei; non item poſteriora. Ita Alexander Alenſis, Antoninus, Navarrus, Bannes, & alii apud eundem Valentiam loc. cit.

9. Ut hæc doctrina melius intelligatur, & ad particulares caſus accommodari poſſit, ſigillatim agendum eſt de illis ſignis,

quæ

quæ initio enumerata ſunt. Prius tamen inſinuabo, quid ad argumenta Adriani reſpondendum ſit. Sic igitur reſpondeo.

10. Ad 1. Jehu per illam ſimulationem peccavit, ut aperte docet D. Thom. in 2. 2. q. 111. art. 1. ad 2. & D. Auguſt. lib. contra mendacium cap. 2. ubi id confirmat ex illo 4. Reg. 10. 31. *Jehu non cuſtodivit, ut ambularet in lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo.* Nec verum eſt, quod Deus illam approbaverit. Solum laudavit factum Jehu in eo, quod omnes Sacerdotes Baal occiderit, & domum Achab funditus deleverit, ut ex contextu patet. Unde D. Thomas, & D. Auguſtinus affirmant, illum accepiſſe aliquantulam mercedem tranſitoriam regni temporalis; non pro illa ſimulatione, ſed pro nonnulla obedientia, quam Deo exhibuit in delenda domo Regis Achab.

11. Ad 2. David coram Rege Achis non ſimulavit falſam religionem, de qua hic agimus, ſed ſtultitiam, & morbum. An licite, quæſtio eſt D. Thom. loc. cit. tametſi aſſerat omnem ſimulationem eſſe peccatum, eo quod omnis ſimulatio ſit mendacium, conatur tamen excuſare Davidem, quaſi ipſius factum non fuerit proprie ſimulatio, ſed fictio figuralis.

12. Ad 3. Adoratio Naaman Syri non fuit ceremonia religioſa, ſed politica, & licita, ut oſtendam cap. 6.

Ad 4. Simulatio proprie ſumpta ſemper eſt illicita, quia ſemper eſt mendacium, ut ex D. Th. dictum eſt. Simulatio large ſumpta, pro quacunque fictione, tunc eſt prohibita, quando eſt mendacium: ſecus, ſi non eſt mendacium. Semper autem eſt mendacium in materia religionis, quando fit per eas res, quæ inſtitutæ ſunt ad cultum falſæ religionis; quia in tali caſu ſemper ſignificat falſam religionem eſſe veram, & contrariam eſſe falſam. In aliis rebus non ſemper eſt mendacium, quia poteſt fieri per talia verba, vel ſigna, quæ non ſunt inſtituta ad falſum ſignificandum.

CAPUT V.

An homini Chriſtiano liceat per ſimulationem adorare idola, vel incenſum illis adolere?

1. RESpondeo. Non licet. Probatur 1. ex illo 2. Cor. 6. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? aut quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Ubi Apoſtolus damnat omnem communicationem cum infideli, quatenus infidelis eſt; ac præſertim communicationem in cultu ido-

idololatriæ, ſeu adoratione falſorum Deorum. Deinde, exemplo Marcellini Pontificis, quem omnes fatentur graviſſime peccaſſe, quod ob metum mortis idolis ſacrificaverit, ut conſtat ex Pontificali Damaſi, & Concilio Sinueſſano, & ex epiſtola Nicolai Primi ad Michaelem. Tertio, exemplo multorum Martyrum, qui potuiſſent per ſimulatam actionem ſacrificandi, aut adorandi effugere mortem, & tamen mori maluerunt, quam hoc facere; quia putarunt hanc ſimulationem eſſe prohibitam.

2. Et ratio eſt, quia nullo modo licitum eſt mendacium. At qui per fictionem, aut per ſimulationem adorat idola, committit mendacium, non quidem verbo, ſed facto, quia ſignificat ſe eſſe idololatram, cum non ſit: ergo nullo modo hoc illi licet. Nec obſtat exemplum Naaman Syri, qui adoravit in templo Remmon. Nam ipſius adoratio, ut dixi, non fuit ceremonia religioſa, ſed politica: quod ſequenti capite fuſius explicabo.

CAPUT VI.

An liceat orare cum hæreticis, aut aliis infidelibus in publico loco?

1. Reſpondeo. Si naturam rei ſpectes, non eſt per ſe malum, ſed indifferens, ire ad templa hæreticorum, aut gentilium. Poteſt ergo, ratione circumſtantiarum, vel bene, vel male fieri. Male quidem, ſi fiat vel animo profitendi falſam religionem, vel cum aliorum offenſione, & ſcandalo, vel denique cum noſtro, vel alieno periculo. Bene, ſi, his omnibus ſecluſis, bona intentione oremus Deum, & aliunde ſit rationalis aliqua neceſſitas, cur ibi potius, quam alibi, id præſtare opus ſit.

2. Quod duplici exemplo declarari poteſt. Primo, exemplo Catholicorum, qui habitant permixti cum hæreticis. Nam ſi Princeps illorum ſit hæreticus, & mandet, ut omnes ſubditi, cujuſcunque ſint fidei, orationis cauſa ad unum idemque templum conveniant, poterunt Catholici bona conſcientia id præſtare: modo Princeps non mandet hoc in odium, aut detrimentum religionis, ſed ob alium finem licitum, & honeſtum. Ita Azor. lib. 8. Moral. cap. 17. quæſt. 5. Deinde, exemplo ſervi Chriſtiani, qui apud Turcas, vel gentiles captus eſt; nam ſi dominus illius velit uti ipſius ſervitio, non ſolum domi, ſed etiam in templo, poteſt ſervitium illi præſtare, & dum præſtat, ſimul animum orandi ſtudio ad Deum attollere. Ita Azor. ibidem quæſtione 7.

3. Et

3. Et hoc fecit Naaman Syrus, quando adoravit in templo Remmon. Nam adoratio ipſius non erat actus religionis, quo colebat falſum Deum, ſed erat ſervitium politicum, quod licite præſtabat ſuo Regi. Unde magna fuit differentia inter ipſum, & Regem. Nam adoratio Regis fiebat intuitu religionis. Cum enim eſſet homo gentilis, colebat idolum externa adoratione, ſeu genuflexione. Adoratio vero alterius fiebat intuitu civilis obſequii. Cum ergo flectebat genu ante idolum, non alio animo faciebat, quam ut ſuo Regi ſimiliter genuflectenti famulandi ſtudio ſubſerviret. Ita Abulenſis in lib. 4. Reg. cap. 5. qu. 25. Lyranus ibid. circa textum, & Azor. loc. cit.

4. Pro quo notandum eſt, fuiſſe morem Regis Syriæ, ut inniteretur humeris alterius, ſive in templo, ſive in foro; & ideo famulum, cujus humeris innitebatur, debuiſſe ex officio hoc obſequium illi præſtare, ubicunque Rex eſſet. Si ergo Rex vel ſtaret, vel ambularet, vel genuflecteret, neceſſe erat famulum etiam ſtare, vel ambulare, vel genuflectere, non intuitu religionis, ſed ratione civilis obſequii, quod quilibet ſervus tenetur exhibere ſuo domino.

5. Dices, ſi Naaman potuit adorare in templo Remmon eo modo, quo jam explicatum eſt; quare ergo petivit ab Heliſęo, ut a Deo impetraret illi remiſſionem, ſeu condonationem hujus facti? Reſpondeo: Hoc ideo fecit, quia putabat eſſe peccatum: Heliſæus autem reſpondit, non eſſe.

CAPUT VII.

An liceat Conciones Hæreticorum audire?

1. HOc intellige in illis locis, ubi Catholici cum hæreticis permixti ſunt, ut in Germania, Gallia, Polonia, Belgio. Ratio dubitandi eſt, quia talis ceremonia eſt inſtituta ad cultum falſæ religionis: ergo ſemper eſt illicita, juxta regulam Alexandri, Antonini, Navarri, & aliorum, qui cap. 4. §. 8. citati ſunt. Contra vero eſt, quia multi viri boni ſine ſcrupulo audiunt conciones hæreticas, quos damnare non poſſumus.

2. Reſpondeo: Aliud eſt, habere conciones hæreticas, aliud audire. Prius per ſe malum eſt, quia nunquam licet docere hæreſim. Poſterius ex ſe indifferens eſt, & poteſt bene, ac male fieri: male quidem, ſi fiat vel animo diſcendi hæreſim, vel cum ſcandalo aliorum, vel cum periculo ſubverſionis: bene, ſi his malis ſecluſis, fiat in eum finem, ut hæreticorum errores facilius, ac ſecurius refutentur.

3. Igitur, tametſi actio docendi hæreſim per ſe inſtituta ſit ad cultum falſæ religionis, & ideo ſemper illicita; tamen actio audiendi conciones hæreticas non eſt determinata ad unum finem, ſed ad varios ordinari poteſt. Primo ad cultum falſæ religionis: ſic illicita eſt. Secundo ad confutationem erroris: ſic licita eſt, modo abſit ſcandalum, & periculum. Idem fit in contrario. Nam etiam audire fidem Chriſti poteſt referri ad duos diverſos fines. Primo, ad diſcendam fidem Chriſti: ſic olim faciebant multi Judæi, & Gentiles, qui a Chriſto, & Apoſtolis convertebantur. Secundo, ad oppugnandam fidem Chriſti: ſic faciebant Phariſæi, & nunc Prædicantes Lutherani, & Calviniſtæ.

CAPUT VIII.

An liceat Sacramenta cum hæreticis participare?

1. Lutherani, & Calviniſtæ agnoſcunt duo tantum Sacramenta, Baptiſmum, & Euchariſtiam. Eſt ergo duplex quæſtio. 1. An Catholici poſſint Baptiſmum petere a Lutheranis, & Calviniſtis? 2. An poſſint cum illis Euchariſtiam participare? De quibus ſic ſtatuo.

2. Prima Concluſio. Certum eſt, non licere Baptiſmum petere a Lutheranis, aut Calviniſtis extra caſum neceſſitatis: quia licet ipſi verum Baptiſmum adminiſtrent, adhibita legitima materia, & forma cum intentione baptizandi; tamen cum eundem Baptiſmum poſſimus petere a Catholicis, impium, & ſcandaloſum eſt confugere ad hæreticos. Dixi, *extra caſum neceſſitatis*. Nam ſi eſſet urgens neceſſitas, & non adeſſet Catholicus, qui Baptiſmum conferret, liceret accipere ab hæretico. Ratio eſt, quia Baptiſmus, qui a Lutheranis, & Calviniſtis confertur, non eſt inſtitutus ad cultum falſæ, ſed veræ religionis. Eſt enim idem Baptiſmus cum noſtro, nec in eo differunt a nobis Lutherani, & Calviniſtæ. Igitur in neceſſitate poſſumus illum ab ipſis petere.

3. Secunda Concluſio. Æque certum eſt, non licere cum Lutheranis, & Calviniſtis Euchariſtiam participare; quia vel ipſi non habent verum Sacramentum Euchariſtiæ ex defectu Sacerdotum conſecrantium, vel ſi aliquando habent, quod rarum eſt, profitentur peculiarem errorem circa idem Sacramentum. Nam Calviniſtæ negant corpus, & ſanguinem Chriſti realiter adeſſe in Sacramento. Lutherani concedunt quidem adeſſe, ſed ſimul affirmant, manere ſubſtantiam panis, & vini cum ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti. Si ergo Catholici cum illis communicarent, viderentur favere ipſorum errori.

CA-

CAPUT IX.

An liceat comitari hæreticos ad ſepulturam?

1. ALiqui putant licere, quia nihil mali apparet in eo, quod quis ſepeliat mortuos, aut funera eorum proſequatur. Alii non licere, quia qui hoc facit, videtur illorum hæreſim approbare. Sed diſtinguendum eſt. Nam in iis locis, ubi Catholici cum hæreticis promiſcue vivunt, & quotidie ſine prohibitione, aut excommunicationis periculo cum illis converſantur, licitum eſt Catholicis proſequi, & comitari funera hæreticorum, ſi præciſe ſpectetur ſepultura. Primo, quia in ejuſmodi locis, ubi nulla eſt prohibitio, nullum poteſt eſſe ſcandalum: ergo ſaltem ex hac parte licitum eſt. Secundo, quia ſepelire mortuos eſt opus miſericordiæ: at opera miſericordiæ poſſunt exhiberi non tantum Catholicis, ſed etiam hæreticis, & aliis infidelibus, niſi in aliquo caſu id prohibeatur. Quis enim neget, laudabiliter fieri, ſi infidelibus fame, & ſiti laborantibus cibum, & potum adminiſtres? Si infirmos viſites? Si hoſpitio ſuſcipias? Si in carcere detentos conſoleris? Cur ergo ſimiliter laudabile non ſit, ſi ex eodem affectu miſericordiæ ſepelias mortuos, aut funera eorum proſequaris? Certe Tobias hoc maxime nomine laudatur in ſcripturis, & veriſimile eſt, eum non ſolum Iſraeliticos, ſed etiam Aſſyrios, apud quos in exilio erat, ſepeliviſſe, Aſſyrii autem erant infideles.

2. At in aliis locis, ubi prohibitum eſt Catholicis converſari cum hæreticis ſub pœna excommunicationis, non licitum eſt Catholicis hæreticorum funera proſequi, aut comitari. Primo, quia talis prohibitio cum juſta ſit, obligat in conſcientia; ergo contra conſcientiam faceret, qui illam prohibitionem tranſgrederetur. Secundo, quia tametſi ſepelire mortuos ſit opus miſericordię, quando fit ex interno affectu miſericordię: non tamen eſt laudabile, ſi fiat contra prohibitionem Eccleſię. Habemus ſimile exemplum in Scriptura. Offerre Deo holocauſtum, erat opus pium, ac religioſum in lege Moſaica, & qui illud offerebat ex affectu divini cultus, laudabiliter faciebat. At Saul, qui illud obtulit contra prohibitionem Samuelis, graviter peccavit, & in pœnam peccati regno privatus eſt. 1. Reg. 13.9. & c. 15.22. Quo ſpectat illud: *Melior eſt obedientia, quam victima.*

CAPUT X.

An liceat carnes comedere cum hæreticis?

1. SEnſus eſt, an liceat homini Catholico diebus ab Eccleſia prohibitis comedere carnes in hoſpitiis hæreticorum, ut hoc modo diſſimulet ſe eſſe Catholicum, ad vitandum periculum, quod illi creari poſſet, ſi cognoſceretur eſſe Catholicus. Ratio dubitandi eſt, quia non licet negare veram fidem, & falſam profiteri. At ſi Catholicus tali tempore comederet carnes, jam ipſo facto ſignificaret ſe non eſſe Catholicum, ſed Lutheranum, aut Calviniſtam. Et confirmatur exemplo Eleazari, qui in ſimili caſu elegit mori potius, quam ſuillam carnem comedere, quæ Judæis erat prohibita. 2. Machab. 6. v. 18.

2. Reſpondeo: Catholicus in tali caſu poteſt duobus modis ſe gerere. Primo, poteſt prætexere aliam cauſam, cur velit abſtinere a carnibus, ut v. g. debilitatem ſtomachi, vel nauſeam, vel aliquid ſimile; modo fiat ſine mendacio. Secundo, ſi vel non occurrit, vel certe non putatur ſufficiens hujuſmodi excuſatio, tunc diſtinguendum eſt. Nam ſi ſit apud Lutheranos, ubi non eſt periculum vitæ, ſed tantum irriſionis, debet abſtinere a carnibus, & ſe Catholicum fateri: cum irriſio non ſit tanti momenti, ut propter illam debeat violari lex Eccleſiæ. Si autem ſit apud Calviniſtas, & maxime in Anglia, ubi viget perſecutio, ita ut ſine vitæ periculo non poſſit fateri ſe eſſe Catholicum, licebit illi, ſecluſo ſcandalo, veſci carnibus, & hoc modo, ad vitandam mortem, Catholicam fidem diſſimulare. Ita Azor. lib. 8. cap. 27. qu. 3.

3. Ratio eſt, quia eſus carnium non eſt inſtitutus ad profeſſionem falſæ religionis, cum ſit ex ſe indifferens: nec abſtinentia a carnibus inſtituta eſt ab Eccleſia ad diſcernendos Catholicos ab hæreticis, ſed ob alium finem, nempe ad caſtigandam carnem, & immoderatam ejus libidinem refrenandam. Lex autem humana non obligat cum periculo vitæ, quando utilitas, quæ naſcitur ex legis obſervatione, non eſt tanti momenti, quanti eſt vita hominis Catholici, ut in Scholaſtica Theologia tract. de legib. cap. 6. qu. 4. ex dicatum eſt. In hoc autem caſu quæ utilitas ſperari poteſt, ſi Catholicus abſtinendo a carnibus prodat ſe Catholicum eſſe? Vix alia, quam ut acuat in ſe furorem Calviniſtarum, & cogatur alios Catholicos patefacere, ac in idem vitæ diſcrimen adducere. Hoc enim in Anglia uſitatum eſt.

4. De Eleazaro fuit alia ratio. Primo, quia non erat lex hu-

mana,

mana, ſed divina, quæ prohibebat carnem ſuillam? Divina autem magis obligat, quam humana. Secundo, publice conſtabat Eleazarum eſſe Judæum: & hoc agebatur, ut Judaicam religionem, quæ erat vera, tranſgreſſione legis palam abjuraret: ex quo magnum ſcandalum apud alios Judæos, qui præſentes aderant, fuiſſet ſecutum, ut ipſemet fatebatur. Si nunc eodem modo conſtaret, aliquem eſſe Catholicum, & in odium Catholicæ religionis publice juberetur legem Eccleſiaſticam violare, deberet mortem potius eligere, quam id facere. Aliud eſt, quando id non conſtat, & ſine ullo ſcandalo, & contemptu omittitur id, quod lege humana conſtitutum eſt.

CAPUT XI.

An liceat cum hæreticis diſputare de Fide.

1. CErtum eſt aliquando licere, aliquando non licere. Non licet in his caſibus. Primo, quando Catholicus, qui diſputat cum hæreticis de fide, non habet rectam intentionem. 2. Quando in jure non cenſetur idoneus, aut ſufficiens ad diſputandum. 3. Quando eſt periculum ex parte auditorum, qui diſputationi interſunt. 4. Quando hæreticus, cum quo diſputatur, eſt pertinax, & aliunde nulla utilitas ex diſputatione ſperari poteſt. Hæc breviter explicanda ſunt.

2. Prima Concluſio. Catholicus peccat diſputando cum hæreticis, quando non habet bonam intentionem, ideſt quando diſputat *tanquam de Fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non ſupponens, ſed argumentis experiri intendens*, ut loquitur D. Tho. in 2. 2. qu. 10. art. 7. Ratio eſt, quia qui ſic diſputat, eſt dubius in ſua fide, & conjicit ſe in periculum deficiendi a fide: ergo peccat. Hoc intellige de eo, cui fides Chriſtiana ſufficienter propoſita eſt, ita ut teneatur credere. Nam ſi eſſet Gentilis, aut Judæus, cui fides nondum ſufficienter eſſet propoſita, & ſolum eo fine diſputaret, ut poſſet invenire veritatem, non peccaret diſputando. Ita Bannes qu. 10. art. 7. in Commentario, Valentia qu. 10. aſſert. 1. Sanchius lib. 2. moral. cap. 6. num. 1.

3. Secunda Concluſio. Catholicus peccat diſputando cum hæreticis, ſi ipſe eſt laicus; quia ſub pœna excommunicationis interdicta eſt laico hujuſmodi diſputatio, ut patet ex ca. *Quicunque* de hæret. in 6. ubi Alexander Papa ſic ſtatuit: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publice, vel privatim de fide Catholica diſputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis*

laqueo innodetur. Ratio inhibitionis eſt, quia laici ut plurimum ſunt indocti, ac proinde in jure præſumuntur, tanquam minus idonei, & ſufficientes ad diſputandum de myſteriis fidei. Vide authores citatos.

4. Dices. Aliquando contingit, aliquem laicum non minus eſſe doctum, quam Clericum, aut Religioſum: ergo illi ſaltem non eſt inhibita diſputatio de fide. Hoc aliqui concedunt: quia inhibitio ſolum facta eſt ex ea præſumptione, quod laici ſolent eſſe indocti; ergo, ſi contingat aliquem eſſe doctum, non comprehenditur ſub illa prohibitione. Ita Bannes loco citato. Et confirmat exemplo Alberti Pii Comitis, & Henrici Octavi Regis Angliæ, qui fuerunt Laici, & tamen cum Lutheranis diſputarunt de fide.

5. Alii contra ſentiunt, omnes omnino laicos comprehendi illa inhibitione; quia leges, quæ feruntur pro communitate, non ſolent ſpectare, quid aliquando fieri poſſit in hoc, vel illo caſu particulari; ſed quid fiat ut plurimum. At laici ut plurimum ſunt indocti, licet aliquando contingat hunc, vel illum eſſe doctum: ergo omnes tenentur legem inhibitionis ſervare. Ita Navarrus, & alii citati a Sanchio n. 5. Quæ ſententia probabilior eſt.

6. Dices 2. Hinc ſequitur, omnes laicos, quantumvis doctos, qui in Germania diſputant cum hæreticis de fide, non ſolum peccare, ſed etiam excommunicatos eſſe, quod eſt abſurdum, & contra communem hominum opinionem. Reſpondeo. Id non ſequitur, quia in Germania, & aliis quibuſdam locis, ubi Catholici, & hæretici permixti ſunt, non eſt in uſu ſupradicta inhibitio, ſed per contrariam conſuetudinem abrogata: ac proinde non obligat. Ita Valentia ibidem aſſerit. 2. Deinde poteſt contingere caſus magnę alicujus neceſſitatis, aut utilitatis, in quo non habeat locum illa inhibitio; ut ſi aliquis eſſet hæreticus, qui perverteret fideles, & nullus Eccleſiaſticus, vel religioſus adeſſet, qui poſſet illi reſiſtere, tunc etiam Laico, ſi alioqui ſufficienter eſſet doctus, id liceret, & ex obligatione charitatis incumberet. Ita Valentia, & Sanchius.

7. Dices 3. Si laicus, quia indoctus eſt, peccat diſputando de fide, etiam Clericus peccabit, ſi indoctus ſit. Et ſic erit par utriuſque ratio. Reſpondeo: Clericus non peccat contra illam inhibitionem Alexandri Papæ, quia illa comprehendit ſolos laicos, ſed tamen peccat contra jus naturale, quia exponit ſe periculo erroris. Hinc ſequitur, tam laicum, quam Clericum indoctum peccare, ſed laicum contra legem naturalem, & Eccleſiaſticam, Clericum contra alteram tantum. Deinde laicum excommunicari, non autem Clericum. Quamquam hæc excommunicatio non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Vel, quod idem eſt, non incurritur ipſo

fa-

facto, ſed eſt comminatoria. Quod recte colligunt authores ex ipſo loquendi modo, quo Pontifex uſus eſt. Non enim dixit, *Excommunicationis laqueo innodatur*, ſed *innodetur*.

8. Dices 4. Etiam Clericis prohibita eſt publica diſputatio de Fide, ut patet ex L. *Nemo Clericus*, C. de ſumma Trinitate: ergo & illi peccant, non tantum contra legem naturalem, ſed etiam contra civilem. Reſpondeo: Lex civilis, quæ diſponit de rebus ſpiritualibus, non obligat Clericos, niſi jure Canonico confirmetur. Ita Azor. lib. 8. Moral. c. 26. qu. 2. & Sanchius loco citato, nu. 8.

9. Tertia Concluſio. Catholici peccant diſputando cum hæreticis de Fide, quando diſputant coram ſimplicioribus. Ita D. Th. in 2. 2. q. 10. ar. 7. Ratio eſt, quia eſt periculum, ne ſimpliciores ex tali diſputatione pervertantur. Nam facilius percipiunt plauſibilia hæreticorum argumenta, quam ſubtiles, ac ſolidas Catholicorum ſolutiones; & ideo incipiunt dubitare, aut vacillare in Fide.

10. Excipiuntur tamen duo caſus, in quibus licita eſt hujuſmodi diſputatio. Prior, quando Catholicus, qui diſputat cum hæreticis, eſt vir non ſolum doctus, ſed etiam clarus, & perſpicuus, qui poſſit ſe accommodare ad captum ſingulorum, & ita res ſuas explicare, ut omnes, quantumvis rudes, & indocti, facile eas percipiant. Poſterior, quando ſimpliciores ab hæreticis ſollicitantur ad defectionem. Tunc enim tenentur viri docti coram ſimplicioribus opponere ſe hæreticis, & veram Fidem diſputando defendere. Ita D. Thom. ibidem.

11. Quarta Concluſio. Catholici peccant diſputando de Fide cum hæreticis pertinacibus, præſertim ſi aliunde non appareat ulla utilitas. Nam quando hæretici ſunt pertinaces, tunc nec facile convertuntur, nec tam pugnant firmitate argumentorum, quam contentione vocis, & acerbitate verborum, ex qua potius pacis perturbatio, quam unio, & concordia ſperari poteſt. Vide D. Thom. ibid. ad 1.

12. Ex dictis colligitur, quando licitum, & honeſtum ſit diſputare cum hæreticis, nempe quando viri docti, quibus id conceſſum eſt, diſputant contra hæreticos ad confutandos eorum errores; idque coram prudentibus auditoribus, qui vim argumentorum, & reſponſionum utriuſque partis recte percipiunt, & de tota re æſtimare poſſunt: Aut certe, quando diſputant coram ſimplicioribus, qui ab hæreticis ſollicitantur ad defectionem, ut huic periculo occurratur.

CAPUT XII.

An liceat libros hæreticorum legere.

1. AFfirmant Politici. Nos diſtinguimus. Aliquando non ſolum licet, ſed etiam neceſſarium eſt, legere libros hæreticorum, præſertim quando errores illorum refutandi ſunt, qui aliunde, quàm ex eorum libris integrè, ac certo cognoſci non poſſunt. Unde in Concilio Carthaginienſi 4. can. 16. admonentur Epiſcopi, ut pro neceſſitate, & tempore legant hujuſmodi libros. Et Euſebius lib. 7. hiſt. c. 6. refert, Dionyſium Alexandrinum ad eoſdem legendos divina viſione fuiſſe adductum. Aliquando non licet, ſed prohibitum eſt. Et quidem jure naturali, ac divino in uno caſu eſt prohibitum, nempe quando eſſet periculum defectionis a fide. De jure humano dicendum eſt per ſequentes concluſiones.

2. Prima concluſio. Lectio librorum hæreticorum prohibita eſt jure humano diverſis locis, ac temporibus. Hæc propoſitio duplex eſt: una ſpecialis, qua certi tantum libri: altera generalis, qua omnes prohibentur. Quæri ſolet, quando primum cœperit hæc generalis prohibitio? Alphonſus a Caſtro l. 2. de juſta hæreticorum punitione c. 17. putat cœpiſſe ſub Julio III. Pontifice. Et recte. Nam ſi ſpectemus leges civiles, quæ antea latæ ſunt, in illis certorum tantum hæreticorum libri prohibentur, ut Arrii, aut Eunomii, aut Porphyrii, aut Neſtorii, & ſimilium. Similiter, ſi ſpectemus decreta Eccleſiaſtica, ea vel profecta ſunt a Conciliis Provincialibus, vel a Generalibus, vel a ſummis Pontificibus. Decreta primi generis non obligant omnes Chriſtianos. Reliqua non prohibent omnes libros hæreticos, ſed tantum aliquos: v. g. Synodus ſeptima prohibet tantum libros Iconoclaſtarum: Concilium Conſtantienſe libros VVicleffi: Gelaſius Pontifex eos tantum, quos in ſuo Decreto nominat; Leo X. & Paulus III. libros tantum Lutheranos. Primus ergo fuit Julius III. qui tulit generalem legem, qua ſine ullo diſcrimine omnibus prohibetur lectio quoruncunque librorum hæreticorum, idque ſub pœna temporali, & ſpirituali, quæ in hæreticos conſtituta eſt. Poſt Julium idem fecerunt Paulus IV. Pius IV. & cæteri ſubſequentes Pontifices in Bulla Cœnæ Domini.

3. Secunda concluſio: Generalis prohibitio librorum hæreticorum hoc tempore duplex eſt: Una continetur in bulla Cœnæ Domini, cum adjuncta excommunicatione, reſervata Pontifici:

ſici: Altera in indice librorum prohibitorum, cum adjuncta excommunicatione non reſervata Pontifici. Hinc ſequitur primo, legentem libros hæreticorum ſine facultate incurrere duplicem excommunicationem; alteram bullæ, alteram indicis: & ab una poſſe abſolvi a proprio confeſſario: ab altera non niſi a Pontifice, aut habente privilegium a Pontifice. Secundo ſequitur, poſſe aliquem incidere in excommunicationem Indicis, ita ut non incidat in excommunicationem Bullæ; ſi nimirum legat libros, qui prohibiti ſunt in indice, non tamen prohibiti ſunt in Bulla. Nam in Bulla tantum prohibiti ſunt libri manifeſte hæretici; in Indice non ſolum manifeſte hæretici, ſed etiam illi, qui continent aliquos errores, tametſi non hæreticos, aut errorum ſuſpicionem, ut notat Toletus in explicatione Bullæ.

4. Quæres 1. An Catholici in Germania incurrant utramque excommunicationem, quando legunt libros hæreticorum? Duplex regula ſervanda eſt. Una, ubicunque Bulla, & Index obligant, ibi Catholici incurrunt utramque excommunicationem, ſi legant libros hæreticos ſine ſpeciali facultate. Altera, ubicumque lex, vel conſtitutio Pontificis uſu recepta eſt, ibi obligat, ubi recepta non eſt, non obligat, ut ſuppono ex Tractatu noſtro Scholaſtico de Legibus cap. 6. quæſt. 8. & ex Navarro in Manuali cap. 23. num. 41. Dicitur autem uſu recepta, quando a majori parte communitatis recipitur, & approbatur. Hinc ſequitur, ſi Bulla Cœnæ Domini, vel Index librorum hæreticorum in Germania receptus non eſt, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticorum; tametſi peccent mortaliter, ſi eos legant cum periculo erroris, aut deceptionis, quod ſæpe fit.

5. Quæres 2. An incurrat excommunicationem, qui paucos verſiculos legit in libro hæretico? Reſpondeo: Hæc regula ſervanda eſt, excommunicationem non incurri, niſi propter peccatum mortale. Prius ergo videndum eſt, an peccet mortaliter, qui contra præceptum Eccleſiæ legit paucos verſiculos in libro hæretico. Videtur autem eſſe eadem ratio in hoc peccato, quæ eſt in furto, & aliis ſimilibus. At in his poteſt aliquis dupliciter excuſari a mortali. Primo propter parvitatem materiæ; quo pacto furtum unius oboli eſt tantum veniale. Secundo, propter indeliberationem actus; ut ſi aliquis ex ſubita paſſione alterum percutiat ſine prævia deliberatione. Idem ergo dicendum eſt in propoſito. Nam ſi quis paucos tantum verſiculos legat, aut ſine deliberatione, & quaſi imprudenter incidat in librum hæreticorum, non peccabit mortaliter, ac proinde non excommunicabitur.

Nam quidquid excuſat a peccato mortali, hoc etiam excuſat ab annexa excommunicatione. At unde, inquies, cognoſci poteſt quam multi, aut pauci verſiculi efficiant peccatum mortale, aut veniale. Reſpondeo. Sicut in furto æſtimari hoc debet ex notabili damno, quod infertur proximo: ita in hac materia æſtimandum eſt ex notabili periculo, cui ſe exponit is, qui legit librum hæreticum. Hoc autem periculum non eſt æquale in omnibus legentibus, quia alii facilius decipiuntur, quam alii: Sicut etiam non eſt æquale damnum divitis, & pauperis, ſi quis utrique auferat unum coronatum. Omnes ergo circumſtantiæ ſpectari debent, & ſic prudenter de tota re judicandum.

6. Quæres 3. An hæc prohibitio librorum hæreticorum ſit juſta, & legitima? Reſpondeo affirmative: & probatur ex perpetuo uſu Eccleſiæ. Nam tempore Apoſtolorum multi curioſi, & vani libri combuſti ſunt coram omnibus, ut habetur Act. 19. 19. Et Conſtantinus Imperator ex decreto Concilii Niceni juſſit libros Arrii comburi, pœna capitis in eos conſtituta, qui libros occultarent. Item mandato Theodoſii, & Valentiniani combuſti ſunt libri Neſtorii in Concilio Epheſino damnati, teſte Liberato in Breviario c. 10. quod etiam refertur in L. *Damnato*, c. de Hæreticis, & Manichæis. Similiter Valentinianus, & Marcianus juſſerunt comburi libros Eutychetis damnatos in Concilio Chalcedonenſi, ut patet ex L. *Quicunque*, C. eodem titul. Vide plura exempla apud Bellar. l. 3. de Laicis, cap. 20.

7. Et ratio eſt, quia ſi jure prohibentur colloquia, & ſermones hæreticorum, tanquam noxii, & peſtilentes; multo magis ipſorum libri poſſunt prohiberi; quia libri plus nocent, quam ſermones. 1. quia libri diutius durant. 2. ad plura loca perveniunt. 3. quæ in iis ſcripta ſunt, magis hærent in animo, ſi attente legantur, quam quæ obiter audiuntur. 4. facilius etiam perſuadentur; cum accuratius meditata, & ad perſuadendum compoſita ſint. Idque confirmat experientia; quia Joannes Vvicleffus viva voce pauciſſimos pervertit. Docuit enim in ſola Anglia, & ibi pene nullos reliquit ſui erroris hæredes. At per ſcriptos a ſe libros totam Bohemiam pervertit, ut videre eſt apud Coclæum in hiſtoria Huſſitarum.

8. Dices 1. Libri hæreticorum continent multa vera, & utilia: ergo non debent prohiberi, quia ſtultum eſt, propter aliqua falſa & inutilia, privare ſe etiam veris, & utilibus. Et confirmatur ex illo 1. Theſſ. 5. 21. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*. Reſp. Hinc potius ſequitur, non debere legi hæreticorum libros, eo quod vera falſis, & bona malis permiſceant. Sic enim deci-

piunt

plures Lectorem. Nam ſi ſola falſa, & mala dicerent, ſtatim ab omnibus rejicerentur; ſi ſola vera, & bona, hæretici non eſſent. Itaque de induſtria omnia miſcent, ut ex malis bona inficiant, & per bona mala ſua abſcondant. Unde Hieron. ep. 7. ad Lætam, *Venena*, inquit, *non dantur, niſi melle circumlinita*. Deinde ſi bona & vera volumus cognoſcere, facilius, & ſecurius ex Catholicorum, quam hæreticorum libris cognoſcemus, juxta illud ejuſdem Hieronymi epiſt. 10. ad Furiam: *Eorum duntaxat tractatus lege, quorum fides nota eſt. Non neceſſe habes, aurum in luto quærere.*

9. Illud Apoſt. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*, ſignificat omnia, quæ dubia, & incerta ſunt, debere examinari, non ab omnibus, & ſingulis, ſed ab iis, qui poſſunt, & quibus ex officio incumbit. Sicut enim non eſt omnium, ſed Medicorum explorare, qui morbi ſint contagioſi, qui non ſint; ita non eſt omnium, ſed paucorum examinare, quid ſit hæreticum, quid non ſit. Quo ſenſu dixit Hieronymus epiſt. 7. ad Lætam: *Grandis eſt prudentiæ, aurum in luto quærere.* Quando autem facto examine quædam approbata, & quædam rejecta ſunt, tunc non opus eſt iterum examinare, ſed ſtandum eſt examini, & ſententiæ ſemel factæ. Eodem modo quando libri hæreticorum ſemel ab Eccleſia examinati, & damnati ſunt, tunc non debet quilibet eos iterum examinare, niſi forte ad refellendum, ſi hoc alicui ſpeciatim imponeretur a Prælatis Eccleſiæ.

10. Dices 2. Eccleſia tolerat libros Gentilium, Judæorum, Turcarum, & quorundam etiam veterum hæreticorum, ut Origenis, Tertulliani, Euſebii, & Pelagii: ergo eadem ratione poteſt tolerare libros aliorum hæreticorum. Reſpondeo 1. Libri Gentilium ideo tolerantur, quia non nocent. Nam errores, qui in illorum libris continentur, jam mortui, & extincti ſunt; nec habent ullos amplius propugnatores. Quod ſi inter Chriſtianos aliqui eſſent qui Gentilium dogmata propugnarent, tunc merito prohiberentur ipſorum libri, ſicut factum eſt tempore Apoſtolorum, ut refert Clemens lib. 1. Conſt. Apoſt. c. 6.

11. Reſpondeo 2. Libri Turcarum, & Judæorum ſunt duplices. Alii continent blaſphemias in Chriſtum, & ideo judicantur eſſe pernicioſi Chriſtianis: Alii non continent hujuſmodi blaſphemias. Priores prohibentur in Indice a Clemente Octavo edito, & nominatim Talmud Judæorum: poſteriores non item.

12. Reſpondeo 3. Libri Origenis, Tertulliani, Euſebii, & Pelagii ideo permittuntur, tum quia hæreſes illorum jam ſunt extinctæ, tum quia illorum libri proſunt propter antiquitatem; tum denique, quia non videtur hoc tempore eſſe ullum periculum, ne

quis

quis imbibat illorum errores, præſertim Tertulliani. Nam ipſe docuit cum Montano, illicitum eſſe ſecundum matrimonium, & duas, aut tres quadrageſimas eſſe obſervandas. At noſtri temporis Novatores ne unam quidem ſervant quadrageſimam: Et non ſolum ad ſecundas, ſed etiam ad tertias, & quartas nuptias procedunt, ut metuendum non ſit, ne iterum excitent errores Tertulliani.

CAPUT XIII.

An liceat matrimonia contrahere cum hæreticis?

1. Certum eſt, generatim loquendo, non licere Catholicis matrimonia contrahere cum hæreticis. Primo, quia facerent contra apertam prohibitionem Eccleſiæ, cap. *Cave*, & cap. *Non oportet* 28. qu. 1. Secundo, præberent aliis ſcandalum. Tertio, ſe, & liberos ſuos exponerent periculo ſubverſionis. Quarto, committerent ſacrilegium, profanando ſacramentum Matrimonii, dum illud hereticis adminiſtrarent. Quæ omnia fuſe proſequitur noſter Serarius in peculiari tractatu, *De Catholicorum cum hæreticis Matrimonio*.

2. Solet tamen ſpeciatim diſputari, an Catholici in Germania poſſint contrahere Matrimonia cum hæreticis, præſertim cum jam uſu id receptum ſit? Affirmant Azorius l. 8. Inſt. Moral. c. 11. qu. 5. & Sanchez lib. 7. de Matrimonio, diſp. 17. n. 5. qui citant pro ſe Navarrum. Alii contrarium tenent.

3. Ego ſentio, Catholicos in Germania poſſe aliquando excuſari a tribus prioribus peccatis jam enumeratis. A primo, quia canones illi, qui prohibent talia matrimonia, vel non ſunt recepti in Germania, vel certe per contrariam conſuetudinem abrogati. A ſecundo, quia in Germania ceſſat ſcandalum. A tertio, quia fieri poteſt, ut conjux Catholicus ſit tam firmus, & fundatus in fide, ut non ſit periculum ſubverſionis. Deinde poteſt ab initio contractus excipere, ut proles catholice educetur.

4. De quarto plus dubii eſt, an poſſint excuſari a ſacrilegio? Occurrunt duo modi excuſandi. Unus, ſi Catholicus inculpabiliter ignoret contractum eſſe ſacrilegum. Alter, ſi habeat certam ſpem de converſione alterius: quod dupliciter fieri poteſt. Primo, ex parte Catholici; ut ſi ipſe ſperet cum gratia Dei effecturum, ut uxor hæretica convertatur. Secundo ex parte uxoris hæreticæ, ut ſi ipſa ſic affecta ſit, ut omnino cupiat eſſe Catholica. Hæc poſterior ſpes ſufficit ad licite contrahendum.

5. Quæ-

5. Quæres, An præter hos duos modos excuſandi, non poſſit alius aſſignari? Reſp. Videntur alii duo aſſignari poſſe. Prior fundatur in illa communi regula Theologorum: Quando ſunt duæ opiniones probabiles circa facti alicujus honeſtatem, aut turpitudinem, tunc liberum eſt, ſequi alterutram opinionem, quam velis. Hæc regula a nobis explicata eſt in Theol. Scholaſt. tract. de bonit. Act. human. q. 6. Jam ſubſumo. At in hoc caſu, de quo agimus, ſunt duæ opiniones probabiles circa honeſtatem, aut turpitudinem matrimonii cum hæreticis in Germania contracti. Una eſt Navarri, Sanchii, & Azorii, qui putant hujuſmodi matrimonium licitum, ac honeſtum eſſe. Altera quorundam aliorum, qui putant illicitum, ac prohibitum eſſe. Et utraque opinio eſt probabilis: ergo liberum eſt, alterutram ſequi, quam velis. Si ergo offertur tibi uxor hæretica, in qua nihil diſpliceat præter hæreſim, potes eam bona conſcientia accipere, quia ita ſentiunt ſupradicti Theologi, qui magnæ ſunt authoritatis. Hoc intellige, ſalvo jure naturali, ac divino, ſi videlicet non ſit periculum ſubverſionis, ut ſupra excepi.

6. Poſterior fundatur in eo, quod nemo jure Canonico cenſendus ſit hæreticus, niſi qui in ſuo errore eſt pertinax, ut docet D. Auguſt. ep. 162. D. Thom. in 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3. & alii paſſim. Ille autem cenſetur pertinax, qui ſciens, & prudens tenet aliquid contra conſenſum Eccleſiæ: vel qui cognoſcit, & advertit ſuam opinionem contrariam eſſe ſententiæ Eccleſiæ Catholicæ, & tamen perſiſtit in ſua opinione. Ita Cajet. in 2. 2. qu. 11. a. 2. Melchior Canus l. 12. de locis c. 9. Valentia tom. 3. q. 11. p. 1. dub. 4. Sanchius l. 2. Moralium c. 7. n. 2. Et patet ex Auguſtino l. 4. contra Donatiſtas c. 16. ubi ſic ait: *Conſtituamus aliquem ſentire id de Chriſto, quod Photinus* (hæreticus) *opinatus eſt, exiſtimantem ipſam eſſe Catholicam fidem; nondum illum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ fidei, reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.* Vide, quæ diximus in Scholaſtica, tract. de hæreſi, quæſt. 2.

7. Jam vero conſtat, multos viros, ac fœminas eſſe in Germania, qui quidem habentur Lutherani; ſed tamen, quia pertinaces non ſunt, non debent cenſeri hæretici, ſed errantes. Non enim advertunt doctrinam Lutheranam, cui ab infantia addicti ſunt, contrariam eſſe Eccleſiæ Catholicæ, quæ vere Catholica eſt. Si ergo vir Catholicus contraheret matrimonium cum hujuſmodi fœmina Lutherana, (quod uſitatum eſt) non peccaret contra prohibitionem Eccleſiæ; nec committeret ſacrilegium. Nam talis fœmina, ex eo præciſe, quia errat ſine ſua culpa, non cenſe-

cenſetur indigne accipere ſacramentum Matrimonii; ac proinde vir Catholicus, qui ſuo conſenſu, & verbo adminiſtrat illi hoc ſacramentum, non cenſetur committere ſacrilegium. Hoc ex indulgentia dico. Alioqui nulli authot ſum, ut hæreticam accipiat, ſi Catholicam habere poteſt.

CAPUT XIV.

An in aliis rebus liceat paciſci cum hæreticis.

1. Loquor de pacto licito, & honeſto ſive in rebus politicis, ſive in negotio religionis. Eſt ergo quæſtio an poſſit Catholicus paciſci cum hæreticis, ſicut poteſt paciſci cum Catholicis? Reſp. primo generatim; cum hæreticis non facile ineundi ſunt contractus, conventiones, fœdera, pacta, ſive publica, ſive privata, propter tres potiſſimum cauſas. 1. Propter periculũ ſubverſionis. 2. Propter ſcandalum. 3. Propter ipſorum improbitatem, & perfidiã.

2. De periculo ſubverſionis intelligi poteſt illud 2. Tim. 2. v. 17. *Sermo eorum ut cancer ſerpit.* Quaſi dicat: Sermo hæreticorum eſt inſtar morbi contagioſi, qui alios inficit. Sicut ergo nemo prudens facile agit cum homine habente morbum contagioſum, ne veniat in periculum morbi corporalis: ita nemo debet agere cum hęretico, ne inficiatur morbo ſpirituali. Vide Cyprianum l. 1. ep. 3. ad Cornelium, & Leonem ſerm. 5. de jejunio decimi menſis. Ob hanc cauſam Deus in veteri teſtamento prohibuit Judæis fœdera, ſocietates, & amicitias cum gentilibus; ne ſcilicet ex eorum conſortio deficerent a vera fide ad idololatriam. Exod. 34. v. 12. *Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam.* Et v. 15. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum*, &c. Et Deut. 7. 3. *Non inibis cum eis fœdus, neque ſociabis cum eis conjugia, filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & ut magis ſerviat Diis alienis.* Porro, quantum ſit hic periculum, & quam nocens contagio, teſtantur non ſolum antiqui Judæi, qui olim plurimi a gentilibus perverſi ſunt, (inter quos ſapientiſſimus Salomon) ſed etiam hujus temporis Chriſtiani, qui non pauci in Germania, & vicinis provinciis ex converſatione cum Lutheranis, & Calviniſtis a Catholicis defecerunt.

3. De ſcandalo res æque nota eſt. Conſtat multo rudiores, ac ſimpliciores ſcandalum pati, & in errorem induci, quando vident ſuos Principes, aut alios viros nobiles, potentes, eruditos cum hære-

hæreticis libere converſari, paciſci, matrimonia inire, baptiſmum celebrare, & ſimilia agere. Putant enim eos hac ſua familiari converſatione doctrinam, & religionem hæreticorum approbare; ac proinde ſe quoque peccare non poſſe, ſi illorum exemplum imitentur. Unde paulatim fit, ut aperte incipiant hæreſim pro vera doctrina amplecti; nec alio argumento tueri ſe poſſint, quam quod prætendant tales viros non poſſe errare, ſeque bona conſcientia illorum veſtigiis inſiſtere: Hac re nihil notius in Belgio, Polonia, Auſtria, & aliis regnis, ac provinciis. Atque utinam haberemus multos Eleazaro ſimiles, qui mori maluit, quam ſcandalum dare. Præclara illa vox illius: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere, ut multi adoleſcentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur.* 2. Mach. 6. v. 24.

4. De perfidia hæreticorum nemo dubitat, qui illos novit. Nec Deo, nec hominibus ſervant fidem. Non facile igitur cum illis paciſcendum. Priorem partem probo exemplo Lutheri, qui omnium hæreticorum hujus temporis Patriarcha eſt. Is triplici titulo fuit perfidus. Primo, quia fidem Catholicam, quam in baptiſmo ſuſceperat, & multis annis profeſſus erat, tandem abjecit, quæ ſumma perfidia eſt. In qua imitatus eſt Hymenæum, & Alexandrum, de quibus Apoſtolus 1. Tim. 1. 19. *Circa fidem naufragaverunt, quos tradidi Satanæ.* Secundo, quia cum eſſet Monachus, ſolemni ritu promiſit Deo perpetuam caſtitatem. Non ſervavit; Monialem ſimili voto adſtrictam ſacrilego conjugio ſibi adjunxit; ſimilem mulierculis, de quibus idem Apoſtolus 1. Tim. 5. 11. *Cum luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Tertio, cum ſimiliter ſolemni ritu in Academia Catholica Doctor Theologiæ promoveretur, promiſit, interpoſito juramento, ſe defenſurum eam doctrinam, quæ tunc uſu erat recepta. Nec hoc præſtitit. Quæ tertia fuit perfidia. Lutherum ſecuti ſunt Lutherani, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ. Omnes, ſi non triplici, ut Lutherus, certe vel uno, vel duplici titulo, perfidi facti ſunt.

5. Poſterior ſequitur ex priori. Nam ſi hæretici tam improbi ſunt, ut pro nihilo ducant, fidem Deo promiſſam violare, quomodo nobis promiſſam ſervaturi ſunt? Aut quis tuto poterit paciſci cum iis, qui etiam Deo illudunt? Simili argumento uſus eſt Chriſtus, Joan. 15. 20. cum ait: *Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Poterat addere: *Si mihi fidem non ſervarunt, nec vobis ſervabunt.* Sed quid opus eſt argumen-

mentis ? Res ipſa loquitur. Extant exempla perfidiæ hæreticorum, & vetera, & nova. Vetera taceo. Nova omnibus nota ſunt.

6. Atque hæc generatim dicta ſint. Speciatim hoc addo, Calviniſtas in hac re deteriores eſſe, quam Lutheranos. Nam Calviniſtæ nullam ſervant fidem. Illorum axioma eſt: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli*, quod acceperunt a Priſcillianiſtis, & aliis antiquis hæreticis, qui olim eodem uſi ſunt, ut refert Aug. l. de hæreſib. c. 70. Lutherani moderatiores ſunt, de quibus infr. c. 22.

CAPUT XV.

An, ſi paciſcaris cum hæreticis, fides ſervanda ſit?

1. TAmetſi cum hæreticis non facile paciſcendum ſit, ut jam oſtendi, nihilominus tamen, ſi cum illis pactus es, aut fœdus iniiſti, (ſi quidem nihil aliud obſtat, quam hæreſis) debes integre, & ſincere ſervare illis fidem, non minus, quam Catholicis. Ratio eſt, quia obligatio pacti, ſeu mutuæ promiſſionis oritur ex triplici virtute, nempe veritatis, fidelitatis, & juſtitiæ. Et quidem virtus veritatis ad hoc obligat, ut ſincere, non ficte promittas, id eſt, ut quod verbo promittis, etiam animo promittas, ne mendax ſis. Virtus fidelitatis ad hoc obligat, ut opere præſtes, quod promiſſum eſt, ne perfidus ſis. Virtus juſtitiæ ad hoc obligat, ut alteri, cum quo pactus es, tribuas jus ſuum, quod illi debetur ratione pacti, ſeu mutuæ promiſſionis, ne injuſtus, aut injurioſus ſis. At hæ virtutes æque te obligant, ſive apud Catholicos, ſive apud hæreticos verſeris: nuſquam enim licet mentiri, nuſquam perfidum eſſe, nuſquam jus alterius violare, ſeu injuriam facere. Et ſane, ſi ſemel concederes, hæc ideo licite fieri, quia hæretico mentiris, hæretico perfidus es, hæretico injuriam facis, quidni conſequenter concedas, licere tibi hæreticum occidere, furto res ejus auferre, odio eum proſequi? Quæ omnia abſurda ſunt, & divinæ legi repugnantia.

2. Idem confirmatur ex Scripturis hoc modo: Quando fideles paciſcuntur cum gentilibus, & idololatris, debent illis ſervare fidem in rebus licitis, & honeſtis: ergo etiam quando paciſcuntur cum hæreticis. Hi enim in hac quidem re non ſunt deterioris conditionis, quam illi. Antecedens probatur exemplo Joſue, & aliorum Principum populi Iſraelitici, qui cum pactum, & amicitiam iniiſſent cum Gabaonitis, qui erant infideles, & idololatræ, tametſi ab illis decepti eſſent, tamen ita religioſe, & ſincere fidem ipſis promiſſam ſervarunt, ut non ſolum vitam, de qua pacti erant, illis darent, ſed etiam contra vicinos ho-

ſtes bello tuerentur. *Joſue* 9. 15.

3. Quod autem recte, & laudabiliter id fecerint, imo facere debuerint, tribus argumentis confirmari poteſt. Primo authoritate ipſius Joſue, & aliorum Principum. Cum enim plerique e populo putarent, Gabaonitas jure occidi poſſe; nec fidem illis ſervandam eſſe, eo quod dolo pactum extorſiſſent, oppoſuerunt ſe Principes, & dixerunt: *Juravimus eis in nomine Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere.*

4. Deinde, miraculo res comprobata eſt. Nam Gabaonitæ cum propter fœdus cum Iſraelitis initum a vicinis Regibus bello infeſtarentur, jure fœderis petebant ſubſidium a Joſue. Nec mora. Joſue memor pacti, & ſocietatis, cum armatis viris profectus eſt, ut arceret hoſtem, & Gabaonitas defenderet. Fit prælium. Deus, ut oſtenderet gratam ſibi eſſe pactorum fidem, non modo victoriam conceſſit Iſraelitis, ſed etiam novo miraculo cohibuit ſolem, ne occumberet, ut tanto plus temporis eſſet ad hoſtem interimendum. Sic enim legimus Joſue 9. 13. *Stetit Sol in medio cæli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei, obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Iſrael.*

5. Tertio, ſicut Deus conceſſit Joſue hanc victoriam propter fidem ſervatam, ita propter eandem violatam graviſſime punivit Saulem Regem, & univerſum populum. Res ſic accidit: Gabaonitæ pacti erant cum Joſue, & populo de vita, ut dictum eſt. Poſt annos trecentos, & amplius, Saul Rex, non obſtante hoc pacto, multos eorum interfecit. Nec impune. Audiamus Scripturam 2.Reg. 21. 1. *Facta eſt quoq; fames in diebus David tribus annis jugiter, & conſuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: propter Saul, & domum ejus ſanguinum, quia occidit Gabaonitas.* Nec ceſſavit hæc plaga, donec ſeptem viri, qui ſupererant de familia Saulis, cruci affigerentur. Sic enim pergit Scriptura: *Dixit ergo David ad Gabaonitas, quid faciam vobis? & quod erit veſtri piaculum, ut benedicatis hæreditati Domini? Dixeruntque ei Gabaonitæ, non eſt nobis ſuper auro, & argento quæſtio, ſed contra Saul, & contra domum ejus: neque volumus, ut interficiatur homo de Iſrael. Ad quos Rex ait: quid ergo vultis, ut faciam vobis? qui dixerunt Regi: virum, qui attrivit nos, & oppreſſit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem reſiduus ſit de ſtirpe ejus in cunctis finibus Iſrael. Dentur nobis ſeptem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait Rex: ego dabo. Et dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino. Et repropitiatus eſt Deus terræ poſt hæc.* Vides, quam graviter punitus ſit Saul in ſuis poſteris, eo quod fidē a majoribus ſuis datam violaſſet.

6. Nec deſunt ſimilia exempla. Sedecias Rex fœdus percuſſerat cum Nabuchodonoſor Rege Babylonis. Viſum fuit ab eo reſilire, & contra datam fidem agere; tum quod Nabuchodonoſor eſſet gentilis, & idololatra; tum quod multis annis populum Judæorum afflixiſſet. Quid factum? Propter hanc perfidiam non modo Regni, & oculorum amiſſione, ſed etiam miſeranda ſuorum clade, & urbis vaſtatione punitus eſt, 2. Paral. 36.

7. Simeon, & Levi filii Jacob cum Sichemitis pacti erant de contrahendis ultro citroque matrimoniis, hac conditione, ut Sichemitæ omnes circumciderentur. Factum eſt. Omnes circumciſi ſunt. Quid vero illi? Contra pacta conventa circumciſos occiderunt. Quo prætextu? quod ſtuprum a Sichemitis patratum ulciſci vellent, Gen. 34. ſed quia perfidia interceſſit, merito a parente audierunt: *Simeon, & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum.* Gen. 49. 5.

8. Hæc ex ſacris hiſtoriis petita. Ex profanis hoc accipe. Uladiſlaus Poloniæ, & Hungariæ Rex, magnis contra Turcarum Imperatorem Amuratem potitus victoriis, cum e bello in patriam rediret, inducias cum hoſte pactus eſt, & juramento confirmavit. Non multo poſt, cum iterum ad bellum redintegrandum ſollicitaretur a nonnullis Principibus Chriſtianis, cœpit perplexus eſſe, quid potiſſimum faceret. Hinc incitabat illum gloria recentis victoriæ, & multorum cohortatio: illinc avocabant induciæ cum hoſte pactæ. Vicit tandem altera pars. Igitur contra datam fidem bello Amuratem invadit. Utrinque pugnatum acriter. In progreſſu cum premi ſe, & conſtringi videret Amurates, multis ſuorum amiſſis, magno clamore in hanc vocem erupit: *Chriſte, ſi Deus es, ut Chriſtiani tui de te perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contra pacta jurata bello me invadunt:* Mira res! Alea belli mox mutata. Uladiſlaus in medios Turcarum impetum faciens equo excutitur, & capite truncatus, perfidiæ pœnas dedit. Refert Gregorius Schedius in ſuis ad Tarnovianam Diſputationem Notis, & alii complures.

9. Ex his concludo, ſi gentilibus, idololatris, & Turcis fides ſervanda eſt, etiam hæreticis jure communi ſervandam eſſe: Imo omnibus, tam bonis, quam malis, tam fidelibus, quam infidelibus, tam amicis, quam inimicis. Quare? Quia ad eam ſervandam obligamur ex virtute veritatis, fidelitatis, & juſtitiæ. Hæc autem obligatio non tollitur ex eo præciſe, quod illi, quibus fidem promiſimus, ſint mali, hæretici, inimici. Imo Chriſtus expreſſe

man-

mandat, ut etiam inimicos diligamus, Matth. 5. 44. *Diligite inimicos veſtros, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos, & malos.* Sane, ſi charitas obligat nos etiam reſpectu inimicorum, cur non ſimiliter veritas, fidelitas, & juſtitia?

10. Excipio tamen tres caſus, (quos omnes boni Authores excipiunt) in quibus fides ſervanda non eſt. Primus eſt, ſi promiſſio, vel pactum ſit de re turpi, aut illicita; ut ſi paciſcaris cum aliquo de committendo furto, homicidio, adulterio, mendacio, uſura. Ratio eſt, quia hujuſmodi pactum non obligat; cum nemo poſſit obligari ad peccatum. Quo ſpectat illud vulgare: *In malis promiſſis reſcinde fidem.* Vide infra cap. 22. §. 12. & 13.

11. Secundus eſt, ſi pactum vi, aut metu cadente in conſtantem virum injuſte extortum ſit. Tunc enim poteſt reſcindi pro arbitrio ejus, qui injuſte vim, aut metum paſſus eſt. Hinc in jure Canonico, cap. *De his, quæ vi,* ſic decernitur: *Unde, quia quæ metu, aut vi fiunt, debent jure in irritum revocari, mandamus, quatenus prædicto N. cum integritate reſtituas omnia.* Et ibid. c. 4. *Quæ vi, metuſve cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis.* Et in jure Civ. C. de his, quæ vi, L. ult. *Venditiones, donationes, tranſactiones, quæ per potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari.* Et ratio eſt, quia qui metum, aut vim injuſte incuſſit, injuriam alteri intulit: ergo tenetur illum in priorem ſtatum reſtituere, & alter jus habet exigendi hanc reſtitutionem.

12. Tertius eſt, ſi is, cum quo pactus es, non ſervat tibi fidem. Tunc enim nec illi teneris ſervare, reſpectu ejuſdem pacti; v. g. Pactus es inducias cum hoſte ad ſexennium. Ille, neglecta induciarum fide, molitur tibi bellum ſexennio nondum elapſo: potes viciſſim bello illum aggredi. Ratio eſt, quia pactum non obligat, niſi ex mutuo paciſcentium conſenſu: ſi ergo alteruter paciſcentium non amplius conſentit, certum eſt, alterum non obligari. Quo ſpectat illud vulgare: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Et regula juris in 6. *Fruſtra quis fidem poſtulat ſibi ſervari ab eo, cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat.* Hæc omnia accommodari poſſunt ad caſus particulares, qui quotidie occurrunt.

Objectiones Adverſariorum.

Prior objectio.

13. ADverſarii generatim objiciunt hæc duo. Primo, quod Catholici doceant, non eſſe ſervandam fidem hæreticis. Secundo, quod reipſa non ſervent illis fidem. In utroque ma-

litioſe agunt. Quod oſtendam, proponendo ſpeciatim utramque objectionem. Eſt igitur prior objectio. Catholici in Concilio Tridentino, Conſtantienſi, & Lateranenſi docent, hæreticis non eſſe ſervandam fidem. Idem fecerunt varii Pontifices, Urbanus II. Gregorius IX. Sixtus V. Gregorius XIV. & Paulus V. Inſuper Theologi Pariſienſes, Curia Parlamenti, Philippus Rex Hiſpaniæ, & Jacobus Simanca Epiſcopus Pacenſis. Hæc objectio, quæ eſt cujuſdam Batavi Calviniſtæ, ex meris mendaciis conflata eſt, ut oſtendi in quæſtionibus Miſcellaneis, & hic breviter repetam, diſcurrendo per ſingula objectionis membra. Primo igitur

14. Concilium Tridentinum in fine ſeſſ. 13. 15. & 18. ex profeſſo agit de ſalvo conductu, ſeu publica fide, ac ſecuritate, & decernit hæc duo: Primo, ut omnibus Catholicis, & Hæreticis, cujuſcunque ſtatus, ac conditionis ſint, liceat publica fide, ac ſecuritate venire ad civitatem Tridentinam, ibidem manere, ſtare, proponere, diſputare, domum redire. Secundo, ut nemini liceat hanc publicam fidem, ac ſecuritatem omnibus promiſſam ullo modo violare: Et ſi quis ſive Catholicus, ſive hæreticus, eam violaverit, legitime puniatur, ſubeundo illas pœnas, quæ jure divino, & humano in violatores fidei conſtitutæ ſunt. Hæc eſt ſumma decreti. Unde manifeſte apparet impoſtura Batavi, qui auſus eſt ſcribere, Concilium decreviſſe, publicam fidem, & ſecuritatem hæreticis promiſſam non eſſe ſervandam. Contrarium plane decrevit.

15. Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 19. (quem locum obiicit Batavus) ſimiliter decernit hæc duo: Primo, quod ſæcularis poteſtas nullo modo poſſit impedire Eccleſiaſticam poteſtatem a ſuo legitimo exercitio; ac proinde, ſi quis ſæcularis Princeps det alicui hæretico ſalvum conductum, hoc non debeat obſtare, quo minus liceat Eccleſiaſtico Judici ſuum officium exercere, id eſt, examinare eum, & ſecundum allegata, & probata procedere. Ratio eſt, quia quando ſunt duo Principes, qui habent diſtincta judicia, & tribunalia, quorum unum altero majus, ac ſuperius eſt, tunc inferior Princeps non poteſt impedire ſuperiorem ab executione ſuæ juriſdictionis; ac proinde ſecuritas, quam promittit alicui, non extendit ſe ad tribunal ſuperioris Principis; quia *ſuperior legibus, & pactis inferioris non ligatur*, (ca. *Cum inferior*, Extr. de Majoritat. & obedientia.) Jam vero Princeps ſæcularis, & Princeps Eccleſiaſticus habent diſtincta tribunalia, ut notum eſt, & Eccleſiaſticum tribunal eſt ſuperius: (cap. *Solitæ*, titulo citato.) Ergo Princeps ſæcularis, quando dat alicui ſalvum conductum, non poteſt illum extendere ad tribunal Eccleſia-

ſticum,

ſticum, nec per datam a ſe ſecuritatem impedire juriſdictionem Principis Eccleſiaſtici. Hoc ipſum diſerte docent Jureconſulti.

16. Secundo decernit, quod Princeps ſæcularis, qui promittit alicui ſecuritatem, ſi fecerit, quod in ſe eſt, non maneat in aliquo obligatus. Ratio eſt, quia qui promittit ſecuritatem, non cenſetur majorem promittere, quam præſtare poſſit; ergo ſi facit, quod in ſe eſt, non peccat contra fidem promiſſionis. Tunc autem cenſetur facere, quod in ſe eſt, quando ex ſua parte præſtat, quod promiſit. Quid autem promiſit? Nihil aliud, quam ſecuritatem ex ſua parte contra vim injuſtam, ſalva ſemper juſtitia, & juris executione. Si ergo efficit, ut is, cui ſecuritatem promiſit, non patiatur vim injuſtam, jam ſatisfecit ſuæ promiſſioni. Ex utroque hoc decreto neſcio qua arte concludat Batavus, Concilium Conſtantienſe definiviſſe, non eſſe ſervandam Hæreticis fidem.

17. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum (quod etiam citat Batavus) nihil habet de Fide hæreticis ſervanda. Solum mandat Principibus Catholicis ſub pœna excommunicationis, ut purgent ſuas Provincias ab hæreſi: & ſi id facere negligant, minatur illis privationem uſus dominii, & juriſdictionis in ſubditos. Verba Concilii hæc ſunt: *Moneantur autem, & inducantur, & ; ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ſæculares poteſtates, quibuſcunque fungantur officiis, ut, ſicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defenſione præſtent publice juramentum, quod de terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis univerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos bona fide pro viribus exterminare ſtudebunt*. Et paulo poſt: *Si vero dominus temporalis requiſitus, & monitus ab Eccleſia ſuam terram purgare neglexerit ab hæretica fœditate, excommunicationis vinculo innodetur: & ſi ſatisfacere contempſerit intra annum, ſignificetur hoc ſummo Pontifici, ut ex tunc ipſe vaſſallos ab ejus fidelitate denunciet abſolutos*.

18. Urbanus II. in epiſtola ad Epiſcopum Vapicenſem decernit, Catholicos milites, qui Hugoni Comiti item Catholico præſtiterant juramentum fidelitatis, non obligari juramento, quamdiu Hugo, qui propter injuſtum bellum erat excommunicatus, maneret in excommunicatione. Sic enim ſcribit: *Juratos milites Hugoni Comiti, ne ipſi, quamdiu excommunicatus eſt, ſerviant, prohibeto. Qui ſi Sacramenta* (fidelitatis) *prætenderint, moneantur, oportere Deo magis ſervire, quam hominibus. Fidelitatem enim, quam Chriſtiano Principi jurarunt, Deo, ejuſque ſanctis adverſanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur authoritate perſolvere.* Hinc non poteſt inferri hæc concluſio: ergo hæreticis non eſt

fides ſervanda. Primo, quia Hugo, de quo loquitur Urbanus, non erat hæreticus, ſed Catholicus, nec excommunicatus propter hæreſim, ſed propter iniquum bellum, quod gerebat. Secundo, aliud eſt, non eſſe ſerviendum Principi excommunicato in bello iniquo, & illicito: aliud, non eſſe ſervandam hæreticis fidem in pacto licito, & honeſto. Hoc poſterius non aſſerit Urbanus, ſed illud prius.

19. Gregorius IX. in epiſtola ad Archiepiſcopum Mediolanenſem videtur aliquo modo patrocinari Batavo. Verba ejus ſunt hæc: *Abſolutos ſe noverint a debito fidelitatis, & totius obſequii quicunq; lapſis manifeſte in hæreſim aliquo pacto, quacunque firmitate vallato, tenebantur obſtricti*. Sed revera non patrocinatur. Quod ſic oſtendo. Noſtra quæſtio eſt, an hæreticis, ex eo præciſe, quia hæretici ſunt, non debeat ſervari fides? Nos id negamus. Ratio eſt, quia nec ex natura rei, nec jure divino, alterum alteri connexum eſt. Non quidem ex natura rei, quia ſi natura hæreſis exigeret, ut ei, qui hæreſi infectus eſſet, non ſervaretur fides, jam contra jus naturæ peccarent, quicunque ſervarent hæreticis fidem, etiam in rebus licitis, & honeſtis. Hoc autem falſum eſt. Non ergo ex natura rei connexa ſunt hæc duo: *Hæreticum eſſe, & non ſervandam illi fidem*. Sed neque jure divino connexa ſunt. Nuſquam enim in Scriptura legimus, Hæreticis non eſſe ſervandam fidem. Imo contrarium ex ea oſtenſum eſt §. 2. & ſequentibus.

20. Quomodo ergo Gregorius decernit, Hæreticis non deberi fidelitatem, & obedientiam a ſubditis? Dicam. Gregorius novam pœnam conſtituit in hæreticos ſui temporis, quæ nec ex natura rei, nec jure divino conſtituta, & determinata erat. Hæc autem pœna fuit legitime conſtituta pro illo tempore. Tunc enim Mediolani periculum erat, ne aliqui in hæreſim laberentur. Ad eos deterrendos a tali crimine hæc lex pœnalis promulgata eſt: ſi quis Catholicorum, quod abſit, labatur in hæreſim, quæ nunc incipit pullulare, afficietur hac ſpeciali pœna, ut alii Catholici, qui ante erant illi obſtricti titulo fidelitatis, non amplius maneant obſtricti. Juſta lex. Dabo ſimile. Sicut hæreſis peccatum eſt, ita etiam adulterium, & homicidium. Rurſum, ſicut hæreſi nec jure naturali, nec divino annexa eſt hæc pœna, ut hæreticis ex eo præciſe, quia hæretici ſunt, non ſervetur fides; ita nec adulterio, nec homicidio annexa eſt. Et tamen ſi in aliquo loco timeretur libertas adulterandi, aut homicidium perpetrandi, poſſet Princeps ad impedienda hujuſmodi peccata ſtatuere hanc legem pœnalem: *Abſolutos ſe noverint a debito fidelitatis, & totius obſequii, quicunque lapſis manifeſte ad adulterium, aut homi-*

homicidium, aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur obſtricti. Hæc lex ſine dubio eſſet juſta. Ergo & lex Pontificis juſta eſt. Et ſicut ex illa non licet inferre hanc concluſionem: ergo adulteris, & homicidis, ex eo præciſe, quia tales ſunt, non eſt ſervanda fides: ita ex altera non licet inferre: ergo hæreticis, ex eo præciſe, quia hæretici ſunt, non eſt ſervanda fides. Ex utraque tamen licebit inferre: ergo adulteris, homicidis, & hæreticis, quatenus ſpeciali huic legi, pro tali loco, & tempore ſubjecti ſunt, non ſervanda fides.

21. Sixtus V. excommunicavit Henricum Navarræ Regem, & Principem Condæum propter hæreſim, & ſubditos illorum abſolvit a debito obſequii, & fidelitatis. Quid tum? An ideo docuit, nulli hæretico ſervandam eſſe fidem? Nihil minus. Sixtus duos tantum Principes, & eos quidem nominatim affecit hac pœna. Cæteri ab hac pœna fuerunt immunes. Simile eſt, quod objicitur de Gregorio XIV.

22. Paulus V. ſcripſit duo Brevia Apoſtolica, in quibus hortatur Catholicos in Anglia, non quidem ut negent Regi Jacobo civilem obedientiam, & fidelitatem in rebus politicis, ut falſo criminatur Batavus: ſed ne contra conſcientiam ſuam, & contra profeſſionem fidei Catholicæ, conjungant ſe hæreticis; & ne Eccleſiæ Romanæ poteſtatem, juriſdictionem, & obedientiam abjurent. Hæc Brevia tranſcripſi in noſtris quæſtionibus Miſcel. in 2. tomo opuſculorum.

23. Theologi Pariſienſes declararunt, populum regni Galliæ ſolutum, & liberatum eſſe a ſacramento fidelitatis, quo antea obſtricti erant Henrico Regi, poſtquam ſententia Judicis in eundem Henricum legitime eſſet lata. Et hoc approbavit Curia Parlamenti Pariſienſis. Quid hic mali eſt? Nihil, niſi quod Batavus ſuis mendaciis, & calumniis omnia in malam partem interpretatur

24. Philippus Hiſpaniæ Rex cum hac conditione tranſtulit provincias Belgicas in Archiduces, ut ſi aliquis ex ipſorum hæredibus fieret hæreticus, hoc ipſo privaretur adminiſtratione, poſſeſſione, & proprietate iſtarum provinciarum. Recte, & laudabiliter. Sed quia Batavus aliter ſentit, infert Philippum docuiſſe, fidem hæreticis ſervandam non eſſe: mera impoſtura eſt.

25. Jacobus Simanca (qui ultimo loco objicitur a Batavo) idem docet, quod nos docemus; nempe, fidem hæreticis ſervandam eſſe in rebus licitis, & honeſtis, alias minime. Sic enim ſcribit in inſtit. Catholica cap. 46. n. 52. *Si fides hæreticis data eſſet a Principe, vel publica poteſtate, exacte ſervanda eſſet: ſi modo, quod adi-*

dixiſſet, non ſit de illo genere rerum, quas lex aut inſpirata, aut naturalis vetat præſtare, &c.

Poſterior Objectio.

26. Secundo objicit Batavus, Catholicos re ipſa non ſervare fidem hæreticis. Quod probat aliquot exemplis. Primo, quia non ſervarunt Joanni Huſſio in Conc. Conſtantienſi. 2. Nec Hieronymo Pragenſi ibidem. 3. Nec prædicantibus in Auſtria ſuperiori. 4. Nec Hollandis in Belgio. Reſpondeo 1. generatim. Etiamſi vera eſſent hæc exempla, nihil aliud poſſet inde colligi, quam quod aliqui Catholici non ſervent fidem. Nec plus momenti haberet objectio, quam ſi dicerem, aliquos Batavos eſſe perfidos; aut aliquos Calviniſtas eſſe perjuros; aut aliquos Lutheranos eſſe ebrioſos. Sit ita ſane. An ideo omnes Batavi perfidi? aut omnes Calviniſtæ perjuri? aut omnes Lutherani ebrioſi? Abſit. Alioqui nullum hominum genus eſſet ſecurum ab infami accuſatione. Nam in omni genere, ac ſtatu ſunt aliqui, qui delinquunt: Etiam inter Apoſtolos fuit unus proditor.

27. Reſpondeo 2. ſpeciatim. Omnia falſa ſunt, quæ objicit Batavus. Primo objicit, Joannem Huſſium, cui a Sigiſmundo Imperatore datus fuerat ſalvus conductus, contra datam fidem in Concilio Conſtantienſi combuſtum eſſe; falſum eſt, factum id eſſe contra datam fidem. Quod duplici argumento convincam. Unum eſt: Qui dat ſalvum conductum jure communi nihil aliud dat, quam ſecuritatem contra injuſtam violentiam, ſalva ſemper juſtitia, & juris executione, ut eſt communis Jureconſultorum regula, quam Saxones ex Carolina inſtitutione exprimunt ſub hac formula: *Damus tibi fidem publicam cauſam dicendi in judicio contra vim, non tamen contra juris executionem*. Et Patres Concilii Conſtantienſis ſeſſ. 6. *Ad quod a violentia, juſtitia ſemper ſalva, omnem ſalvum conductum noſtrum, quantum in nobis eſt, præſentium tenore offerimus*. At vero Sigiſmundus Imperator dedit Joanni Huſſio ſalvum conductum jure communi, quod negari non poteſt, ergo nihil aliud dedit, quam ſecuritatem contra vim injuſtam. Hanc autem præſtitit, quia nihil injuſte paſſus eſt Huſſius. Imo combuſtus eſt, inquis. Fateor, combuſtum eſſe, ſed non injuſte. Primo, quia Imperator, cum daret illi ſalvum conductum, ſub pœna capitis prohibuit illi fugam, at Huſſius contra hanc prohibitionem fuga elapſus eſt. Juſte igitur puniri potuit. Secundo, quia retractus a fuga noluit hæreſim abjurare. At leges Imperatoriæ pœnam capitis decernunt in hæreti-

reticos pertinaces, L. *quicunque*, C. de Hæreticis. Nulla ergo injuſtitia interceſſit.

28. Quid ad hæc Batavus? De hæreſi ſilet, & ſilendo conſentit. De fuga negat. At probi Authores affirmant, ut Campianus Martyr in rationibus Academicis, Nauclerus generat. 48. Cochlæus l. 2. Hiſtoriæ Huſſitarum, & alii plures. Imo ex adverſariis, Laurentius Humfredus in ſuo volumine, quod contra Campianum ſcripſit. Is, inquam, non ſolum fatetur fugam Huſſii, ſed etiam conatur excuſare dupliciter: Primo, quia Huſſius, inquit, videbat ſe obſervari a Patribus, & ſuſpectum haberi, ideoque cœpit de fuga meditari: Secundo, fugerunt eodem tempore tres Pontifices, Joannes, Benedictus, & Eugenius. Non ergo culpandus Huſſius, ſi & ipſe fugerit. Sane, ſi Humfredus putaſſet, Huſſium non fugiſſe, quid opus erat hac duplici excuſatione? Neutra tamen ſufficit. Non prior, quia Patres merito obſervabant illum, quem ſciebant palam profeſſum fuiſſe hæreſim in Bohemia, ne forte & Conſtantiæ virus ſuum proſeminaret. An ideo contra fidem fugiendum erat? Nec poſterior, quia culpa unius non poteſt patrocinari culpæ alterius. Fugerint ſane Pontifices, (de quo jam non diſputo) an propterea licuit Huſſio, contra pacta conventa impune fugere? Nullo modo.

29. At, inquis, in formula Concilii Conſtantienſis non legitur damnatus eſſe Huſſius propter fugam, ſed propter hæreſim. Quid tum? Poterat utroque titulo damnari. Patres Concilii judicabant ſufficere crimen hæreſis. Unde, quidquid ſit de fuga, iterum concludo, legitime damnatum eſſe Huſſium, ſalvo conductu non obſtante. Is enim legitime damnari poteſt, non obſtante ſalvo conductu, qui legitime convincitur de hæreſi, quam abjurare non vult; quia ſalvus conductus, qui jure communi datur, non impedit juſtitiam, & juris executionem: Atqui Huſſius fuit legitime convictus de hæreſi, quam abjurare non voluit: ergo potuit legitime damnari, non obſtante ſalvo conductu. Hic vertat ſe Batavus, quo vult, non ſalvabit Huſſium. An negabit pertinaces hæreticos damnari poſſe? At hoc decernunt leges Imperatoriæ. An Huſſium negabit fuiſſe pertinacem hæreticum? At pertinaciter docuit multas hæreſes. Docuit 1. Deum debere obedire Diabolo. 2. Si Epiſcopus, aut Sacerdos exiſtat in mortali peccato, non ordinare, non conficere, non conſecrare. 3. Nullum, qui ſit in peccato mortali, eſſe amplius Principem civilem, aut Prælatum Eccleſiaſticum. 4. Omnia de neceſſitate abſoluta evenire. 5. Illicita eſſe juramenta, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & civilia commercia. 6. Contra ſacram Scripturam eſſe, quod Eccleſiaſtici ha-

habeant poſſeſſiones. 7. Auguſtinum, Benedictum, Bernardum damnatos eſſe, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerint poſſeſſiones, & intrarint religioſum ſtatum. 8. Omnes ſtatus religioſos introductos eſſe a Diabolo. Has, & ſimiles hæreſes docuit Huſſius, ut refert Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. Cochlæus lib. 1. hiſtor. Huſſitarum, Sanderus lib. 7. Monarchiæ, & alii.

30. Atque hoc ſit primum argumentum contra Batavum defenſorem Huſſii. Alterum eſt: Si Huſſio fides violata eſſet, proculdubio vel ipſe aliquando, vel Hieronymus Pragenſis, vel certe Bohemi de hac re fuiſſent queſti: at nemo queſtus eſt unquam. Quis ergo credat, fidem illi eſſe violatam? Sane Huſſius, cum ad mortem duceretur, multa liberrime dixit in Eccleſiam Romanam, & ad Chriſtum ſupremum Judicem appellavit, ut acta ejus, quæ a diverſis ſcripta ſunt, teſtantur. At de fide violata ne verbum quidem feciſſe legitur. Similiter Hieronymus Pragenſis, qui aliquot diebus poſt Huſſium exuſtus eſt, publice quidem teſtabatur, Huſſium fuiſſe virum bonum, juſtum, ſanctum, & tali morte indignum; ſed contra fidem datam aliquid paſſum eſſe, nunquam meminit. Denique Bohemi Nobiles, qui impenſe favebant Huſſio, & ejus dogmata tuebantur, cum poſtea ad Concilium Baſileenſe oblato ſalvo conductu vocati eſſent, miſſa inſigni legatione, comparuerunt. Quis credat hoc facturos fuiſſe, ſi de fide Huſſio violata Catholicos ſuſpectos habuiſſent?

31. Poſſum idem confirmare ex Luthero, qui particularem articulum ſcripſit de Huſſio, a Leone X. inter cæteros damnatum, in quo tametſi mirifice laudet Huſſium a ſanctitate, & doctrina, nihil tamen attingit de ſalvo conductu violato. Ex his omnibus ita concludo: Si vel Imperator Catholicus, vel Patres Concilii Conſtantienſis contra fidem publicam egiſſent, aliquis ſaltem ex Adverſariis hoc probrum illis objeciſſet. Atqui nec Huſſius ipſe, nec Hieronymus Pragenſis, nec Bohemi Nobiles, nec Lutherus, qui omnes fuerunt hoſtes Catholicorum, quicquam illis objecerunt: ergo evidens ſignum eſt, nihil tale accidiſſe. Quid hic dicet Batavus?

32. De Huſſio ſatis. Alterum exemplum eſt de Hieronymo Pragenſi, quem etiam contra fidem datam combuſtum eſſe, objicit Batavus, ſed falſo, ut patet in hiſtoriis. Ex quibus hæc certa ſunt: Primo, Hieronymum non accepiſſe ſalvum conductum ab Imperatore Sigiſmundo. Ita Cochlæus l. 2. hiſt. Huſſit. Molanus lib. 3. de fide hæreticis ſervanda, c. 2. & alii. Secundo, citatum tamen a Conc. Conſtantienſi oblato ſalvo conductu, cum hac expreſſa clauſula, *Salva ſemper juſtitia*, ut habetur in eodem

Conci-

Concilio ſeſſ. 6. & paſſim apud alios Authores. Tertio, citatum comparuiſſe, diſputaſſe, convictum eſſe, hæreſim abjuraſſe. Patet ex eodem Concilio ſeſſ. 19. ubi ponitur formula abjurationis. Quarto, in hæreſim relapſum eſſe, fugiſſe, reductum eſſe, exuſtum eſſe. Ibid. ſeſſ. 21. & apud Coclæum, Molan. Campian. & alios. Hinc concludo, non eſſe illi fidem violatam. Primo, quia datus eſt illi ſalvus conductus cum hac clauſula: *Salva ſemper juſtitia*. Secundo, quia per fugam exſpiravit ſalvus conductus. Tertio, quia in hæreſim, quam abjuraverat, relapſus eſt.

33. Tertium exemplum eſt de Archiducibus Auſtriæ, quos ait Batavus contra pacta conventa, & jurata expuliſſe Barones, Nobiles, & alios ſubditos Evangelicos obedientes ex Auſtria ſuperiore, & Jeſuitas recepiſſe. Merum figmentum eſt, quod ante duodecim, & plures annos refutavi. Primo quidem, quia falſum eſt, Archiduces expuliſſe Barones, & Nobiles ex ſuperiori Auſtria, tempore Rodulphi Imperatoris. Expulerunt aliquos tantum Prædicantes; nullum Baronem, nullum Nobilem. Secundo, falſum eſt, id factum eſſe contra pacta jurata. Nunquam id probabit Batavus. Et ſane, cum id temporis ab eo ſciſcitatus eſſem, unde ſciret, Archiduces contra pacta jurata id feciſſe, primum quidem hæſit, ac tergiverſatus eſt, ac tandem omni alio præſidio deſtitutus, hoc reſponſum dedit: *Vobis Jeſuitis ſatis conſtat de Archiducum perfidia; nec opus eſt, ut a me inſtruamini*. Si hoc ſatis eſt, ſimili modo dicam millies contra pacta jurata feciſſe Batavum. Si quærat, unde ſciam? Eludam ſimili reſponſo; ipſi ſatis conſtare de ſua perfidia, nec opus eſſe, ut a me inſtruatur.

34. Quartum exemplum eſt de Hiſpanis, & Hollandis. Ait Batavus, omnes tractationes pacis in Belgio ab Hollandis quidem fuiſſe admiſſas, ſed ab Hiſpanis perfide ſemper abruptas; ſed ſuo ſe ore condemnat. Nam in eodem libello, in quo hoc objicit, diſerte ſcribit, Hollandos ante 24. annos, communi ordinum decreto, Hiſpanorum imperium in æternum abjuraſſe, ac proinde ab eo tempore cum Hiſpanis de pace tractare, aut paciſci nec voluiſſe, nec potuiſſe. Nunc quæro a Batavo, quomodo omnes pacis tractationes ab Hollandis admiſſæ ſint, ſi Hollandi ante 24. annos jurarunt, ſe cum Hiſpanis de pace tractare non velle? Aut quomodo eædem pacis tractationes ab Hiſpanis perfide abruptæ ſint, ſi cum iis de pace tractatum non eſt? Abeat Batavus cum ſuis mendaciis.

CA-

CAPUT XVI.

An Princeps Catholicus poſſit tolerare hæreticos in ſua provincia?

1. HÆc duo diſtinguenda ſunt. 1. An Princeps Catholicus poſſit concedere ſuis ſubditis, ut fiant hæretici, vel inducere hæreſim, vel introductam fovere, confirmare, approbare, vel quocunque alio modo in eam conſentire, aut poſitive cooperari? 2. An poſſit eam permittere, ſeu tolerare? Prius nullo modo licitum eſt, quia hæreſis eſt peccatum, & quidem majus peccatum, quam furtum, homicidium, adulterium; at Princeps nullo modo poteſt concedere ſuis ſubditis, ut committant furta, homicidia, adulteria, neque poteſt introducere hujuſmodi peccata, neque introducta fovere, confirmare, approbare, nec alio quocunque modo in ea conſentire, aut poſitive cooperari: ergo idem de hæreſi dicendum eſt. Nemo dubitat.

2. De poſteriori quæſtio eſt, quam hoc loco diſputamus, an ſcilicet Princeps Catholicus poſſit in ſua Provincia, ubi Catholici, & hæretici permixti ſunt, (ut in Auſtria) tolerare, ſeu permittere hæreſim, an vero teneatur eam impedire, & vi extirpare? Similis quæſtio eſt, an poſſit tolerare, ſeu permittere uſuras, meretrices, adulteria, blaſphemias? Et quidem, quod ad hæreſim attinet, aliqui putant (magis ex zelo, quam ex ſcientia) Principem in nullo caſu poſſe permittere hæreſim in ſua provincia; imo potius debere vitam, fortunas, & principatum amittere, quam hæreticos tolerare. Primo, quia nullo modo licitum eſt favere hæreticis, & qui favent, incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini: at tolerare, ſeu permittere hæreſim in ſua Provincia, eſt favere hæreticis: ergo nullo modo id licitum eſt. Secundo: Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, teſte Apoſt. Rom. 3. 8. At hæreſis mala eſt. ergo non licet eam tolerare, etiamſi aliquid boni inde eventurum ſit. Tertio, quia Reges Hebræorum, qui olim in ſuo regno permittebant idololatriam, graviſſime a Deo reprehendebantur, ut Roboam, Joram, & alii plures: ergo ſignum evidens eſt, hujuſmodi permiſſionem, ſeu tolerantiam Deo ingratam eſſe. Alii rectius ſentiunt, Principem in quibuſdam caſibus poſſe permittere hæreſim, in quibuſdam non poſſe. Utrumque per ſequentes Concluſiones explicandum eſt.

3. Prima Concluſio. Permiſſio peccati (ut hæreſis, furti, homicidii, adulterii, & ſimilium) duplex eſt. Una qua quis permittit fieri peccatum, & non impedit. Sic Deus permittit fieri omnia pecca-

peccata, quæ fiunt in hoc mundo, & non impedit. Si enim impediret, non fierent. Altera, qua quis permittit non ſolum fieri peccatum, ſed etiam impune fieri; ut ſi neque impediat, ne fiat, neque etiam puniat, quando factum eſt. Sic Princeps, & Magiſtratus ſolent permittere uſuras, & meretricia: quia neque impediunt, ne fiant, neque puniunt, quando facta ſunt. Nos hic potiſſimum agimus de priori permiſſione, quæ aliquando conjuncta eſt cum poſteriori, ut in hominibus: aliquando ſeparata, ut in Deo. Nam Deus permittit quidem fieri peccata, non tamen permittit impune fieri. Homines utroque modo ſæpe permittunt.

4. Secunda Concluſio. Permiſſio peccati, priori modo ſumpta, ex natura ſua neque bona, neque mala eſt, ſed indifferens, & ratione circunſtantiarum poteſt bene, vel male fieri. Nam Deus bene permittit peccata, quia ſi male permitteret, eſſet culpabilis: quod abſit. At homines aliquando bene, aliquando male permittunt, ratione bonæ, vel malæ circunſtantiæ, ut in progreſſu videbimus. Hinc ſequitur, permiſſionem peccati differre ab ipſo peccato. Nam peccatum ex ſe malum eſt, neque unquam bene fieri poteſt. At permiſſio peccati ex ſe indifferens eſt, & poteſt bene, vel male fieri. Unde Deus, tametſi poſſit permittere peccatum, ſicut re ipſa permittit, non tamen poteſt peccare. Et ſimiliter homines, tametſi aliquando licite permittant peccatum, nunquam tamen licite peccant. Vide Cajet. in 2. 2. qu. 10. art. 11.

5. Tertia Concluſio. Permiſſio peccati in tribus caſibus poteſt bene, ac licite fieri. Primo, quando fit majoris boni obtinendi cauſa. Secundo, quando fit majoris mali evitandi cauſa. Tertio, quando is, qui permittit peccatum, ideo permittit, quia non poteſt impedire. Duos priores modos expreſſe tradit D. Tho. in 2. 2. q. 10. art. 11. Tertius per ſe notus eſt.

6. Et quidem Deus permittit peccatum primo modo, non autem ſecundo, aut tertio. Non enim ideo permittit, ut ex permiſſione minoris mali evitetur majus malum, quod aliter evitari non poſſit; nullum enim malũ eſt, quantũvis magnũ, quod ſine permiſſione minoris mali evitare non poſſit; ſi velit. Nec ideo permittit, quia impedire nequeat. Poteſt impedire, quando vult. Cur ergo permittit, & non impedit? ideo permittit, ut majus bonum inde eliciat. Sic permiſit peccatum primi parentis, & ex ejus occaſione, præter alia bona, procuravit incarnationem Verbi, quod eſt excellentiſſimum bonum. Sic etiam permiſit peccatum filiorum Jacob, quod commiſerunt in fratrem ſuum Joſeph, quia ex ejus permiſſione ſecuta ſunt majora bona, ut faſſus eſt Joſephus coram fratribus ſuis, cum dixit Gen. 50. 20. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed*

ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, & ſalvos faceret multos populos. Idem de aliis aliorum peccatis dicendum eſt. Unde Auguſt. in Enchirid. cap. 27. *Melius enim judicavit de malis bene facere, quam mala nulla eſſe permittere.*

7. At homines non ſolum primo, ſed etiam ſecundo, & tertio modo poſſunt licite permittere peccatum. Et quidem primo modo Eccleſia permittit ritus Judæorum, qui nunc mali ſunt; quia ex eorum permiſſione majus bonum poteſt evenire. Nam illi ritus, ut Circumciſio, & Agnus Paſchalis, fuerunt in Veteri Teſtamento a Deo inſtituti, ut eſſent umbræ, ſeu figuræ Baptiſmi, & Euchariſtiæ. Quando ergo Judæi hoc tempore uſurpant circumciſionem, & eſum Agni Paſchalis, teſtantur Baptiſmum, & Euchariſtiam a Deo eſſe, quia fuerunt a Deo præfigurata per circuncifionem, & Agnum Paſchalem. Et hoc modo confirmant noſtram religionem, quod eſt magnum bonum.

8. Secundo modo Principes, & Magiſtratus permittunt lupanaria, & uſuras, tanquam minus malum, ad evitandum majus malum, ut recte notat Cajetanus, & alii. Nam ſi non permitterentur lupanaria, multæ honeſtæ Virgines, ac Matronæ venirent in apertum periculum pudicitiæ, & caſtitatis, juxta illud Auguſtini lib. 2. de Ordine, cap. 4. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Similiter ſi non permitterentur uſuræ, multa fierent furta, rapinæ, oppreſſiones pauperum, & his ſimilia incommoda. Et hic locum habet commune illud Theologorum axioma: Ex duobus malis, ſi utrumque vitari non poteſt, minus eligendum eſt. Quo utitur D. Thomas loco citato: Et ex eo probat, quod hoc loco probandum eſt, ritus gentilium, & hæreticorum, majoris mali evitandi cauſa, tolerari poſſe. Eodem utitur Cajetanus ibidem: Valentia tom. 3. diſput. 1. quæſt. 10. pun. 7. Molina tract. 2. de Jure, & Juſtitia diſp. 335. & alii paſſim. Et ratio eſt, quia in tali caſu non permittitur minus malum, quatenus malum eſt, ſed quatenus conducit ad evitandum majus malum, quod aliter evitari non poteſt: ac proinde eligitur ſub ratione boni utilis, ſeu conducibilis. Et hoc ipſa natura dictat. Nam qui timet, ne capiti vulnus infligatur, ſolet ex inſtinctu naturæ brachium objicere, quia mavult brachium, quam caput ſauciari: illud enim minus malum eſt, quam hoc.

9. Tertio modo, iidem Principes, & Magiſtratus permittunt quædam peccata ſubditorum, eo quod non poſſint, etiamſi velint, ea impedire. Sic Joſaphat initio regni permiſit idololatriam, cui populus erat addictus, quia non poterat impedire, 3. Reg. 22. 41. At poſtea, confirmato jam regno, cum & potentior, & audacior factus

factus eſſet, non amplius permiſit; ſed impedivit. 2. Paralip. 17. 5. Idem factum eſt in primitiva Eccleſia, quando multi erant Judæi, & Gentiles, & pauci Chriſtiani. Hi enim cogebantur tolerare illorum ritus, & ſacrificia, quia non erat modus impediendi. Et hoc modo Reges, & Principes coguntur tolerare quædam peccata in ſuis regnis, & provinciis, quæ per longam conſuetudinem irrepſerunt, & a majori parte vel magnatum, vel communitatis committuntur.

10. Ex dictis concludo, Principem Catholicum in tribus caſibus poſſe permittere, ſeu tolerare hæreſim in ſua civitate, vel provincia. Primo, quando non poteſt impedire. Secundo, quando ex permiſſione ſperatur majus bonum. Tertio, quando ex permiſſione evitatur majus malum, quod aliter evitari non poteſt. Aliquando concurrunt hi tres caſus, aliquando ſeparati ſunt. Singulos explicabo. Primus eſt, quando Princeps non poteſt impedire hæreſim; ut ſi in aliqua civitate, vel provincia ſint multo plures, & potentiores hæretici, quam Catholici: & ſint tam pertinaces, ut non poſſint, niſi vi coacti, ab exercitio cohiberi. Quid faciat tunc Princeps? Non poteſt eos vi cogere, quia non eſt ſatis potens, nec alius occurrit impediendi modus, cum ſint pertinaces. Igitur tolerandi ſunt, quamdiu aliter fieri nequit.

11. Secundus eſt, quando ex permiſſione ſperatur majus bonum; ut ſi Princeps Catholicus poſſet quidem vi coercere hæreticos, ſed tamen putet mitius agendum eſſe ex duplici capite. Primo, quia videt Catholicos, qui vivunt inter hæreticos, ex pia quadam æmulatione fieri quotidie ferventiores in ſua vita, ac religione, & non ſolum in moribus, & obſervatione mandatorum Dei proficere, ſed etiam magis, ac magis ad doctrinam fidei noſtræ explicandam, & propugnandam excitari. Secundo, ſi advertit etiam ipſos hæreticos ex illo Catholicorum fervore paulatim accendi, & Catholicis aggregari. Hæc bona non evenirent, ſi illi non tolerarentur. Tunc enim neque Catholici tam eſſent ferventes, neque hæretici reſipiſcerent, ſed quaſi vim paſſi fierent pertinaciores. De priori bono intelligendum eſt illud 1. Corin. 31. 19. *Oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*. Quem locum pulchre explicat S. Auguſtinus in libro de vera religione cap. 8. cum ait: *Sed quoniam veriſſime dictum eſt; Oportet multas hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant inter vos: utamur etiam iſto divinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent. Cum autem foris ſunt, plurimum proſunt, non verum dicendo,*

quod

quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpirituales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Eccleſia ſancta Dei probati viri, ſed manifeſti non fiunt inter nos, quamdiu imperitiæ noſtræ tenebris delectati, dormire malumus, quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos de ſomno excitantur. Utamur igitur etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, ſed ut Catholicam diſciplinam adverſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores, & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem revocare non poſſimus. De poſteriori bono videantur Interpretes in cap. 10. Danielis, de duobus Angelis inter ſe concertantibus, An Judæi deberent diutius manere in Perſide cum gentilibus? Alter afferebat, eo quod multi gentiles, qui vivebant inter bonos, ac ferventes Judæos, eorum exemplo converterentur ad cultum veri Dei.

12. Tertius eſt, quando ex permiſſione, ſeu tolerantia hæreſis evitatur majus malum, quod aliter evitari non poteſt; ut ſi Princeps Catholicus vellet quidem impedire, vel coercere hæreticos in ſua Provincia, ſed ſi tentaret, ipſi cum vicinis populis, ac Principibus hæreticis conſpiraturi eſſent, & impetu facto Catholicos oppreſſuri; tunc enim foret conſultius permittere, ſeu tolerare hæreticos permixtos cum Catholicis, quam cum tanto diſpendio, & jactura illos irritare. Recta ratio hoc exigit.

13. Extra hos tres caſus non poteſt Catholicus Princeps permittere, ſeu tolerare hæreticos in ſua provincia, vel civitate. Itaque peccant illi graviſſime, qui vel ex mera negligentia permittunt illos ſeorſim irrepere; vel qui ſpe lucri temporalis libenter eos tolerant, ut fieri ſolet in quibuſdam magnis Emporiis, ubi hæretici, & Turcæ, & Mauri tolerantur ratione mercaturæ; vel qui propter favorem, cognationem, affinitatem, aut ſimilem reſpectum humanum non volunt eos offendere, aut impedire: quod vitium late diffuſum eſt.

14. Supereſt una quæſtio, quæ præcedenti annexa eſt: An Princeps Catholicus non ſolum poſſit permittere, ſeu tolerare hæreticos, ſed etiam paciſci, ſeu permittere ſe permiſſurum, ſeu toleraturum? Reſpondeo: Poteſt. Ratio eſt, quia tunc poteſt aliquis licite promittere, quando rem licitam promittit, ſi aliunde nihil obſtet: ſed Princeps in tali caſu rem licitam promittit, ut oſtenſum eſt: promittit enim permiſſionem, ſeu tolerantiam hæreſis, quę in tribus ſupradictis caſibus eſt licita. Unde hæc regula ſervari debet: Quandocunque permiſſio, ſeu tolerantia alicujus mali licita eſt, tunc etiam promiſſio talis permiſſionis, ſeu tolerantiæ licita

cita

cita eſt. Quando autem permiſſio, ſeu tolerantia eſt illicita, tunc etiam promiſſio illius eſt illicita. Patet in ſimili. Nam ſi matrimonium inter Petrum, & Catherinam poteſt eſſe licitum, etiam promiſſio talis matrimonii poteſt eſſe licita: Et ſi non poteſt eſſe licitum matrimonium, ratione alicujus impedimenti, nec promiſſio poteſt eſſe licita. Ratio a priori eſt; quia honeſtas, vel turpitudo promiſſionis pendet ex honeſtate, vel turpitudine objecti, id eſt, rei promiſſæ.

15. Argumenta contraria, quæ initio capitis propoſita ſunt, ex dictis facile diluuntur. Primum eſt: Non licet favere hæreticis; ſed qui permittit, ſeu tolerat hæreticos, favet illis: ergo non licet tolerare, ſeu permittere. Reſpondeo: Major vera eſt, hoc ſenſu: Non licet favere hæreticis, quoad hæreſim. Minorem diſtinguo. Nam qui permittit, ſeu tolerat hæreticos ſine legitima cauſa, favet illis: Qui autem permittit, ſeu tolerat illos ob legitimam cauſam, non favet: Sic Deus permittit, & non favet.

16. Secundum eſt; Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. At hæreſis mala eſt: ergo non licet eam tolerare. Reſpondeo: Negatur conſequentia. Nam aliud eſt, facere malum: aliud permittere, ſeu tolerare malum. Verum eſt, non eſſe facienda mala, ut eveniant bona. Falſum eſt, non eſſe permittenda mala, ut eveniant bona. Poteſt ergo fieri duplex ſyllogiſmus. Prior: Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona: ſed hæreſis mala eſt: ergo non eſt facienda hæreſis, ut inde eveniat aliquod bonum. Totum concedo. Poſterior: Non ſunt toleranda mala, ut eveniant bona, ſed hæreſis mala eſt: ergo non eſt toleranda, ut eveniat bonum. Major falſa eſt. Nam Deus tolerat omnia mala, quæ fiunt in hoc mundo, ut eveniant bona, & tamen non peccat. Dabo exemplum quotidianum. Petrus non poteſt furari, ut det eleemoſynam: non poteſt mentiri, ut alteri proſit: non poteſt blaſphemare, ut recreet; quia qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Poteſt tamen permittere, ut alii iſta faciant, ſi habeat legitimam cauſam permittendi. Quamvis enim alii peccent faciendo, ipſe tamen non peccat permittendo.

17. Tertium eſt: Reges Hebræorum, qui in ſuo regno tolerabant idololatriam, graviſſime a Deo reprehenſi ſunt: ergo non licet tolerare idololatriam, ac proinde nec hæreſim. Reſpondeo ex dictis: Aliud eſt introducere, fovere, confirmare, & approbare idololatriam: aliud permittere, ſeu tolerare. Rurſum, aliud eſt permittere, ſeu tolerare ex legitima cauſa, aliud permittere, ſeu tolerare abſq; legitima cauſa. Igitur Reges Judæorum reprehenſi ſunt, quia aut introduxerunt idololatriam, ut Jeroboam,

tu: conſervarunt, ut Nadab, Baaſa, & alii plures; aut ſine legitima cauſa tolerarunt, ut Aſa: non autem, qui ex legitima cauſa tolerarunt, ut Joſaphat, de quo ſupra §. 9.

CAPUT XVII.

An Princeps, vel Magiſtratus poſſit Hæreticos propter ſolam hæreſim pœna capitis punire?

1. AFfirmant Calviniſtæ: negant Lutherani. Nos diſtinguimus. Duo enim ſpectari poſſunt in hæreſi. Primo, quod ſit peccatum. Et hoc illi commune eſt cum omnibus aliis peccatis. Secundo, quod perturbet pacem, & tranquillitatem Reipublicæ. Hoc non eſt illi commune cum omnibus, ſed tantum cum aliquibus; ut cum homicidio, furto, rapina, adulterio, rebellione, & ſimilibus. Priori modo non punitur à Magiſtratu pœna capitis; ſed poſteriori. Et quidem juſte. Quod dupliciter oſtendo.

2. Primo, quia in veteri Teſtamento pœna mortis affecti ſunt idololatræ, falſi Prophetæ, blaſphemi, inobedientes, & qui ſimilia peccata, quæ Rempublicam turbare ſolent, perpetraſſent. Nam Moyſes juſſit occidi multa millia Iſraelitarum, eò quod adoraſſent idolum vituli, & a reliquo populo receſſionem feciſſent. (Exod. 32. v. 27.) Similiter Helias interfecit Prophetas Baal. (3. Reg. 18. 40.) Idem fecit Jehu, (4. Reg. 10. 25.) Denique Mathathias trucidavit quendam Judæum ſacrificantem idolis. (1. Mach. 2. 24.) Neque ſolum uſitata fuit hæc pœna, ſed etiam à Deo præcepta. Lev. 20. 2. *Si quis dederit de ſemine ſuo Moloch, morte moriatur.* Et cap. 24. 16. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Et Num. 25. 5. *Occidat unuſquiſq; proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor.* Et Deut. 13. 6. *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus, ut ſervias Diis alienis, ſtatim interficies.* Et cap. 17. 12. *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto Judicis, moriatur homo ille.* Hinc concludo, ſi in veteri Teſtamento juſtè ſtatuebatur pœna capitis in idololatras, & apoſtatas a fide, etiam in novo Teſtamento ſtatui poſſe in hæreticos, quatenus communis concordiæ Chriſtianæ turbatores ſunt.

3. Secundo, Hæretici: præſertim pertinaces, de quibus propriè hic agimus, non minus perturbant pacem, & tranquillitatem reipublicæ, quam homicidæ, fures, raptores, adulteri: At hi juſte puniuntur pœna capitis, ut omnes boni fatentur: ergo & illi puniri poſſunt. Dices: non eſt par ratio. Nam homicidæ, fures, adulteri turbant pacem politicam, & ideo puniuntur a

Ma-

Magiſtratu politico. At hæretici non turbant pacem politicam, ſed tantum Eccleſiaſticam, & ideo non debent puniri a Magiſtratu politico pœna corporali, ſed tantum ab Eccleſiaſtico pœna ſpirituali. Reſpondeo. Hæretici turbant utramque pacem. Primo quidem, ac per ſe pacem Eccleſiæ; quæ conſiſtit in unitate fidei, Epheſ. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.* Deinde conſequenter pacem reipublicæ, quæ ſine unitate fidei conſervari non poteſt. Ubi enim eſt publica animorum diſſenſio, quam introducunt hæretici, ibi pax publica eſſe non poteſt.

4. Hoc teſtatur Chriſtus, cum ait: *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.* Teſtantur exempla hæreticorum. Quas turbas toto Oriente excitarunt Arriani? Quas in Græcia Macedoniani; Quas in Africa Donatiſtæ, & Circumcelliones? (de quibus Auguſtin. ep. 68. ad Januarium Donatiſtam) Quas in Imperio Romano Iconomachi, & Albigenſes? Huſſitæ in Bohemia? Calviniſtæ in Anglia, Gallia, Belgio, Polonia? Lutherani in Germania, tempore belli ruſticorum? Taceo præſentes rebelliones, & conſpirationes, quæ omnibus notæ ſunt.

5. Et quid mirum? Nulla unquam familia fuit, in qua diſſentiens religio pacem non turbarit. Exemplo ſit diſcordia inter Iſaac, & Iſmaelem in familia Abrahæ: inter Jacob, & Laban, in Meſopotamia: inter Moyſen, & uxorem ejus Sephoram, dum proficiſcerentur in Ægyptum. Quomodo ergo in toto Regno, Provincia, civitate pax, & concordia ſperari poteſt, ubi religionis, ac fidei ſumma diſcordia? Certe non poteſt. Nam ubi hæreſis, ibi ſuperbia; ubi ſuperbia, ibi diſſenſio. Hinc infero: cum hæretici ſuperbi ſint, ſane ſi a nobis diſcrepant in Sacramentorum adminiſtratione; ſi Templa, & Monaſteria noſtra evertunt; ſi altaria, & imagines deſtruunt; ſi Epiſcopis, & Clero illudunt; ſi ritus, & ceremonias contemnunt; ſi ſacrificia, jejunia, & dies feſtos execrantur; quomodo in rebus politicis concordiam, & pacem nobiſcum ſervare poſſunt? id præter conſuetudinem, & ingenium illorum eſt. Qui olim conjunctiores, quam Judæi, & Iſraelitæ? At poſtquam altare contra altare, templum contra templum erectum eſt, mox inexpiabili diſſidio diſſecti, & diſſociati ſunt.

6. Nunc repeto argumentum, quod poſui ſub hac forma. Hæretici magis perturbant pacem Chriſtianam, quam homicidæ, fures, adulteri: at hi juſte puniuntur pœna capitis: ergo magis illi. Major probata eſt, quia pax Chriſtiana eſt duplex: una Eccleſiaſtica, quæ conſiſtit in unitate fidei Sacramentorumve: altera politica, quæ conſiſtit in externa juſtitia, & tranquillitate. Utramque turbant hæretici; alteram tantum homicidæ, fures, a-

dulteri. Ergo illi pernicioſiores ſunt, quam hi. Videamus nunc, quid contra hanc doctrinam poſſit objici.

7. Primo objicitur illud Iſa. 11. v. 9. *Non occident in univerſo monte ſancto meo*, ideſt, in Eccleſia. Ubi Propheta prædicit doctrinam Euangelii propagandam in Eccleſia ſine cæde, & ſanguine. Reſpondeo: Senſus Prophetæ pendet ex verbis præcedentibus, quæ ſic habent: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Ubi loquitur de venturo Chriſto. Quid autem futurum ſit tempore Chriſti, ſic explicat: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos*: Et paulo poſt: *Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes*: Ubi per animalia metaphorice intelligit homines; quorum alii gentiles, alii Judæi ſunt: alii feroces, alii manſueti. Eſt ergo hic ſenſus: Gentiles, qui nunc inſtar luporum, pardorum, ac leonum barbari, ac feroces ſunt, veniente Chriſto, deponent feritatem ſuam, & cum manſuetis complectentur eandem Chriſti fidem, ac in eadem Chriſti Eccleſia ſub iiſdem legibus, ac inſtitutis habitabunt. Neque tunc amplius ex gentili feritate, & barbarie perſequentur veros Dei cultores, ſicut hactenus fecerunt Syri, Chaldæi, Ægyptii; ſed erit una omnium fides, & unus animus. Quod etiam factum eſt, juxta illud Act. 4. v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.*

8. Hæc prædictio non obſtat, quominus Chriſtiani non quidem ex feritate, & barbarie, ſed ex zelo fidei, & juſtitiæ Chriſtianę poſſint coercere, &, ſi opus ſit, interficere hæreticos, qui fidei, & pacis Chriſtianę turbatores ſunt. Alioqui etiam obſtaret, quominus poſſint coercere, & interficere homicidas, fures, adulteros, qui juſtitiam, & tranquillitatem Reipublicę perturbant. Nota. Hæc duo poſſunt ſimul conſiſtere. 1. Gentiles ad fidem converſi non occident Judæos ad fidem converſos, ratione fidei, quæ erit una, eademq; utrorumq; 2. Chriſtiani, qui habent zelum fidei, & juſtitiæ Chriſtianę, occident publicos fidei, & juſtitię perturbatores. Alterum alteri non repugnat. Nec ex priori poteſt inferri oppoſitum poſterius.

9. Secundo objicitur parabola zizaniorum, Matt. 13. 29. ubi ſervi quærebant ex patrefamilias, an deberent colligere zizania ex medio tritici? Et reſpondit illis: *Non; ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul & triticum. Sinite utraq; creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania*, &c. Ubi per zizania intelliguntur hæretici, per triticum Catholici, per meſſem dies Judicii, per meſſores Angeli. Vult ergo Chriſtus per hanc parabolam ſignificare, hæreticos non eſſe eradicandos,

ſed

ſed ſimul cum Catholicis in eodem agro, ideſt, in eadem Eccleſia relinquendos, uſque ad diem judicii. Reſpondeo. Hic aliqua notanda ſunt. Primum eſt quod per zizania non ſoli hæretici, ſed omnes mali intelligantur; ſicut per triticum, vel bonum ſemen intelliguntur omnes boni. Sic explicat Chriſtus, cum ait: *Bonum ſemen ſunt filii Regni: zizania autem filii nequam*. At non ſoli hæretici, ſed omnes mali ſunt filii nequam. Ergo.

10. Alterum eſt, quod ſermo ſit de bonis, & malis, non quocunque modo, ſed de iis, qui tales perſeverant uſque ad finem vitæ. Nam qui ad tempus mali ſunt, & poſtea bene moriuntur, non ſunt zizania, ſed triticum. Et ſimiliter qui ad tempus boni ſunt, & poſtea male moriuntur, non ſunt triticum, ſed zizania. Quod etiam explicat Chriſtus. Nam mali, qui intelliguntur per zizania, *mittentur in caminum ignis*. Et boni, qui intelliguntur per triticum, *fulgebunt, ſicut ſol, in regno Patris eorum*. Quod non poteſt dici niſi de bonis, & malis, qui bene vel male moriuntur. Illi enim vel cœlo, vel inferno deſtinati ſunt.

11. Tertium eſt, quod nobis in hac vita certo non conſtet, qui bene, & qui male morituri ſint, ac proinde non conſtet, qui ſint zizania, & qui triticum. Hoc primum conſtabit in die judicii, quando Angeli ſeparabunt bonos a malis. Et hæc cauſa eſt, cur Chriſtus non velit, ut in hac vita eradicemus zizania. Cum enim inter zizania, & triticum non poſſimus diſcernere, facile contingeret, ut, cum putaremus nos eradicare zizania, eradicaremus triticum.

12. Quartum eſt, quod eradicare zizania nihil aliud ſit hoc loco, quam judicare, qui ſint mali, & damnandi, & ex tali judicio eos a cœtu bonorum excludere, & ſeparare. Et hoc eſt, quod prohibet Chriſtus, ne erremus: Sicut etiam Apoſtolus 1. Cor. 4. 5. *Nolite ante tempus judicare, quoaduſque veniat Dominus* (nempe in die judicii) *qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. Eodem ſpectat illud 2. Tim. 2. 19. *Cognovit Dominus, qui ſunt ejus*. q. d. alii non cognoſcunt.

13. Hinc patet, hæc duo valde diſtingui. 1. Non licet nobis in hac vita eradicare zizania. 2. Non licet nobis in hac vita occidere hæreticos, fures, homicidas, adulteros. Hoc licet, illud non licet. Ratio eſt, quia Reges, & Principes acceperunt a Deo jus gladii, ut puniant malefactores, quos conſtat tales eſſe; (Rom. 13.) Hoc autem poteſt illis conſtare. At nemo accepit a Deo jus, ſeu poteſtatem excludendi eos ab aliorum cœtu, qui morituri ſunt in ſtatu peccati, & mittendi in caminum ignis. Nemini enim conſtat, quinam illi ſint.

 14. Ter-

14. Tertiò objicitur illud Luc. 9. 54. *Domine, vis, dicimus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? Et converſus increpavit eos, dicens: neſcitis, cujus ſpiritus eſtis: Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Ubi Chriſtus reprehendit Apoſtolos, qui ad exemplum Heliæ volebant Samaritanos igne conſumi, & eo quod non reciperent Chriſtum. q. d. Alius fuit ſpiritus legalis, qui conſiſtebat in ſeveritate: alius eſt ſpiritus Euangelicus, qui conſiſtit in manſuetudine. Hunc debetis imitari, non illum. Heliæ licuit, igne de cœlo miſſo, conſumere adverſarios, vobis non licet. Vos alium ſpiritum debetis habere, quam ille habuit.

15. Reſpondeo: Chriſtus non loquitur generatim de ſpiritu Euangelico, quaſi ille excludat omnem ſeveritatem, ſed loquitur ſpeciatim de eo ſpiritu, quo ipſe volebat Euangelium primo inſinuare, quod antea erat incognitum. Non volebat id facere per externam violentiam, ſicut Tyranni ſolent occupare nova regna, ſed per manſuetudinem, & doctrinam, & miracula, ſicut prædictum erat ab Iſaja c. 35. 5. & c. 61. 1. Hinc non ſequitur, Euangelium, poſtquam ſemel inſinuatum, & promulgatum eſt, non poſſe, aut debere ſpiritu ſeveritatis defendi, & conſervari. Poteſt, & debet. Ipſimet Apoſtoli non ſemel hoc ſpiritu ſeveritatis uſi ſunt. Petrus quidem, quando Ananiam, & Sapphiram occidit. (Act. 5. 4.) Paulus vero, quando Corinthium tradidit Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret. (1. Cor. 5. 5.) Et quando Elymam magum excæcavit, eo quod vias Domini pervertere non deſiſteret. (Act. 13. 11.) Et quando ſcripſit ad Corinthios: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* (1. Cor. 4. 21.) Imo Chriſtus ipſe, quando flagello ejicit ementes, & vendentes de Templo. (Luc. 19. 45.)

16. Quarto objicitur illud Apoſt. ad Titum 3. 10. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt.* Ubi notanter dixit, *Devita*, non autem *occide*. Reſpondeo: Verum eſt, quia non ſcribebat Principi Politico, qui gladio corporali, ſed Epiſcopo, qui gladio ſpirituali, ideſt, excommunicatione debeat uti. Hoc enim ſignificat verbum, *Devita*, Græce eſt παραιτȣ. ideſt, rejice, averſare. Eodem ſenſu ſcribit 1. Cor. 5, v. 13. *Auferte malum ex vobiſmetipſis*. Et 2. Theſſ. 3. v. 14. *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Potuiſſet nihilominus Titus Epiſcopus hæreticum pertinacem, & a ſe excommunicatum tradere Principi ſeculari, ut ab eo interficeretur. Id tamen factum non eſt, quia tunc temporis nulli erant Princi-

pes

pes Chriſtiani, quibus hoc tuto committi potuiſſet; ſed tantum ethnici, ut paulo poſt dicturi ſumus.

17. Quinto objicitur: Fides debet eſſe libera: ergo nullus ad eam cogendus eſt. Reſpondeo: Fides duplici ſenſu poteſt dici libera. Primo, quoad internum aſſenſum, ſeu actum credendi. Secundo, quoad externum exercitium. Priori modo libera eſt, quia Princeps non poteſt cogere ſubditos ad internum actum credendi. Poſteriori non ſemper eſt libera, quia Princeps ad conſervandam pacem, & unitatem in Republica, poteſt prohibere exercitium hæreticum; & eos punire pœna capitis, qui non obſequuntur. Nam ubi ſunt contraria exercitia fidei, ac religionis, non poteſt ſervari pax, & concordia inter ſubditos.

18. Sexto objicitur: In primitiva Eccleſia hæretici non puniebantur pœna corporali. Reſpondeo: Ratio puniendi hæreticos mutata eſt pro neceſſitate temporis. In primitiva Eccleſia non puniebantur pœna corporali, quia Eccleſia non poterat hoc facere propter potentiam infidelium, & paucitatem Chriſtianorum. Imo judicabat non expedire propter ſcandala, quæ tunc facile potuiſſent oriri. Poſtea paulatim puniti ſunt: Nunc exilio, L. *Arriani*, C. de Hæreticis: Nunc multa pecuniaria, L. *cuncti hæretici*, ibidem: Nunc amiſſione omnium bonorum, L. *Manichæi*. Tandem etiam propter nimiam ipſorum inſolentiam, & pœnarum iſtarum contemptum, acceſſit pœna capitis, quam Valentinianus, & Marcianus decreverunt, L. *Quicunque*, eodem Codice. Vide Auguſt. Epiſt. 50. ad Bonifacium, paulo ante medium, ubi eandem objectionem poponit, & ſolvit.

CAPUT XVIII.

An Princeps, vel Magiſtratus poſſit Judæos tolerare in ſua Civitate, vel Provincia?

1. TRia ſpectari poſſunt in Judæis: Primo ſecta, & exercitium Judaicum. 2. Uſura. 3. Odium in Chriſtianos. Hæc omnia mala, & prohibita ſunt. Eſt ergo quæſtio, An Princeps, vel Magiſtratus poſſit hæc mala permittere, aut tolerare: Et quæ poſſit eſſe legitima cauſa permittendi, & tolerandi? Reſpondeo per ſequentes concluſiones.

2. Prima Concluſio: Magiſtratus poteſt permittere ritus, & exercitia Judæorum, ſi adſit ſufficiens cauſa. Hoc facit Pontifex Romæ, & multi Principes in ſuis Provinciis. Cauſa poteſt eſſe triplex: Prima, ut per ritus Judaicos adumbretur, & confirmetur

veritas Chriſtiana. Hanc cauſam approbant D. Auguſtinus lib. 18. de civitate Dei, cap. 46. & D. Thomas in 2.2. q. 10. art. 11. Altera, ut Judæi, qui exercent ſuos ritus, & intelligunt a Chriſtianis, inter quos habitant, ritus illos fuiſſe tantum umbras, & figuras Chriſtianæ religionis, facilius convertantur ad fidem Chriſti. Hanc etiam approbat D. Tho. loc. cit. Tertia, ut Principes, vel Magiſtratus Chriſtiani ſub prætextu permiſſionis poſſint accipere pecunias, & alia munera a Judæis, quibus permittunt exercitium. Hoc non licet. Nam peccata publica, quibus offenditur Deus, non poſſunt permitti propter ſolum lucrum temporale, quod ex permiſſione ſperatur.

3. Secunda Concluſio. Magiſtratus poteſt permittere uſuras Judæorum, ſi adſit ſufficiens cauſa. Hoc etiam facit Pontifex, & alii Principes Chriſtiani. Cauſa poteſt eſſe duplex. Una, ad impediendum majus malum. Si enim, ut ſupra dixi, non permitterentur uſuræ, multa fierent furta, rapinæ, oppreſſiones pauperum, & his ſimilia incommoda. Igitur ad hæc mala evitanda permitti poſſunt uſuræ, tanquam minus malum. Altera, ut Principes, & Magiſtratus Chriſtiani, qui permittunt uſuras Judæorum, ſint participes lucri. Hoc non licet. Nam certum eſt uſuras jure naturali, ac divino prohibitas eſſe, & lucrum, quod per uſuras acquiritur, eſſe merum furtum. Sicut ergo peccant Judæi contra juſtitiam accipiendo lucrum uſurarium; ita peccant Chriſtiani, qui ſunt participes illius lucri. Cenſentur autem eſſe participes, quando eo fine permittunt uſuras, ut poſſint inde lucrum percipere.

5. Hæc concluſio dupliciter limitanda eſt. Primo, quod permitti poſſint uſuræ communes, quæ non excedant lucrum a lege, & conſuetudine permiſſum, non autem uſuræ exorbitantes, de quibus paulo poſt. Secundo, quod Magiſtratus Chriſtianus non poſſit ex uſuris percipere lucrum propter ſolam permiſſionem uſurarum, licet poſſit alio titulo percipere. Et quidem duplici. Primo, titulo punitionis, quia poteſt punire Judæos propter uſuras, & lucrum, quod ex uſuris injuſte acquiſitum eſt, vel reſtituere ſuis Dominis, vel in publicam utilitatem convertere. Deinde titulo exactionis, quia poteſt exigere a Judæis annuum tributum, ſeu vectigal, non ratione permiſſionis uſurarum, ſed ratione conceſſæ habitationis in loco Chriſtiano

5. Tertia Concluſio. Magiſtratus, vel Princeps Chriſtianus non poteſt bona conſcientia permittere, aut impunitum relinquere odium Judæorum in Chriſtianos. Nota. Duplex eſt odium, Alterum internum, quod, cum occultum ſit, Magiſtratus punire non poteſt. Alterum externum, quod erumpit in apertam inju-

injuriam. Hoc a Magiſtratu coerceri debet. Dicimus ergo, hujuſmodi odium, quando a Judæis in Chriſtianos exercetur, nullo modo permitti, aut tolerari poſſe, ſed ſevere puniendum eſſe: & Principem graviter peccare, ſi delinquentes non puniat. Ratio eſt, quia Princeps ex officio tenetur punire omnem injuriam publicam, ſi poteſt, ut juſtitia conſervetur: ergo etiam tenetur punire injuriam, quam Judæi committunt in Chriſtianos. Quæ ſane multiplex eſt: Primo, quia exigunt immoderatas, & intolerabiles uſuras a civibus, & ruſticis, & pauperibus. Quidquid autem exigunt ultra ſortem, furtum eſt. Intolerabile ergo furtum committunt. Secundo, exigendo hujuſmodi uſuras plurimum nocent Reipublicæ, ſeu Communitati. Non enim poteſt ſtare, aut florere Reſpublica, quando populus uſuris oppreſſus, & exhauſtus eſt. Tertio, præter uſuras accedit alia injuria. Nam quidquid in foro venale eſt, hoc Judæi præripiunt Chriſtianis, offerendo majus pretium venditoribus, quam alii emptores offerre ſolent: ac poſtea, quod iniquiſſimum eſt, coguntur Chriſtiani duplum pretium dare Judæis, ſi velint emere, quæ ad familiam alendam neceſſaria ſunt. Quarto, ut hæc omnia impune faciant, diſtribuunt munera Officialibus principum, ut ab ipſis protegantur. Quinto, hinc fit, ut populus, qui ægre fert hujuſmodi injurias, pronus ſit ad ſeditionem concitandam tum in ipſos Judæos, tum in eorum defenſores, ac patronos: in Judæos quidem, quia fures, & expilatores ſunt: in patronos, quia ſunt ſocii furum, & expilatorum. Hæc tanta mala, (ut reliqua diſſimulem) ſi Princeps, aut Magiſtratus non impedit, vel punit, particeps eſt ſceleris, & ad reſtitutionem tenetur. Poteſt autem tripliciter impedire. Primo, ſi Judæos omnino expellat ex ſua provincia, vel civitate. Secundo, ſi non expellat quidem, ſed cogat eos ad agriculturam, vel ad artes mechanicas, vel ad alia opera exercenda, nec patiatur eos in otio, & luxo vivere, ſicut jam vivunt. Tertio, ſi privet eos omnibus pecuniis, ac divitiis, quas per uſuram acceperunt. Utinam hæc in praxim deducantur.

6. Dices, ſi Judæi vel expellantur, vel uſuras non accipiant, ſequentur duo incommoda. Primo, quod Principes Chriſtiani tempore neceſſitatis non habebunt pecuniam pro bello. Hanc enim ſolent petere a Judæis. Deinde ſubditi Principum, qui egent pecunia, non poterunt mutuo accipere. Reſpondeo: Contrarium ſequitur. Primo, quia, expulſis Judęis, plus præſidii conferre poterunt cives, quam Judęi ſolent. Nam quidquid Judęi conferunt, hoc per injuſtas uſuras accipiunt a civibus: neq; hoc ſolum, ſed etiam quidquid ipſis ad vitam ſuſtentandam neceſſarium eſt.

Ac-

Accipiunt igitur a civibus duas portiones, unam, quam dant Principi, alteram, qua ſe alunt. Certe, ſi expellerentur Judęi, cives parati eſſent vel utramque portionem dare ſuo Principi, vel certe non minorem, quam Judæi dant. Deinde ſubditi Principum magis egent pecunia præſentibus Judæis, quam abſentibus. Nam illis præſentibus, & intolerabiles uſuras exigentibus, penitus exhauriuntur. Si abeſſent, aut certe immoderatas uſuras non exigerent, ſubditi minus exhaurirentur, ac proinde minus indigerent pecunia. De hac materia fuſe ſcripſit noſter Adamus Contzen in ſuis Politicis.

CAPUT XIX.

An Reges, & Principes habeant Primatum Eccleſiæ?

1. HÆc quæſtio diſputatur propter Sereniſſimum Angliæ Regem Jacobum, qui in ſua Apologia pro juramento fidelitatis & in monitoria præfatione ad Imperatorem, Reges, & Principes conatur oſtendere, ſe in Anglia, & unumquemque Regem in ſuo Regno eſſe Caput, ſeu Primatem Eccleſiæ; Epiſcopos, & Pontificem non modo in temporalibus, ſed etiam in Eccleſiaſticis rebus inferiores eſſe Rege, ac Principe ſæculari. Hunc Regis Primatum confirmat Sacellanus ipſius in libro, qui inſcribitur *Tortura torti*; jure, an injuria, deinceps inquirendum eſt.

2. Sed ne confuſio oriatur, ſtatus controverſiæ prius explicandus, & certa ab incertis ſecernenda ſunt. Ac primo non diſceptamus de primatu in temporalibus. Illum quiſque Rex in ſuo Regno legitime habet. De primatu Eccleſiæ, ſeu de poteſtate Eccleſiaſtica tota lis eſt. Solet autem diſtingui triplex poteſtas Eccleſiaſtica: Una ordinis, altera juriſdictionis interioris, tertia juriſdictionis exterioris. Prima refertur ad Sacramenta conficienda, & miniſtranda: ſecunda ad regendum populum Chriſtianum in foro conſcientiæ, tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori. Igitur ad poteſtatem Ordinis ſpectat, Baptiſmum, & ſacros Ordines conferre, Euchariſtiam conficere, & miniſtrare, Chriſma, & oleum infirmorum benedicere. Ad poteſtatem juriſdictionis interioris, jus dicere in foro conſcientiæ, ideſt abſolvere, vel ligare. Ad poteſtatem juriſdictionis exterioris, Synodum convocare, & in ea præſidere, conſtitutiones condere, cauſas audire, & cognoſcere, controverſias dirimere, beneficia conferre, miniſtros

Ec-

Eccleſiæ conſtituere, delinquentes excommunicare: uno verbo, omnium cauſarum, & controverſiarum, quæ ad fidem, & religionem pertinent, judicem agere.

3. Quando ergo quæritur, an Rex Angliæ in ſuo Regno habeat Primatum Eccleſiæ? debet ſic intelligi: An habeat triplicem illam poteſtatem excellentiori modo, quam Epiſcopi, & Pontifex? Vel, quod idem eſt, an triplici illa poteſtate ſupra Epiſcopos, & Pontificem collocandus ſit?

4. Duo certa ſunt, unum in controverſia. Primo certum eſt, Regem non vindicare ſibi poteſtatem Ordinis; & multo minus in ea ſuperiorem eſſe Epiſcopis, & Pontifice. Non enim ordinatus, & conſecratus eſt ad ſacramenta conficienda, & miniſtranda, ut per ſe conſtat. Nec in hoc genere ſupra Epiſcopos, & Pontificem collocari vult. Novit enim, quid in ſimili cauſa dictum ſit Oziæ Regi, 2. Paralip. 26. verſ. 18. *Non eſt tui officii, Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, qui conſecrati ſunt ad hujuſmodi miniſterium.*

5. Secundo, æque certum eſt, non habere poteſtatem juriſdictionis interioris, quæ in abſolvendo, & ligando conſiſtit: non enim Regibus, ſed Apoſtolis, & Sacerdotibus dictum eſt: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

6. Tota ergo controverſia verſatur circa poteſtatem juriſdictionis exterioris: An eam Rex habeat in ſuo Regno, & quidem ſupra Epiſcopos, & Pontificem? ideſt: An Rex ſit ſupremus Judex Eccleſiaſticus, qui ſua authoritate a nullo alio in terris dependente poſſit convocare Synodos, iis præſidere, controverſias circa fidem, & religione dirimere, beneficia conferre, Epiſcopos conſtituere, & deponere, & ſimiles actus religionis exercere? Hoc enim eſt habere primatum in Eccleſia quoad gubernationem exteriorem. Ut autem diſtincte examinetur hæc quæſtio, hoc ordine precedendum eſt.

1. An Rex jure naturali habeat Primatum Eccleſiæ?
2. An jure divino veteris Teſtamenti?
3. An jure divino novi Teſtamenti?
4. An jure civili, vel canonico?
5. An conſenſu doctorum hominum?
6. An titulo præſcriptionis?
7. An ſecundum principium ſuæ doctrinæ?
8. Si Rex non habet Primatum Eccleſiæ, quodnam illius officium circa Eccleſiam ſit?

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Rex jure naturali habeat Primatum Eccleſiæ?

1. NE ipſe quidem auſit hoc affirmare. Et ratio eſt evidens. Nam ſtatus politicus, ſeu civilis ex natura rei diſtinctus eſt ab Eccleſiaſtico, ſeu ſpirituali; ergo ex natura rei habet diſtinctum tribunal, & judicium: ergo jure naturali neceſſe non eſt, ut qui præeſt uni, præſit etiam alteri. Ergo Rex ex eo præciſe, quia juriſdictionem habet in tribunali politico, non habet etiam ex natura rei in Eccleſiaſtico: Sicut viciſſim Epiſcopus, qui habet juriſdictionem in foro Eccleſiaſtico, non habet ex natura rei in temporali. Nihil certius. Ut tamen res melius explicetur, adjungendæ ſunt duæ concluſiones.

2. Prior Concluſio. In Republica Chriſtiana duplex eſt poteſtas publica: Una temporalis, ſeu politica: Altera ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſtica. Ratio eſt, quia duplex finis Chriſtiano homini propoſitus eſt, ad quem debet pertingere: Unus naturalis, qui eſt pax, & tranquillitas Reipublicæ: alter ſupernaturalis, qui eſt æterna beatitudo. Ad hos fines debet pervenire per diverſa media, quæ ſint illis proportionata. Hujuſmodi autem media invenire, & præſcribere Communitati non eſt cujuſvis, ſed ejus, qui ſupra alios poteſtatem habet. Itaq; duplex debet eſſe poteſtas publica, una temporalis, ſeu politica, quæ præſcribat media neceſſaria ad finem naturalem: altera Eccleſiaſtica, ſeu ſpiritualis, quæ præſcribat media neceſſaria ad finem ſupernaturalem. Loquor autem de poteſtate publica, ut excludam privatam, qualis eſt parentum in filios, virorum in uxores, & dominorum in ſervos.

3. Poſterior Concluſio. Hæ duæ poteſtates publicæ in multis differunt, ut facile ex dictis colligi poteſt: Primo ex parte finis, & mediorum: quia politica reſpicit finem, & media naturalia, Eccleſiaſtica vero ſupernaturalia. Secundo ex parte cauſæ efficientis, quia politica poteſt alicui tribui, vel immediate a Deo, quo pacto tributa eſt Moyſi, Joſue, Sauli, David: vel a Communitate, quo pacto tribuitur Regi Poloniæ, qui eligitur a Senatu; vel jure ſucceſſionis, quo pacto in Hiſpania, Gallia, Anglia filii ſuccedunt parentibus in regimine; vel jure belli, quo pacto Rex unius regni laceſſitus a Rege alterius regni poteſt juſto bello ſe vindicare, & regnum illius invadere. Secus eſt de poteſtate Eccleſiaſtica. Cum enim ſupernaturalis ſit, non poteſt tribui, niſi a ſolo Deo, præſertim ſi ſermo ſit de ſuprema, de qua hic agimus.

Ter-

Tertio differunt ratione dignitatis. Nam Eccleſiaſtica nobilior, & excellentior eſt, quam politica. Unde Innocent. III. cap. *Solitæ*, De majoritate, & obedientia, comparat has duas poteſtates duobus luminaribus firmamenti, Soli, & Lunæ: & dicit, Eccleſiaſticam eſſe luminare majus, quod præeſt diei ſpiritualium; politicam luminare minus, quod præeſt nocti temporalium. Et hoc indicat Chriſtus, cum ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, q. d. Poteſtas, ſeu juriſdictio temporalis eſt de hoc mundo: at ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſtica eſt de cœlo. Ergo nobilior eſt. Et Chryſoſt. hom. 4. de verbis Iſaiæ: *Hoc regnum illo majus eſt; Regi ea, quæ hic ſunt, commiſſa ſunt; Sacerdoti cæleſtia.*

4. Ex dictis duo colligimus: Unum eſt, quod hæ duæ poteſtates ex natura rei inter ſe diſtinctæ ſint, & ab invicem ſeparari poſſint. Nulla enim poteſt eſſe naturalis connexio inter poteſtatem naturalem, & ſupernaturalem. Unde ſi homo creatus eſſet a Deo in ſtatu puræ naturæ, & ad ſolum finem naturalem, (quod fieri potuit) nulla fuiſſet poteſtas ſupernaturalis, ſeu Eccleſiaſtica, qualis nunc eſt: ac proinde civilis, ſeu politica fuiſſet reipſa ſeparata ab Eccleſiaſtica. Nunc etiam in ſtatu gratiæ, in quo utraque poteſtas locum habet, una fuit in Chriſto ſine alia. Nam Chriſtus habuit Primatum in Eccleſia; non tamen in Republica Civili, & temporali, ſaltem quoad uſum.

5. Alterum eſt, quod hæ duæ poteſtates, cum ex natura rei diſtinctę, & ſeparatę ſint, non niſi jure divino, vel humano conjungi poſſint. Igitur deinceps inquirendum eſt, an Rex Angliæ, qui titulo ſucceſſionis habet ſupremam poteſtatem politicam in ſuo regno, habeat ſimul conjunctam poteſtatem Eccleſiaſticam aliquo jure poſitivo, ſive divino, ſive humano.

QUÆSTIO II.

An Rex habeat Primatum Eccleſiæ jure divino veteris Teſtamenti?

1. HOc ipſe omnino videtur velle. Sic enim habet in ſua Apologia, pag. 15. *Sub veteri Teſtamento Reges haud dubie gubernatores erant Eccleſiæ intra fines ſuos: corruptelas purgavere: abuſus ſuſtulere: arcam ad conſtitutum quietis locum perduxere: arcæ deportandæ ipſi præſultavere: Templum ædificavere: ædificatum dedicavere: & ſua præſentia opus conſecrationis cohoneſtarunt: librum legis, e tenebris erutum, populo recitari fecerunt; fœdus inter Deum, popu-*

populumque redintegrarunt: confregere ſerpentem æneum, quamvis & diſerto Dei mandato erectum, & Chriſtum Dominum ſuo modo figurantem: idola omnia; Deoſque falſos exterminavere: reformationes publicas inſtituere, convocatis eo fine, & congregatis promiſcue ſacerdotibus, & laicis: exauctoraverunt ſummum Pontificem, aliumque in ejus locum ſubrogaverunt. In ſumma, cuncta moderati ſunt, quæ ad Eccleſiaſticum regimen quoquo modo pertinuerunt. Nec vero tituli, & notæ, quibus inſigniuntur, honorariæ, ab his eorum actionibus diſcordant. Vocantur enim filii Altiſſimi, imo Dii, & uncti Domini, in Dei ſolio ſedentes: Famuli Dei; imo Angeli Dei; facti juxta cor Dei: Lumina Iſraelis: Nutritii Eccleſiæ. Hucuſque Rex.

2. Ex quibus verbis conſtrui poteſt hoc argumentum. Reges veteris Teſtamenti jure divino habebant Primatum Eccleſię: ergo & Reges novi Teſtamenti. Vel ſic potius: Reges veteris Teſtamenti jure divino habebant Primatum Eccleſię; at hoc jus non eſt abrogatum, ſed adhuc manet: ergo eodem jure gaudent Reges novi Teſtamenti. At duplex peccatum in hoc ſyllogiſmo committitur. Nam & major, & minor propoſitio falſa eſt. Negamus, in veteri Teſtamento fuiſſe jus divinum de Primatu Regis in Eccleſia; &, ſi fuiſſet, negamus adhuc durare, & non abrogatum eſſe. Utrumque breviter explicandum eſt per ſequentes concluſiones.

3. Prima Concluſio. Jus divinum veteris Teſtamenti continetur lege Moſaica. Sunt autem triplicia pręcepta legis Moſaicę, moralia, ceremonialia, judicialia, ut docet D. Th. 1. 2. q. 99. ar. 2. & ſeqq. Et colligitur ex illo Deut. 5. 31. *Loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque judicia.* Et Deut. 6. 1. *Hæc ſunt præcepta, & ceremoniæ, atque juditia, quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos.* Et Rom. 7. 12. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Ubi Apoſtolus mandatum legis vocat *ſanctum*, propter ceremonialia; *juſtum* propter judicialia; *bonum*, propter moralia, ut explicat D. Th. loc. cit. ar. 4. Ratio hujus concluſionis eſt; quia omnis Reſpublica bene inſtituta continet tria pręceptorum genera, quorum alia ad privatos ſingulorum civium mores, alia ad publicam religionem, & cultum Dei, alia ad communem politiam, & temporalem gubernationem pertinent.

4. Secunda Concluſio. Precepta moralia ſummatim continentur in decem pręceptis Decalogi, ut docet Divus Thomas in 1. 2. quęſt. 100. ar. 3. Et quidem tria priora reſpiciunt cultum divinum; reliqua juſtitiam cum proximo ſervandam. Deus enim

nim colitur tribus modis. Primo, per fidelitatem, adhęrendo ſoli vero Deo, & non habendo Deos alienos. Secundo, per reverentiam, non aſſumendo nomen Dei in vanum. Tertio, per famulatum, colendo ſabbatum. Et ita conſtituuntur tria prima pręcepta Decalogi. Cum proximo autem ſervatur juſtitia, ſi & parentes honoremus, & alios non lędamus neque ore, neque opere, neque corde. Et hęc eſt ſumma reliquorum pręceptorum Decalogi. Dices, in Decalogo habetur pręceptum de Sabbato ſanctificando, quod non eſt morale, ſed ceremoniale, Reſpondeo. Eſt morale, quoad ſubſtantiam; ceremoniale, quoad determinationem certi temporis. Nam ratio naturalis dictat, Deo deberi aliquem famulatum, cum ipſe ſit Dominus omnium. Quando autem pręſtandus ſit illi famulatus, pendet ex libera ipſius determinatione.

5. Tertia Concluſio. Pręcepta ceremonialia, quę pręſcribunt certas ceremonias pertinentes ad religionem, nihil aliud ſunt, quam quędam determinationes eorum pręceptorum Decalogi, quę ad divinum cultum referuntur, ut docet D. Thomas quęſt. 101. art. 1. Unde ſequitur, tot eſſe genera pręceptorum ceremonialium, quot ſunt genera eorum, quę ad cultum divinum pertinent. Hęc autem ſunt quattuor. 1. Sacrificia, ut holocauſtum, hoſtia pacifica, & hoſtia pro peccato. 2. Sacramenta, partim communia omnibus, ut circumciſio, eſus Agni Paſchalis, purificationes a quibuſdam exterioribus immunditiis, expiationes a peccatis; partim propria Sacerdotibus, ut conſecratio Sacerdotum, eſus panum propoſitionis, & aliorum, quę erant uſibus Sacerdotum deputata, ablutio manuum, ac pedum, & raſio pilorum. 3. Inſtrumenta divini cultus, ut Tabernaculum, Templum, Arca fœderis, propitiatorium, candelabrum, menſa, duplex altare, vaſa, veſtes Sacerdotales, & ſimilia. 4. Obſervantię legales, quibus ex decreto Dei populus Judęorum diſcernebatur ab aliis gentibus: ut certus uſus ciborum, & veſtium, ac ſolemnitates feſtorum. Circa hęc quatuor rerum genera verſantur pręcepta ceremonialia.

6. Quarta Concluſio. Pręcepta judicialia, quę pręſcribunt certam formam conſervandi juſtitiam inter homines, nihil aliud ſunt, quam determinationes quędam eorum pręceptorum Decalogi, quę ad juſtitiam, & politiam humanam conſervandam ſpectant, ut docet D. Thomas quęſt. 104. art. 1. Unde etiam ſequitur, tot eſſe genera pręceptorum judicialium, quot ſunt genera hominum, inter quos juſtitia ſervari debet. Ea autem ſunt quadruplicia. Nam quędam pręſcribunt certum

ordi-

ordinem juſtitiæ inter Principem, & populum: quædam inter ipſos populares inter ſe: & quædam inter populum, & extraneos: quædam denique inter domeſticos ejuſdem familiæ: ut inter parentes, & filios, inter maritum, & uxorem; inter ſervum, & Dominum: v. gr. Pro Principe dantur pręcepta, quomodo creandus ſit, & ſe gerere debeat in officio. Pro popularibus pręcepta emptionis, venditionis, & aliorum contractuum. Circa extraneos, de bello gerendo, de ſuſceptione peregrinorum, & advenarum. Denique circa domeſticos, de ſervis, de uxoribus, de filiis.

7. Quinta Concluſio. Inter hęc triplicia pręcepta triplex potiſſimum diſcrimen eſt. Primum, quod moralia per ſe continentur in decalogo, reliqua extra decalogum. Alterum, quod moralia ſunt juris naturalis, reliqua poſitivi. Tertium, quod moralia non ſint abrogata a Chriſto, ſed melius explicata, (Matt. 5.) At reliqua abrogata ſunt, juxta illud Luc. 16. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*. Et ad Gal. 3. 24. *Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur: at ubi venit fides, jam non ſumus ſub Pædagogo*. Et Hebr. 7. 12. *Translatio ſacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat*. Et infra v. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*. Et ratio eſt, quia lex Moſaica fuit umbra legis Euangelicę, teſte Apoſtolo, Coloſſ. 2. v. 16. & Hebr. 10. v. 1. At umbra ceſſat, accedente lumine: ergo, veniente lege Euangelica, neceſſe fuit abrogari Moſaicam.

8. Ex dictis ſic concludo: Si Rex Anglię jure divino veteris Teſtamenti habet Primatum Eccleſię, vel illud jus divinum continetur in lege morali, vel ceremoniali, vel in judiciali. Certum eſt, non contineri in morali. Nam moralis lex generatim comprehenditur decem pręceptis decalogi, ut dictum eſt. At in toto decalogo nulla fit mentio Primatus Regis in Eccleſia: ergo jus divinum de primatu Eccleſię non poteſt fundari in lege morali. Sed neque in ceremoniali, vel judiciali fundari poteſt, duplici de cauſa. Primo, quia utraque lex per Chriſtum abrogata eſt: ergo tametſi Reges in veteri Teſtamento jure divino habuiſſent Primatum Eccleſię: non tamen ſequeretur, Reges in novo Teſtamento gaudere eodem jure, cum jam penitus abrogatum ſit. Et hoc patet in ſimilibus exemplis. Nam in Veteri Teſtamento jure divino ſtatutum erat, ut eſſet unum templum, in quo omnes adorarent; ut omnes Sacerdotes, & miniſtri Eccleſię aſſumerentur ex ſola tribu Levi; ut eorum ſacrificia eſſent cruenta ex animalibus: ut Judices, & Reges eligerentur a Deo, non a populo.

At

At hæc omnia jam abrogata ſunt: ergo quæ jure divino ſtatuta erant in Veteri Teſtamento, non amplius eodem jure debent cenſeri ſtatuta in novo Teſtamento. Unde ſicut hæc conſequentia non valet: Omnes miniſtri Eccleſiæ erant olim in eadem tribu: ergo & nunc ita fieri debet: Sic neque valet iſta: omnes Reges habebant olim Primatum Eccleſiæ; ergo etiam nunc habent.

9. Addo, nunquam in Veteri Teſtamento divino jure conceſſum fuiſſe Regibus Primatum Eccleſiæ. Hoc ſi probavero, corruit totum fundamentum Regalis Hierarchiæ. Probo autem efficaciter tribus rationibus. Prima eſt, quia totum jus, quod Deus diſponit circa Reges veteris Teſtamenti, habetur Deuteronomii 17. 14. his verbis: *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſideris eam, & dixeris: Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus. Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus, præſertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti, & auri immenſa pondera: Poſtquam autem ſederit in ſolio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tribus: & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filii ejus ſuper Iſrael*. Habes hic totam diſpoſitionem juris divini circa Reges veteris Teſtamenti. Atqui nulla fit mentio Primatus Eccleſiæ. Solum explicantur hæ paucæ conditiones. *Prima*, ut Rex eligatur a Deo: *Secunda*, ut ex populo Judæorum, non ex gentibus aſſumatur. *Tertia*, ut non multiplicet equos, nec reducat populum in Ægyptum. *Quarta*, ut non habeat plurimas uxores, præſertim alienigenas, quæ alliciant illum ad idololatriam, ſicut accidit Salomoni. *Quinta*, ut non colligat immenſas divitias, quia ex illarum cupiditate ſolent Reges ad tyrannidem declinare, & juſtitiam derelinquere. *Sexta*, ut a Sacerdotibus accipiat præcepta legis Moſaicæ, eaque deſcribat, & diligenter obſervet. Cur autem Sacerdotibus? Quia illorum eſt judicare, quæ circa legem, & religionem ſunt. *Septima*, ut moderate ſe gerat erga alios, & non elevetur cor ejus in ſuperbiam

ſuper fratres ſuos? Multo minus ſupra Sacerdotes, Epiſcopos, & Pontifices. *Octava*, ut ſectetur juſtitiam, & non declinet ad dexteram, vel ſiniſtram; quod ſolet evenire vel ex favore, & acceptione perſonarum; vel ex ſpe lucri, & utilitatis; vel ex odio, ſeu alia perverſa affectione.

10. Ex his omnibus ita concludo. Quidquid de regia electione, officio, & poteſtate ſtatutum eſt jure divino veteris Teſtamenti, hoc continetur in ſupradictis conditionibus. Atqui in illis nihil habetur de Primatu Regis in rebus Eccleſiaſticis: ergo Primatus Regis in rebus Eccleſiaſticis non eſt conſtitutus jure divino veteris Teſtamenti.

11. Loquor autem de jure divino, quia conſtat, in veteri Teſtamento fuiſſe duplex jus regium: Alterum divinum, quod jam explicatum eſt, de quo ſolo hic agimus: alterum uſurpatum, ſeu tyrannicum, quod deſcribitur 1. Regum 8. 10. his verbis: *Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a ſe Regem, & ait: hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietq; ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis, & famulis ſuis. Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi. Et clamabitis in die illa a facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis Regem.* His, inquam, verbis non deſcribitur jus Regis, quod a Deo conceſſum eſt, ſed quod a tyrannis ſolet uſurpari, ut recte docet D. Th. in 1.2. qu.105. art. 1. ad 5. & fatetur Calv. l.4. inſtit. c.ult. §. 26. Et de hoc jure loquitur Chriſtus, Matt. 20. 25. & Luc. 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.*

12. Hinc etiam patet, quare Samuel ægre tulerit, quod Judæi petiverint ſibi Regem dari, quia nimirum petebant Regem, qui more gentilium, non qui jure divino eos gubernaret, ut aperte colligitur ex illo 1. Reg. 8. 4. *Congregati ergo univerſi majores natu Iſrael venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei: ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis Regem, ut judicet nos; ſicut & univerſæ habent nationes*, &c. Hactenus prima ratio.

13. Se-

13. Secunda eſt, ipſimet Reges Veteris Teſtamenti ingenue faſſi ſunt, ſe non habere Primatum Eccleſiæ, ſed Sacerdotes: ergo manifeſtum eſt, non ipſos, ſed Sacerdotes habuiſſe. Antecedens patet, quia Joſaphat Rex, qui ſane fuit optimus, & officii ſui minime ignarus, de Regis, & Sacerdotis poteſtate ſic ait, 2. Paralip. 19. 11. *Amarias Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Quid clarius? Hæc duo hic opponuntur: Præſidere in his, quæ ad Deum pertinent, & præſidere in his, quæ ad officium Regis pertinent. Illud prius convenit Sacerdoti, ſeu Pontifici; hoc poſterius Vicario Regis. Atqui Primatum habere in Eccleſia eſt unum ex iis, quæ ad Deum pertinent: ergo convenit Pontifici, non Regi, aut Vicario Regis.

14. Tertia ratio. Ille cenſetur habere primatum Eccleſiæ a Deo, qui in rebus ad legem divinam, & ejus interpretationem pertinentibus conſtitutus eſt ſupremus Judex, cui oporteat obedire, ut ſupra explicatum eſt; atqui non Rex, ſed Sacerdos conſtitutus eſt talis Judex a Deo: ergo non Rex, ſed Sacerdos habet Primatum Eccleſiæ a Deo. Minor patet ex illo Deut. 17. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille.* Hic tria notanda ſunt. Primum, quod ſermo ſit de controverſiis legalibus, quæ difficultatem habent, & in utramque partem ab inferioribus Judicibus trahuntur. Alterum, quod hujuſmodi controverſiæ non ad Regem, ſed ad ſummum Sacerdotem, tanquam ad legitimum judicem deferendæ ſint. Tertium, quod ſub pœna mortis oporteat acquieſcere ſententiæ Sacerdotis. At ſi Rex eſſet ſupra Sacerdotem a Deo conſtitutus, non opus eſſet ſtare judicio Sacerdotis, ſed liceret ad Regem, tanquam ad ſuperiorem Judicem, provocare. At hoc non licet. Non ergo Rex, ſed Sacerdos eſt ſupremus Judex controverſiarum legalium a Deo conſtitutus.

15. Huc ſpectat illud Aggæi 2. 12. *Hæc dicit Dominus : interroga Sacerdotes legem* : non Regem : & Malac. 2. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam , & legem requirent ex ore ejus* : non ex ore Regis , ſed Sacerdotis : Et quare ? cauſa mox additur : *Quia Angelus Domini exercituum eſt* . q. d. Sacerdos eſt nuncius , ſeu interpres divinæ voluntatis . Igitur a Sacerdote petendum eſt , quid Deus fieri a nobis , vel circa nos velit . Quod clarius explicatur Num. 27. 21. *Pro Joſue , ſi quid agendum erit , Eleazar Sacerdos conſulat Dominum . Ad verbum ejus egredietur , & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & cætera multitudo*. Eodem pertinet illud Lev. 10. 8. *Dixit quoque Dominus ad Aaron : vinum , & omne , quod inebriare poteſt , non bibetis tu , & filii tui , quando intratis in tabernaculum teſtimonii , ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum , & profanum , inter pollutum , & mundum , doceatisque filios Iſrael omnia legitima mea* . Hic vides , non Regum , ſed Sacerdotum eſſe , diſcernere inter ſanctum , & profanum , & legem Dei docere , ac interpretari . Unde ſicut Azarias Pontifex ad Oziam Regem dixit , 2. Par. 26. 18. *Non eſt tui officii , Ozia , ut adoleas incenſum Domini , ſed Sacerdotum , qui conſecrati ſunt ad hujuſcemodi miniſterium* ; ſic etiam potuiſſet dicere : *Non eſt tui officii , Ozia , ut diſcernas inter ſanctum , & profanum , ſed Sacerdotum , qui ad hæc miniſteria a Deo conſtituti ſunt* . Et conſequenter non eſt tui officii , Rex , ut gubernes Eccleſiam ; ſed Sacerdotum , quibus jure divino id commiſſum eſt .

16. Oſtendi hactenus , Regem Angliæ nihil præſidii pro ſuo Primatu ſtabiliendo habere poſſe ex veteri Teſtamento , duplici de cauſa . Primo , quia Reges in veteri Teſtamento non habuerunt Primatum Eccleſiæ jure divino , ſed Sacerdotes , ut tribus rationibus jam probatum eſt . Secundo , etiamſi habuiſſent , non tamen ſequeretur , etiam Chriſtianos Reges habere , cum jus veteris Teſtamenti abrogatum ſit . Contra hanc poſteriorem partem nihil opponit Rex Angliæ . Contra priorem vero multa objicit , non ex jure , ſed ex facto petita ; ut ſupra vidimus , quæ ſigillatim diſcutienda ſunt .

I. Objectio , ex facto Regis Joſaphat .

17. Reducam omnes objectiones Regis Angliæ ad formam ſyllogiſticam , ut facilius earum vis appareat . Prima eſt hæc . Quicunque conſtituit Levitas , & Sacerdotes in aliqua civitate , habet Primatum Eccleſiæ : atqui Rex Joſaphat conſtituit Levitas , & Sacerdotes in Jeruſalem : ergo habuit Primatum

Eccle-

Eccleſiæ. Minor patet ex illo 2. Par. 19. 8. *In Jeruſalem quoque conſtituit Joſaphat Levitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum*, &c.

18. Reſpondeo. Si textus integre citaretur, multo fortius argumentum fieret contra Regem, quam pro Rege. Textus enim ſic habet: *In Jeruſalem quoque conſtituit Joſaphat Levitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, ut judicium, & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus, præcepitque eis dicens: Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porro Zabadias, filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* In quo textu tria notanda ſunt. Primo, quod Joſaphat Rex non ſolum Levitas, & Sacerdotes, ſed etiam Principes familiarum conſtituerit in Jeruſalem. Secundo, quod illos omnes in eum finem conſtituerit, ut eſſent judices controverſiarum, quæ in populo oriri ſolent. Tertio, quod in controverſiis Eccleſiaſticis, quæ ad Deum pertinent, Sacerdotes conſtituti ſint judices; in civilibus vero, quæ ad officium Regis ſpectant, Principes familiarum. Hinc ſumo tale argumentum contra Regem Angliæ: Sacerdotes jure divino conſtituti ſunt ſupremi judices omnium controverſiarum, quæ ad Deum, & religionem pertinent: ergo Sacerdotes jure divino tenent primatum Eccleſiæ. Item: Ea, quæ ad Deum pertinent, diſtincta ſunt ab iis, quæ pertinent ad officium Regis: ergo Rex ex officio ſuo non poteſt immiſcere ſe iis, quæ ad Deum pertinent: ergo non tenet Primatum Eccleſiæ.

19. Argumentum contrarium facile ſolvitur. Non enim Joſaphat Rex conſtituit, ideſt, creavit, & conſecravit Sacerdotes, quia hoc ad officium ejus non pertinebat: ſed ex iis, qui jam antea creati, & conſecrati erant, certos delegit, qui judicium Domini exercerent in Jeruſalem; ſicut etiam certos delegerat, qui in aliis civitatibus populum docerent, ut habetur 2. Paralipom. 17. 7. Ubi notandum eſt, tria ſpectari poſſe in Miniſtris Eccleſiæ veteris Teſtamenti. 1. Electionem, ſeu deſignationem perſonæ. 2. Conſecrationem. 3. Applicationem ad certum uſum, ſeu exercitium. Electio, ſeu deſignatio non fiebat a Rege, ſed a Deo, qui ſolam tribum Levi ad miniſterium ſacrum deputaverat. Conſecratio vero commiſſa erat Aaroni, tanquam ſummo Sacerdoti, & ejus ſucceſſoribus. Applicatio vero ad certum officium poterat fieri a Rege, ſicut etiam nunc fieri poteſt. Quo pa-

cto Rex Angliæ diceretur in ſuo regno conſtituere Jeſuitas, & Sacerdotes, ſi ex iis jam antea ordinatis, & conſecratis quoſdam aliunde evocaret, quorum alii conciones ad populum haberent, alii confeſſiones exciperent, alii aliis miniſteriis deputarentur. Et hoc paſſim apud Catholicos in uſu eſt. Nemo tamen propterea cenſet, eos Principes, qui hoc modo Jeſuitas ad ſe vocant, Primatum Eccleſiæ tenere.

II. Objectio, Ex facto Davidis, & aliorum Regum.

20. Secunda objectio eſt hæc: Qui tollunt abuſus, & corruptelas Eccleſiaſticas, habent Primatum in Eccleſia. Reges veteris Teſtamenti ſuſtulerunt abuſus, & corruptelas Eccleſiaſticas. Ergo habuerunt Primatum in Eccleſia. Minorem probat Sacellanus Regis Angliæ dupliciter. Primo ex illis verbis, 2. Reg. 5. 6. *Et abiit Rex, & omnes viri, qui erant cum eo, in Jeruſalem, ad Jebuſæum habitatorem terræ, dictumque eſt David ab eis: non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos dicentes: non ingredietur David huc.* Ex quibus verbis ſic argumentatur. Ad Regem Davidem ſpectabat, de templo cæcum, & claudum tollere: ergo ad eum ſpectabat, omnes abuſus tollere. Non enim abuſus aliunde exiſtunt, quam vel de inſcitia, quod cæci ſint homines, vel de incuria; quod in officio claudicent. Secundo probat exemplo aliorum Regum, qui in Scriptura reprehenduntur, quod excelſa non ſuſtulerint. At non reprehenderentur, niſi ad eorum officium pertineret excelſa tollere. Quid autem aliud eſt tollere excelſa, quam tollere abuſus, & corruptelas?

21. Reſpondeo 1. generatim cum diſtinctione. Nam aliud eſt judicare, ſeu decernere, quænam ſint corruptelæ, & abuſus in religione; aliud vero corruptelas, & abuſus, quando certo conſtat tales eſſe, tollere, & exterminare. Prius pertinet ad officium ſummi Sacerdotis, ut ſupra dictum eſt. Poſterius non modo Regi, ſed etiam cuilibet Patrifamilias conceſſum eſt. Quilibet enim in domo ſua poteſt ea emendare, quæ certo conſtat per abuſum irrepſiſſe. Utrumque oſtendo exemplis novi Teſtamenti. Inter Chriſtianos quæri ſolet, an ſit abuſus, ſeu corruptela, habere, & colere imagines, invocare ſanctos, pro defunctis orare, plura poſſidere beneficia Eccleſiaſtica, voto caſtitatis ſe obſtringere, certis diebus a carnibus abſtinere: de his judicare non pertinet ad Principes ſæculares, ſed ad Prælatos Eccleſiæ. At poſtquam res judicata eſt, quilibet Rex in ſuo Regno, quilibet Magiſtratus in ſua civitate, quilibet Paterfamilias in ſua domo poteſt

poteſt executionem præſtare. Idem factum eſt in veteri Teſtamento. Deus ſæpe per Prophetas oſtendit, diſplicere ſibi, quod populus adoleret in excelſis. Itaque divinitus conſtabat, abuſum, ſeu corruptelam eſſe. Rex in ſuo regno poterat tollere hunc abuſum. Imo tenebatur. Nec ideo tamen primatum habebat in Eccleſia. Non magis, quam ſi Deus per Prophetas oſtenderet, connubia fidelium cum gentilibus ſibi diſplicere: & quiſque paterfamilias in ſua domo, ſi quid in hoc genere peccatum eſſet, in poſterum emendaret. An ideo primatum teneret in rebus ad religionem pertinentibus? Nequaquam: ſed executor eſſet voluntatis divinæ, Cur autem potius Reges, quam Sacerdotes in veteri Teſtamento reprehenſi ſint, quod excelſa non tollerent, ideo factum eſt, quia populus Judæorum propter duritiem cordis non curabat exhortationes, & monita Sacerdotum, ac Prophetarum, nec aliter, quam vi, & authoritate Regis, ab errore ſinebat ſe revocari. Itaque ſi Rex in hac re negligentior eſſet, merito a Deo reprehendebatur. Hoc generatim.

22. Duo in particulari explicanda ſunt. Alterum, de abuſu adolendi, & ſacrificandi in Excelſis. Alterum, de cæcis, & claudis ejiciendis. Quod ad prius attinet, tria certa ſunt. Primum eſt, quod ab egreſſu filiorum Iſrael ex Ægypto tranſactifuerint 480. anni, antequam templum a Salomone ædificaretur, ut patet ex illo 3. Reg. 6. 1. *Factum eſt ergo quadringenteſimo, & octuageſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti, ædificari cæpit domus Domino*. Secundum eſt, quod toto illo tempore, ſecundum legem ordinariam, juſſi ſint Iſraelitæ offerre ſacrificia in eo loco, in quo eſſet tabernaculum fœderis cum Arca, ut habetur Levit. 17. v. 4. Porro tabernaculum cum arca non ſemper manſit eodem loco. Nam primis 40. annis fuit cum populo in deſerto, poſtea, cum terram promiſſionis ingreſſi eſſent, & eam pacifice poſſiderent, poſitum fuit in Silo, juxta illud Joſue 18. 1. *Congregatique ſunt omnes filii Iſrael in Silo, ibique fixerunt tabernaculum teſtimonii, & fuit eis terra ſubjecta*. Inde ſeparatim arca, ſeparatim tabernaculum in diverſa loca tranſlata ſunt. Arca quidem in eum locum, in quo Iſraelitæ bello victi ſunt a Philiſtinis, ultimo anno Heli Sacerdotis, 1. Reg. 4. 3. Tunc enim & capta eſt a Philiſtinis, 1. Reg. 4. 11. & aſportata in Azotum, 1. Reg. 5. 1. Et manſit in eorum regione 7. menſibus, 1. Reg. 6. 1. Deinde remiſſa eſt ab illis in urbem Bethſames, 1. Reg. 6. 12. Poſtea in Cariathiarim, 1. Reg. 7. 1. Ibique manſit, donec David confirmato jam regno ſuper Judam, & Iſrael, reduxit eam ex Cariathiarim, 1. Paral. 13. 6. manſitque in domo Obededom Gethæi 3. menſibus,

1. Paral. 15. 25. Tabernaculum autem ex Silo (licet de tempore non ſatis conſtet) translatum fuit in Nobe, civitatem Sacerdotum, ubi erat, cum David fugiebat Saulem, 1. Reg. 21. 1. Inde venit in Gabaon Urbem tribus Beniamin, 1. Paral. 21. 29. Ibi autem manſit, donec cum Arca illatum eſt a Salomone in templum, 3. Reg. 8. 4.

23. Tertium eſt, quod ab eo tempore, quo perfectum fuit templum Salomonis, non alibi, quam in illo templo licuerit offerre ſacrificia, ſecundum legem ordinariam, ut patet ex illo Deut. 12. 13. *Cave, ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in eo, quem elegerit Dominus*. Et c. 26. 1. *Cumque intraveris terram, quam Dominus Deus tibi daturus eſt poſſidendam, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, pergeſque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus; accedeſque ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus illis*, &c. Dixi ſecundum legem ordinariam, quia tam ante, quam poſt Templi ædificationem licebat ex ſpeciali Dei diſpenſatione etiam alibi, quam in Tabernaculo, vel Templo ſacrificare. Hoc modo Samuel immolavit in Ramatha, & in Galgalis, 1. Reg. 7. 17. & c. 11. 14. David in area Ornam Jebuſæi, 1. Paral. 21. 26. Elias in monte Carmeli, 3. Reg. 18. 19.

24. Ex his omnibus ſequitur, nunquam licuiſſe, ſecundum legem ordinariam, immolare, vel adolere in Excelſis, ubi non eſſet tabernaculum: Et hunc fuiſſe abuſum, quem Deus reprehendit ſæpe in Scripturis, ut 3. Reg. 3. v. 3. *Dilexit Salomon Dominum, ambulans in præceptis David Patris ſui, excepto, quod in Excelſis immolabat, & accendebat thymiama*. Et 3. Reg. 22. 43. *Fecitque Joſaphat, quod rectum erat in conſpectu Domini. Veruntamen Excelſa non abſtulit. Adhuc enim populus ſacrificabat, & adolebat incenſum in Excelſis*. Loquor autem de Excelſis, ubi non eſſet tabernaculum, quia in Excelſo Gabaon, ubi erat Tabernaculum, licebat immolare, 3. Reg. 3. 4. *Abiit Salomon in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat Excelſum maximum:* id eſt, præferebatur omnibus Excelſis, quod in eo eſſet Tabernaculum a Moyſe factum; ut patet 1. Paralipomenon 21. 29. *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyſes in deſerto, & altare holocauſtorum ea tempeſtate erat in Excelſo Gabaon*. Et 2. Paralipomen. 1. 3. *Et abiit cum univerſa multitudine in Excelſum Gabaon, ubi erat Tabernaculum fœderis Domini, quod fecit Moyſes famulus Dei in ſolitudine*. Ubi obiter notandum eſt, fuiſſe duo Tabernacula: Unum a Moyſe factum, de quo hactenus dixi, alterum a Davide, quod ipſe tetendit in Jeruſalem, quando eo deduxit Arcam fœderis, de quo 2. Paralip. 1. 4. *Arcam autem Dei adduxerat David*

de

de Cariathiarim in locum, quem præparaverat ei, & ubi fixerat illi Tabernaculum, hoc eſt in Jeruſalem. Et 3. Reg. 1. 50. *Adonias autem timens Salomonem ſurrexit, & abiit, tenuitque cornu Altaris*. Et c. 2. 28. *Fugit ergo Joab in Tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris*. Hæc non poſſunt intelligi de Tabernaculo à Moyſe facto, quia illud eo tempore erat in Gabaon, ut ſup. dictum eſt. Debet ergo intelligi de Tabernaculo a Davide facto, quod erat in Jeruſalem. Vide Abul. lib. 3. Reg. cap. 1. q. 41.

25. Hactenus de abuſu adolendi in Excelſis. Quod ad factum Davidis attinet, qui dicitur cæcos, & claudos ejeciſſe, parum, vel nihil ad rem facit. Hiſtoria ſic habet: Intellexerat David divino inſtinctu, ut ex Pſalmis colligitur, Jeruſalem fore Templi, ac Regni Judæorum ſedem, ac proinde cum exercitu eo profectus eſt, & a Jebuſæis, qui eam colebant, deditionem illius poſtulavit. At illi reſponderunt: *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos, dicentes: Non ingredietur David huc*. Porro quid cæcorum, & claudorum nomine intelligendum ſit, variæ ſunt authorum interpretationes. Nam aliqui putant, fuiſſe tantum ſtatuas, ſeu imagines, alii vero homines: Statuas quidem tripliciter. Primo, ut per eas ſuper muros poſitas ſignificati fuerint homines otioſi: q. d. Etiam nobis nihil agentibus intrare non poteris: tam ſc. munita urbs noſtra eſt. Secundo, ut per eas ſignificata fuerint ædium faſtigia, quibus illæ affixæ eſſent: q. d. Niſi tranſcenſis ædium noſtrarum faſtigiis non ingredieris. Tertio, ut fuerint duæ imagines, quarum altera repræſentaverit Iſaac cæcutientem, altera Jacob claudicantem; & hæ duæ propterea fuerint ad muros, ſeu portas civitatis affixæ, ut ſignificarent, Judæis non licere bello infeſtare Jebuſæos, eo quod parentes eorum Iſaac, & Jacob percuſſiſſent olim fœdus pacis cum Rege Abimelech, cujus poſteri erant Jebuſæi, interpoſito etiam juramento, quod in ore illarum imaginum deſcriptum erat. Hæc Rabbinor. ſent. eſt, ſed falſa. Primo, quia illud fœdus cum Rege Abimelech non eſt initum a Jacob, ſed ab Abraham, ut habetur Gen. 21. 22. *Eodem tempore dixit Abimelech ad Abraham: Deus tecum eſt in univerſis, quæ agis. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, & poſteris meis. Dixitque Abraham: Ego jurabo*. Et inf. *Percuſſeruntque ambo fœdus*. Secundo, quia ſi Jebuſæi voluiſſent pacare animum Davidis, & militum ejus per aſpectum, ſeu memoriam Iſaac, & Jacob, non debuiſſent eos in forma cæci, & claudi, (quæ potius ad contemptum, & deriſum ſpectabat) ſed in alia decentiori, & auguſtiori repræſentare. Tertio, quia illa verba, quæ ſequuntur in texto, *cæcos, & claudos odientes animam David*, nullo modo poſſunt

ſunt accommodari Iſaac, & Jacob, neque præ ſe ferunt deſiderium pacis, ſed odii, ac potius contentionis.

26. Alii ergo rectius ſentiunt, fuiſſe veros homines, quod etiam tripliciter intelligi poteſt. Primo, quod fuerint ipſimet Jebuſæi, qui dixerint Davidi: *Niſi abſtuleris cæcos, & claudos*, id eſt, niſi nos abſtuleris, quos tu convitio militari cæcos, & claudos appellaſti, *non ingredieris huc*. Secundo, quod fuerint cæci, & claudi, non corpore, ſed animo, ideſt peccatores, & flagitioſi. Tertio, quod fuerint vere cæci, & claudi, quos in contemptum Davidis poſuerint Jebuſæi in mœnibus: q. d. Noſtra civitas tam firma, & munita eſt, ut non egeat aliis defenſoribus, quam his cæcis, & claudis, qui ſufficienter poterunt eam contra tuum exercitum tueri, ac propugnare. Hæc eſt vera explicatio hujus loci, quam ſequitur Joſeph l. 7. c. 2. Theodoretus qu. 16. 17. Gloſſa interlinearis, Abulenſis qu. 7. & plures alii. Simile quid legimus contigiſſe in urbe Tyro, quæ cum eſſet fortiſſima, cives in contemptum poſuerunt Pygmæos in mœnibus, quaſi illi abunde ſufficerent ad ejus defenſionem, nec indigerent alio propugnatore. De his loquitur Ezechiel Propheta c. 27. 11. *Sed & Pygmæi, qui erant in turribus tuis*, (o Tyre) *pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum*, &c.

27. Ex hac autem expoſitione, quæ ſine dubio litteralis, & germana eſt, non poteſt colligi, Davidem auferendo cæcos, & claudos voluiſſe oſtendere, quod abuſus, & corruptelas Eccleſiæ eſſet ablaturus, ut fingit Sacellanus Regis Angliæ. Credo, ne quidem in mentem illi hoc veniſſe, cum ea res geſta eſt. Sed etſi id facere voluiſſet, non ideo ſequeretur habuiſſe illum Primatum Eccleſiæ; quia, ut ſupra dixi, quilibet paterfamilias poteſt tollere abuſus, & corruptelas, quando certo conſtat tales eſſe.

III. Objectio ex facto ejuſdem Davidis.

28. Tertia objectio eſt hæc; Qui perducit Arcam fœderis ad conſtitutum quietis locum, & Arcæ deportandæ præſultat, tenet Primatum Eccleſiæ. Atqui Rex David perduxit Arcam ad conſtitutum quietis locum, 1. Paralip. 13. 12. & Arcæ deportandæ præſultavit, 2. Reg. 6. 14. ergo habuit Primatum Eccleſiæ. Hoc argumentum magni æſtimat Sacellanus Regis, & vim facit in eo, quod David ſaltaverit ante, non poſt Arcam. *Nam hoc ipſo*, inquit, *ſignificavit ſe primatum tenere in negotio Arcæ deportandæ*. Mira hominis ſubtilitas! Cur non ſimiliter vim facit in eo, quod boves arcam præceſſerint, non ſecuti ſint?

29. Ut

29. Ut autem magis appareat hujus argumenti vanitas, tria notanda ſunt. Primum, quod in Arca Domini fuerint hæc tria, Urna aurea habens Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ Teſtamenti, ut expreſſe teſtatur Apoſtolus Hebr. 9. 4. Alterum, quod hæc Arca, præſertim quoad Manna, quod in ea cuſtodiebatur, fuerit typus, ſeu figura noſtræ Euchariſtiæ. Ratio autem figuræ conſiſtit in his: Primo, Manna datum eſt Iſraelitis peregrinantibus in deſerto, ut poſſent ad terram promiſſionis pervenire. Secundo, habuit omnem ſaporem ſuavitatis corporalis, Sap. 15. 20. Tertio, fuit cibus de cœlo miſſus, Joan. 6. 31. Quarto, fuit expoſitum dubitationi, Pſ. 77. 32. & contradictioni, Num. 21. 5. Quinto, licet alii plus, alii minus colligerent, eandem tamen menſuram poſtea habebant, Exod. 16. 18. Hæc omnia accommodantur Euchariſtiæ, 1. Quia datur Chriſtianis in deſerto hujus vitæ peregrinantibus, ut poſſint ad vitam æternam pervenire. 2. Continet omnem ſaporem ſuavitatis ſpiritualis. 3. Eſt cibus de Cœlo miſſus. 4. Expoſita eſt dubitationi Capharnaitarum, & contradictioni Calviniſtarum. 5. Sive ſub magna, ſive ſub parva hoſtia ſumatur, æque prodeſt ſumentibus.

30. Tertium eſt, quod hæc tria diſtinguenda ſint. 1. Arcam ædificare. 2. Eam deducere, comitari, vel præcedere. 3. Eandem portare, vel attingere. Arcam ædificarunt Beſeleel de tribu Juda, & Ooliab de tribu Dan, Exod. 31. 2. Arcam deduxerunt, & ante eam luſerunt, non ſolus Rex, ſed etiam populus, ut patet ex illo 1. Reg. 4. 4. *Miſit populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum, ſedentis ſuper Cherubin.* Et 2. Reg. 6. 5. *David autem, & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis.* Et inf. v. 15. *David, & omnis domus Iſrael ducebant Arcam Teſtamenti Domini in jubilo.* Et 3. Reg. 8. 5. *Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael gradiebatur cum illo ante Arcam.* At nemini licebat eam tangere, (propter ſanctitatem, quam & aliunde, & ex eo habebat quod figura eſſet Euchariſtiæ) niſi ſolis Sacerdotibus. Hinc Oza, quod eam tangere præſumpſiſſet, cum ſacerdos non eſſet, morte a Deo punitus eſt, 2. Reg. 6. 6. Imo ne Levitis quidem hoc licuit. Nam, ut patet Num. 4. jubebantur Sacerdotes velo Arcam obvolvere, & vectes per annulos Arcæ tranſmittere, ne Levitæ, qui illam portaturi eſſent, eam attingerent.

31. Ex his patet, quam frivolum ſit argumentum Sacellani Regis, quando ſic infert: Rex David deduxit, & præceſſit Arcam Domini: ergo habuit primatum Eccleſiæ. Cur non ſimiliter infert: Omnis multitudo Iſrael gradiebatur ante Arcam: ergo habuit

Pri-

Primatum Eccleſiæ? Vel ſic: Pueri Chriſtiani præcedunt Euchariſtiam, quando publice in proceſſione deportatur: ergo habent primatum Eccleſiæ. Inepte omnia. Potius ſic oportebat argumentari: Non licuit Regibus, ſed ſolis Sacerdotibus attingere Arcam Domini: ergo Sacerdotes præferuntur Regibus in iis, quæ ad Deum, & religionem pertinent.

IV. Objectio deſumpta ex facto Salomonis Regis.

32. Quarta objectio eſt talis: Qui ædificat templum, & Deo dedicat, tenet Primatum Eccleſiæ; atqui Rex Salomon ædificavit templum, & Deo dedicavit, 1. Paralip. 28. 6. & 2. Paralip. 6. 10. Ergo Rex Salomon tenuit Primatum Eccleſiæ. Hoc argumentum ſic urget Sacellanus: *Dedicare Deo templa actus eſt primarius, nec cujuſquam, niſi cujus partes in Religione primæ. At templum a Salomone dedicatum eſt: ergo.*

33. Non video hic plus ſubtilitatis, quam in præcedenti argumento. Ut hoc oſtendam, tria notanda ſunt. Primum eſt, quod templum Hieroſolymitanum, de quo agimus, ter dedicatum ſit. Primo a Salomone, 3. Reg. 8. 1. Secundo ab iis, qui e captivitate Babylonica reverſi ſunt, 1. Eſd. 6. 16. Tertio a Machabæis, cum poſt profanationem eſſet iterum renovatum, & ſanctificatum, 1. Machab. 4. verſ. 36. Alterum eſt, quod dedicare rem aliquam Deo, ſi vim nominis ſpectes, nihil aliud ſit, quam dicare illam cultui divino; ſeu offerre, & deſtinare illam ad colendum Deum. Hoc modo Exod. 35. dicuntur Iſraelitæ, tam viri, quam fœminæ hyacinthum, purpuram, byſſum, coccum, pilos caprarum, pelles arietum, metalla, & ligna Setim dedicaſſe Deo, ideſt obtuliſſe ad cultum divinum. Eodem ſenſu Salomon dicitur templum Deo dedicaſſe, ideſt divino cultui dicaſſe, ſeu mancipaſſe. Hinc non magis colligi poteſt Primatus Salomonis, qui ligna, & lapides, quam fœminarum, quæ aurum, purpuram, & hyacinthum Deo dedicarunt. Tertium eſt, quod in hac templi dedicatione a Salomone facta variæ ceremoniæ uſurpatæ fuerint cum ſolemni lætitia. Nam primo, poſtquam templum ædificatum eſt, congregati ſunt Iſraelitæ ad Regem Salomonem in Jeruſalem. 2. Sacerdotes intulerunt Arcam, tabernaculum, & omnia vaſa ſanctuarii in Templum. 3. Deus, ut oſtenderet ſibi placere, quod agebatur, nebula implevit templum. 4. Salomon, gratiis Deo actis, multa precatus eſt, & præſertim, ut quicunque eſſent oraturi Deum in templo iſto, exaudirentur. 5. Finita hac oratione, victimæ, & ſacrificia Deo oblata ſunt.

6. Ite-

6. Iterum ſecuta eſt benedictio, ſeu gratiarum actio, ac tandem octavo die populus ad ſua cum gaudio dimiſſus eſt. Hæc omnia habentur 3. Regum 8.

34. Neque hinc colligi poteſt Primatus Salomonis: quod ſic oſtendo. Tria hominum genera ſpectari hic debent. 1. Salomon. 2. Sacerdotes. 3. Populus. Quid quiſque horum fecit in hac dedicatione? Salomon oravit, & gratias Deo egit. Sacerdotes portarunt Arcam, tabernaculum, vaſa Sanctuarii, & obtulerunt ſacrificia. Populus interfuit, & gratiis Deo actis, lætatus eſt. Si quid ergo pro Primatu Salomonis colligendum eſt, ſic colligi debet: Quicunque in templo recens ædificato orat Deum, ut in eo exaudiantur preces, & vota ſupplicantium, is tenet Primatum Eccleſiæ. Atqui Salomon in templo a ſe recens ædificato oravit Deum, ut in eo exaudirentur preces, & vota ſupplicantium: ergo tenuit Primatum Eccleſiæ. At major propoſitio aperte falſa eſt. Quaſi nemo, niſi qui ſupremam juriſdictionem in Eccleſia habet, eo modo, quo Salomon, orare poſſit. Multi mercatores ſuis ſumptibus templa in honorem Dei erexerunt, & quotidie erigunt: an non liceat ipſis orare, ut Deus accepta ea habeat, & preces ſervorum ſuorum in iis exaudiat? Omnino ſane. Imo plerique Clerici, quoties dedicatio alicujus templi occurrit, ſolent orare hoc modo: *Deus, qui nobis per ſingulos annos hujus ſancti Templi tui conſecrationis reparas diem, & ſacris ſemper myſteriis repræſentas incolumes: exaudi preces populi tui, & præſta, ut quiſquis hoc Templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta ſe impetraſſe lætetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*, &c. Itemque hoc modo: *Deus, qui inviſibiliter omnia contines, Templum hoc potentia tuæ inhabitationis illuſtra, & concede, ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacunque tribulatione ad te clamaverint, conſolationis tuæ beneficia conſequantur: Per Dominum*, &c. An hinc inferes, ſingulos Clericos, qui ſic orant, ſupremos eſſe Prælatos in Eccleſia? Nihil minus.

35. Plus dicam. Faciamus in aliqua diœceſi Anglicana templum incendio perire, vel ab hoſtibus devaſtari: Epiſcopus ſuis ſumptibus curet reſtaurari; convocet deinde populum ſibi ſubjectum; inferat vaſa ſacra; oret Deum, ut ratum habeat hoc obſequium, & preces ſubditorum exaudiat; offerat ſacrificium; bene precetur populo, & gratiis Deo actis, dimittat unumquenque cum gaudio. Quid? An dices hunc Epiſcopum eſſe Primatem Eccleſiæ? Si eſt, quid de Rege fiet? Si non eſt, quid minus fecit, quam Salomon? Imo totum id præſtitit, quod Salomon, & Sacerdotes ſimul.

V. Obje-

V. Objectio deſumpta ex facto ejuſdem Regis Salomonis.

36. Quinta objectio eſt talis: Qui deponit ſummum Sacerdotem ab officio, & alium illi ſubrogat, neceſſario habet juriſdictionem ſupra ſummum Sacerdotem: atqui Salomon Rex depoſuit Abiathar ſummum Sacerdotem ab officio, & ſubrogavit illi Sadoc, 3.Reg.2.27. Ergo Salomon Rex habuit juriſdictionem ſupra ſummum Sacerdotem. Hoc eſt præcipuum argumentum pro primatu Regis. Sed ſane parvi momenti. Ac primum ſic retorqueri poteſt: Qui deponit Regem ab officio, & alium illi ſubrogat, neceſſario habet juriſdictionem ſupra Regem: atqui Jojada ſummus ſacerdos non ſolum depoſuit, ſed etiam occidit Athaliam Reginam, & Joas in ejus locum ſubrogavit, 4. Reg. 11. Ergo Jojada ſummus Sacerdos habuit juriſdictionem ſup. Regem.

37. Sed ad rem. Hæc objectio duo ſupponit. Unum, quod Salomon, quando depoſuit Sacerdotem ab officio, uſus ſit poteſtate regia. Alterum, quod recte, ac legitime ea uſus ſit. At neutrum probari poteſt. Imo graviſſimi authores conſtanter docent, non regia, ſed prophetica poteſtate uſum eſſe: nec ordinaria via, ſed ex peculiari Dei inſtinctu feciſſe, quod fecit. Ita Cardinalis Bellarminus, Jacobus Gretſerus, & alii plures. Et videtur colligi poſſe ex illis verbis 3. Reg.2. v.27. *Ejecit ergo Salomon Abjathar, ut non eſſet Sacerdos Domini, ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo*; q. d. Olim tempore Heli Sacerdotis prædictum fuit a Deo per Samuelem prophetam, fore aliquando, ut officium Sacerdotale auferatur a familia Heli, propter peccata filiorum ejus, 1. Reg. 2. 31. Ut ergo hæc prophetia impleretur, Salomon divino inſtinctu, tanquam verus Propheta, abſtulit ſacerdotium ab Abiathar, qui erat ex familia Heli.

38. Quod ſi ita eſt, facile apparet, nullius momenti eſſe objectionem Regis Angliæ. Nam nihil aliud ex facto Salomonis colligi poterit, quam prophetas accipere aliquando extraordinariam poteſtatem a Deo etiam ſupra Sacerdotes; quod nihil ad rem facit. Non enim diſputamus de poteſtate Prophetarum, ſed Regum. Nec ſtatus controverſiæ eſt, an Prophetæ ex peculiari Dei inſtinctu poſſint aliquando punire Sacerdotes: ſed, an Reges ordinaria ſua poteſtate poſſint id facere? Hæc valde diſtincta ſunt: & alterum cum altero minime connexum eſt. Non enim ſequitur: Salomon Rex peculiari Dei inſtinctu ſubmovit Abiathar Sacerdotem

tem ab officio Sacerdotali: ergo Jacobus Rex ordinaria ſua poteſtate poteſt idem facere: non magis, quam ſi dicam: Nathan ex peculiari Dei inſtinctu reprehendit Davidem Regem: ergo quilibet ſubditus in Anglia poteſt ordinaria via reprehendere Jacobum Regem.

39. Sed demus (quod tamen probari non poteſt) Salomonem in ſubmovendo Sacerdote uſum eſſe poteſtate regia, quid quæſo hinc efficitur contra nos? Nihilſane, niſi prius conſtet, legitime ea uſum eſſe. Hoc autem nec in Scripturis ſacris diſerte exprimitur, nec ex iis evidenter deduci poteſt. Aliud enim eſt, factum alicujus recenſeri: aliud, probari, ſeu commendari. Legimus quidem in Scriptura, Raziam gladio, & præcipitio ſeipſum occidiſſe. Legimus a Saule Sacerdotes Domini, ab Abimelech ſeptuaginta fratres, ab Athalia ſemen regium, ab aliis alios interfectos eſſe. At non legimus, hæc omnia juſte, ac legitime contigiſſe. Idem dico de Salomone. legimus ab eo depoſitum eſſe Abiathar Sacerdotem. At non legimus, recte, ac legitime id factum eſſe. Vel ergo probandum eſt Regi Angliæ factum eſſe legitime, vel nihil contra nos concludit.

40. Dicet forte: Abiathar graviter peccaverat contra Salomonem Regem, ac proinde dignus erat, qui puniretur. Potuit ergo Salomon authoritate regia illum punire. Reſpondeo. Non ſequitur. Eſto enim peccaverit Abiathar propter iniquam conſpirationem, & dignus propterea fuerit, qui officio ſubmoveretur: an ideo a Salomone ſubmoveri legitime potuit? Id minime conſequens eſt. Non enim quilibet reus a quolibet puniri poteſt, ſed ab eo duntaxat, qui in illum habeat legitimam poteſtatem, ac juriſdictionem. Hanc autem habuiſſe Reges Judæorum in Sacerdotes, nondum probatum eſt. Imo ex ipſis Judæis contrarium probari poteſt. Semper enim perſuaſum ipſis fuit, Reges non habere ullam juriſdictionem in eos, qui miniſterio divino deputati ſunt. Hoc ſatis colligitur ex illo 1. Reg. 22. 16. *Dixit Rex Saul: morte morieris Achimelech, tu, & omnis domus Patris tui. Et ait Rex emiſſariis, qui circumſtabant eum: Convertimini, & interficite Sacerdotes Domini: nam manus eorum cum David eſt. Noluerunt autem ſervi Regis extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini*. Ex quibus verbis patet, Regem Saulem mandaſſe ſuis famulis, ut interficerent Sacerdotes Domini, eo quod conſpiraſſent cum Davide contra ipſum Regem. Porro famulos Regis, qui erant Judæi, & optime norant eminentiam Sacerdotum ſupra Reges, non voluiſſe id facere, etiamſi Rex mandaſſet. Nam certo perſuaſum illis erat, non poſſe Regem legitime

id

id mandare, nec Sacerdotes imperio Regis ſubjacere. Quod etiam advertens Rex, homini barbaro, ac gentili imperavit, ut quod famuli facere renuiſſent, ipſe imperterritus exequeretur. Quod & factum eſt. Subjungitur enim in textu: *Et ait Rex ad Doeg: Convertere tu, & irrue in Sacerdotes. Converſuſque Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes.*

41. Hinc ita concludo: Saul, & Salomon fuerunt pares in poteſtate regia, nec plus juris habuit Salomon in Sacerdotes, quam Saul, ex ea præciſe parte, qua Reges erant. Atqui Saul, qua Rex, non habuit legitimam poteſtatem puniendi Sacerdotes: ergo nec Salomon. Major per ſe nota eſt. Minor patet ex dictis, quia famuli Saulis non recuſaſſent imperium ſui Regis, ſi putaſſent illum habere legitimam poteſtatem in Sacerdotes. Libenter enim parebant illi in perſequendo Davide. Quod ergo nollent parere in occidendis Sacerdotibus, qui adhærebant Davidi, non aliunde provenire potuit, quam quod putarent Regem habere poteſtatem in Davidem, non autem in Sacerdotes. Idem ergo de Salomone, qua Rex erat, ſtatuendum eſt. Si enim Sauli non licuit punire Sacerdotes Domini, nec Salomoni potuit licere. Uterque enim, qua Rex, pari poteſtate fuit præditus.

42. Dices: Non recte hoc ſequitur. Fuit enim aliunde diſpar cauſa utriuſque. Nam Sacerdotes a Saule interfecti erant innocentes. Abiathar autem, quem Salomon punivit, erat reus læſæ majeſtatis. Quis porro neſciat, aliud eſſe interficere innocentes, quod fecit Saul: aliud punire reos, quod fecit Salomon? Eſto igitur, non recte, ac legitime fecerit Saul: recte tamen, & legitime fecit Salomon. Reſpondeo. Hæc diſparitas non obſtat. Tametſi enim Sacerdotes, qui jubebantur interfici a Saule, reipſa fuerint innocentes: nihilominus famuli Saulis putabant eſſe nocentes, ac reos læſæ majeſtatis: nec tamen putabant licere Regi etiam nocentes Sacerdotes interficere. Hoc inde conſtat; quia parebant Regi in perſequendo Davide, ut dictum eſt, & ideo parebant, quod exiſtimarent Davidem injuſte aſpirare ad regnum, ac proinde læſæ majeſtatis reum eſſe, alias ſane non pariturі. Cum ergo audiſſent a Saule, Sacerdotes adhærere Davidi, quid aliud ſuſpicari poterant, quam eos etiam nocentes, ac reos eſſe. Et tamen obtemperabant Sauli in perſequendo Davide, non autem in necandis Sacerdotibus. Nec alia de cauſa, quam quod vere putarent, Regem habere poteſtatem puniendi, & coercendi laicos, non autem Sacerdotes.

43. Ex his abunde ſatisfactum eſt argumento Regis, quod, ut compendio repetam, quæ dicta ſunt, dupliciter formari

pot-

poteſt. Primo, in hunc modum: Salomon poteſtate Prophetiæ legitime punivit Sacerdotem: ergo Rex Jacobus poteſtate regia idem præſtare poteſt. Secundo ſic: Salomon poteſtate regia legitime punivit Sacerdotem: ergo Rex Jacobus idem præſtare poteſt. In priori forma negatur conſequentia; in poſteriori antecedens. Nec a Rege Angliæ unquam probari poterit.

VI. Objectio, ex facto Joſiæ Regis.

44. SExta objectio eſt hæc: Qui librum legis e tenebris erutum populo recitari facit, & fœdus inter Deum, populumque redintegrat, habet primatum Eccleſiæ: utrunque fecit Rex Joſias. 4. Reg. 22. & 23. Hoc argumentum urget Sacellanus Regis in hunc modum: *Libro reperto indixit Rex conventum: in eo jubet recitari librum; recitato, fœdus novum init cum Domino; populum quoque ad fœdus adjuravit. Tum præcepit ipſi Pontifici, reliquiſque ſecundi ordinis Sacerdotibus, ut ejiciant templo, atque exurant vaſa omnia, quæ Baal ſacra fuerant, vel Excelſa demoliantur. Mandavit poſt de Paſchate novo faciendo, denique de religione tota in integrum reformanda.*

45. Multæ ſunt partes hujus argumenti. *Prima*, quod Rex reperto libro legis Moſaicæ, convocarit populum, ut eum illi prælegeret. Fateor; ſed Helcias Pontifex, qui librum repererat, eo fine miſerat Regi, ut id faceret. *Secunda*, quod Rex juſſerit recitare librum legis: Eſto: Etiam fœminæ apud adverſarios legunt Biblia, aut ab ancillis recitari jubent. *Tertia*, quod, recitato libro, fœdus novum inierit cum Deo, ideſt, quod promiſerit Deo, ſe velle cuſtodire omnia præcepta, quæ ſcripta erant in libro legis. An non cuilibet, etiam privato homini, hoc licitum eſt? Optarim ſane, ſingulos Chriſtianos ita affectos eſſe, ut inito cum Deo fœdere, promitterent, ſe legem ſervaturos. *Quarta*, quod populum hortatus ſit, ut idem præſtaret. At hoc non ſoli Regi, ſed cuilibet concionatori licitum eſt apud ſuos auditores; niſi quod adverſarii dicant, legem ſervatu impoſſibilem eſſe, in quo multum diſcrepant a Joſia, quem tantopere laudant. *Quinta*, quod præceperit Pontifici, & Sacerdotibus ſecundi ordinis, ut projicerent de templo Dei omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & aliis falſis Diis. Merito ſane; quia hoc ad illos pertinebat. Nec tam præcepit, quam eos officii ſui commonuit. *Sexta*, quod mandaverit Paſcha celebrari, quod diu fuerat intermiſſum. At a Deo præceptum erat, ut celebraretur. Poterat ergo Rex urgere executionem. *Septima*, quod totam religionem juſſerit in in-

tegrum reformari. Bonum factum. Nec tamen judicium de Reformatione, ſed executio ad Regem pertinebat; judicio reſervato Sacerdotibus.

VII. Objectio ex facto Ezechiæ Regis.

46. SEptima objectio. Ezechias Rex confregit ſerpentem æneum, *quamvis & diſerto Dei mandato erectum, & Chriſtum Dominum ſuo modo figurantem*. 4. Reg. 18. 4. Ergo tenuit Primatum in Eccleſia. Hic duo dicenda ſunt. 1. Ex qua cauſa, vel occaſione id fecerit Ezechias. 2. Qua authoritate fecerit. De priori ſic res habet. Serpens æneus ab initio in bonum uſum erectus fuit mandato Dei; juxta illud Num. 21. 8. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen: fac Serpentem æneum; & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* At poſtea progreſſu temporis abiit in abuſum, quia filii Iſrael adolebant ei incenſum, ut habetur 4. Reg. 18. 4. idque propterea, quod meminiſſent, olim ex ſolo illius aſpectu ſanatos fuiſſe, quotquot a ſerpentibus morſi erant in deſerto; & putarent, ſe tunc quoque præſidii aliquid ab eo ſperare poſſe. Hunc abuſum volens tollere Ezechias, non alia via commodius id facere potuit, quam ſerpentem ipſum, qui erat occaſio idololatriæ, tollendo, & confringendo. At qua authoritate id fecit? Non alia, quam divina. Deus enim non ſolum Regi, ſed cuilibet e populo mandaverat, ut auferrent omnem cultum idololatriæ. Deut. 7. 5. *Aras eorum ſubvertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccendite, & ſculptilia comburite, quia populus ſanctus es Domino Deo tuo.* Quid ergo myſterii hic eſt, quod Ezechias confregerit ſerpentem æneum, quod quilibet alius facere potuiſſet?

47. Dices: Serpens æneus & Dei mandato factus erat, & Chriſtum figurabat. Quid tum? Si ideo aliis non licuit eum confringere, cur Regi licuit? aut ſi Regi licuit, cur aliis non item? Nuſquam legimus, Regi peculiare quid conceſſum fuiſſe circa ſerpentem, quod aliis ſimiliter conceſſum non ſit. Et quid dicemus de arca Noe? Nonne & mandato Dei facta fuit, & Chriſti Eccleſiam figuravit? Omnino. An ideo ſoli Regi permiſſum fuit, illam diſſolvere poſt peractum diluvium? Nemo dixerit.

VIII. Ob-

VIII. Objectio ſumpta ex titulis Regum veteris Teſtamenti?

48. Rex Angliæ, ſicut hactenus ex facto Regum veteris Teſtamenti conatus eſt aſtruere primatum ſuum in Eccleſia: ita nunc ad titulos eorum convertitur. Sunt autem hi. 1. Reges vocantur *Filii altiſſimi*. 2. *Dii*. 3. *Uncti Domini*. 4. *In ſolio Dei ſedentes*. 5. *Famuli Dei*. 6. *Angeli Dei*. 7. *Facti juxta cor Dei*: 8. *Lumina Iſraelis*. 9. *Nutritii Eccleſiæ*: Ergo habent primatum in Eccleſia.

49. Videamus, quid lateat in his titulis. Primus eſt: *Reges*, inquit, *vocantur filii Altiſſimi*, juxta illud 2. Reg. 7. 14. *Ego ero ei* (Salomoni) *in Patrem, & ipſe erit mihi in filium*. Sed quæro, an non omnes pii, ac fideles ſint filii Dei, qui ex Chriſti inſtitutione dicunt, *Pater noſter, qui es in cælis?* An non de omnibus piis, ac fidelibus intelligendum ſit illud 1. Joan. 3. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus?* Nihil dubito. Cur ergo Rex Angliæ hunc titulum, quem Chriſtus, & Apoſtoli volunt omnibus bonis communem eſſe, ſolis Regibus arrogare vult? Et Sacellanus, qui tantopere favet ſuo Regi, an ſe filium Dei eſſe non putat? An in tota Anglia ſolum Regem eo privilegio gaudere cenſet? Niſi dicat, omnes quidem pios, ſed Reges peculiari quodam modo filios Dei eſſe. Etiamne improbos? ſi ſoli probi ſunt, jam non ſane qua Reges, ſed qua probi, filii Dei ſunt.

50. Secundus Titulus. Reges vocantur Dii; Pſal. 81. 6. *Ego dixi, Dii eſtis*. Et Exod. 22. *Si invenitur fur, duplum reddat; ſi latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos*. Mira res. Solent adverſarii graviter accuſare Catholicos, quod Pontificem Romanum appellent Deum. Et ipſi ſuos Reges impune appellari ſic volunt. Imo ſacræ Scripturæ teſtimoniis abutuntur. Nam illud, *Ego dixi, Dii eſtis*, non de ſolis Regibus, ſed de Prophetis quoque intelligendum eſſe, diſerte explicat Chriſtus, Joan. 10. 34. cum ait: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, Dii eſtis? ſi illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt*, &c. Similiter illud: *Dominus domus applicabitur ad Deos*, non de Regibus, qui tunc nulli erant; ſed de judicibus intelligendum eſſe, quis neſcit? ſi ergo non ſoli Reges, ſed etiam alii vocari poſſunt Dii, quid eſt, quod ex hoc titulo colligit Rex Angliæ, Reges, & non alios eſſe Primates Eccleſiæ?

51. Tertius Titulus: Reges vocantur Chriſti, ſeu uncti Do-

mini. 1. Reg. 24. 11. *Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Chriſtus Domini eſt*. Fateor. At non ſoli Reges, ſed etiam Sacerdotes in Veteri Teſtamento ungebantur. Et quanquam hoc neget Sacellanus Regis, ita tamen clarum eſt, ut negari, niſi impudenter, non poſſit. Teſtimonia Scripturæ paſſim obvia ſunt. Exod. 29. 7. *Oleum unctionis fundet ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur*. Et Lev. 4. 3. *Si Sacerdos, qui unctus eſt, peccaverit*, &c. Et Lev. 8. 12. *Fundens oleum ſuper caput Aaron, unxit eum, & conſecravit*. Et Num. 3. 3. *Hæc nomina filiorum Aaron ſacerdotum, qui uncti ſunt, & quorum conſecratæ manus, ut Sacerdotio fungerentur*. Et 2. Mach. 1. 10. *Qui eſt de genere Chriſtorum Sacerdotum*. Imo etiam Prophetæ ungebantur, 3. Reg. 19. 16. *Jehu filium Namſi unges regem ſuper Iſrael: Eliſæum autem filium Saphat unges prophetam pro te*. Hinc ita concludo: Utrique tam Sacerdotes, quam Reges in veteri Teſtamento vocabantur *uncti Domini*: ergo ſi ſolus ille titulus ſpectetur, vel utrique, vel neutri habebant Primatum Eccleſiæ. Si utrique, cur de Sacerdotibus negat Rex Angliæ? Si neutri, cur de Regibus affirmat? Addo, vel ſermo eſt de externa unctione, vel interna. Si de externa, communis ea fuit Regibus, Sacerdotibus, & Prophetis, ut dictum eſt. Si de interna, nemo fidelium excluditur. Omnes uncti ſunt: 2. Cor. 1. 21. *Qui unxit nos Deus*. Et Joan. 2. 20. *Vos unctionem habetis a ſancto*.

52. Quartus titulus: Reges dicuntur in ſolio Dei ſedere, 2. Par. 9. 8. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare ſuper thronum ſuum, Regem Domini Dei tui*. Sed conſtat duplex eſſe regnum, unum terrenum, alterum ſpirituale. Duo igitur ſolia, duo throni diſtinguendi ſunt. Reges ſedent in ſolio regni terreni: Epiſcopi in ſolio Eccleſiæ, quod eſt regnum ſpirituale, Act. 20. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Nec Regibus, ſed Apoſtolis dictum eſt a Chriſto Matth. 19. 28. *Cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*. En Apoſtoli Regum judices erunt, non Reges Apoſtolorum.

53. Quintus Titulus: Reges vocantur ſervi Dei. 2. Par. 6. 15. *Qui præſtitiſti ſervo tuo David patri meo, quæcunque locutus fuerat ei*. Ita eſt. Sed an ſoli Reges ſunt ſervi Dei? An non etiam Apoſtoli, & Epiſcopi? Act. 4. 29. *Et nunc, Domine, da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum*. Act. 16. 17. *Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis*. Rom. 1. 1. *Paulus ſervus Jeſu Chriſti*. An non omnes pii Chriſtiani? Rom. 6. 22.

Nunc

Nunc autem liberati a peccato, ſervi autem facti Dei. Occurrit Sacellanus, pios quidem, ac fideles vocari ſervos Dei, ſed tamen Regibus per quandam eminentiam convenire hunc titulum. Audio. Sed in quo conſiſtit hæc eminentia? An quia Reges ſunt magis pii, quam cæteri fideles? At non ſemper id verum eſt. An quia ſerviunt Deo in altiori gradu, quam cæteri? Hoc ipſum eſt in quæſtione. Ego contendo, Apoſtolos, & Epiſcopos ſervire in altiori gradu. Serviunt Deo in regno Chriſti, quod *non eſt de hoc mundo*. Sunt *diſpenſatores myſteriorum Dei*. 1. Cor. 4. 1. Et quod amplius eſt, ſunt *adjutores Dei*. 1. Cor. 3. 9. Imo ſunt Patres, ſeu *genitores* filiorum Dei. 1. Cor. 4. 15. Sunt *fundamenta*, ſupra quæ reliqui ædificati ſunt. Epheſ. 2. 20. Denique, ſi plura expetantur, ſunt ſupra conditionem ſervorum Dei. Joan. 15. 14. *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

54. Sextus titulus. Reges vocantur Angeli Dei, 2. Reg. 14. 20. *Tu autem Domine mi Rex ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia ſuper terram.* Sed quid hinc colligi poteſt? non aliud, quam ex omnibus Judæorum Regibus ſolum Davidem vocatum fuiſſe Angelum Dei: idque a muliere, non ob regiam poteſtatem, ſed ob ſingularem ſapientiam, qua erat præditus. Quid ſi ego plus afferam pro ſacerdotibus? Non de uno tantum, ſed de omnibus dictum eſt illud Malach. 2. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Nunc expendamus, uter rectius concludat, Rex Angliæ, an ego. Regis illatio eſt hæc: David habuit tantam ſapientiam, ut Angelo ſimilis eſſe videretur: ergo omnes Reges ſunt tales: quiſque igitur Rex in ſuo Regno primatum Eccleſiæ tenet. Inepte. Hæc autem mea eſt; Omnes Sacerdotes ſummi in veteri Teſtamento vocati ſunt *Angeli Dei*, quia Dei voluntatem certo, & infallibiliter aliis annunciabant, quod non poterant Reges. Ergo Sacerdotes in rebus ad Deum pertinentibus erant ſupra Reges.

55. Septimus Titulus. Reges dicuntur facti juxta cor Dei, 1. Reg. 13. 14. *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum.* Eſto hoc. Quid tum? An quia David Rex fuit vir juxta cor Dei, omnes Reges tales ſunt? Imo contra res habet. Saul Rex, quia non erat vir ſecundum cor Dei, a regno excluſus eſt; David autem, quia erat talis, Sauli ſubrogatus. Sic enim loquitur Scriptura. *Dixit Samuel ad Saul: Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod*

 ſi non

ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum: ſed nequaquam regnum tuum ultra conſurget. Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum, ut eſſet Dux ſuper populum ſuum. Nec ullius momenti eſt diſtinctio Sacellani, cum ait, Regem dupliciter dici poſſe *juxta cor Dei*. 1. Quoad perſonam Regis. 2. Quoad officium, ſeu magiſtratum. Omnes Reges etiam malos, licet priori modo non ſint juxta cor Dei, poſteriori tamen eſſe. Sed ſi hoc ſufficit, omnes etiam Sacerdotes, & Epiſcopi ſunt ſecundum cor Dei. Imo magis, quam Reges. Nam Deus in Vet. Teſt. ſponte, & ex proprio beneplacito conſtituit magiſtratum ſacerdotalem: regium autem nonniſi ex importuna Judæorum poſtulatione conceſſit, ut habetur 1. Reg. 8. 5. Igitur ſacerdotum magiſtratus magis fuit ſecundum cor Dei, quam Regum.

56. Octavus Titulus. Reges vocantur Lucernæ Iſraelis, 2. Reg. 21. 17. *Tunc juraverunt viri David, dicentes: Jam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael*. Fateor. Sed etiam Apoſtoli vocantur a Chriſto Lux Mundi (Matth. 5. 14.) Et Epiſcopi ſeptem Eccleſiarum Aſiæ vocantur ſeptem ſtellæ (Apoc. 1. 20.) Si ergo Reges ideo habent primatum in Eccleſia, quia appellantur Lucernæ, cur non ſimiliter Apoſtoli, & Epiſcopi habent Primatum, cum appellentur ſtellæ, & lux mundi? Non enim hic titulus minor eſt, quam ille. Hinc formo tale dilemma. Hæc propoſitio: *Qui vocatur Lucerna, Lux, Stella, habet primatum Eccleſiæ*; vel vera, vel falſa eſt. Si vera, ſequitur Apoſtolos, & Epiſcopos habere Primatum Eccleſiæ, quod Rex Angliæ negat. Si falſa, ſequitur Regem Angliæ ex falſo fundamento procedere.

57. Nonus Titulus. Reges vocantur Nutritii Eccleſiæ. Iſ. 49. 23. *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ:* Sed adde, quod ſequitur: *Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*. Loquitur Propheta de futura Chriſti Eccleſia, & dicit, fore aliquando tempus, quando Reges, & Reginæ gentiles convertentur ad fidem Chriſti, & ſic magno incremento augebunt Eccleſiam, eamque tanquam ſponſam Chriſti venerabuntur. At hinc non efficitur, Reges, & Reginas fore primates Eccleſiæ, ſed potius filios, & ſubjectos. Et ſane, ſi vim faciamus in voce *Nutritius*, quis magis nutrivit Eccleſiam Chriſti, quam Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, qui per univerſum orbem prædicaverunt Euangelium, & omnes gentes cum ſuis Regibus, & Reginis Eccleſiæ Chriſti aggregarunt?

58. Hactenus de titulis. Ex quibus ſic concludo: Apoſtoli,

&

& Epiſcopi non habent minores titulos, quam Reges: imo ſæpe majores: ſi ergo ex titulis debeat colligi Primatus Eccleſiæ, non minus Apoſtoli, & Epiſcopi, quam Reges erunt primates in Eccleſia, imo multo magis. Utrumque oſtendo inductione. 1. Reges vocantur *filii Altiſſimi*. Non minus Apoſtoli. 2. Reges vocantur *Dii*. Etiam ſacerdotes, & judices Eccleſiaſtici. 3. Reges *unguntur*. Etiam Sacerdotes. 4. Reges ſedent in ſolio terreno. At Apoſtoli, & Epiſcopi in cœleſti. 5. Reges ſunt *ſervi Dei*. At Apoſtoli *jam non ſervi, ſed amici*. 6. Reges ſunt *Angeli Dei*. Nec minus ſacerdotes. Imo toti generi ſacerdotum id convenit, non toti Regum. 7. Reges ſunt *juxta cor Dei*. Multo magis ſacerdotes, & Apoſtoli. 8. Reges ſunt lucernæ Iſraelis. At Apoſtoli *lux Mundi*. 9. Reges ſunt *nutritii Eccleſiæ*. At Apoſtoli *Patres nutritiorum*.

59. Hactenus oſtenſum eſt, nullum extare jus divinum Veteris Teſtamenti pro primatu Regum, extare tamen pro primatu ſacerdotum. Nec adverſarios ullum jus pro ſe hactenus allegaſſe, ſed ex ſolis Regum factis, & titulis argumentatos eſſe. Hanc autem argumentandi rationem non ſolum infirmam eſſe, ſed etiam magis nobis, quam ipſis patrocinari. Hæſi autem diutius in hoc puncto, quia ſi ſemel probatum ſit, ex veteri Teſtamento nihil afferri poſſe pro primatu Regis, conſequenter oſtenſum erit, Reges nullo modo eſſe primates Eccleſiæ. Nam Sacellanus Regis Angliæ fatetur, fundamentum illius Primatus in ſolo veteri Teſtamento quæri oportere, & nullum illius in novo veſtigium, aut exemplum exiſtere. Nihilominus tamen, ut ſervemus ordinem ſuperius aſſignatum, etiam de novo Teſtamento aliquid dicendum eſt.

QUÆSTIO III.

An Rex jure divino Novi Teſtamenti habeat primatum Eccleſiæ?

1. JUs divinum novi Teſtamenti a Chriſto conditum eſt. Is enim ſicut veteres ritus, ceremonias, ſacrificia, totam denique Synagogam abrogavit, ita nova Sacramenta, novum ſacrificium, novos miniſtros, novam Eccleſiam inſtituit, & præcepta dedit, quibus omnia, quæ ab ipſo inſtituta eſſent, legitime gubernari, & conſervari poſſunt. Nunc ergo quæſtio eſt, quid in hac tota Oeconomia ſua ſtatuerit de Primatu Eccleſiæ, an eum voluerit eſſe apud Reges, & Principes ſæculares, an vero apud Apoſtolos, & eorum ſucceſſores?

2. Repeto, quod ſupra monui, hunc Primatum conſiſtere in exteriori Juriſdictione: cujus potiſſimi actus ſunt hi. 1. Regere Eccleſiam. 2. Synodos convocare. 3. Iiſdem præſidere. 4. Lites finire, & controverſias fidei decidere. 5. Leges, & conſtitutiones condere. 6. Contumaces excommunicare, aut alio modo punire delinquentes. 7. Miniſtros Eccleſiæ conſtituere, & deponere. Et ſi qui ſimiles. Igitur inveſtigandum eſt, quinam hanc juriſdictionem in Eccleſia a Chriſto acceperint, Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, an Reges, & Principes ſæculares? Id autem ex quadruplici capite inveſtigari poteſt. Primo, ex verbis Chriſti, quibus ſuam mentem in hac re declaravit. Secundo, ex teſtimoniis Apoſtolorum, qui ſine dubio Chriſti mentem aſſecuti ſunt. Tertio, ex praxi, quæ illo tempore in Eccleſia ſervata eſt. Quarto, ex aliis circumſtantiis.

3. Si verba Chriſti ſpectemus, res in promptu eſt. Legamus Euangelium. Mox inveniemus, Petro dictum eſſe, Joan. 21. 22. *Paſce oves meas*. Et Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni Cælorum*. Et Luc. 22. 32. *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. At nuſquam legimus, Tiberio, Pilato, vel Herodi dictum eſſe: *Paſcite oves meas: Eccleſiæ meæ Primatum tenete*.

4. Et quid eſt, *Paſce oves meas?* Conſtat ex Evangelio Chriſtum eſſe paſtorem, Eccleſiam ovile, Chriſtianos oves. Igitur tantundem eſt, ac ſi dixiſſet: In hoc paſtorali officio vicariam operam mihi præſta: ovile meum tibi commendo; paſce, quotquot in eo ſunt, oves. Vel clarius, Eccleſiam meam tibi commendo, dirige, & guberna fideles, quotquot in Eccleſia ſunt. Uno verbo, Vicarius meus eſto. Quid unquam ſimile dictum eſt Regi, vel Imperatori? Imò eos ipſos, ſi oves Chriſti ſunt, Petro commiſſos eſſe neceſſe eſt, cui totum ovile commiſſum eſt. Recte enim Epiphanius in Ancorato: *Hic eſt, qui audivit, Paſce oves meas, cui creditum eſt ovile*. Et Eucherius Lugdunenſis in vigilia ſancti Petri: *Prius agnos, deinde oves ei commiſit, quia non ſolum paſtorem, ſed paſtorum paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus agnos: paſcit & oves: paſcit & matres: regit ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos, & oves in Eccleſia nihil eſt*.

5. Jam quid aliud eſt, Petro, non Regi, aut Imperatori datas eſſe claves Eccleſiæ, quam datam eſſe poteſtatem, & officium gubernandi Eccleſiam? Hoc ipſa metaphora plane ſignificat. Et confirmat uſus. Solent enim qui in familia, vel urbe præſunt,

acci-

accipere claves in ſignum imperii, & juriſdictionis. Unde Dominus apud Iſaiam cap. 22. cum vellet ſignificare, ſe poteſtatem ſummi Sacerdotis translaturum a Sobna in Eliacim, uſus eſt metaphora clavium. Sic enim ait: *Vade, & ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo ad Sobna, præpoſitum templi, & dic ad eum, quid tu hic? Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te: & vocabo ſervum meum Eliacim, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu ejus: & dabo clavem domus David ſuper humerum ejus: & aperies, & non erit, qui claudat: & claudes, & non erit, qui aperiat.* Eadem metaphora utitur Scriptura ad ſignificandum principatum Chriſti, Apoc. 3. 7. *Hæc dicit ſanctus, & verax, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Hinc Gregorius lib. 4. epiſt. 32. *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce Dominica omnium Apoſtolorum Principi totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: Tibi dabo claves regni cælorum.*

6. Et quis uſus harum clavium eſt? ſolvere, & ligare, aperire, & claudere: ideſt, exercere triplicem poteſtatem. Unam intromittendi in Eccleſiam, & ejiciendi, prout quiſque meretur. Alteram, ſolvendi vincula peccatorum, legis, voti, juramenti. Tertiam, ligandi per præcepta, & pœnas. Uno verbo, exercere ſupremam juriſdictionem in domo Dei, quæ eſt Eccleſia.

7. Igitur ex verbis Chriſti perſpicue conſtat, Petro, & ejus ſucceſſoribus, non item Regi commiſſum eſſe ovile, concreditas oves, commiſſas claves. Videamus nunc, quid Apoſtoli hac de re dicant. Sane D. Paulus, tametſi non ſemel, ſed ſæpe de ſtructura, & regimine Eccleſiæ Chriſti loquatur, nunquam tamen Reges, & Principes ſæculares, ſed ubique Apoſtolos, & Epiſcopos nominare ſolet. Proferam tria ipſius teſtimonia. Primum eſt Act. 20. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Verba aperta ſunt. Qui ergo conſtituti ſunt Præſides, & Rectores Eccleſiæ Chriſti? Epiſcopi. A quo conſtituti ſunt? A Spiritu Sancto. Reges ergo vel conſtituti non ſunt, vel a Spiritu ſancto non ſunt. Alterum eſt Epheſ. 2. 20. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.* Hic in ſtructura Eccleſiæ nullum fundamentum eſt, præter Chriſtum, Apoſtolos, & Prophetas. At ſi Reges ad illam ſtructuram pertinerent, & quidem magis, quam Apoſtoli, & Prophetæ, ſine dubio dicendum eſſet; *Superædificati ſuper fundamentum Regum, Apoſtolorum, & Prophetarum.* At Reges omiſſi ſunt, & tamen ſtructura perfecta eſt. Tertium

tium eſt Epheſ. 4.11. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*. Hic tria ſpectanda ſunt. 1. Ædificatio Eccleſiæ. 2. Opus miniſterii. 3. Conſummatio ſanctorum. Senſus ergo eſt: Chriſtus volens ſuos fideles, qui in illum crediturì ſunt, perducere ad conſummationem, ideſt ad ſanctitatem, & vitam æternam, ædificavit pro iis Eccleſiam, & in ea conſtituit Miniſtros, qui fidelibus præeſſent, eoſque ad finem ſuum conſequendum docendo, & gubernando juvarent. Et quos illos? Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, Doctores. Nulla ſit Regum mentio.

8. Ex his teſtimoniis ſic concludo. In Eccleſia Chriſti eſt legitimus quidam ordo, ſeu, ut alii vocant, diſpoſitio, & hierarchia, in qua alii prælati, alii ſubditi ſunt; alii paſtores, alii oves; alii in fundamento, alii ſupra fundamentum; alii Doctores, alii diſcipuli. Vel ergo Reges includuntur in hac hierarchia, tanquam Primates, vel tanquam ſubditi. Si hoc poſterius, ſalva res eſt. Si illud prius, neceſſe eſt, majori poteſtate præditos eſſe, quam Apoſtolos, & Epiſcopos. Nam ſi vel parem cum illis, vel inferiorem poteſtatem haberent, non recte dicerentur eſſe Primates Eccleſiæ. Si ergo majorem habent, ea ſine dubio a Chriſto ipſis conceſſa eſt. At ubi, & quibus verbis? At ubi Apoſtoli in ſuis ſcriptis, & actis illius poteſtatis a Chriſto conceſſæ meminerunt? In teſtimoniis citatis nihil invenio. Omnes ſilent de Regibus, loquuntur de Apoſtolis. *An a vobis*, inquit Apoſtolus, *verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos pervenit?* 1. Cor. 14. v. 36.

9. Venio ad praxin Eccleſiæ, quæ tempore Apoſtolorum ſervata eſt. Et ſine dubio fallere non poteſt. Quis ergo tunc Eccleſiam gubernavit? Apoſtoli, Act. 20. verſ. 28. Quis primam Synodum, quæ Hieroſolymis celebrata eſt, indixit? Apoſtoli, Act. 15. verſ. 6. Quis huic Synodo cum autoritate præſedit? Apoſtoli. Quis ſententiam dixit? Apoſtoli. Quis legem de abſtinentia ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato ſancivit? Apoſtoli. Quis Corinthium inceſtuoſum excommunicavit? Paulus Apoſtolus, 1. Cor. 5. 3. Quis accuſationem adverſus Presbyteros, tanquam legitimus judex, admiſit? Timotheus Epiſcopus, 1. Timoth. 5. 19. Quis Ananiam, & Sapphiram in cauſa Eccleſiaſtica punivit? Petrus Apoſtolus, Act. 5. 3. Nullæ hic partes Regum, nullum veſtigium.

10. Dicet forte Rex, eo tempore nullos fuiſſe Reges Chriſtianos, qui Eccleſ. gubernare, & hæc officia præſtare potuiſſent. Re-

ctæ quidem. Sed nec erant Apoſtoli, aut Epiſcopi Chriſtiani, antequam Chriſtus eos vocaret, & deſignaret. Sicut ergo novos Apoſtolos & Epiſcopos in nova Eccleſia inſtituit: cur non etiam novos Reges, qui Eccleſiæ præeſſent? ſicut Paulum Eccleſiæ perſecutorem ſubito in vas electionis immutavit: cur non ſimili modo egit cum Tiberio Imperatore, vel Herode Rege?

11. Hinc jam ſumo novum argumentum ex circumſtantiis in hunc modum: Si Chriſtus voluit Reges eſſe Primates Eccleſiæ, & ſupra Apoſtolos, & Epiſcopos, juriſdictionem exercere: cur non ſtatim ab initio ſicut certos Apoſtolos elegit, ſic etiam certos Reges deſignavit, qui Eccleſiæ præſiderent? Cur non ſtatim ſicut Apoſtolos inſtruxit, quo pacto prędicarent Euangelium, adminiſtrarent Sacramenta, & Eccleſiam propagarent: ſic etiam Reges edocuit, qua ratione Apoſtolis, & Doctoribus in regimine Eccleſiaſtico præeſſent, Synodos convocarent, controverſias dirimerent? Cur denique ſicut Apoſtolis, præter privatam inſtructionem, promiſit Spiritum ſanctum, cujus inſtinctu cætera cognoſcerent, quæ ad ipſorum miniſterium pertinebant: ſic non etiam Regibus promiſit eundem Spiritum, qui eos in ſuo officio perfectius omnia edoceret? Nihil horum factum.

12. Concludo, Reges ex inſtitutione Chriſti non habere Primatum Eccleſiæ; quia nec verba Chriſti, nec teſtimonia Apoſtolorum, nec praxis primæ Eccleſiæ, nec circumſtantiæ rerum ulla ratione id ſignificant. Omnia Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus patrocinantur. De illis dictum eſt Act. 20. 28. *Spiritus ſanctus poſuit vos regere Eccleſiam Dei*. Et 1. Corinth. 4. 1. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Et 2. Corint. 5. 20. *Pro Chriſto legatione fungimur*. Et Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*. Et plura in eandem ſententiam.

OBJECTIO.

13. SEd multa objicit Rex Angliæ in ſua Apologia, his verbis, *Quid in novo Teſtamento? Omnis anima iis* (Regibus) *ſubjici jubetur, idque propter conſcientiam. Orandum quidem eſt pro omnibus, ſed præcipue pro Regibus, & in authoritate conſtitutis, ut ſub iis piam, ac pacatam, honeſtamque vitam degamus. Magiſtratus Dei adminiſter eſt ad ulciſcendos facinoroſos, innocentes autem, atque probos remunerandos. Omnibus quippe obtemperandum eſt ſuperioribus Poteſtatibus, ſed potiſſimum Principibus, & in eminentia collocatis. Reddite unicuique, quod ſuum*

eſt

eſt, timorem, cui timor, amorem, cui amor jure debetur. Date Cæſari, quæ Cæſaris ſunt: Deo, quæ Dei ſunt. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Quis me conſtituit judicem ſuper vos? Reges gentium dominantur eorum: vos autem non ſic. Hactenus Rex.

14. Sed facilis ſolutio. Ac primum, ut generatim dicam, quod res eſt, hęc teſtimonia partim ad quæſtionem, de qua agitur, non faciunt; partim quatenus a Chriſto, & Apoſtolis prolata ſunt, pertinent ad Reges, & Imperatores Ethnicos, cujuſmodi erant Tiberius, Cajus, Claudius, Nero, & ſimiles. Certum autem eſt, Chriſtum, & Apoſtolos non voluiſſe ſuis teſtimoniis ſignificare, Reges, & Imperatores Ethnicos habere primatum in Eccleſia: Qui enim ſunt extra Eccleſiam, quomodo Primates ſunt in Eccleſia? qui ne quidem membra, quomodo caput? qui hoſtes Chriſti, quomodo vicarii?

15. Speciatim ſic reſpondeo. Illud Roman. 13. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, nihil omnino contra nos facit: Habet enim hunc facilem, & obvium ſenſum: Omnis homo, qui ſub poteſtate eſt, debet obedire ſuo ſuperiori in rebus, in quibus ſuperior eſt. Quis hoc neſcit? Nego autem, Reges eſſe ſuperiores in rebus Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus. Hoc probandum erat. Ex hoc autem loco probari non poteſt.

16. Illud etiam 1. Timoth. 2. 2. *Orandum pro omnibus, ſed præcipue pro Regibus, & in authoritate conſtitutis, ut ſub iis piam, ac pacatam vitam degamus*, partim male citatum, partim male intellectum eſt. Non addit Apoſtolus illam particulam, *præcipue*, nec illam item, *ſub iis*, ſed illis relictis, ſic habet: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate*. Hinc ſane non efficitur, Reges habere Primatum in Eccleſia. Nec Apoſtolus eo loco præfert Reges aliis hominibus, ſed æqualiter de omnibus loquitur, ut patet ex ſequentibus, ubi rationem reddit, cur pro omnibus orandum ſit: *quia*, inquit, *hoc acceptum eſt coram Salvatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. At Deus ęque vult omnes ſalvos fieri, & Chriſtus æque pro omnibus mortuus eſt, æque pro omnibus ſemetipſum tradidit. Addo, Divum Paulum ibi loqui de Regibus gentilibus, qui ad agnitionem veritatis nondum venerant. Vult enim orationes fieri pro illis,

lis, ut convertantur, & ſalvi fiant. At quę conſequentia eſt: Orandum pro Regibus ethnicis, ut ad fidem Chriſti convertantur: ergo Reges ethnici primatum tenent in Eccleſia Chriſti?

17. Illud vero Rom. 13.4. *Magiſtratus Dei adminiſter eſt ad ulciſcendos facinoroſos*: vel, ut vulgata lectio habet, *Dei miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*: nihil ad rem facit. Fatemur, Reges portare gladium, & habere poteſtatem puniendi peccata ſubditorum, & in ea re juſtitię divinæ miniſtros eſſe. At negamus hanc poteſtatem extendi ad cauſas, & tribunal Eccleſiaſticum. In hoc tribunali præſident Apoſtoli, & Epiſcopi. Illi, ut oſtenſum eſt, convocant Synodos, ſententiam dicunt, litem dirimunt, novas conſtitutiones ſanciunt, contumaces excommunicant, & ſimiles Eccleſiaſticæ juriſdictionis actus ex officio exercent: Reges procul ſunt ab hoc tribunali.

18. Ejuſdem momenti eſt illud: *Omnibus quidem obtemperandum eſt ſuperioribus, ſed potiſſimum Principibus, & in eminentia conſtitutis*. Omnino ſic res habet. Sed addendum eſt, alios eſſe ſuperiores in temporalibus, alios in Eccleſiaſticis. In utroque genere reperiri Principes, quibus obtemperandum ſit: In hoc quidem Pontifices; in illo autem Reges. Igitur Pontificibus potiſſimum obtemperandum eſſe in rebus Eccleſiaſticis, Regibus vero in politicis. Quis hoc neget?

19. Porro ex illo Rom. 13.7. *Reddite unicuique, quod ſuum eſt: timorem, cui timor: & amorem, cui amor jure debetur*: non video, quomodo primatus Regum in Eccleſia ſtabiliri poſſit. Non magis, quam ſi dicam: Reddite parentibus & amorem, & timorem, qui illis jure debetur: ergo parentes ſunt primates Eccleſiæ. Cur non ſic potius: Reddite Pontifici timorem, & amorem, qui illi jure debetur: ergo Pontifex eſt Primas Eccleſiæ?

20. Jam illud Matth. 22.21. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo*, omnino extra ſcopum eſt, ut ex Euangelio conſtat. Quęrebant Judęi a Chriſto, an tenerentur Cæſari Romano, qui tunc gentilis erat, tributum dare, nec ne? Chriſtus, inſpecto numiſmate, in quo Cęſaris effigies erat impreſſa, reſpondit; *Date Cæſari, quæ Cæſaris ſunt*, ideſt, date illi tributum, quod ei debetur. An hinc ſequitur, Cæſarem gentilem eo tempore habuiſſe primatum Eccleſiæ Chriſti in Imperio Rom., aut Chriſtum voluiſſe dicere, obediendum eſſe gentili Cęſari in rebus ad Eccleſiam pertinentibus? Nihil minus. Niſi quis putet, hanc collectionem eſſe legitimam: Chriſtiani in Turcia habitantes debent Imperatori Turcarum pendere tributum, quod ju-

re

re exigit: ergo debent illum agnoſcere Primatem in rebus Eccleſiaſticis. Hoc Angli, qui in Turcia ſunt, non conceſſerint.

21. Multo minus ad cauſam facit illud Joan. 18. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Quid enim? An quia Chriſtus ſecundum humanitatem non eſt Rex temporalis, ſed ſpiritualis, ideo Reges temporales habent Primatum in ſpiritualibus? Contrarium potius colligendum erat hoc modo: Regnum temporale diſtinctum eſt a ſpirituali: ſicut ergo Chriſtus, & Apoſtoli adminiſtrant ſpirituale: Ita Reges, & Imperatores temporale. Itemque ſicut Chriſtus, qua Rex ſpiritualis, non vult ſe immiſcere regno temporali: ita Jacobus, qua Rex temporalis, non debet ſe immiſcere regno ſpirituali.

22. Eodem ſpectat illud Luc. 12. 14. *Quis me conſtituit Judicem aut diviſorem ſuper vos?* Ex quo, ſi aliquid concludi debet ad rem, ſic debet: Chriſtus non eſt conſtitutus aliorum judex in controverſiis temporalibus, qualis eſt de dividenda inter fratres hæreditate: ergo Rex Angliæ eſt conſtitutus Judex in ſpiritualibus. At quæ hæc illatio eſt? jam ante dixi, ſic potius inferendum eſſe: Chriſtus in cauſa temporali dixit: *Quis me conſtituit Judicem ſuper vos?* Ergo ſimiliter Rex Angliæ in cauſa ſpirituali debet dicere: *Quis me conſtituit Judicem ſuper vos?*

23. Denique illud Luc. 22. 25. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic:* quid prodeſt ad Primatum, de quo agimus? Nihil ſane. Senſus eſt: Reges gentiles ſolent eſſe ambitioſi, & multa per tyrannidem facere, ac ſuis potius, quam ſubditorum commodis ſtudere. Vos autem (mei Apoſtoli) nolite eos imitari, ſed cum modeſtia, & fraterna dilectione Eccleſiam adminiſtrate, ſicut & ego facio. Eodem ſenſu, ac ſpiritu dixit Petrus in priori epiſt. canon. c. 5. 3. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo*. Hinc jam inferat Rex Angliæ; Apoſtoli non debent eſſe ambitioſi, & crudeles, ſicut Reges ethnici: ergo Rex Angliæ tenet primatum Eccleſiæ. Quid abſurdius? Sic potius: Chriſtiani non debent eſſe ambitioſi more gentilium: ergo Rex Angliæ, cum Chriſtianus ſit, non debet ambire Primatum Eccleſiæ, quem multis jam ſæculis Pontifex Romanus legitime, & quiete uſurpavit.

24. Ex dictis duo colligunt. Unum eſt: nos ex novo Teſtamento variis teſtimoniis, & argumentis perſpicue demonſtraſſe, Reges ſæculares non habere Primatum, & ſupremam juriſdictionem in Eccleſia Chriſti. Alterum, nullum teſtimonium a Rege, vel

vel Sacellano allatum eſſe, quod non potius contra, quam pro ipſo faciat. Nunc ad jus canonicum, & civile tranſeamus.

QUÆSTIO IV.

An Rex jure civili, vel canonico habeat Primatum Eccleſiæ?

1. NEutro ſane. De Canonico res clara eſt. Multi extant Canones in contrarium: ex iis paucos accipe. Primus eſt Nazianzeni ad Imperatores Conſtantinopolitanos apud Gratian. di. 10. c. 7. *Libenter accipitis, quod lex Chriſti ſacerdotali vos ſubjicit poteſtati, atque iſtis tribunalibus ſubdit. Dedit enim & nobis poteſtatem: dedit & Principatum multo perfectiorem principatibus veſtris.* Ex hoc Canone tria habemus. 1. Quod principatus Epiſcoporum ſit multo perfectior, quam Regum. 2. Quod Reges in rebus Eccleſiaſticis ſubjecti ſint Epiſcopis. 3. Quod hæc ſubjectio à Chriſto ſit ordinata. Quid clarius?

2. Secundus eſt Adriani Papæ, diſt. 63. c. 1. *Nullus Laicorum Principum ſe inſerat electioni, aut promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata, & incongrua fiat electio, vel confuſio, vel contentio; præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtativorum, vel cæterorum Laicorum habere conveniat.* Ex hoc Canone etiam tria diſcimus. 1. Quod nullus Princeps ſæcularis, (qualis eſt Rex Angliæ) debeat ſe inſerere promotioni, aut electioni Epiſcoporum. Quanto minus debet præeſſe, & præſidere? 2. Quod talis electio, cui ſe inſerit Princeps ſæcularis, ſit inordinata, & confuſa. 3. Quod in ſimilibus cauſis Eccleſiaſticis nullam poteſtatem habeat Princeps ſæcularis; multo minus Primatum.

3. Tertius eſt ex 6. Synodo act. 2. diſt. 36. Can. 7. *Omnis electio Epiſcopi, à Principibus facta, irrita maneat ſecundum Regulam, quæ dixit: Si quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus Eccleſiam per ipſos obtinuerit, deponatur: & ſegregentur ab Eccleſia omnes, qui illi communicant.* Sane, ſecundum hunc Canonem, omnes Epiſcoporum electiones irritæ ſunt in Anglia, quotquot a Rege factæ ſunt. Ubi ergo Primatus Regis in cauſis Eccleſiaſticis?

4. Quartus eſt Gregorii ad Hermannum Epiſcopum Metenſem diſt. 69. can. 9. *Quis dubitet ſacerdotes Chriſti Regum, & Principum omnium fidelium Patres, & Magiſtros cenſeri? Nonne*

ne miſerabilis inſania eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubjugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubjicere, a quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cælis ſe ligari poſſe, & ſolvi? Omnino ſic res habet. Miſerabilis inſania eſt, Reges ſæculares uſurpare ſibi Primatum in Eccleſia, & ſubjugare ſibi Epiſcopos, quorum filii, & diſcipuli eſſe debent.

5. Quintus eſt Gelaſii Papę ad Anaſtaſium Imperatorem, diſt. 96. can. 10. *Duo ſunt, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas. In quibus tanto gravius eſt pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus in divino ſunt reddituri examine rationem.* Et infra: *Noſti itaque ex illorum pendere judicio, non illos ad tuam redigi poſſe voluntatem.* Facto quidem poſſunt, jure non poſſunt.

6. Sextus eſt Joannis Papę diſt. 96. can. 11. *Si Imperator Catholicus eſt, filius eſt, non præſul Eccleſiæ. Quod ad religionem competit, diſcere ei convenit, non docere.* Et paulo poſt: *Ad ſacerdotes enim Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates, quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubjectas.* Et infra: *Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis Præſulibus, non præferre.* Igitur, ſi Rex Anglię Catholicus eſt, filius eſt, non pręſul Eccleſiæ. Si fidelis eſt, Eccleſiæ Sacerdotibus ſubjectus eſt. Si Chriſtianus eſt, debet ſe ſubdere Epiſcopis, non præferre.

7. Septimus eſt Marcelli Papæ 11. q. 1. can. 3. *Clericum cujuslibet ordinis, abſque Pontificis ſui permiſſu, nullus præſumat ad ſæcularem judicem trahere. Nec laico quemquam clericum liceat accuſare.* Nimirum Clerici pertinent ad tribunal Eccleſiaſticum, non ad politicum, ſeu civile. Unde recte Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Imperatores: *Continua lege ſancimus, ut nullus Epiſcoporum, vel eorum, qui Eccleſiæ ſerviunt, ad judicia judicum ſæcularium pertrahatur. Habent enim illi ſuos judices.*

8. Octavus eſt Gregorii ad Mauritium Imperatorem. 11. q. 1. can. 40. *In divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dei, aliquando Angeli vocantur.* Et paulo poſt: *Quid igitur mirum, ſi illos veſtra pietas dignetur honorare, quibus in ſuo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipſemet appellat Deus?* Vide, quæ ſupra dicta ſunt qu. 2. §. 50. & 54.

9. Nonus eſt Innocentii III. in Decretalibus, de majoritate, & obedientia, can. 6. *Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus illos dumtaxat, qui ab illo accipiunt temporalia, ſed Pontifex in ſpiritualibus excellit, quæ tanto ſunt temporalibus*

di-

digniora, quanto anima præfertur corpori. Et infra: *Noſſe debueras, quod fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cœli: Luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti. Utrumque magnum; ſed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, hoc eſt, univerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id eſt, duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas, & Regalis poteſtas. Sed illa, quæ præeſt diebus, ideſt, ſpiritualibus, major eſt; quæ vero carnalibus, minor: ut quanta inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur.*

10. Sufficiant hi pauci Canones. Nam plures citare fortaſſe ſupervacaneum eſt: præſertim cum probabile ſit Regem Angliæ non tanti eos facere, ut eorum judicio ſtare velit. Quanquam immerito. Omnes enim Cathedræ Academicæ in Anglia, in quibus juris utriuſque Doctores antiquo ritu legitime promoventur, non minorem juris Canonici, quam Civilis authoritatem eſſe, luculento teſtimonio ſunt.

11. Ex jure civili occurrit illud Juſtiniani Imperatoris in Authentica conſtit. 123. *Si Eccleſiaſticum negotium ſit, nullam communionem habento civiles magiſtratus cum ea diſceptatione, ſed religioſiſſimi Epiſcopi ſecundum ſacros Canones finem imponunto.* Præclara conſtitutio. Decernit Imperator, politicos, & ſæculares Principes non debere adeſſe, multo minus præſidere in negotiis, & diſceptationibus Eccleſiaſticis. Quare? quia vult in ea re ſervari ſacros Canones, quibus cautum eſt, ut Epiſcopi, non autem Principes tractent controverſias ad Eccleſiam pertinentes. Si Rex Angliæ ea mente eſſet, qua hic Imperator fuit, ſine dubio Primatum Eccleſiæ Epiſcopis relinqueret, non ſibi arrogaret. Plura in hanc ſententiam vide in ſequenti Quæſtione.

QUÆSTIO V.

An Rex conſenſu doctorum hominum habeat Primatum Eccleſiæ?

1. Excepto Sacellano, & quibuſdam aliis adulatoribus, reclamant omnes cordati, & docti viri: Epiſcopi, Pontifices, Reges, & Imperatores, & alii. Seligam paucos, ne moleſtus ſim, & incipiam a Primitiva Eccleſia.

2. S. Ignatius Joannis Euangeliſtæ diſcipulus, in Epiſtola ad Philadelphienſes ſic habet: *Principes ſubditi eſtote Cæſari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris, Presbyteri vero, &*

Diaconi, atque omnis clerus, ſimul cum omni populo, & militibus, atque Principibus, ſed & Cæſare, obediant Epiſcopo, Epiſcopus vero Chriſto, ſicut Patri Chriſtus: & ita unitas per omnia ſervetur. Vox digna viro Apoſtolico. Omnes, inquit, obediant Epiſcopo; etiamne Cæſar? omnino; Quidni & Rex?

3. Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, qui interfuit primo Concilio Nicæno, Conſtantium Imperatorem ſic affatus eſt: *Deſine quæſo Imperator: ne te miſceas Eccleſiaſticis: neq; nobis in hoc genere præcipe: ſed potius ea a nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit: nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ: ita & tu cave, ne, quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias*. Refert hæc verba Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes.

4. S. Ambroſius epiſt. 33. ad Marcellinam ſororem ſuam ſcribit ſe Valentiniano Imperatori dixiſſe: *Noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina ſunt, Imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, ſi vis diutius imperare: eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt enim: Quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ, publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum*. Idem plane Ambroſii, qui eſt Hoſii, ſpiritus; eadem dicendi libertas, idem zelus. Utinam Sacellanus, & ſimiles, qui in Anglia ſunt, eodem ſpiritu in ſimili cauſa uterentur. Sed pavent: nec expendunt illud Chriſti, apud Mat. 10. 19. *Cum ſteteritis ante Reges, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quod loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

5. Hoſio, & Ambroſio, in ea re, ſimilis eſt Athanaſius (magnæ apud Regem Angliæ authoritatis) qui in Epiſtola citata graviter reprehendit Conſtantium Imperatorem, quod Eccleſiaſticam juriſdictionem ſibi uſurparet: ideoque eum vocat *Antichriſtum, Apoſtatam, fidei deſertorem, canem, carnificem, filium perditionis, peſtem, belluam*, quæ ex membris humanis, & animo ferino conflata eſt. Eundem cum Achabo, Antiocho, & Herode comparat, aſſerens, malorum omnium eſſe voraginem, & gurgitem, omnis impietatis caput, hæreticorum incitamentum, acerbitatis radicem, blaſphemiæ propugnatorem, religionis everſorem, & quæ ſimilia ſunt. Addit denique, inauditum eſſe, quod Reges, & Imperatores miſceant ſe cauſis ad Eccleſiam pertinentibus; & inter alia ſic habet. *Quando a condito ævo auditum eſt, quod judicium Eccleſia authoritatem ſuam ab Imperatore accepit? aut quando un-*

unquam hoc pro judicio agnitum eſt? Plurimæ ante Synodi fuere, *multa judicia Eccleſiæ habita ſunt: ſed neque patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit.*

6. Conſpirant alii Patres. S. Martinus Turonenſis Epiſcopus Maximo Imperatori in faciem dixit: *Novum eſſe, & inauditum nefas, quod cauſam Eccleſiæ Judex ſæculi judicaret:* ut eſt apud Sulpitium li. 2. ſacræ hiſtoriæ in fine. Et Leontius Epiſcopus Tripolitanus, teſte Suida, ad Conſtantium Imperatorem: *Miror, quomodo ad alia vocatus aliis rebus te immiſceas. Militaribus enim, & politicis rebus præfectus; in his, quæ ad ſolos Epiſcopos pertinent, præeſſe vis.* Et Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 17. *Ad hodiernam uſque diem cernimus mundanos Principes regi, & inſtrui ab Eccleſiaſticis.* Omitto reliquos.

7. Nec alia Regum, & Imperatorum fuit ſententia. Submiſerunt ſe Epiſcopis, & Pontifici: neque cauſas Eccleſiaſticas ad ſe pertinere arbitrati ſunt: Valentinianus ſenior Imperator cum importune rogaretur, ut permitteret haberi Concilium, in quo de quibuſdam rebus fidei decerneretur, reſpondit: *Mihi, qui unus e numero laicorum ſum, non licet ejuſmodi negotiis me interponere: Sacerdotes, & Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, ubicunque ipſis liberum fuerit, conveniant.* Refert Sozom. l. 6. hiſt. cap. 7. Nicephorus l. 11. c. 30. Ruffinus lib. 1. c. 2. Baronius tom. 4. Annalium Anno 364.

8. Eodem ſenſu, & affectu Theodoſius junior in Epiſt. ad Synodum Epheſinam: *Candidianum Comitem ad hanc ſacram veſtram Synodum abire juſſimus; ſed ea lege, & conditione, ut cum quæſtionibus, & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat. Nefas enim eſt, qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, cum Eccleſiaſticis negotiis, & conſultationibus ſe immiſcere.*

9. Baſilius Imperator in oratione, quam habuit in octava Synodo generali, quæ tempore Adriani Papæ Conſtantinopoli celebrata eſt, in cauſa Photii Patriarchæ: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui abſolute verſamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem movere; neq; penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & univerſali Synodo adverſari. Hæc enim inveſtigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, ligandi, & ſolvendi poteſtatem habent: qui Eccleſiaſticas adepti ſunt claves; non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel a ligaminis*

ſolvi egemus. Nihil clarius dici potuit. Nimirum intellexit Imperator, non Reges, ſed Epiſcopos Eccleſiæ regimen ſortitos eſſe: ideoque non illos, ſed hos oportere ſtatuere, quæ ad controverſiam Eccleſiaſticam inter Photium, & Ignatium ſpectare putabantur.

10. Simile exemplum habemus in Conſtantino Magno, qui, cum Donatiſtæ non contenti Epiſcopali judicio ad ipſum cauſam Eccleſiæ detuliſſent, ita exclamaſſe fertur: *O rabida furoris audacia! Sicut in cauſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt*. Ita refert Optatus Milevitanus l. 1. contra Parmenianum. De eodem Imperatore ſcribit Aug. ep. 165. *Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi judicare*. An Rex Angliæ major Conſtantino? Sacellanus ita vult.

QUÆSTIO VI.

An Rex Titulo præſcriptionis habeat Primatum Eccleſiæ?

1. HOc plane videtur ipſe velle. Nam in *monitoria præfatione* diſerte ait, aliquos ex ſuis anteceſſoribus uſurpaſſe Primatum Eccleſiæ in Anglia; neque paſſos eſſe, ut Pontifex ullam juriſdictionem ibi exerceret; ſed ipſos eam ſibi vindicaſſe. Itaque nihil novi ſe facere, eundem Primatum uſurpando.

2. Sed valde frivolum hoc eſt. Nam ſi ſic licet argumentari, facile erit omnes pene abuſus excuſare. Oſtendam ſimili exemplo. Rex Achaz in veteri Teſtamento colebat falſos Deos, & veri Dei cultum negligebat, 4. Reg. 17. 3. Quæram, an recte id fecerit, necne? Dicet, recte feciſſe; & ſic probabit: Aliqui ex meis anteceſſoribus coluerunt falſos Deos; ergo nihil novi a me fit: Jure igitur facio. Quid abſurdius? Et tamen ſic agit Rex Angliæ. Oſtendit paucos e multis, qui obedientiam Pontifici recuſarunt, & eorum exemplo inobedientiam ſuam excuſari vult. Sed fruſtra. Cum enim jus divinum clarum, & liquidum eſt, quid prodeſt in contrarium niti, etiamſi infinita in contrarium proferantur exempla? At ſupra oſtenſum eſt, Eccleſiæ primatum ad Epiſcopos, non autem ad Reges divino jure pertinere. Hoc jus nulla præſcriptione, nulla conſuetudine humana aboleri poteſt. A Deo, qui homine major eſt, vim ſuam habet: ergo, quamdiu Deus vult, vim ſuam retineat neceſſe eſt.

3. Addo, ſi ex factis Regum volebat argumentari Rex, ſic potius concludendum erat: Multo plures ex meis anteceſ-

ſo-

ſoribus venerati ſunt authoritatem Pontificis, quam reſpuerunt: ergo & ego venerari eam volo, non reſpuere. Nec dubium, quin ita ſit. Teſtes ſunt Lucius, Eduinus, Oſuvaldus, Sigbertus, Penda, Ina, Eduardus, Henricus II. & complures alii. Extant illorum acta. Ex iis hæc accipe.

4. Eduardus in epiſt. ad Nicolaum II. Pontificem, circa annum Chriſti 1060. ita ſcribit: *Summo univerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam ſubjectionem, & obedientiam.* Pauca, ſed ponderoſa verba. Agnoſcit illum Patrem, & quidem ſummum Patrem, nec unius alicujus particularis, ſed univerſalis Eccleſiæ Patrem. Quid amplius? Debitam ſubjectionem, & obedientiam illi promittit. An hoc faceret, ſi ſupra Pontificem putaret eſſe Regiam majeſtatem?

5. Nec aliter Henricus II. in epiſtola ad Alexandrum III. quæ habetur apud Petrum Bleſenſem Secretarium, epiſt. 136. *Veſtræ* inquit, *magnitudini promitto, me veſtræ diſpoſitioni in omnibus pariturum.* Itemque: *Deus extulit vos in eminentiam officii paſtoralis ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus.*

6. Regem Regina imitata eſt, pari animo, pari ſubjectione, Leonoram dico, Henrici Regis uxorem. Scripſit illa tres epiſtolas ad Cœleſtinum Papam, in quibus vocat eum *Principem Sacerdotum, Vicarium Crucifixi, ſucceſſorem Petri, Chriſtum Domini, Deum Pharaonis, Orbis Epiſcopum.* Et inter alia ſic addit: *Non Rex, non Imperator a jugo veſtræ juriſdictionis eximitur.* Et rurſum: *Chriſti Crux antecellit Cæſaris Aquilas, gladius Petri gladium Conſtantini, & Apoſtolica ſedes præjudicat Imperatoriæ poteſtati.* Quid clarius? Extant hæ epiſtolæ apud eundem Bleſenſem, epiſt. 144. 145. & 146.

7. Hinc jam ſatis apparet, quid olim ſenſerint Reges Angliæ de Primatu Rom. Papæ. Auſim addere, vix ullos in orbe Chriſtiano extitiſſe Reges, qui tam bene de Pontifice meriti ſint, quam Anglicani. Parum putarunt, ſi in Eccleſiaſtico regimine illi parerent. Ipſum regnum etiam in temporalibus feudatarium illi fecerunt. Fatetur hoc Henricus II. in epiſt. ad Alexand. III. jam citata his verbis: *Veſtræ juriſdictionis eſt regnum Angliæ, & quantum ad feudatarii juris obligationem, vobis duntaxat obnoxius teneor, & obſtringor.*

8. Multo fuſius id perſequitur Polydorus Virg. libro quarto hiſtoriæ Anglicanæ, ubi de Ina Rege ſic ſcribit: *Officia ejus Regis, pietatis plena, infinita produntur: & illud imprimis, quod Regnum ſuum Romano Pontifici vectigale fecerit, ſingulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in ſingulas domos*

Digitized by Google

impoſitis. Fecit idem ejus exemplo, ut opinor, ductus, Offa Merciorum Rex, qui non multo poſt id tempus regnavit. Fuit is annus ſalutis circiter 740. Hoc vectigal, prout quidam ſcribunt, auxit poſtea Atulphus Rex, qui, ut proximo libro demonſtrabitur, totius fere Inſulæ imperium tenuit. Omnis Anglia hoc tempore (nimirum ſub Henrico VIII.) *iſtuc vectigal pietatis, & religionis cauſa Romano Pontifici pendit domeſticatim collatum, & nummi illi argentei vocantur vulgo denarii D. Petri, quos Pontificius quæſtor, quem non inſcienter collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim quæſturam aliquot per annos geſſimus, ejuſque muneris obeundi cauſa primum in Angliam venimus.*

9. Magnum teſtimonium. Ex quo colligimus, Reges Angliæ non alia, quam pietatis, & religionis cauſa, ſuum regnum feciſſe Pontifici vectigale. Sane ſi Rex Jacobus volebat ſuorum anteceſſorum veſtigiis inſiſtere, cur hos Reges, qui a pietate, & religione commendantur, imitatus non eſt? cur, inquam, ab horum pietate, & religione tam longe abſcedit? Cur, cum illi tam in temporalibus, quam in Eccleſiaſticis Pontifici ſe ſubmitterent, ipſe in utriſque illum abjicit, & contemnit? Et quod magis mirum eſt, cur aliis quoque Regibus, ut idem faciant, conatur perſuadere?

10. Ex dictis ſic infero: Si in hoc negotio præſcriptioni locus eſſet, ea nobis potius faveret, quam Regi. Ab antiquis enim temporibus, ut oſtenſum eſt, uſque ad Henricum VIII. Eliſabethæ parentem, tota Anglia quotannis ſolita eſt Romano Pontifici dare vectigal, in recognitionem ſupremæ ipſius juriſdictionis Eccleſiaſticæ; ergo hoc ſuo facto, tam longa conſuetudine præſcripto, ſatis teſtatur, Pontificem eſſe Primatem Eccleſiæ univerſalis, atque adeo Anglicanæ.

QUÆSTIO VII.

An Rex ex propria doctrina poſſit Primatum ſuum defendere?

1. INvenio duo principia in libello Regis, quæ ſi vera ſunt, Primatum ſuum tueri non poteſt. Unum eſt, in quo convenit cum Bellarmino, quod qui habet Primatum Eccleſiæ, poſſit creare, & deponere Epiſcopos; dare illis juriſdictionem, & auferre. Unde Bellarminus, quia vult Pontificem habere Primatum totius Eccleſiæ, conſequenter dicit, Pontificem in tota Eccleſia poſſe id facere. Rex vero, quia putat unumquemque Regem in

ſuo

ſuo regno, & Imperatorem in ſuo Imperio habere Primatum Ecclesiæ, conſequenter dicit, unumquemque Regem in ſuo regno, & Imperatorem in ſuo imperio poſſe creare Epiſcopos, & deponere; dare juriſdictionem, & auferre. Quod autem Rex Angliæ ita ſentiat, patet ex ipſius verbis: Sic enim habet in monitoria præfatione: *Primum illud videamus, quam longe Imperatores, atque Reges, qui ſuperioribus ſæculis religioſe, Chriſtianeque vixerunt, ab eo abſuerint, ut jus in ſe aliquod Pontifici eſſe crederent, cum contra Papas ipſi creaverint, in ordinem redegerint, adeoque de ſede dejecerint.* Quibus verbis conatur oſtendere, Pontifices olim non habuiſſe Primatum Eccleſiæ ſupra Reges, & Imperatores, ſed hos potius habuiſſe ſupra illos. Quare? Quia potuerunt creare, in ordinem redigere, & de ſede dejicere Pontifices. Et paulo poſt: *Sed & per ætates complurimas certum jus, ac inviolatum apud Imperatores manſit Romanos Pontifices creandi.* Et in Apologia id confirmat exemplo Regum veteris Teſtamenti: *Qui*, inquit, *exauthoraverunt ſummum Pontificem, aliumque in ejus locum ſubrogaverunt.* In ſumma, *cuncta moderata ſunt, quæ ad Eccleſiaſticum regimen quoquo modo pertinuerunt.* Eodem modo loquitur Sacellanus Regis in Tortura Torti: *Al Regem*, inquit, *pertinet, Pontificem exauctorare, & in locum Abiathari Sadocum ſubrogare. Facit hoc credo ad primatum Regis.*

2. Alterum principium Regis eſt, (in quo diſſentit non ſolum a Bellarmino, ſed etiam a ſe ipſo, ut videbimus) quod Epiſcopi omnem ſuam juriſdictionem immediate accipiant a Deo. Sic enim habet in monitoria præfatione: *Epiſcopos eſſe in Eccleſia debere, tanquam inſtitutionem Apoſtolicam, ac ordinationem proinde divinam, contra Puritanos, contraque Bellarminum ſemper ſenſi, qui negat Epiſcopos a Deo immediate ſuam juriſdictionem accepiſſe. Sed nihil mirum, a Puritanis eum ſtare, cum Jeſuitæ nihil aliud, quam Puritanopapiſtæ ſint.* Hic duo obiter notanda ſunt. Unum eſt, quod ſermo ſit de juriſdictione exteriori, de qua etiam quæſtio noſtra eſt. Hanc enim Bellarminus vult immediate conferri a Pontifice, non autem poteſtatem ordinis, vel juriſdictionis interioris, ut patet lib. 4. de Pontifice, cap. 24. & 25. Alterum eſt, quod Bellarminus, cum agitur de hac juriſdictione Epiſcoporum, nullo modo conſentiat cum Puritanis, ut hic falſo illi affingitur. Nam Puritani duo docent. 1. Hanc juriſdictionem conferri a populo, vel Magiſtratu ſæculari. 2. Æqualem eſſe in Epiſcopis, & in aliis Eccleſiæ miniſtris. Tollunt enim omnem ordinum diſtinctionem, & hierarchiam Eccleſiaſticam; & in omnibus volunt eſſe æqualitatem, & paritatem. Hoc fatetur Rex in moni-

toria præfatione his verbis: *Et quo ſtudio in Epiſcoporum, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ defenſionem ſemper incubui, eodem in confuſam illam Anarchiam, & parilitatem Puritanorum invectus ſum.* Et infra: *Egone Puritanus, qui ſuam Epiſcopis dignitatem reſtitui, & æqualitatem illam popularem repreſſi?* At Bellarminus in utroque puncto ab iis diſſidet. Nam primo non vult juriſdictionem Eccleſiaſticam conferri à populo, vel magiſtratu ſæculari, ſed immediate a Pontifice, mediate vero a Deo, ut diſerte fatetur lib. 4. de Pontif. cap. 25. in ſolutione quartæ objectionis. *Utramque,* inquit, *tam ordo, quam juriſdictio a Deo confertur: ſed ordo immediate; juriſdictio mediate.* Secundo vult Epiſcopos in hac poteſtate, & juriſdictione ſuperiores eſſe aliis Sacerdotibus, qui Epiſcopi non ſunt; & quidem jure divino. Sic enim habet libro primo de Clericis, capite 14. *Eccleſia Catholica diſtinctionem agnoſcit, & docet, jure divino Epiſcopatum presbyterio majorem eſſe, tum ordinis poteſtate, tum etiam juriſdictione.* Et hoc probat authoritate Concilii Tridentini, & variis argumentis. Itaque toto, ut ajunt, cœlo diſtat à Puritanis. Sed hæc obiter. Nunc ad rem.

3. Ex his ergo duobus principiis, quæ ex libello Regis deſumpta ſunt, conficio hunc ſyllogiſmum contra Regem: Qui habet primatum Eccleſiæ, poteſt dare, & auferre juriſdictionem Epiſcopalem, quibus vult, juxta primum principium: At Rex Angliæ non poteſt dare, & auferre juriſdictionem Epiſcopalem, quibus vult: ergo Rex Angliæ non habet Primatum Eccleſiæ in Anglia. Minorem probo ex ſecundo principio, quia Epiſcopi omnem ſuam juriſdictionem accipiunt immediate a Deo: ergo non accipiunt illam immediate a Rege: ergo Rex non poteſt illam immediate dare: ergo nec auferre.

4. Hinc duo infero: Primum eſt, quod Rex ſibi ipſi contrarius ſit. Nam uno loco dicit, juriſdictionem Epiſcopalem immediate accipi a Deo: altero, eandem dari, & auferri immediate a Rege: quæ duo non cohærent. Vel ergo Rex non poteſt illam dare, & auferre; & ſic non habet primatum Eccleſiæ: vel ſi poteſt, falſum eſt, quod contra Bellarminum dixit, juriſdictionem Epiſcopalem immediate a Deo conferri. Poſterius eſt, quod Bellarminus, quem Rex oppugnat, cohærenter locutus ſit; quod Rex facere non potuit. Dixit enim, Pontificem habere primatum Eccleſiæ, & poſſe dare, aut auferre juriſdictionem Epiſcopalem. Dixit etiam, hanc juriſdictionem eſſe quidem a Deo, non tamen immediate ab eo conferri, ſed mediante Pontifice. Hæc autem optime cohærent.

5. Ex

5. Ex omnibus, quæ hactenus diſputata ſunt, ita concludo: Rex Angliæ nec jure naturali, nec jure divino Veteris Teſtamenti, nec jure divino Novi teſtamenti, nec jure civili, aut canonico, nec conſenſu doctorum hominum, nec titulo legitimæ præſcriptionis, nec ex principiis propriæ doctrinæ poteſt habere Primatum Eccleſiæ in Anglia: ergo nullo modo poteſt eum legitime habere. Faceſſant igitur Sacellanus, & ſimiles adulatores, qui contrarium illi perſuadent.

QUÆSTIO VIII.

Quod ſit ergo officium Regis circa Eccleſiam?

1. OStendi hactenus prolixe, Reges, & Principes ſæculares non habere Primatum, ſeu juriſdictionem exteriorem in Eccleſia, ac proinde ſua authoritate non poſſe Eccleſiam regere, Synodos convocare, lites, & controverſias fidei dirimere, Eccleſiæ miniſtros creare, vel deponere, contumaces excommunicare: ſed hæc omnia ad Epiſcopos, & Eccleſiæ Prælatos divino, & humano jure pertinere. An igitur Regibus in Regimine Eccleſiaſtico nihil reliquum eſt? An eſt? An plane ab hac cura excluſi, & immunes ſunt? Dicam paucis, quod res eſt, & dabo Cæſari, quæ Cæſaris ſunt; Deo, quæ Dei.

2. Ac primum illud ſtatuendum eſt contra Politicos: Reges, & Principes Chriſtianos non ita debere ſua regna, ac provincias adminiſtrare, ut omnem religionis, & Eccleſiæ curam abjiciant, tanquam nihil ad ſe pertinentem, & uſurpent illud Donatiſtarum: *Quid Imperatori cum Eccleſia?* quod tantopere reprehendit Auguſt. lib. 2. contra literas Petiliani c. 92. Hoc enim & ſacris literis, & bonorum Regum exemplis, & rationi ipſi contrarium eſt. Laudantur in ſacris litteris David, Ezechias, Joſaphat, Aza, & Joſias, quod cultum, ac religionem Dei vel promoverint, vel reſtaurarint. Eorum exemplum in N. Teſtamento imitati ſunt Conſtantinus magnus, Theodoſius, Arcadius, Honorius, Carolus Magnus, Ludovicus, & alii. Contra vero non ſolum reprehenſi, ſed etiam puniti ſunt, qui religionem, & fidem contempſerunt, ut Jeroboam, Achab, Achaz, Amon. Et ratio eſt, quia Reges, qui in ſublimi poteſtate poſiti ſunt, ſicut ipſi ab inferioribus jure honorantur; ſic Deum ipſum, a quo poteſtatem conſecuti ſunt, & cui jure naturæ ſubjiciuntur, merito honorare debent, & ipſius gloriam, ac majeſtatem ubique propagare. Unde Agapetus ad Juſtinianum Imperatorem: *Honore quolibet ſublimiorem*

rem

rem cum habeas dignitatem, o Imperator, honora ſuper omnes, qui hac te dignatus eſt, Deum, quoniam juxta ſimilitudinem cæleſtis regni tradidit tibi ſceptrum terrenæ poteſtatis, ut homines edoceres juſti cuſtodiam, & eorum, qui quaſi canes adverſus ipſam rabiunt, inſectareris latratum, tum ipſius obtemperando legibus, tum ſubditos tibi regendo pro jure.

3. Secundo ſtatuendum eſt, eoſdem Reges, & Principes Chriſtianos nullo modo in ſuis regnis, ac provinciis debere admittere libertatem fidei, ac religionis, ſi impedire eam poſſint. Hæc enim libertas plane illicita, & Chriſtianæ doctrinæ contraria eſt. Nam, ut alibi dixi, multa in Euangelio ſunt, ex quibus conſtat Chriſtum unam fidem mandaſſe, variam, ac multiplicem prohibuiſſe. Ac primo voluit unam tantum eſſe Eccleſiam, unum ovile, unum paſtorem. Hæc autem ſine unitate fidei conſiſtere non poſſunt. Secundo, voluit diſcipulos ſuos attendere a falſis Prophetis. At in multiplici religione neceſſe eſt alios eſſe veros, alios falſos Prophetas. Ergo, ſi hi excludendi ſunt, fides una retinenda eſt, varia explodenda. Tertio, voluit Eccleſiam ſuam eſſe perpetuam, cui omnes inferorum poteſtates reſiſtere non poſſint. At perpetua eſſe non poteſt, ſi una omnium fides non ſit: quod ipſe teſtatur Luc. 11. 17. *Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur*. Apoſtol. diſertis verbis idem confirmat, Rom. 16. 17. *Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis*. Gal. 1. v. 8. *Licet nos, aut angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema ſit*. 1. Cor. 1. 10. *Obſecro vos fratres, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata*. 1. Cor. 14. 33. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*. Eph. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma*. Heb. 13. 9. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci*. Vides, quam ſerio, quam ſolicite, & graviter hortetur Apoſtolus, ut unitatem fidei retineamus, quod non faceret, ſi libertas indulgeri poſſet. Plura in hanc ſententiam dixi c. 17. §. 3. & alibi. Nunc illud ſolum addo ex Aug. ep. 66. *Quæ eſt pejor mors animæ, quam libertas erroris?*

4. Quid ergo facient Reges circa Eccleſiam, & religionem, ſi neque curam illius omnino rejicere, nec etiam libertatem indulgere poſſunt? Dicam verbo: Debent illam tueri, ac defendere, non ut Domini, ſed ut miniſtri, neque ut Judices, ſed ut executores. Hoc olim fecerunt Chriſtiani Principes: hoc verbo teſtati ſunt. Carolus Magnus, ut alios omittam, apud Sigonium li. 4. de regno Italiæ, ſic ait: *Si Eccleſiarum Dei ſervis magnificentiam* no-

noſtram impertimur, eorumque ſtudiis libenter obſequimur: id nobis ad Auguſtalis excellentiæ culmen proficere credimus. Si, inquit, obſequimur Eccleſiarum Dei ſervis: Obſequium offert: non arrogat ſibi primatum. Vult eſſe *miniſter* in defenſione Eccleſiæ, non *Dominus*.

5. Idem Carolus, cum a Leone Papa coronam Imperii accepit, hac formula jurisjurandi uſus eſt: *In nomine Chriſti ſpondeo, atque polliceor ego N. Imperator coram Deo, & B. Petro Apoſtolo, me protectorem, ac defenſorem fore hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout ſciero, poteroque.* Refert Sigonius loc. cit.

6. Et jam pridem uſu receptum in Francia, Hiſpania, Anglia, Polonia, Hungaria, ut ſimili juramento obſtringant ſe Reges, & nominatim promittant, defenſuros ſe Eccleſiam, ac Religionem, ejuſque Prælatis debitam reverentiam, & ſubjectionem præſtituros. Neque hoc quicquam derogat ipſorum majeſtati, imo perhonorificum eſt. Recte Ambroſius epiſt. 32. ad Valentinianum Juniorem. *Quid eſt*, inquit, *honorificentius, quam ut Imperator dicatur filius Eccleſiæ? Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt.* Et Theodoricus Italiæ Rex ad Joannem Pontificem: *Sum quidem Judex Palatinus, ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus. Nam tunc iſta recte gerimus, ſi a veſtris regulis minime diſcedamus.*

7. Non ibo longius in hoc genere. Satis, opinor, jam conſtat, quam curam circa Religionis, & Eccleſiæ defenſionem habere debeant Reges, & Principes ſæculares. Hoc addo, non deeſſe exempla hujus rei etiam hoc tempore præſertim in Francia, Hiſpania, Polonia, Belgio, Germania, Italia.

CAPUT XX.

An in aliquo caſu liceat mentiri?

1. NOſtri Theologi diſtinguunt triplex mendacium, nempe jocoſum, officioſum, & pernicioſum: jocoſum vocant, quod tantum joci, ſeu recreationis cauſa profertur: officioſum, quod alicui prodeſt: pernicioſum, quod injuſte nocet. Poteſt autem duobus modis eſſe pernicioſum. Primo, quod eſt injurioſum Deo, cujuſmodi eſt omne mendacium in rebus fidei, in ſacramento confeſſionis, & in juramento. Secundo, quia eſt injurioſum proximo, ut contingit in detractione, falſo teſtimonio, & iniquis contractibus.

2. Hoc poſito, duo certa ſunt. Primo, omne mendacium eſſe peccatum. Ratio eſt, quia quidquid Deus prohibet, & damnat, peccatum eſt: At prohibet, & damnat omne mendacium, Lev. 19. 11. *Non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum*. Et Pſal. 5. 7. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Et Prov. 13. 5. *Verbum mendax juſtus deteſtabitur*. Et Sap. 1. 11. *Os, quod mentitur, occidit animam*. Et Eccl. 7. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium*. Et Epheſ. 4. 25. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra*. Et alibi ſæpe.

3. Secundo certum eſt, omne mendacium non ſolum ex prohibitione, ſed etiam ex natura ſua peccatum eſſe. Ratio eſt, quia omne mendacium ex natura ſua continet triplicem deformitatem, ſeu malitiam rectæ rationi repugnantem; nempe abuſum ſermonis, deceptionem proximi, & violationem amicitiæ humanæ. Nam qui mentitur, tria facit rectæ rationi contraria. Primo abutitur ſermone. Nam uſus linguæ, ac ſermonis ideo datus eſt homini ab authore naturæ, ut per illum patefaciat proximo, quod in animo ſentit: at contra facit per mendacium: ergo. Secundo, decipit proximum, cui mentitur. Proximus enim putat illum ſentire in corde, quod exterius loquitur. Tertio, quantum in ſe eſt, violat naturale jus amicitiæ. Qui enim decipit proximum, dat illi occaſionem renunciandi amicitiæ. Vide D. Auguſt. in Enchirid. cap. 22.

4. Idem confirmari poteſt ex illo 1. Joan. 2. 21. *Quoniam omne mendacium ex veritate non eſt*. Ex quo loco ſic argumentatur Div. Auguſt. in lib. contra mendacium ad Conſentium, cap. 18. Qui docet aliquod mendacium eſſe licitum, vel verum docet, vel falſum. Si falſum, non eſt ei credendum. Si verum, jam aliquod mendacium ex veritate eſt, quod negat Apoſtolus. Et ibid. c. 19. ſic: Nemo diſcit a caſtitate, eſſe adulterandum: nemo diſcit a pietate, Deum eſſe offendendum: nemo diſcit a benignitate, proximo eſſe nocendum: ergo ſic ſimiliter nemo diſcit a veritate, eſſe mentiendum; & concluait his verbis: *Porro ſi hoc non docet veritas, non eſt verum: ſi non eſt verum, non diſcendum: ſi non eſt diſcendum, nunquam igitur eſt mentiendum*.

5. Eodem ſpectat illud, quod Chriſtus aſſerit de diabolo, Jo. 8. 44. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater ejus*. Unde ſic concludo: Id, cujus primus author, & inventor eſt diabolus, non poteſt eſſe niſi malum, cum e contrario Deus ſit primus author omnis boni: ſed diabolus eſt primus author, & inventor mendacii: ergo mendacium non poteſt

poteſt eſſe niſi malum. Minor patet ex verbis citatis: *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, ideſt, utitur propria inventione, & malitia. Nemo enim docuit ipſum mentiri, ſed ipſe ſuo exemplo alios docuit, cum dixit in Paradiſo, *Nequaquam moriemini*. Igitur mendax eſt, & pater mendacii. Eleganter Auguſtinus tract. 42. in Joan. *Quomodo Deus pater genuit Filium veritatem, ſic Diabolus genuit quaſi filium mendacium*.

6. Manet quæſtio, An mendacium ita ſit peccatum, ut in nullo caſu licitum ſit mentiri, ne tunc quidem, quando mentiendo nemini obeſſes, & tamen alicui prodeſſes, vel ad conſervandam vitam, pudicitiam, famam, ſanitatem, vel ad grande aliquod malum evitandum? Antiqua hæc quæſtio eſt. Et quidem Plato, Priſcillianiſtæ, Origenes, & Caſſianus putarunt id licitum eſſe. At contra ſentiunt omnes Theologi, & orthodoxi Patres. Sane D. Auguſt. cum hanc ipſam quæſtionem propoſuiſſet in Enchir. cap. 13. tandem c. 22. reſpondet his verbis. *Nec ideo ullum mendacium putandum eſt non eſſe peccatum, quia poſſumus aliquando alicui prodeſſe mentiendo. Poſſumus enim & furando aliquando alicui prodeſſe, ſi pauper, cui palam datur, ſentit commodum; & dives, cui clam tollitur, non ſentit incommodum: nec ideo tale furtum quiſquam dixerit non eſſe peccatum. Poſſumus & adulterando prodeſſe, ſi aliqua, niſi ad hoc ei conſentiatur, appareat amando moritura; &, ſi vixerit, pœnitendo purganda: nec ideo peccatum negabitur tale adulterium. Si autem merito nobis placet caſtitas, quid quæſo offendit veritas, ut propter alienam utilitatem illa non violetur adulterando, & violetur iſta mentiendo? Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro ſalute quorundam mentimur*.

7. Eandem quæſt. prolixius diſputat idem Aug. in l. de mendacio ad Conſentium, & allatis in utramque partem variis Scripturæ teſtimoniis, c. ult. ſic concludit: *Elucet igitur, diſcuſſis omnibus, nihil aliud illa teſtimonia Scripturarum monere, niſi nunquam omnino eſſe mentiendum*. Et poſtea ſubdit: *Quiſquis autem eſſe aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, decipiet ſeipſum turpiter, cum honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum*.

8. Hujus rei efficaciſſimam rationem aſſignant Theologi in hunc modum: Quæ intrinſece, & ex natura ſua mala ſunt, nunquam bene fieri poſſunt, etiamſi ob bonum finem fiant: ſed mendacium intrinſece, & ex natura ſua malum eſt, ut ſupra oſtendi: ergo nunquam bene fieri poteſt, ob quemcunque finem fiat. Major patet, quia quod intrinſece, & ex natura ſua malum eſt, hoc per nullam circumſtantiam extrinſecam poteſt fieri bonum. Nam cir-

circumſtantiæ extrinſecæ accidentales non mutant naturam, & intrinſecam rei eſſentiam. Recte Auguſt. lib. contra mendacium c. 7. *Intereſt quidem plurimum, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat: ſed ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt.*

9. Hoc ſenſu dixit Apoſtolus Rom. 3. 8. *Non eſſe facienda mala, ut eveniant bona:* quia quod ex ſe malum eſt, non fit licitum propter intentionem boni finis. Et Aug. lib. contra mendacium c. 1. oſtendit ex eodem fundamento, non licere mentiri, ut hæreticos convertamus. Sic enim habet: *Quomodo igitur mendacio mendacia recte potero proſequi? An & latrocinio latrocinia, & ſacrilegio ſacrilegia, & adulterio ſunt adulteria proſequenda? Si autem veritas Dei in mendacio abundavit, nunquid & nos dicturi ſumus, faciamus mala, ut eveniant bona? Quod vides quemadmodum deteſtetur Apoſtolus. Quid eſt enim aliud, mentiamur, ut hæreticos mendaces ad veritatem adducamus, niſi, faciamus mala, ut eveniant bona?*

10. Et ibidem, cap. 7. *Nam ſi propterea juſta ſunt mendacia, quia hoc animo fiunt, ut occulti hæretici detegantur, poterunt iſto modo, ſi eodem animo fiant, caſta eſſe adulteria.* Et infra in eodem capite: *Quis eſt, qui dicat, ut habeamus, quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus, aut teſtimonia falſa vendamus?* Et iterum ibidem: *Quis iſta dicat, niſi qui res humanas, omneſque conatur mores, legeſque ſubvertere? Quod enim ſceleratiſſimum facinus, quod turpiſſimum flagitium, quod impiiſſimum ſacrilegium non dicatur poſſe fieri recte, aut juſte, ſi ſemel conceſſerimus in omnibus malis operibus hominum, ideo non quid fiat, ſed quare fiat, eſſe quærendum, ut quæcunque propter bonas cauſas facta inveniuntur, nec ipſa mala eſſe judicentur?*

11. Hæc doctrina ſupponit, duplicia eſſe peccata, ſeu mala: quædam propter ſolam prohibitionem Dei, vel ſuperioris, quædam ex natura ſua eſſe talia. Verbi gratia, Comedere ex ligno ſcientiæ boni, & mali; veſci carnibus die Veneris, & Sabbati; contrahere clandeſtinum matrimonium; ſunt quidem mala, non tamen ex natura ſua, ſed ſolum quia prohibita: alioqui ex natura ſua ſunt indifferentia, & poſſunt bene fieri, ſi non prohibeantur: male, ſi prohibeantur. At furari, adulterari, blaſphemare, odiſſe Deum, ex natura ſua mala ſunt, & nunquam bene, ac recte fieri poſſunt. Sic etiam mendacium, de quo hic agimus.

CA-

CAPUT XXI.

An liceat uti Æquivocatione?

1. SEnſus eſt, an liceat alios fallere, decipere, aut eludere per æquivocationes? Calviniſtæ, qui maxime politici ſunt, dupliciter hic peccant. Primo, quia ipſi & verbo, & facto utuntur æquivocationibus ad alios decipiendos. Secundo, quod ipſi faciunt, nobis per calumniam impingunt. Utrumque oſtendo. Prius quidem exemplo Theodori Bezæ Calvini. Is anno 1556. ſcripſit Confeſſionem, in qua aſſeruit, corpus Chriſti vere, & realiter exhiberi. Addebat, in eam Confeſſionem conſentire Eccleſias Helvetiorum, & Genevenſium. Hoc ideo fecit, ut Lutheranos, qui agnoſcunt veram, & realem Chriſti præſentiam in cœna, dolo ad Calviniſmum pertraheret, quaſi eadem eſſet Calviniſtarum, & Lutheranorum ſententia. Sed quid factum? Lutherani cœperunt triumphare de Zuvinglianis, & clamare, ipſos, Beza teſte, ſuam ſectam deſeruiſſe, & cum Lutheranis ſentire; Tum Helvetii, qui Zuvinglium ſequebantur, graviter in Bezam invecti ſunt, quod de ipſorum mutata ſententia falſo id ſparſiſſet. Beza ad æquivocationis aſylum confugiens reſpondit, ſe quidem vera ſcripſiſſe, ſed a Lutheranis male intellecta. Non enim ſe locutum eſſe de cœna Domini, quæ celebratur in terra, (de qua tamen erat quæſtio) ſed de cœna, quæ celebratur in Cœlo, ubi Chriſtus vere, & realiter præſens eſt. Refert hanc hiſtoriam Claudius Sanctes in reſponſione ad Apologiam Bezæ, & Bellarminus lib. 1. de Euchariſtia cap. 2.

2. Vides, opinor, ſpecimen æquivocationis Calviniſticæ. Quid jam agas cum hoc hominum genere? Nam hoc artificio eludent omnia. Dicent ſe credere, Pontificem eſſe caput Eccleſiæ, ſed occulte intelligent Pontificem Chriſtum. Dicent, ſe heri non fuiſſe in cœna Domini, ſed intelligent cœnam cœleſtem. Dicent, Eccleſiam errare non poſſe, ſed intelligent Eccleſiam in cœlis triumphantem. Dicent ſe juraſſe Regi fidelitatem, ſed intelligent *Regem Regum, & Dominum dominantium*. Et ſic in aliis.

3. Jam, quod deterius eſt, hanc labem conantur ipſi Jeſuitis aſpergere, quaſi Jeſuitæ doceant, licitum, ac laudabile eſſe, uti æquivocationibus. Non ita eſt. Jeſuitæ docent, quod alii Theologi hactenus docuerunt, nempe in omni congreſſu humano, in omnibus contractibus, & promiſſionibus ſincere, candide, & ſecluſa omni fictione, ac æquivocatione agendum eſſe. Male

fieri,

fieri, ſi aliud mente reconditum habeas, aliud verbo ſignifices. Licere quidem, cum res poſtulat, ſilentio, aut diſſimulatione prudenter uti, ſed ſi loqui velis, ſine mendacio, ſine fuco, ſine fraude præſtare id oportere.

4. Unus potiſſimum caſus eſt, de quo, ſicut & alii Doctores, diſputant Jeſuitæ: an ſc. reus, quando in judicio rogatur de crimine perpetrato, poſſit negare, vel æquivoce reſpondere. Utuntur autem hac diſtinctione: Si judex juridice, ſeu ſervato ordine juris interroget, reum teneri ad fatendam veritatem: non autem teneri, ſi juridice non procedatur. Ita Henr. quodlib. 1. q. 34. Sylv. & Angelus, V. Confeſſio delicti, Navar. cap. 25. n. 53. D. Th. in 2. 2. qu. 69. ar. 1. & alii paſſim. Et colligitur ex cap. *Qualiter, & quando*, & cap. *Cum oporteat*, & cap. *Inquiſitionis*, de accuſationibus. Ratio prioris eſt, quia quiſque tenetur obedire ſuperiori legitime præcipienti: atqui ſuperior legitime præcipit, quando ſecundum ordinem juris interrogat reum: ergo tunc reus tenetur obedire dicendo veritatem. Ratio poſterioris eſt, quia judex non habet jus interrogandi, niſi ſecundum ordinem juris: ergo ſi non ſervat ordinem juris, non poteſt reo ullam obligationem imponere ad crimen aperiendum, cum jus non concedat illi hanc poteſtatem. Cenſetur autem non ſervare ordinem juris, quando interrogat de occulto crimine, de quo neque eſt fama contra reum, neque indicia competentia, neque ſemiplena probatio.

5. Quid ergo faciet reus in tali caſu, quo non tenetur fateri crimen a ſe perpetratum? Reſp. D. Tho. poſſe eum vel per appellationem, vel aliter licite ſubterfugere, mendacium tamen dicere non licere. Sed quid ſi aperte neget, ſe crimen perpetraſſe, eritne mendax? Multi putant, ſine ullo mendacio negare eum poſſe, quamdiu crimen occultum eſt. Nam judex non præſumitur interrogare, niſi de crimine, quod aliquo modo in publicam notitiam deductum eſt; ergo ſi reus neget tale crimen a ſe perpetratum, non mentitur, ſi adhuc crimen occultum eſt.

6. Similis quæſtio moveri ſolet de Judice, qui publice ſecundum allegata, & probata condemnat reum, quem privata ſcientia novit eſſe innocentem: an is dicendus ſit mentiri, quando diſerte pronunciat criminoſum eſſe, qui revera talis non eſt? Plerique negant. Ratio eadem eſt, quia nihil aliud ille pronunciat, quam quod ſecundum allegata, & probata pronunciare debet: ergo cum alter ſecundum publicam allegationem, & probationem criminoſus ſit, (tametſi coram Deo non ſit) poteſt Judex ſine ullo mendacio pronunciare talem eſſe.

7. Atque hæc eſt ſententia Jeſuitarum, & aliorum Theologo-

logo-

logorum de reo in judicio interrogato. Quæ ſi vera eſt, quid calumniantur Calviniſtæ? Si falſa, oſtendant errorem.

CAPUT XXII.

An qui juravit ſe permanſurum in Lutheraniſmo, teneatur præſtare?

1. HOc tempore reperiuntur multi Lutherani in Germania, præſertim Nobiles, Barones, Comites, Principes, qui quidem bene affecti ſunt erga fidem Catholicam, in qua ſciunt vixiſſe ſuos majores; ſed ideo eam non amplectuntur, quia jurejurando promiſerunt, ſe in Lutherana uſque ad mortem perſeveraturos. Quæſtio eſt, an hoc juramento obligati ſint, ita ut ſalva conſcientia non poſſint Lutheraniſmum deſerere.

2. Ipſi quidem ſic perſuaſi ſunt, & ſolent ratiocinari hoc, vel ſimili modo: Plane perplexi ſumus, quid nobis faciendum ſit. Nam ex una parte occurrunt juſtæ rationes, quæ ad Catholicam amplectendam quodammodo nos impellunt. Prima, quod Catholica Religio & nomine, & doctrina ſit antiquiſſima. Secunda, quod omnes majores noſtri, qui ante Lutherum vixerunt, in ea fuerint nati, & educati, quos certe damnare non poſſumus. Tertia, quod eandem ſanctiſſimi viri Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Bernardus, & alii paſſim in ſuis ſcriptis profeſſi ſint. Quarta, quod in Catholica Eccleſia perſeveret legitima, & nunquam interrupta Sacerdotum, & Epiſcoporum ſucceſſio. Quinta, quod in ea maneat virtus miraculorum, quæ apud nos nulla eſt. Sexta, quod ab illius cultoribus erecta, & fundata ſint Templa, Monaſteria, Hoſpitalia, Academiæ: quæ omnia antiquæ, & ſinceræ pietatis monumenta ſunt. Septima, quod majores noſtri, qui iſta ad honorem Dei erexerunt, & dotarunt, omni bonorum affluentia a Deo fuerint locupletati; nos contra, qui illa vel deſtruimus, vel in profanos uſus convertimus, ad inopiam pene, & egeſtatem, juſta Dei ultione, redigamur, eoque minus habeamus, quo rapaciores ſumus. Res ipſa loquitur. Octava, quod Catholici, quamvis toto orbe longe, lateque diffuſi, ſervent conſtantem inter ſe fidei unitatem, & cum ſummo Pontifice, quem communem paſtorem agnoſcunt, per omnia conſpirent, ac conſentiant. Nona, quod opera, & ſtudio Catholicorum Sacerdotum infiniti prope Gentiles in India, Japonia, China ad Chriſti fidem convertantur; quod ſine peculiari Dei auxilio, & favore fieri non poſſe certum eſt. Et quod illi ipſi

Sacerdotes, nulla temporalis commodi ſpe, ſed ſolo Chriſti amore impulſi, tam arduam, & periculoſam rem aggrediantur cum præſenti vitæ diſcrimine. Denique, quod interna quadam animi motione ſic afficiamur, ut, niſi Catholici fiamus, non videamur quietem, & tranquillitatem conſcientiæ habere poſſe.

3. Ex altera parte obſtat juramentum, quo conteſtati ſumus non alios, quam Lutheranos eſſe nos velle. Hujus juramenti fides, ac reverentia illibata ſervanda eſt. Germani ſumus: vetus Germanorum laus eſt, fidem, & conſtantiam amare; perfidiam, ac perjurium deteſtari. Hanc laudem ne culpa noſtra amittamus, omnino laborandum eſt: & quidvis potius, quam ut perfidi, ac perjuri habeamur, experiundum. Multa nos tenent in hac ſententia. Primo, divina authoritas. Legimus in Scriptura, Deum ſæpe juramento uſum eſſe, ut Gen. 16. 16. Deut. 8. 1. & Pſalm. 94. 11. & alibi; at non legimus, juramenti fidem vel ſemel violaſſe. Contra potius illius ſervandæ fuiſſe ſtudioſiſſimum: Deuter. 7. 8. *Dominus cuſtodivit juramentum, quod juravit Patribus veſtris.* Et Pſal. 109. 4. *Juravit Dominus, & non pænitebit eum.* Et Pſal. 131. 11. *Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam.* Quid tutius in conſcientia, quam Deum imitari, qui errare non poteſt?

4. Accedunt exempla eorum, qui propter perjurium a Deo puniti ſunt. Sedecias Rex propter perjurium & regno, & oculis ſpoliatus eſt, 2. Par. 36. 13. & 4. Reg. 25. 6. Antiochus Eupator, Rex Syriæ, rupto juramento, quo Judæis ſe obſtrinxerat, ab exercitu interfectus, 1. Mach. 6. 62. & cap. 7. 4. Alcimus, ob ſimilem noxam, ſubitanea morte extinctus. 1. Mach. 7. 15. & cap. 9. 55. Andronicus, quod Oniam contra juramenti fidem occidiſſet, purpura exutus, & per totam civitatem circunductus, ac tandem in eodem loco, ubi Oniam occiderat, ignominioſiſſime interfectus eſt. 2. Mach. 4. 34. & 38.

5. Hæc exempla merito nos abſterrent, ne perjuri ſimus; aut, ne juramentum, quo obſtricti ſumus perſiſtere in Lutheraniſmo, impie violemus. Quod ſi ſemel ab hoc tramite deflexerimus, eandem calumniam cogemur ſuſtinere, cui Calviniſtæ obnoxii ſunt. Vox populi apud nos eſt: Calviniſtas perfidos eſſe: nullam pactorum, aut jurisjurandi fidem ſervare: nihil credi ipſis poſſe. Idem nobis objectabitur. Et juſta multorum erit ſuſpicio, deſiiſſe nos eſſe Lutheranos, & ad Calviniſtarum perfidiam tranſiiſſe. Quod abſit, præſertim hoc tempore. Nam nunc quidem, ſi unquam alias, maxime invidioſum, ac probroſum eſt, de fide non ſervata ſuſpectum eſſe. Conſtat, quam deteſtabilis apud bonos viros

per-

perfidia illorum ſit, qui in Bohemia, Hungaria, & vicinis provinciis contra pientiſſimum Imperatorem Ferdinandum, legitimum ſuum Regem, apertam rebellionem moliti ſunt. Atque hic, ſi non omnium, certe multorum Lutheranorum diſcurſus eſt. Quid nos ſentiamus, jam explicabo.

Reſolutio propoſitæ Quæſtionis.

6. PRo reſolutione hujus quæſtionis, hæc præmitto. Jurare, ut l. 4. c. 5. dixi, nihil aliud eſt, quam Deum, qui eſt prima, & infallibilis veritas, in teſtem vocare. Quod dupliciter fieri poteſt. Vel enim vocamus eum in teſtem, quando quidpiam aſſerimus de re præterita, aut præſenti: vel quando aliquid promittimus in futurum. Hinc duplex ſolet diſtingui juramentum: alterum aſſertorium, ad faciendam fidem noſtræ aſſertioni, alterum promiſſorium ad firmandam promiſſionem. Nicaſius in inſt. de actionibus, §. Idem *ſi quis poſtulante*, n. 2. Navarrus in Manuali c. 12. n. 3. & multi Juris interpretes, Tit. de Jurejurando.

7. Aſſertorium multiplex eſt. Aliud judiciale, quod publice coram Tribunali; aliud extra judiciale, quod extra locum judicii adhiberi ſolet. Rurſum aliud eſt juramentum calumniæ; aliud purgationis; aliud in litem; aliud introductorium novæ obligationis; aliud confirmatorium, quo contractus minus ſolemnis roboratur; aliud deciſorium litis. De hoc loquitur Cajus L. *Maximum*, ff. de jurejurando, cum ait: *Maximum remedium expediendarum litium in uſum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipſorum litigantium, vel ex authoritate Judicis deciduntur controverſiæ*. Et Apoſt. Heb. 6. 16. *Homines per majorem ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt juramentum.*

8. Promiſſorium, de quo ſolo hic agimus, latiſſime patet; & ad omnia fere hominum, officiorum, & contractuum genera ſe diffundit. Jurant ſacratiſſimi Imperatores, dum coronantur, de Imperio juſte, recteque adminiſtrando, c. *Tibi Domino*, diſt. 63. Jurant in ſimili cauſa potentiſſimi Reges, c. *intellecto*, de jurejurando. Jurant Vaſſalli ſuis Dominis fidelitatem. c. *de forma* 22. q. 5. Jurant publici Notarii, ex juſtitia, & veritate ſe acturos, c. *Ad audientiam*, de præſcriptionibus. Jurant Emphyteutæ in recognitione poſſeſſionis. Oſtienſis in c. *Veritatis*, de jurejurando, per c. *Longinquit.* 12. q. 2. Jurant obſides de obſervanda conventione, c. *Ex reſcripto*, de jurejurando. Jurant fidejuſſores de indemnitate creditorum, ibidem. Denique in ſimilibus occaſionibus

Jurant Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Abbates, Canonici Et nullum fere publicum officium, aut beneficium ſuſcipitur nullus contractus celebratur, nulla pactio inter Principes agitur, ubi promiſſorium juramentum non interveniat, Tit. de *Jure jurando*, *de Electione*, *de Majoritate*, *& Obedientia*, & alibi

9. Ex quo æſtimari poteſt, quanta debeat eſſe religio, & authoritas hujus juramenti. Quæ ſi ſemel convellatur, nihil erit ſtabile, nihil ſecurum, aut certum in quotidianis hominum contractibus, pactionibus, officiis, electionibus. Omnia erunt plena fraudibus, ſuſpicionibus, diffidentiis, & quæ hinc naſci ſolent, odiis, conſpirationibus, rebellionibus, ſeditionibus, regnorum, ac rerum publicarum everſionibus. Nullus Rex poterit eſſe ſecurus de fidelitate ſubditorum, nullus Imperator de fide militum, nullus mercator de ſociorum compromiſſione.

10. Atque ex hac parte, ut recte dictum eſt, ſemper Germanorum fides, & conſtantia laudem meruit. De qua Tacitus lib. 13. Hiſtor. *Nulli*, inquit, *mortalium armis, aut fide ante Germanos ſunt*. Unde etiam Auguſtus Cæſar, & alii poſt illum Romanorum Imperatores ſuorum corporum cuſtodiam Germanis commiſerunt, utpote qui fide, & fortitudine reliquis nationibus antecellerent. Quod etiam hoc tempore faciunt plerique in Europa Reges, ac Principes. Norunt Germaniæ populos fidei, ac juramenti eſſe ſervantiſſimos; non fallere quempiam, non inſidiari, non prodere, vitam, & fortunas ſecure committi illis poſſe. Et memini, audire me, qui dicerent, ſi fides juramenti, ſi dictorum, pactorumque conſtantia toto orbe pelleretur, in una Germania tutum exilium inventuram.

11. Hæc tamen, quæ dico, non eo ſpectant, quaſi omne juramentum promiſſorium, qualecunque tandem illud ſit, in omni eventu ſervari debeat. Tunc ſervandum eſt, quando nec honeſtati adverſatur, nec legibus, aut canonibus contrarium eſt, nec bono publico pernicioſum: ſi ſecus, ſervari non debet. Non igitur ſervandum eſt in his tribus caſibus.

12. Primo, quando eſt de re turpi & illicita, ut ſi jures te commiſſurum furtum, adulterium, homicidium; aut neglecta fidelitate erga legitimum principem, rebellibus adhæſurum. Unde Juſtinianus Imperator, L. *Imperialis*, De nuptiis: *Legibus*, inquit, *expreſſum eſt*, *illicitæ rei jusjurandum ſervari non oportere*. Eodem ſenſu reperiuntur hæc in jure Canonico. 1. *Tolerabilius eſt juramentum non implere, quam turpiter facere*. 2. *Juramenta illicita laudabiliter ſolvuntur*, *damnabiliter obſervantur*. 3. *Juramentum non eſt vinculum iniquitatis*. *Tolerabilius eſt non implere Sacra-*

men-

mentum, quam permanere in ſtupri flagitio. Apud Gratianum 22. q. 4. per varia capitula.

13. Quod etiam multis exemplis in utroque jure confirmatur. Primo, exemplo Herodis, qui peccavit ſervando illicitum juramentum. c. *eſt etiam*, ibidem. Secundo, exemplo Davidis, qui laudatur, quod non ſervaverit juramentum, quo promiſerat ſe interfecturum Nabal. c. *Si aliquid*, ibidem. Tertio, exemplo mulieris adulteræ, quæ juraverat ſe adultero adhæſuram. Et quia non fecit, non cenſetur violaſſe juramentum, ſed prudenter omiſiſſe. c. *Mulier*, ibid. Quarto, exemplo cujuſdam Hubaldi, qui juraverat ſe concubinam ſuam velle ducere in uxorem, & propriam matrem cum fratribus e domo expellere, nec ullam eis alimoniam præſtare. Cui ſuaſum fuit, ut poſteriorem partem juramenti, utpote illicitam, non ſervaret. c. *inter cætera*, ibid. Quinto, exemplo mulierum ſcenicarum, quæ juramento promiſerant ſe permanſuras in ſuo peccato, & libidinis infamia. Quibus reſponſum eſt ab Imperatore, tali juramento, ac promiſſione eas non obligari. L. citata C. *de nuptiis*. Et recte. Nemo enim obligatur ad peccatum.

14. Secundo. Non eſt ſervandum juramentum, quod legibus, aut canonibus contrarium eſt, quod etiam ex utroque jure probari poteſt. Primo ex civili, L. *Si quis inquilinos*, ff. de Legatis fidei commiſſis, §. finali: *Divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt, jusjurandum contra vim legum, & authoritatem juris in teſtamento ſcriptum nullius eſſe momenti*. Deinde ex Canonico, c. *Si diligenti*, De foro competenti: *Nec juramentum licite ſervari poterit, quod contra canonica ſtatuta illicitis pactionibus informatur*. Et ratio eſt, quia major eſt obligatio publicæ legis, quam privati juramenti: ergo ſi juramentum privatum repugnat legi publicæ, huic tamquam fortiori inſiſtendum eſt. Hoc ſenſu dicit Innocent. c. jam citato: *Pactione privatorum juri publico minime derogatur*. Et Papinianus L. *Jus publicum*, ff. de pactis, *Jus publicum privatorum pactis mutari non poteſt*. Et regula juris eſt: *Privatorum conventio juri publico non derogat*. L. *neque pignus*, ff. de diverſis regulis juris.

15. Hinc invalidum eſt juramentum Clericorum, quo renunciant privilegio fori, promittentes ſe comparituros coram Judice ſæculari. Hoc enim jure Canonico illis vetitum eſt. c. *Si diligenti*, ubi Pontifex ait: *Cum in Conciliis ſit ſpecialiter promulgatum, ne Clerici Clericos, relicto ſuo Pontifice, ad judicia publica pertrahant; manifeſte patet, quod paciſci non poſſunt, ut ſæcularia judicia ſubeant, cum non ſit beneficium hoc perſonale, cui renunciari valeat, ſed*

potius toti collegio Eccleſiaſtico publice ſit indultum, cui privatorum pactio derogare non poteſt, Similiter invalidum eſt juramentum Prælatorum, qui, quando eliguntur a Capitulo, jurant ſe ſervaturos ſtatuta, & conſuetudines illius loci, etiamſi conſtet eſſe contra canones, & libertatem Eccleſiaſticam, c. *contingit* de jurejur. in 6. Quod ſic intellige, ex ea parte invalidum eſſe, qua extendit ſe ad ſtatuta, vel conſuetudines, quæ repugnant canonibus, aut libertati Eccleſiaſticæ: non autem ex ea parte, qua ſe extendit ad ea, quæ non repugnant: ut diſerte explicatur c. cit.

16. Tertio, Nec ſervandum eſt juramentum, quod bono publico noxium eſt, utiiſdem, & ſimilibus exemplis demonſtrari poteſt. Ut ſi Clericus juret, ſe renunciare privilegio Clericali, quod toti Clero conceſſum eſt. Vel ſi Prælatus juret, ſe ſervaturum ſtatuta, & conſuetudines libertati Eccleſiaſticæ repugnantes. Vel ſi ſubditi jurent, ſe adhæſuros rebellibus contra ſuum Principem. Vel, ſi civis juramento paciſcatur cum extraneis, ſe ſingulis menſibus, etiamſi civitas fame premeretur, exportaturum frumenta ad mercatum. Hæc enim, & ſimilia juramenta communitati pernicioſa ſunt. Et ex hoc capite invalidum eſt juramentum, quo vir promittit uxori, nunquam ſe illam accuſaturum de ullo crimine; quia fieri poteſt, ut propter bonum publicum, in aliquo caſu, teneatur eam accuſare. c. *quemadmodum*, §. *illud autem*, de jurejurando.

17. Ex dictis (ut veniam ad quæſtionem initio propoſitam) ſic concludo: Juramentum de re illicita nec obligat, nec ſervandum eſt; ac proinde qui illud non ſervat, non eſt perjurus, ſed recte, ac laudabiliter facit: At juramentum, quo quis promittit ſe permanſurum in falſa fide, ac religione, eſt de re illicita, non minus, quam ſi promittat ſe permanſurum in mendacio, in adulterio, in uſura: ergo nec obligat, nec ſervandum eſt: ac proinde qui illud non ſervat, non eſt perjurus, ſed recte, ac laudabiliter facit. Major propoſitio ex utroque jure probata eſt. Minor non eget probatione. Sed ulterius ſubſumendum eſt: Lutherana fides, & religio, ut ſupponunt Lutherani, qui ad Catholicam propendent, eſt falſa: ergo qui jurat ſe manſurum in Lutherana, rem illicitam jurat. Non ergo obligatur juramento. Neque perfidus, aut perjurus eſt, ſi juramentum non ſervet, ſed recte, ac laudabiliter facit.

Diluuntur Argumenta contraria.

18. Argumenta in contrarium allata recte quidem probant magnam debere eſſe juramenti religionem, & authorita-

ritatem, quod non negamus, ſed juramenti, quod honeſtum, ac licitum eſt, quod legibus non repugnat, quod reipublicæ non eſt perniciosum. Qua adhibita moderatione, bene omnia cohærent. Nam primo verum eſt, Deum ſæpe juraſſe, nunquam juramentum reſcidiſſe. Nulla fuit reſcindendi cauſa. Nam quicquid juravit, fuit honeſtum, ac licitum, legi conſentaneum, humano generi ſalutare. In hoc par eſt, nos Deum imitari.

19. Secundo, verum quoque eſt, Sedeciam, Antiochum, Alcimum, Andronicum a Deo punitos eſſe, quod juramentum violarint. Cum enim rem licitam juraſſent, merito obligati erant ad præſtandum. Non præſtiterunt: perjuri facti ſunt, puniti ſunt. Nihil mirum. Eos non imitemur.

20. Tertio, Calviniſtæ propterea accuſantur, quod nullius juramenti, ne quidem liciti, ac honeſti, rationem habeant; ſed ſequantur illud tritum, ac infame axioma: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli*. Quod certe non probo. Nam ſic quidem, ut antea inſinuavi, neceſſe eſt tolli omnem fidem, ac confidentiam, quæ in quotidianis contractibus, pactionibus, & publicis Comitiis plane neceſſaria eſt. Qua ſemel ſublata, (ut jam magna ex parte ſublata eſt) non video quid aliud expectari poſſit, quam diffidentia inter Principes, odia, factiones, inteſtina bella, regnorum ruinæ, ac interitus. Deus avertat.

Finis Libri Quinti.

APPENDIX
EX OPERIBUS
R. P. MARTINI BECANI,
In Colonienſi Editione adjuncta.

CAPUT I.
De Fide Juſtificante.

1. TRia docent Adverſarii. Primo, ſolam fidem juſtificare, 2. Hanc fidem juſtificantem in eo conſiſtere, ut credas peccata omnia tibi remitti propter merita Chriſti. 3. Diſtingui autem a fide hiſtorica, & miraculorum. Addunt Calviniſtæ alia tria. 1. Fidem juſtificantem donari ſolis prædeſtinatis. 2. Et ſemel habitam amitti non poſſe. 3. Et facere hominem certum, ac ſecurum de ſua juſtitia, perſeverantia, prædeſtinatione, & vita æterna. Hinc emergunt variæ quæſtiones.

QUÆSTIO I.

2. AN ſola Fides juſtificet? Primo, certum eſt, fidem non juſtificare formaliter, quia forma, a qua homo formaliter eſt juſtus, non eſt fides; ſed juſtitia, ſecundum nos, juſtitia inhærens, ſecundum adverſarios, juſtitia imputativa. Secundo, certum eſt, non ſolam fidem juſtificare diſpoſitive, ſed etiam timorem, ſpem, charitatem, pœnitentiam. Nam ſicut de fide ſcriptum eſt, Rom. 3. 28. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem*: Ita de aliis, Eccl. 1. 28. *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari*. Et Prov. 28. 25. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur*. Et 1. Jo. 3. 14. *Qui non diligit, manet in morte*. Et Actor. 2. 28. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; veſtrum in remiſſionem peccatorum*. Tertio, dubium manet, an ſola fides dici poſſit juſtificare, quia ſola apprehendit juſtitiam Chriſti? Affirmant adver-

verſarii. Ego diſtinguo. Verum eſt, ſolam fidem apprehendere juſtitiam Chriſti: falſum eſt, nos juſtificari per ſolam juſtitiam Chriſti fide apprehenſam; ac proinde falſum, ſolam fidem hoc ſenſu juſtificare.

3. Objicitur 1. illud Rom. 3. 28. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis*. Et Eph. 2. 5. *Salvati eſtis per fidem, non ex operibus*. Hinc colligunt Adverſarii, ſola fide hominem juſtificari, quia Apoſtolus opponit fidem operibus. Cum ergo dicit, hominem juſtificari fide ſine operibus, excludit omnia opera præter fidem: ergo etiam excludit actum timoris, ſpei, dilectionis, & pœnitentiæ. Reſp. Duplicia ſunt opera: alia præcedunt fidem, alia ſequuntur. Priora excludit Apoſtolus, non poſteriora. Cum ergo actus timoris, ſpei, dilectionis, & pœnitentiæ ſequantur fidem, & in fide fundati ſint; certum eſt, non excludi. Hanc autem eſſe mentem Apoſtoli, inde conſtat, quia vult oſtendere, nec Judæos ex nuda obſervatione legis Moſaicæ, nec Gentiles propter bona opera ante fidem ſuſceptam patrata, juſtitiam a Deo conſequi potuiſſe, aut conſecutos eſſe, ſed ex fide in Chriſtum: fidem eſſe initium ſalutis, & juſtificationis; nec dari ex præcedentibus operibus, ſed eſſe donum Dei. Vide Auguſt. lib. de Prædeſtinat. Sanct. c. 7. & in Præfatione Pſalmi 31. & alibi.

4. Objicitur 2. ex eodem Apoſtolo, hominem juſtificari gratis, ac proinde ſola fide. Rom. 3. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*. Reſp. Juſtificatio dicitur gratuita, non quia fit ſola fide, ſed quia non meremur illam per ulla opera, ſive fidei, ſive fidem præcedentia. Conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 8.

5. Objicitur 3. Scripturam ſolius fidei mentionem facere, quando ait de juſtificatione, & remiſſione peccatorum, Luca 6. 50. *Fides tua te ſalvam fecit*. Et Joan. 1. 22. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus*. Reſpond. Sicut Scriptura aliquando meminit ſolius fidei, ita aliquando meminit ſolius charitatis. Luc. 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*.

QUÆSTIO II.

6. AN fides juſtificans in eo conſiſtat, ut quis certo credat, peccata omnia ſibi eſſe remiſſa propter merita Chriſti? Affirmant Adverſarii. Sed male. Primo, quia ipſe docent, nihil fide credendum eſſe, niſi quod habetur in Scriptura. At ibi non habetur Luthero, aut Calvino remiſſa eſſe peccata; ergo id fide credendum non eſt. Secundo,

do, quia ſi certo credunt, peccata ſibi remiſſa eſſe, fruſtra orant: *Dimitte nobis debita noſtra*. Tertio, teſtimonia Scripturæ, quæ ipſi afferunt pro fide juſtificante, ſunt hæc fere, Matth. 9. 2. *Videns Jeſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*. Et infra v. 22. *Vade, quia fides tua te ſalvum fecit*. Hæc, & ſimilia importune nobis objiciunt adverſarii pro ſola fide juſtificante, & tamen nullo modo intelligi debent de fide, qua quis credit peccata ſibi remiſſa eſſe, ſed de fide, qua Paralyticus, & alii ægroti credebant, ſe a Chriſto ſanari poſſe, ut ex contextu patet.

7. Objici poteſt illud ex Symbolo, *Credo remiſſionem peccatorum*, ſed fruſtra: Nam ſenſus illius articuli non eſt: Credo mihi remiſſa eſſe peccata, ſed, Credo, & profiteor, in Eccleſia Catholica eſſe donum remiſſionis peccatorum, quod per Baptiſmum, & alia Sacramenta percipitur. Unde quod in Symbolo Apoſtolico dicitur; *Credo remiſſionem peccatorum*; in Conſtantinopolitano explicatur, *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*. Et Catechumeni, qui ante Baptiſmum recitant, & credunt totum fidei Symbolum, non jam habent, ſed exſpectant remiſſionem per Baptiſmum obtinendam.

QUÆSTIO III.

8. AN fides juſtificans differat a fide hiſtorica, & miraculorum? Adverſarii diſtinguunt triplicem fidem. Unam hiſtoricam, qua credimus vera eſſe, quæ narrantur in Scripturis. Alteram miraculorum, qua credimus nihil eſſe, quod a Deo fieri non poſſit. Tertiam promiſſionum, qua credimus veras eſſe promiſſiones Dei de gratuita peccatorum remiſſione per merita Chriſti. Addunt, Nos nec prima, nec ſecunda, nec ſola tertia juſtificari. Hanc iterum ajunt duplicem eſſe: Unam generalem, qua generatim credimus promiſſam eſſe remiſſionem peccatorum iis omnibus, qui in Chriſtum credunt: Alteram ſpecialem, qua unuſquiſque in particulari promiſſionem illam ſibi applicat, credendo omnia peccata ſibi remiſſa eſſe. Hanc ſpecialem proprie eſſe illam, qua juſtificamur.

9. De hac triplici fide ſic ſcribit noſter Maldonatus in cap. non. Matthæi: *Iſta triplex fides, quam iſti nuper invenerunt, figmentum eſt, ſomnium eſt, portentum eſt, chimæra eſt. Si unam haberent fidem, omnem haberent: quia triplicem habent, nullam habent*. Aptiſſime. Primo, quia fides illa ſpecialis jam exploſa eſt. Oſtendi enim neminem poſſe certo credere ſibi re-

remiſſa eſſe peccata, niſi a Deo id ſpeciatim revelatum ſit. Secundo, falſum eſt, fidem miraculorum non juſtificare. Certè fides illa, de qua loquitur Chriſtus Marc. 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, fides juſtificans eſt; & tamen eſt fides miraculorum, ut patet ex verbis ſequentibus: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient*. Falſum quoque eſt, fidem hiſtoricam non juſtificare. An non fides hiſtorica eſt, qua credimus Chriſtum eſſe crucifixum, mortuum, ſepultum, deſcendiſſe ad inferos, reſurrexiſſe a mortuis, & ad cœlos aſcendiſſe? Nemo dubitat. Et tamen eadem illa fides juſtificans eſt, ut patet ex ſymbolo fidei, & ex Scriptura, Rom. 10. 9. *Si in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris*. Et 1. Cor. 15. 1. *Notum facio vobis Evangelium, per quod ſalvamini, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die, &c.*

QUÆSTIO IV.

10. AN fides detur ſolis prædeſtinatis? Affirmat Calvinus l. 3. Inſt. c. 21. §. 10. Sed falſo. Nam etiam Judas proditor, & Simon Magus, & Nicolaus Antiochenus aliquando crediderunt, & tamen non erant prædeſtinati. De Juda conſtat Joan. 6. 71. *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus eſt?* De Simone, Actor. 5. 12. *Cum vero credidiſſent Philippo evangelizanti de Regno Dei, & in nomine Jeſu Chriſti baptizarentur viri, ac mulieres, tunc Simon & ipſe credidit, & cum baptizatus eſſet, adhærebat Philippo*. De Nicolao, Actor. 6. 3. *Conſiderate viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia. Et elegerunt Stephanum, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Simonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum.*

QUÆSTIO V.

11. AN fides amitti poſſit? Calvinus l. 3. cap. 2. §. 11. aſſerit, amitti non poſſe. Sed aperte contra Apoſtolum 1. Timoth. 1. 19. *Quidam circa fidem naufragaverunt, ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander*. Et cap. 4. 1. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris*. Et ratio eſt, quia ſi fides amitti non poteſt, unde tot ſunt hæretici in mundo? *Oportet hæreſes eſſe*, inquit Apoſtolus. Hoc autem inter-

intereſt inter hæreticos, & paganos: quod hi fidem nunquam habuerunt: illi habuerunt, & amiſerunt. Et jam ante oſtendi, Simonem Magum, & Nicolaum Antiochenum habuiſſe fidem, qui tamen poſtea hæretici facti ſunt.

QUÆSTIO VI.

11. AN fides faciat hominem certum de ſua juſtitia, perſeverantia, & prædeſtinatione? Affirmat Calvinus in Antidoto Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 10. 13. & 14. Et aperte ſequitur ex ipſius fundamentis, quæ ſunt hęc. Primum, fidem dari ſolis prædeſtinatis. 2. Eam non amitti. 3. Sola fide hominem juſtificari. 4. Qui fidem habet, certum eſſe de ſua fide. Hinc ſequitur, ſi is, qui fidem habet, certus eſt de ſua fide, certum quoque eſſe de ſua juſtitia, quia ſola fides juſtificat: certum de ſua perſeverantia, quia fides juſtificans non amittitur: certum de ſua prædeſtinatione, quia fides datur ſolis prædeſtinatis. Hæc Calvini opinio refellitur ex iiſdem principiis, quibus innititur. Nam tria priora manifeſte falſa ſunt, ut probatum eſt. Quartum vero, ſive verum, ſive falſum ſit, nihil ad rem facit. Nam etſi is, qui fidem habet, certus eſſet de ſua fide, non tamen certus eſſet de ſua juſtitia, ſi ſola fides non juſtificat; nec certus de perſeverantia, ſi fides amitti poteſt, nec certus de prædeſtinatione, ſi fides communis eſt reprobis, & prædeſtinatis.

CAPUT II.

De Jejunio, & Abſtinentia.

1. NOs in Eccleſia Catholica ſolemus ſervare varia jejunia, præſertim jejunium Quadrageſimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum, & abſtinentiam a carnibus feria ſexta, & Sabbato; idque propter præceptum Eccleſiæ, quod antiquiſſima conſuetudine introductum eſt. Sicut enim in veteri Teſtamento ſæpe indicta ſunt jejunia, ac nominatim a Rege Saule, 1. Regum 14. 24. & a Joſaphat, 2. Paralipom. 20. 2. & a Rege Ninivitarum, Jonæ 3. 5. & ab Eſdra, 1. Eſdr. 8. 21. & ab Eſther, Eſth. 3. 19. Sic etiam ſtatuit Eccleſia, ut Chriſtiani certis anni temporibus jejunarent, tum ad Deum placandum, tum ad exercitium temperantiæ, & obedientiæ. Quod futurum prædixit Chriſtus, Matth. 9. 15. *Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.*

2. Ad-

2. Adverſarii contemnunt præceptum Eccleſiæ, & hoc ſolum faciendum ajunt, quod a Deo pręcipitur. Jejunium autem non præcipitur a Deo. Mira res! Urgent præceptum Dei, & illud ipſum contemnunt. Deus præcepit, ut audiamus Eccleſiam, & illi obtemperemus; Adverſarii non volunt. Audiant ſaltem, quid fecerint Rechabitæ; quibus a parente ſuo Jonadab mandatum fuit, ut & ipſi, & uxores eorum, & omnes poſteri perpetuo abſtinerent a vino. Non objecerunt, quod noſtri Adverſarii objiciunt, nihil faciendum eſſe, niſi quod Deus præcipit; ſed dixerunt: *Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab, pater noſter, præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri in ſempiternum.* Et propterea a Deó laudati ſunt, & peculiari benedictione affecti. Verba benedictionis ſunt hęc: *Non deficiet vir de ſtirpe veſtra, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Jerem. 13. Hinc diſcant Adverſarii, Catholicos non minus recte, ac laudabiliter facere, ſervando præceptum Eccleſiæ, quam Rechabitæ fecerunt ſervando præceptum parentis ſui Jonadab. Non enim minus laudabile eſt obedire communi matri Eccleſiæ, quam obedire privato homini.

CAPUT III.

De Imagine Chriſti.

1. CAlviniſtæ ſunt hoſtes imaginis Chriſti: certe Beza in colloquio Monpelgartenſi auſus eſt dicere: *Fateor me ex animo crucifixi imaginem deteſtari.* Horribilis blaſphemia. Et Paræus in c.1.ep.ad Rom. dub. 18. diſerte ſcribit, omnes eſſe idololatras, qui tuentur imaginem Chriſti, non minus, quam quicolunt imagines ſerpentum, & aliarum beſtiarum. Nos dicimus imaginem Chriſti tripliciter ſpectari poſſe. 1. Quatenus eſt aurea, vel argentea, vel lignea, vel ex alia materia. 2. Quatenus artificioſe facta eſt. 3. Quatenus Chriſtum, & ejus beneficia nobis repræſentat, & hoc tertio modo religioſe retinendam, colendam, ac honorandam eſſe. Ratio eſt, quia imago Chriſti non eſt deterioris conditionis, quam olim in V. T. fuerint imagines Angelorum, & ænei ſerpentis: At hæ juſſu Dei factę ſunt, & in honore habitę.

2. Et quidem de imaginibus Angelorum ſcriptum eſt Exodi 25. 18. *Dixit Dominus ad Moyſen: Facies duos Cherubim aureos, & productiles, ex utraque parte Oraculi, Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero.* Ubi per duos Cherubim aureos intelliguntur duę ſtatuę, ſeu imagines aureę, repręſentantes

tes

tes duos Angelos Cherubinos; quæ poſitæ erant in Tabernaculo ſuper arcam fœderis; & expanſis alis tegebant Arcam. Erant autem in magno honore, quia erant præcipua pars, & quaſi ornamentum Arcæ. At tota Arca honorabatur a Judęis. Primo, quia ponebatur in Sancto Sanctorum, tanquam in loco honoratiſſimo; Hebr. 9. 4. Secundo, quando translata fuit de domo Aminadab in domum Obededom, David cum univerſo populo eam honoravit, pſallendo, & cantando citharis, & aliis muſicis inſtrumentis, 2. Reg. 6. 5. Tertio, quia laicis non licebat eam portare, ſed tantum Levitis, & Sacerdotibus, propter venerationem illi debitam. Ideoque Oza morte punitus eſt, quod auſus fuiſſet eam attingere, tametſi bona intentione id feciſſet. 2. Reg. 6. 8 Quarto, Philiſthæi, quia ſine debito honore apud ſe illam retinebant, variis plagis a Deo attriti ſunt, 1. Reg. 5. & 6. E contrario Obededom, qui illam tribus menſibus in ſua domo honorifice detinuerat, Dei benedictionem conſecutus eſt, 2. Reg. 6. 11.

3. Similiter de imagine ſerpentis ænei ſcriptum eſt Num. 21. 8. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Hoc factum eſt in deſerto, ſeu ſolitudine, ubi multi e populo mordebantur ab ignitis ſerpentibus, & moriebantur. Deus, ut occurreret huic malo, mandavit fieri ſtatuam, ſeu imaginem ſerpentis ex ære, quam ſi morſi aſpicerent, ſanabantur. Erat hæc imago in magna veneratione. 1. Ob cauſam jam dictam. 2. Quia erat figura Chriſti in cruce pendentis. Nam ſicut morſi a ſerpentibus ſanabantur ex aſpectu in ſerpentem æneum; ita morſi a Diabolo ſanantur ex fide in Chriſtum crucifixum, Joan. 3. 14.

4. Unde ſic concludo: Figura eſt minoris pretii, quam res figurata; quo pacto Moyſes, qui erat figura Chriſti, minoris erat pretii, quam Chriſtus; & Agnus Paſchalis, quam Euchariſtia; & Circumciſio, quam Baptiſmus. Si ergo imago ſerpentis ænei fuit honorata, multo magis imago Chriſti honoranda eſt. Nemo ſanus dubitat. Imago ſerpentis non fuiſſet honorata, niſi fuiſſet figura, ſeu umbra imaginis Chriſti: nec ſanaſſet morſos a ſerpentibus, niſi virtute Chriſti, qui ſanat morſos a Diabolo.

5. Dices, Ezechias Rex confregit imaginem ſerpentis ænei, 4. Reg. 18. 4. Ergo & imago Chriſti confringenda eſt. Reſp. Hęc conſequentia Calviniſtica non valet. 1. quia imago ſerpentis ænei, ut jam inſinuavi, facta fuit in eum finem, ut morſi ab ignitis ſerpentibus illam aſpicerent, & ſanarentur. Itaque, durante illo fine, durabat imago: ceſſante, confringebatur. Duravit

autem

autem finis ille, quamdiu Judæi erant in ſolitudine, ubi erant ſerpentes venenati. Ceſſavit, quando ingreſſi ſunt terram promiſſionis, ubi non erat periculum ab hujuſmodi ſerpentibus. At imago Chriſti crucifixi in eum finem ſolet fieri, ut repræſentet nobis Chriſtum Salvatorem, & ejus beneficia in memoriam revocet. Hic finis durabit uſque ad finem mundi. Semper enim memoria Chriſti, & beneficium ejus ante oculos ponendum eſt: Semper igitur imago illius retinenda, & in pretio habenda. Deinde ſerpens æneus, ceſſante fine, propter quem erat factus, cœpit eſſe occaſio idololatriæ. 4. Reg. 18. 4. Et ex hac etiam parte debuit confringi. Imago autem Chriſti non eſt occaſio idololatriæ apud nos Catholicos; quia non alium ob finem eam retinemus, quàm ut nobis Chriſtum Salvatorem, & beneficia ejus repræſentet.

6. 2. Calviniſtæ hæc non capiunt: agnoſcant ſaltem quid ipſi facere conſueverunt. Ipſi magno ſumptu, ac artificio curant formari, depingi, exornari, & conſervari ſtatuas Principum, imagines uxorum, filiorum, parentum, avorum, etiam prædicantium. Quæ ergo inſania eſt, imaginem Chriſti conſpuere, abolere, & exterminare, illorum ſervare? Nimirum pluris illos faciunt, quam Chriſtum. *Cæci ſunt, & duces cæcorum.*

CAPUT IV.

De Circulo Calviniſtico.

1. DAvid Paræus Calviniſta objicit nobis circulum, quod Scripturam probemus per Eccleſiam, & rurſum Eccleſiam per Scripturam. Cum enim quæritur: Unde ſcis, Scripturam eſſe divinam? Reſpondemus, quia Eccleſia ſua infallibili authoritate id dicit: Cum iterum quæritur, Unde ſcis, Eccleſiam, quæ id dicit, habere infallibilem authoritatem? reſpondemus; quia ſcriptura id dicit.

2. Ego viciſſim quæro ex illo, unde ſcis ſcripturam eſſe divinam? reſpondet, quia privatus meus ſpiritus hoc dicit. Sed unde ſcis, privatum tuum ſpiritum eſſe infallibilem, & divinum? quia ſcriptura hoc dicit. Certe & hic circulus eſt, mi Paræe. Nam Scripturam probas per privatum ſpiritum, & rurſus privatum ſpiritum per ſcripturam. Perinde ac ſi aſſeras: mater eſt proba, quia filius dicit; & filius eſt probus, quia mater dicit.

3. Res ſic habet: Philoſophi docent, committi circulum, quando hoc per illud, & illud per hoc probamus apud eum, qui neu-

trum

trum concedit, & ęque de utroque dubitat. Verbi gratia. Si negem, & matrem, & filium eſſe probum, circulum committes, probando matrem eſſe probam, quia filius dicit, & filium probum, quia mater dicit: Quare? quia utrumque mihi ęque ignotum, & incertum eſt. Probatio autem debet procedere à notis ad ignota, vel à conceſſis ad inconceſſa; ut ex Ariſtotele, & aliis Philoſophis manifeſtum eſt. Hinc colligo, circulum fore, ſi quis Chriſtianus apud Ethnicum, qui nec Eccleſiam, nec Scripturam admittit, probare vellet, Scripturam eſſe infallibilem, quia Eccleſia dicit; & Eccleſiam infallibilem, quia Scriptura dicit. Nam utrumque illi ęque ignotum, ęque incertum eſt. E contrario, non fore circulum, ſi unum per alterum probes apud eum, qui alterum admittit, alterum negat: Verbi gratia, Calviniſta admittit Scripturam, negat Eccleſię infallibilitatem. Recte ergo convincam illum hoc modo: Scriptura, quam tu admittis, dicit Eccleſiam eſſe infallibilem: ergo revera infallibilis eſt. Similiter, ſi quis idiota admittat judicium Eccleſię, & tamen neſciat in particulari, libros Machabęorum eſſe canonicos, facile perſuadebo illi ſine circulo, ſi ſic dicam: Eccleſia, cujus tu authoritatem agnoſcis, aſſeverat libros Machabęorum eſſe canonicos: ergo non debes de hac re amplius dubitare.

4. Et hic modus probandi uſitatus eſt in Scripturis, & Patribus. Oſtendam uno, vel altero exemplo. Phariſęi admittebant Moyſen, negabant Chriſtum. Convicit ęos Chriſtus his verbis, Joan. 5.36. *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi, de me enim ille ſcripſit.* Contra, Manichęi admittebant Chriſtum, & Euangelium; negabant Moyſen, & Prophetas. Convicit eos Auguſtinus ſimili argumentandi modo in libris contra Fauſtum Manicheum, & l. 1. de moribus Eccleſię Catholicę c. 1. & ſequentibus. Idem nos facimus. Nam rudes Catholicos, qui dubitant de aliqua Scripturę parte, convincimus judicio Eccleſię, cui ſe ſubmittunt: Hęreticos vero, qui negant Eccleſiam, convincimus ex Scripturis, quas non negant. Et ſic nullum committimus circulum.

5. At Paręus hoc modo excuſari non poteſt. Nam ſpiritus privatus, quem ipſe fingit, a nemine admittitur. Neminé ergo ex privato ſpiritu poteſt convincere. Quod ſic oſtendo. Nomine privati ſpiritus intelligit internam teſtificationem ſpiritus ſancti, quam quis in ſe experitur. Hic ſpiritus habet tria privilegia. 1. Quod reperiatur in ſolis prędeſtinatis. 2. Quod ſolos prędeſtinatos, qui legunt, vel audiunt Scripturas, infallibiliter faciat certos de divina earum authoritate: ita ut ſtatim cum audiunt, vel legunt aliquid, infallibiliter norint diſcernere inter Scripturas divinas, & non divinas. 3. Quod

eadem

eadem infallibiliter faciat eos certos de præſenti juſtitia, futurâ perſeverantia, & vita æterna. Hæc priviliegia colligit Paræus ex illo Joan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*. Ubi per oves ait intelligi prædeſtinatos, & per vocem Dei divinam Scripturam.

6. Hoc poſito, videamus, an Paræus poſſit ſe expedire a circulo ſuo. Igitur quæro. Unde probas, Paræe, Euangelium Joan. eſſe verbum Dei? Ex privato meo ſpiritu, inquis. Sed unde probas, hunc tuum ſpiritum eſſe a Deo? Ex Euangelio Joan. *Oves meæ vocem meam audiunt*. Sed unde ſcis, hoc Euangelium eſſe verbum Dei? Ex privato meo ſpiritu. Sed unde conſtat, hunc tuum ſpiritum eſſe a Deo? Ex Euangelio Joannis. Sed ſi negem hoc Euangelium eſſe divinum, unde probabis? Ex privato ſpiritu, qui mihi hoc teſtificatur. Sed cum ille ſpiritus ſuſpectus ſit, unde probas a Deo eſſe? jam ſæpe dixi. Quid mihi moleſtus es? Noli iraſci, bone vir. Non vides te in circulo oberrare.

7. Magis conſtringam te. Unde ſcis te habere internam teſtificationem Spiritus Sancti? Ex Euang. Jo. *Oves meæ vocem meam audiunt*. At unde ſcis, te eſſe ovem Chriſti? Ex interna teſtificatione Spiritus S. Sed unde ſcis hanc teſtificationem eſſe a Spiritu Sancto? Quia ſum ovis Chriſti. Iterum oberras in circulo. Nec facile elaberis. Poteris quidem ſic argumentari: Oves Chriſti audiunt vocem ſui Paſtoris: ſed Paræus eſt ovis Chriſti: ergo Paræus audit vocem ſui Paſtoris. Major vera eſt. Sed minor unde probatur? Quid ſi dicam te hœdum eſſe, non ovem? quid ages? an probabis te ovem eſſe, quia ſpiritum privatum habes? At volebas probare te ſpiritum privatum habere, quia ovis es. En novum circulum, quem tibi ſic inculco: Unde conſtabit tibi, Paræe, quod habeas privatum ſpiritum teſtificantem? quia ſum ovis Chriſti. Et unde conſtat, quod ſis ovis Chriſti? quia habeo privatum ſpiritum, qui id teſtificatur. Apage cum iſto circulo.

CAPUT V.

De Polygamia.

1. Anabaptiſtæ docent, licitam eſſe polygamiam, ideſt licitum eſſe homini Chriſtiano plures ſimul habere uxores, quod damnatum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *can.* 2. Nos tria tempora diſtinguimus. *Primum*, ab initio mundi uſque ad Abrahamum. *Secundum*, ab Abrahamo uſque ad Chriſtum.

Tertium, a Chriſto uſque ad finem mundi. In *primo* fuerunt primi parentes cum proximis ſuis poſteris. In *ſecundo* Judæi cum ſuis progenitoribus, Abrahamo, Iſaac, & Jacob. In *tertio* ſunt Chriſtiani.

2. Igitur in *primo* viguit ſola monogamia, ex Dei inſtitutione, Gen. 1. 27. *Maſculum, & fœminam creavit eos.* In *ſecundo* conceſſa eſt polygamia. In *tertio* reducta eſt monogamia, & exploſa polygamia. Matth. 19. 4. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos.* Et 1. Cor. 7. 2. *Unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.*

CAPUT VI.

De vinculo Matrimonii.

1. ANabaptiſtæ docent, vinculum Matrimonii apud Chriſtianos diſſolvi poſſe propter hæreſim alterius conjugis, quod etiam damnatum eſt in Trid. ſeſſ. 24. Can. 5. Et merito. Nam Chriſtus Matth. 19. 6. generatim dicit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

2. Nec obſtat, quod olim Judæis conceſſum ſit, dato libello repudii, dimittere uxores ſuas, & alias ducere, quia hoc factum eſt propter duritiem cordis eorum, juxta illud Matth. 19. 8. *Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic.* Unde & Chriſtus generatim dixit Marci 10. 11. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.* Et Apoſt. Rom. 7. 2. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.*

3. Loquor de Chriſtianis, quia aliud eſt de infidelibus. Nam ſi duo infideles contrahant matrimonium, & poſtea alter conjugum fiat Chriſtianus, & alter perſiſtat in infidelitate, poteſt Chriſtianus infidelem dimittere, & cum alia Chriſtiana contrahere, ut docet Apoſt. 1. *Cor.* 7. 15. Quod Chriſtianis non licet. In nullo enim caſu poteſt maritus Chriſtianus uxorem Chriſtianam dimittere, & cum alia contrahere. *Dices*. Poteſt id facere ob fornicationem, ſeu adulterium, ut fatetur Chriſtus Mat. 5. 32. *Omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mæchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Reſpondeo. Aliud eſt, dimittere uxorem ſuam propter fornicationem, aliud, illa dimiſſa, ac vivente, aliam ducere. Prius conceſſum eſt a Chriſto, non poſte-

poſterius. Sic explicat Apoſtolus 1. Corinth. 7. 10. cum ait: *Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit* (ob fornicationem) *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Ubi duo conſideranda ſunt: *Unum*, quod aliquando uxor poſſit diſcedere a viro ex legitima cauſa: *Alterum*, quod vivente viro, non poſſit alium virum accipere, ſed debeat vel manere innupta, vel priori viro reconciliari.

CAPUT VII.

An Duellum ſit licitum?

1. DUellum eſt ſingulare duorum certamen, ex pacto, ſeu condicto initum. Monomachiam vocant. Quæritur, quando licitum, & quando illicitum ſit? Et quæ ſint pœnæ illiciti duelli?

CONCLUSIO PRIMA.

2. Duellum in tribus caſibus licitum eſt. *Primo*, quando neceſſarium eſt ad evitandam injuſtam mortem, certo alioqui imminentem. Ita Valentia *tom.3. quæſt. 17. punct. 1.* cum Navarro, & Cajetano. Ratio eſt, quia ſemper licitum eſt ſubire minus malum ad evitandum majus: at minus malum eſt, exponere ſe periculo mortis per duellum, quam incurrere certam mortem per injuſtam occiſionem. *Secundo*, licitum eſt, quando Princeps, qui juſtum bellum gerit, videt ſe imparem eſſe, ac probabiliter timet ſuccumbere, niſi bellum mutet in duellum. Ita Sanchius *lib.2.c.29. n. 16.* & alii ab eo citati. Ratio eſt, quia in tali caſu ceſſat malitia duelli, quæ in eo conſiſtit, quod uterque, inter quos duellum eſt, conjiciat ſe in periculum mortis ſine ſufficienti cauſa. At hoc non ſit in propoſito reſpectu illius, qui gerit juſtum bellum. Tametſi enim conjiciat ſe in periculum mortis, hoc tamen facit ex ſufficientiſſima cauſa, quia per periculum privatæ mortis vult totum exercitum liberare a majori periculo publicæ cladis, ac internecionis. Nam majus periculum eſt, quando debilior exercitus confligit cum fortiori in bello, quam quando par pugnat cum pari in duello: *Tertio*, licitum eſt, quando miles noſtræ partis in bello juſto provocat militem alterius partis, eo animo, ut, ſi alter recuſet, noſtri milites ſiant alacriores ad bellum. Tunc enim ſuſcipitur duellum ad juſtum bellum promovendum. Item, quan-

do miles contrariæ partis provocat noſtrum militem, ſicut Goliath provocavit unum ex Hebræis. Tunc noſter, qui juſtam cauſam fovet, poteſt acceptare duellum eo animo, ut oſtendat noſtros milites non timere hoſtem, ſed paratos eſſe ad certamen, quandocumq; hoſti viſum eſt. Hoc etiam prodeſt ad promovendum bellum, & ad hoſtem deterrendum. Hi caſus ad duos generales revocari poſſunt. *Unus* eſt, quando quis videt ſe injuſte occidendum, niſi acceptet duellum. *Alter*, quando bonum commune id poſtulat. Vide *Toletum* lib. 5. Inſt. Sacerd. c. 6. circa finem.

CONCLUSIO SECUNDA.

3. Duellum non eſt licitum in his caſibus. *Primo*, quando ſuſcipitur ad oſtentationem virium, & oblectationem ſpectantium. (cap. 1. de Torneamentis) Ratio, quia ſtultum, ac temerarium eſt, exponere ſe periculo vitæ præſentis, & futuræ, pro inani oſtentatione, vel oblectatione. *Secundo*, quando ſuſcipitur ad vindicandam injuriam. (*Valentia* q. 17. p. 1.) Ratio, quia privata perſona non poteſt vindicare injuriam ſibi factam. *Matth.* 7. 2. Roman. 2. 2. Publica poteſt quidem, ſed per viam juris, aut belli vindicativi. Niſi forte neceſſe ſit, bellum reſolvere in duellum. (ſupra §. 2.) *Tertio*, quando ſuſcipitur ad indagandam veritatem, & juſtitiam alterius partis. (cap. Monomachiam, 2. quæſt. 5. & cap. Significantibus, de purgatione vulgari.) Ratio, quia duellum, quod ſuſcipitur ad teſtimonium veritatis, vel proprii juris, ac innocentiæ, ex ſe fallax eſt; quia ſæpe contingit, innocentem in duello ſuccumbere. (cap. Significantibus citato) *Quarto*, quando ſuſcipitur ad defenſionem proprii honoris, ne lædatur. (Cajetanus, Sotus, Navarrus, Valentia, & alii apud Sanchium num. 9.) Ratio, quia, quando agitur de vero honore, & ignominia, non oportet ſpectare, quid dicant homines improbi, & mundani; ſed quid probi, & ſapientes. Mundani putant viro nobili ignominioſum eſſe recuſare oblatum duellum, ſcortationem, potationem, & ſimilia, quibus improbi delectantur. Sapientes e contrario cenſent honorificum eſſe reſpuere, quidquid divinæ legi adverſatur. *Quinto*, quando ſuſcipitur ad defenſionem bonorum temporalium. (ex communi ſententia) Ratio, quia ſunt alia duo media aptiora ad hunc finem. *Unum*, per ſimplicem defenſionem extra duellum. Poſſum enim, non ex pacto, ut in duello fit, ſed ex bona occaſione, ſi offertur, invaſorem repellere, &, ſi neceſſe ſit, interficere, ut res meas mihi conſervem,

vem, præſertim ſi ſint magni pretii. *Alterum*, per viam Juris, quia ſi ſimplici defenſioni non eſſet locus ob periculum propriæ vitæ, (ut ſi invaſor eſſet fortior, quàm ego!) poſſum illum accuſare de injuria, & per ſententiam Judicis compellere ad reſtitutionem. Ex his duobus mediis alterum poteſt eligi; Nam ſi advertam me fortiorem eſſe invaſore, poſſum vi illum repellere; Sin minus, ad ſententiam Judicis recurrendum eſt. Utrobique ceſſat periculum propriæ vitæ. At in duello tam mea, quam invaſoris vita periculo expoſita eſt.

CONCLUSIO III.

4. Antiquo jure pœna ſuſpenſionis ſtatuta eſt in Clericos duellum exercentes, ſive ipſi duellum obtulerint, ſive acceptaverint; [*cap.* 1. de Clericis pugnantibus in duello] Novo jure variæ pœnæ conſtitutæ ſunt, tum à Concilio Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. de Reformatione, tum a tribus Pontificibus, Pio IV. Gregorio XIII: & Clemente VIII. quas copioſe perſequitur Sanchius *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 18. Summa earum eſt hæc. 1. Excommunicantur omnes, qui duellum exercent. 2. Excommunicantur Imperatores, Reges, Principes, qui concedunt locum pro duello exercendo. 3. Excommunicantur omnes, qui præbent conſilium, favorem, auxilium ad duellum, & qui præſentes adſtant, vel interſunt. 4. Morientes in duello privantur ſepultura Eccleſiaſtica. Denique Clerici præter excommunicationem privantur etiam dignitatibus, beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis, ſi aliquo modo ad duellum cooperentur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ
Hoc Manuali explicatorum.

Numerus prior indicat paginam; poſterior paragraphum.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX LIBRO GENESIS.

C. 1. v. 26. FAciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. 458. 5
v. 27. Maſculum, & fœminam creavit eos. 554. 2
2. 24. Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. ibid.
45. 8. Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum. 490. 2
50. 19. Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? ibid.

EX LIBRO EXODI.

C. 12. v. 23. Erit autem agnus abſque macula. 10
22. 28. Diis non detrahes, & Principi tuo non maledices. 542. 1

EX LIBRO NUMERORUM.

C. 11. v. 17. Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi. 123. 59

EX LIBRO DEUTERONOMII.

C. 5. v. 2. Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ab eo. 38. 44
12. 32. Quod tibi præcipio, hoc tantum facito Domino: nec addas

addas quicquam, aut minuas. 41. 49
17. 8. Si difficile, atque ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, &c. ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. 118. 44
v. 17. Non habebit uxores plurimas. 560. 20
25. 4. Non alligabit os bovi trituranti. 6. 5
27. 26. Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis hujus. 327. 11
30. 6. Circumcidet Deus cor tuum, & ſeminis tui. 131. 82
v. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum. 8. 4

EX LIBRIS REGUM.

2. Reg. 5. 6. Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos. 633. 25
16. 10. Dominus præcepit Semei, ut male diceret David. 502. 7
24. 1. Commovit Dominus David, dicentem: Vade, numera Iſrael, & Judam. ibid.
3. Reg. 8. 39. Tu notaſti ſolus cor omnium filiorum hominum. 165. 21

EX LIBRO JOB.

C. 14. v. 21. Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget. 166. 24

EX PSALMIS.

Pſ. 18. v. 6. In Sole poſuit tabernaculum ſuum. 46. 5
v. 9. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. 9. 7
31. 2. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. 341. 21
34. 13. Oratio mea in ſinu meo convertetur. 175. 15
43. 19. Declinaſti ſemitas noſtras a via tua. 502. 7
50. 7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. 536. 2
88. 29. In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Præluд. 2. 5
94. 11. Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. 6. 4
v. 8. Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. 482. 9

 102. 4.

102. 4. Qui coronat te in miſericordia, & in miſerationibus. 329. 6
104. 25. Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus. 502. 7
105. 45. Memor fuit teſtamenti ſui. Prælud. 2. 5
118. 8. Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. 9. 7
v. 34. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. ibid.
v. 135. Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas. ibid.
v. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. ibid.
v. 130. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.

EX ECCLESIASTE.

C. 7. v. 21. Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. 388. 8
9. 1. Neſcit homo, utrum odio, vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta. 369. 4
v. 5. Viventes ſciunt ſe morituros: mortui vero nihil noverunt amplius. 166. 23

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

C. 8. v. 21. Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, adii Dominum, & deprecatus ſum illum. 377. 7

EX LIBRO ISAJÆ.

C. 8. v. 20. Ad legem magis, & ad teſtimonium. 139. 111
11. 9. Non occident in univerſo monte ſancto meo. 612. 7
41. 23. Bene, aut male, ſi poteſtis, facite. 328. 6
45. 7. Ego Dominus, & non eſt alter, faciens pacem, & creans malum. 505. 9.
54. 10. Montes commovebuntur, & colles contremiſcent; miſericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non movebitur. 55. 30
v. 11. Ecce ego ſternam per orbem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris; & ponam Jaſpidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos. ibid.

v. 17.

Digitized by Google

v. 17. Omne vas, quod fictum eſt contrà te, non dirigetur; omnem linguam reſiſtentem tibi in judicio condemnabis. ibid.

55. 1. Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac. 393. 8

56. 10. Speculatores ejus cæci omnes. 125. 66

60. 11. Aperientur portæ tuæ jugiter, die, ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur: gens enim, & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit. 52. 22

63. 16. Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos. 166. 25

46. 6. Et facti ſumus, ut immundi, omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ. 389. 9

EX LIBRO JEREMIÆ.

C. 4. v. 4. Circumcidimini Domino, & auferte præputium cordium veſtrorum. 131. 82

6. 13. A Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. 126. 67

EX LIBRO EZECHIELIS.

C. 14. v. 9. Ego Dominus decepi Prophetam illum. 502. 7

18. 4. Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. 326. 8

v. 20. Filius non portabit iniquitatem Patris. 537. 4

v. 21. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor. 181. 37

36. 26. Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. 483. 11

EX LIBRO DANIELIS.

C. 9. v. 27. Deficiet hoſtia, & ſacrificium. 61. 50

EX LIBRO MALACHIÆ.

C. 1. v. 11. In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. 263. 21

EX

EX NOVO TESTAMENTO.
EX S. MATTHÆO.

C. 4. v. 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. 161. 6
5. 7. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 392. 6
v. 15. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. 45. 5
v. 25. Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem. 192. 5
v. 33. Ego autem dico vobis, non jurare omnino. 553. 5
v. 39. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. 549. 18
7. 6. Nolite dare ſanctum canibus. 23. 25
9. 13. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores. 443. 16.
11. 24. Quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis. 374. 1.
v. 27. Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo. 408. 31
12. 32. Qui dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro. 386. 57
13. 29. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem. 612. 9
15. 6. Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram. 44. 63
v. 24. Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael. 443. 16
16. 18. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. 648. 3
18. 6. Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt. 417. 19
v. 20. Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. 410. 38
19. 6. Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. 242. 114
v. 8. Moyſes ob duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: Ab initio autem non fuit ſic. 560. 21
22. 21. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. 653. 20
23. 14. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis

domos viduarum, orationes longas orantes. 28. 4
26. 27. Bibite ex hoc omnes. 241. 110
v. 28. Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti. Prælud. 2. 8
v. 29. Non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei. 523. 36
v. 52. Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. 550. 19.
27. 46. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? 595. 4
28. 18. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. 408. 32
v. 20. Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. 56. 33. & 410. 38

EX S. MARCO.

C. 16. v. 15. Qui non crediderit, condemnabitur. 416. 17

EX S. LUCA.

C. 6. v. 41. Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? 183. 45
8. 50. Crede tantum, & ſalva eris. 361, 16
9. 54. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare. 614. 14.
12. 14. Quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos? 654. 22.
17. 10. Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus. 393. 9.
22. 19. Hoc facite in meam commemorationem. 240, 19
v. 20. Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur. Prælud. 2. 8. 516. 15
v. 25. Reges gentium dominantur eorum, &c. Vos autem non ſic. 542. 2
23. 42. Dicebat latro ad Jeſum: Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum. 186. 58
v. 43. Hodie mecum eris in Paradiſo. 188, 65
24. 30. Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat eis. 203. 18. & 27

EX S. JOANNE.

C. 3. v. 15. Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. 453. 3

v. 13. Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. 13. 2
v. 35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Ecce dico vobis, levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ jam ſunt ad meſſem. ibid.
v. 19. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. 263. 28
5. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere; & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. 108. 10. & 142. 16
v. 43. Ego veni in nomine meo, & non recipitis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis. 155. 36
6. 63. Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam. 110. 17.
v. 44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit illum. 473. 11
v. 53. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. 229. 84
7. 37. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. 393. 8
8. 41. Nos ex fornicatione non ſumus nati. 557. 12
v. 44. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. 668. 5
9. 39. Et dixit Jeſus: In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. 13. 2
13. 27. Quod facis, fac citius. 502. 7
14. 29. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. 84. 38
v. 28. Pater major me eſt. 109. 13.
15. 4. Ego ſum vitis, vos palmites. 346. 10
17. 24. Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum. 445. 2
18. 36. Regnum meum non eſt de hoc mundo. 654. 21
20. 17. Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum. 18. 10
21. 22. Paſce oves meas. 648. 3

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

C. 2. v. 23. Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſtis. 490. 2
v. 24. Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni. 449. 12
v. 42. Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & com-

communicatione fractionis panis, & orationibus. 208. 34.
4. 27. Convenerunt vero in civitate iſta facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri. 409. 2
7. 51. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. 482. 9
13. 39. In hoc omnis, qui credit, juſtificatur. 361. 17
15. 10. Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? 381. 5
18. 11. Quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent. 142. 119
20. 7. Una autem Sabbati cum veniſſemus ad frangendum panem. 209. 35

EX EPIST. AD ROMANOS.

C. 1. v. 28. Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt. 497. 16
3. 24. Juſtificati gratis per gratiam ipſius. 360. 15
v. 28. Arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis. ibid. 14
4. 3. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. 366. 7
v. 5. Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam. 348. 13
v. 15. Ubi lex non eſt, nec prævaricatio. 537. 6
5. 12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. 536. 2
v. 19. Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi. 348. 14
6. 12. Non regnet peccatum in corpore veſtro mortali. 371. 4
v. 23. Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna. 326. 8
7. 18. Velle quidem adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. 383. 7
8. 3. Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne. 350. 18
v. 14. Quicunque ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei. 482. 7
v. 16. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. 371. 9
v. 18. Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam. 394. 10

v. 38. Certus ſum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare a charitate Dei. 361. 10
9. 11. Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. 465. 13
v. 16. Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. ibid.
v. 18. Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. ibid.
v. 21. An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam? ibid.
10. 11. Omnis, qui credit in illum, non confundetur. 361. 17
12. 5. Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. 79. 26
13. 1. Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. 652. 15.
14. 23. Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. 172. 7

EX I. AD CORINTHIOS.

C. 1. v. 30. Chriſtus factus eſt nobis a Deo ſapientia, & juſtitia, & redemptio. 348. 15
2. 10. Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. 109. 14
v. 12. Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis. 372. 11
3. 11. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. 566. 1
v. 15. Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. 187. 59
4. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem judicat me, Dominus eſt. 370. 7
7. 23. Pretio redempti eſtis, nolite fieri ſervi hominum. 544. 8
10. 1. Patres noſtri ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. 5. 2
v. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? 273. 31
11. 23. Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis. 142. 213.

v. 26. Quotieſcunque manducabitis panem hunc. 425. 17
12. 4. Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus. 343.4
v. 6. Deus operatur omnia in omnibus. 481.6
v. 11. Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. 346.9
v. 29. Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur? 22.22
17. 10. Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. 480.5
v. 29. Alioqui quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur? 187. 60

EX II. AD CORINTHIOS.

C. 3. v. 6. Littera occidit, Spiritus autem vivificat. 107.7
v. 5. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. 481.6
v. 15. Uſque in hodiernum diem, dum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. 108.9
4. 3. Quod ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum: in quibus Deus huius ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelii gloriæ Chriſti. 12.14
v. 17. Id, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 399.10
5. 10. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. 537. 5
v. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo. 349. 17. 321. 4
10. 4. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed ſpiritualia. 550. 21
13. 5. Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus in vobis eſt? niſi forte reprobi eſtis. 372.13

EX

EX EPIST. AD GALATAS.

C. 1. v. 8. Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema ſit. 41. 52.
3. 10. Quicunque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. 382.6
v. 13. Chriſtus nos redemit de maledicto legis. 485.3

EX EPIST. AD EPHESIOS.

C. 1. v. 9. Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo. 353.4
2. 3. Eramus & nos natura filii iræ, ſicut & cæteri. 536.3
v. 5. Salvati eſtis ex fide, non ex operibus. 360.14
4. 5. Unus Dominus, una fides. 543.4
v. 10. Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia. 408.33
v. 11. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas. 650.7
v. 15. Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum. 81.30
v. 24. Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate. 350.19
5. 26. Ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. 284.36
v. 31. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. 115.36
6. 11. Induite vos armaturam Dei. 551.21

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

C. 1. v. 6. Deus operatur in vobis velle, & perficere. 481.6

EX

EX EPIST. AD COLOSSENS.

C. 1. v. 15. Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ. 17. 11
2. 8. Videte, ne quis vos decipiat per prophetiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum. 446. 3
v. 9. In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. 407. 28
3. 9. Nolite mentiri invicem, exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum. 460. 6

EX II. AD THESSALONICENSES.

C. 2. v. 3. Niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati. 61. 48. & 150. 17
v. 7. Myſterium jam operatur iniquitatis. 147. 6
v. 10. Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. 155. 36

EX I. AD TIMOTHEUM.

C. 1. v. 19. Juſto non eſt lex poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis. 385. 4
2. 1. Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus; & omnibus, qui in ſublimitate ſunt. 652. 16
v. 5. Unus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus. 161. 8
3. 16. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, &c. 43. 57
4. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii. 296. 29

EX EPIST. AD TITUM.

C. 3. v. 10. Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, 614. 16

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

C. 1. v. 6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. 32. 19
7. 12. Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat. 264. 33
9. 16. Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris, Prælud. 2. 5
v. 22. Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. 277. 47
11. 6. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. 417. 18

EX EPIST. CATHOLICA JACOBI.

1. 6. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. 373. 15
v. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. 482. 8
2. 10. Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus. 326. 9

EX I. PETRI.

C. 1. v. 17. Redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis. 44. 65

EX II. PETRI.

C. 1. v. 19. Habemus firmiorem propheticum ſermonem; cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. 14. 12

EX I. JOANNIS.

C. 2. v. 18 Filioli, noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt. 146. 2
3. 14. Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. 372. 12
4. 3. Hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt. 148. 7
v. 13. In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. 372. 12
5. 13. Hæc ſcribo vobis; ut ſciatis, quoniam vitam habe-

tis

tis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. 374. 17
v. 18. Scimus, quoniam ex Deo ſumus. 372. 12

EX APOCALYPSI.

3. 20. Ego ſto ad oſtium, & pulſo. 439. 4
14. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. 189. 69
22. 18. Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ. 42. 55

INDEX

RERUM.

Numerus prior paginæ, ſequens nota eſt paragraphi.

A

ADami lapſum Scriptura tribuit Serpenti, Diabolo, Hevæ, Adamo, nuſquam Deo, pag. 485. §. 2
Adam quo ſenſu ſpoliatus, & vulneratus, 451 9
Adulti duplici titulo accipiunt vitam æternam, mercedis, & hæreditatis, 301. 4
Æquivocatione an liceat uti? 671. 1
Æternitatem Dei non eſſe totam ſimul, ſed ſucceſſivam, docet Vorſtius, 438. 1
Agar uxor fuit Abrahæ, non concubina, 255. 10
Allegoricus Scripturæ ſenſus quis? 6. 3
Anagogicus Scripturæ ſenſus quis? ibid. 4
Anabaptiſtarum varia genera: Cathari, Tacentes, Enthuſiaſtæ, Libertini, Adamitæ, Memnoniſtæ. 535
Angliæ Reges præ cæteris olim de Pontifice optime meriti, 661. 7
Animæ juſtorum poſt hanc vitam non dormiunt, 463. 1
Antichriſti nomen duobus modis ſumitur. 1. Pro quocunque Chriſti hoſte. 2. Pro præcipuo Chriſti hoſte, qui in fine mundi venturus eſt, & cujus reliqui omnes præceſſores ſunt, 138. 7
Antichriſtus proprie dictus, qui ab Apoſtolo vocatur homo peccati, & filius perditionis, nondum venit in hunc mundum, ibid. 10
Antichriſtus non veniet, niſi prius everſum ſit, & deſolatum Romanum Imperium, ibid. 10. Duo teſtes venturi ſunt eodem tempore, quo Antichriſtus, qui erunt amicti ſaccis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexagintaquinque, 152. 24. Pontifex Romanus non eſt Antichriſtus, 255. 34
Antichriſtus a Judæis pro Meſſia recipietur, ibid. 36
Antichriſtus faciet ignem de cœlo deſcendere, 155. 37
Antichriſti notæ ſunt, Deficere a Fide, Sedere in Templo Dei, Oſtendere ſe tanquam Deum, Extollere ſe ſupra omnem Deum, Negare Chriſtum, Facere falſa miracula, Im-

Imprimere ſubditis characterem, 157. 41. & ſeq.
Antichriſtum peccaturum, eſt neceſſarium ex ſuppoſitione, non autem ex intrinſeca terminorum connexione: vel neceſſarium eſt, non ex antecedente, ſed conſequente neceſſitate, 476. 14
Apoſtolis an æqualiter Chriſtus Eccleſiam commendaverit? 60. 29
Apoſtoli ſervarunt perpetuam continentiam; non quidem ex præcepto divino, ſed partim ex conſilio Chriſti, partim ſua ſponte, ac propoſito, 314. 10
Arca fœderis magno in honore fuit apud Judæos, 454. 5
In Arca Domini fuerunt tria. 1. Urna aurea habens manna. 2. Virga Aaron, quæ fronduerat. 3. Tabulæ teſtamenti, 635. 29
Archiduces Auſtriæ contra pacta conventa, & jurata non expellere Barones, Nobiles, & alios ſubditos Euangelicos, 603. 33
Arriani dicebant Chriſtum non eſſe Deum, ſed Deo inferiorem, 109. 13
Attributa divina communicata ſunt humanitati, non in ſe, ſed in ſuppoſito, ſeu perſona Verbi, 462. 14
Attributa divina communicata ſunt humanitati, non ſolum in perſona Verbi, ſed etiam in ipſa humanitate: non tamen proxime, immediate, & formaliter, ſed tantum mediate, conſequenter, identice, ibid. 15
Attributa divina ſunt aliquid abſolutum in Deo, ſubſiſtentia eſt relativa, 503. 19
Author peccati non eſt Deus, 606. 1

B

BAlnea duo habet Eccleſia: Baptiſmum, & Pœnitentiam, 333. 5
Baptiſmum non licet petere a Lutheranis, vel Calviniſtis extra caſum neceſſitatis, 578. 2
Baptizari poſſunt infantes, 539. 9
Baro quidam Lutheranus qua ratione ad Fidem Catholicam converſus, Prælud. 2. §. 3
Beatitudine homines non Dei, ſed ſua culpa excidunt, 446. 7
Bellum ex natura ſua licitum eſt, ſi adſit legitima authoritas indicendi bellum, juſta cauſa, & recta intentio. 445. 2
Bellum offenſivum indicendi legitima authoritas eſt in quovis Principe, vel Republica non agnoſcente ſuperiorem, ibid. 3
Belli indicendi juſtæ cauſæ quæ poſſint eſſe, 546. 5
Recta intentio ad bellum juſtum requiſita triplex eſt, ibid. 6

Bellum fuit licitum in veteri Teſtamento, 548. 11.
Bellum licitum Chriſtianis in novo Teſtamento, 549. 13
Beza æquivocatione uſus eſt ad alios decipiendos, 671. 1

C

CEremoniæ Moſaicæ quando cœperint eſſe mortiferæ, 74. 9
Calviniſtæ ex canone Librorum V. T. expungunt libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, 3. 4
Calvini blaſphema vox, minimum legis mandatum onus eſſe Ætna gravius, 381. 4
Canon duo ſignificat, 1. Normam, ſeu regulam, quam ſequimur. 2. Catalogum aliquarum rerum, 2. 1
Canonici Libri Scripturæ qui ſint, 2. 2
Carnes die prohibito an liceat comedere cum hæreticis? 570. 1
Carolus Magnus a Leone Papa coronatus Imperator, qua formula juriſjurandi uſus, 667. 4
Catholica Religio quas ob cauſas amplectenda, 673. 2
Catholici unde magnum ſolamen haurire poſſint, 70. 76
Chriſtianus tempore perſecutionis poteſt fugere, vel ſe occultare, ne cogatur reſpondere de rebus fidei, ut ſic periculum vitæ evadat, 572. 7
Chriſtiano per ſimulationem non licet adorare idola, nec incenſum illis adolere. 576. 1
Chriſtiano homini duplex finis propoſitus; Naturalis, qui eſt pax, & tranquillitas reipublicæ; & Supernaturalis, qui eſt æterna beatitudo, 620. 2
Chriſtus teſtator eſt in utroque teſtamento, Prælud. 2. §. 17
Chriſti meritum fuit ſufficiens ad totum genus humanum redimendum, & ſalvandum, 438. 3
Chriſti meritum reipſa non eſt efficax reſpectu reproborum quoad vitam æternam, ibid. 3
Chriſti meritum reipſa eſt efficax reſpectu reproborum quoad dona gratiæ in hac vita, 439. 5
Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis, non autem pro reprobis mortuum, aſſerit Calvinus, 438. 1. & Chriſtum in cruce deſperaſſe; 454. 1. & Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, nil aliud eſſe, quam perpeſſum pœnas, & cruciatus damnatorum, 445. 2. & Chriſtum cœpiſſe deſcendere ad inferos, quando in horto mortem deprecatus eſt, 448. 8. & Chriſtum nihil fuiſſe nobis profuturum ſua paſſione, & morte, niſi etiam poſt mortem pœnas damnatorum paſſus eſſet, ibid. 7. Chriſtum paſſione, ac mor-

morte ſua aliquid ſibi meruiſſe negat, 450. 1. refellitur, ibid.
Chriſti imago toleranda, colenda, ac honoranda, 452. 1
Chriſti imago tripliciter ſpectari poteſt, ibid. 2
Cælibatus miniſtris Eccleſiæ ab Apoſtolis præſcriptus, 317. 18
Communicatio idiomatum vera quomodo explicanda, 406. 25
Communio ſub utraque ſpecie non eſt neceſſaria ex Chriſti præcepto, 197. 2. Aliud enim eſt inſtitutio divina, aliud præceptum, 100. 7. Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, non tamen præcepit omnibus uſum utriuſque ſpeciei, 201. 11. Chriſtus uſum unius ſpeciei & verbis, & factis comprobavit, 203. 16. Tempore Apoſtolorum uſurpata fuit una ſpecies, 208. 34 Poſt tempora Apoſtolorum fuit una ſpecies in uſu, 210. 33. Sub una ſpecie non minus continetur Chriſtus, quam ſub utraque, 220. 59. Poſſunt eſſe legitimæ cauſæ, cur potius ſub una, quam ſub utraque ſpecie laici communicent, 133. 94. Eccleſia legitime ſtatuit, ut communicent ſub una ſpecie, 235. 99. Objectiones hæreticorum diſſolvuntur, 237. & ſequentib.
Communio domeſtica olim apud Catholicos ſub altera ſpecie uſitata fuit. 215. 50
Communio laica in pœnam magni delicti olim dabatur clericis, 218. 56.
Concilium Tridentinum, & Conſtantienſe docuit, hæreticis fidem ſervandam, 596. 14. & 15
Conciones hæreticorum quibus, & quando liceat audire, 577. 1
Concupiſcentia in actu primo non eſt peccatum originale, ſed naturalis quædam pronitas, quæ per ſe culpabilis non eſt, 375. 2
Concupiſcentiæ motus rationem prævenientes non ſunt peccata mortalia, nec prohibentur hoc præcepto: *Non concupiſces*; ſed ſolus conſenſus. ibid. 2
Concupiſcentia ſumitur tribus modis, 320. 1
Confeſſio non eſt onus importabile ex eo, quod ſæpe non occurrant homini omnia peccata, quæ commiſit, 2. Quod pudeat hominem aperire peccata ſua Sacerdoti, 3. Quod periculum ſit, ne confeſſarius manifeſtet peccata. Prælud. 2. §. 39. & ſeq.
Correctio duplex eſt, juſtitiæ, & charitatis, 92. 59
Continentia, quam Apoſtoli miniſtris Eccleſiæ præſcripſerunt, ſtatim in Eccleſia ſervata eſt, ac poſtea etiam lege Eccleſiaſtica non ſemel, ſed ſæpius præſcripta, 317. 18
Continentiæ lex ſemper viguit in Eccleſia Occidentali, in Orientali non item, 319. 26

D

DÆmon habet poteſtatem in homines non baptizatos ratione peccati originalis, 533.10
David non tenuit Primatum Eccleſię in V. T. 634.28
De rebus a Deo non revelatis ſalva fide dubitari poteſt, 240.9
Deus ab æterno non prædeſtinavit peccatum Adæ, 484. 1. neque peccata aliorum hominum, 489. 1
Deus non impellit diabolum, ut nos inducat ad peccandum. 497. 2.
Deus occulta vi non movet, neque neceſſitat nos ad peccandum, 499. 1
Deus non operatur nobiſcum peccata noſtra, 502. 1
Deus non eſt dicendus author peccati, 506. 1
Deo nulla deeſt perfectio, 418. 6
Deus formaliter eſt hoc aliquid, eminenter omnia, ibid. 8
Deum eſſe infinitum negat Vorſtius, 427. 1. Idem docet, Deum ſecundum ſubſtantiam ſuam non eſſe ubique præſentem in hoc mundo, ſed tantum in cœlo, 429. 1. Item in Deo eſſe accidentia realiter a ſubſtantia Dei diſtincta, 432. 1. & decreta Dei non eſſe ab æterno, 434. 1. Refellitur. ibid.
Donatiſtæ docuerunt, Eccleſiam Catholicam, quæ antea toto orbe fuerat diſperſa, poſtea toto orbe periiſſe, & ſolum remanſiſſe in parte Africæ, 57. 35
Diſputatio cum hæreticis quibus, & quando liceat? Catholicus peccat diſputando cum hæreticis, quando non habet bonam intentionem, 581. 2. Catholicus peccat diſputando cum hæreticis, ſi ipſe ſit laicus, ib. 3. in Germania tamen, & aliis quibuſdam locis, ubi Catholici, & hæretici permixti ſunt, licet. Item in caſu neceſſitatis, 582. 6. Clericus indoctus diſputando de fide peccat, ibidem 7. Catholici peccant diſputando cum hæreticis de fide coram ſimplicioribus, 583. 9. Catholici peccant diſputando de fide cum hæreticis pertinacibus, præſertim ſi aliunde non appareat ulla utilitas, ibidem 11.

E

ECcleſia Chriſti, quam militantem vocamus, viſibilis, & conſpicua eſt, 45. 1
Eccleſia eſt una, 49. 11

Eccle-

Eccleſia eſt Sancta, ib. 10
Eccleſia eſt Catholica, ſeu univerſalis, ib. 13
Eccleſia eſt Apoſtolica, 54. 14
Eccleſia eſt Sponſa Chriſti, ib. 13
Eccleſia eſt Domus Dei, ib. 17
Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis, 51. 17
Diſcrimen inter Eccleſiam Chriſti, & Synagogam Judæorum, 49. 17
Extra viſibilem Eccleſiam nemo poteſt ſalvari, 52. 20
Eccleſia viſibilis non poteſt deficere, vel errare in fide, 53. 23
Hoc intelligendum non de aliqua parte Eccleſiæ, ſed de tota Eccleſia, ibid. Chriſtus non permiſit, ut Eccleſia tota, quatenus toto orbe diffuſa eſt, publice profiteretur aliquod dogma, quod ſit contra fidem, vel Euangelium, ibid. 24
Eccleſia in quo ſimilis Lunæ, 64. 54. Nemo poteſt errare in fide, & religione, qui ſentit quod tota Eccleſia ſentit, 57. 38
Eccleſia Romana, ſeu Pontificia eſt vera Chriſti Eccleſia, 64. 59
Eccleſia Lutheranorum, & Calviniſtarum non eſt vera Chriſti Eccleſia, 67. 68
Eccleſiæ Caput Chriſtus eſt, 71. 2
Eccleſiam in hac vita exiſtens Chriſtus fundavit, & Apoſtoli eandem poſt Chriſti aſcenſionem propagarunt, 72. 4
Eccleſia quo ſenſu e latere Chriſti fluxerit, 73. 7
Eccleſiæ Caput viſibile fuit Chriſtus in hac vita, 75. 15
Eccleſiæ Caput manet adhuc in Cœlo exiſtens, non quidem viſibile, ſed inviſibile, 76. 16
Eccleſiæ Caput præter Chriſtum, qui nunc in cœlis eſt, debet eſſe aliquod viſibile, quod loco Chriſti viſibiliter gubernet Eccleſiam, 77. 11
Eccleſia comparatur exercitui bene ordinato, regno, ovili, domui, humano corpori, 78. 23
Eccleſiaſtica poteſtas triplex eſt: Ordinis, Juriſdictionis interioris, & Juriſdictionis exterioris, 619. 2
Eleazar cur noluerit ſuillam comedere? 381. 4
Epiſcopi, & Paſtores tenentur manere apud ſuos ſubditos tempore perſecutionis, 762. 8
Epiſcopi, & Apoſtoli non habent minores titulos, quam Reges, imo ſæpe majores, 647. 58
Eſſentia, & attributa divina non ſunt formaliter, & per ſe communicata humanitati, ſed tantum identice, quatenus ſunt realiter idem cum ſubſtantia relativa: At Chriſto per ſe, & formaliter communicata ſunt in perſona Verbi, 407. 29
En-

Euchariſtiam non licet cum Lutheranis, & Calviniſtis participare, 578. 27
Euchariſtiæ in V. T. figuræ fuerunt, 1. Panis, & vinum Melchiſedech, 2. Panis propoſitionis. 3. Panis ſubcinericius Eliæ, 4. Manna. 5. Aqua de petra, 6. Agnus Paſchalis, 7. Sacrificia Moſaica, 347. De fructu Euchariſtiæ quid ſentiant Lutherani, 123. 72. Quid Calviniſtæ, & Zuingliani? 216. 77. Quid Catholici? 229. 82
In Euchariſtia Chriſtus præſens eſt repræſentative, objective, effective, & per ſe ipſum, 610. 2
Calviniſtæ negant præſentiam Chriſti in Euchariſtia, 511. 5
Iidem aſſerunt, verba illa Chriſti; *Hoc eſt corpus meum*, non propriè, ſed figurate intelligenda, 512. 6
Item Corpus Chriſti, cum tantum ſit in cœlo, non aliter percipi, ac manducari a nobis in Euchariſtia, quàm ſola fide, ibid. 7. Sed Calviniſtæ ſeipſos jugulant, 513. 9. Non intelligunt, quid dicant, 515. 11. Scripturam corrumpunt, 516. 14. Repugnant Patrib. 517. 17. Divinis miraculis confutantur, 518. 21. Nullo fundamento ſubnixi ſunt, 520. 19
In Euchariſtia ſubſtantia panis, & vini convertitur in carnem, & ſanguinem Chriſti. Accidentia panis, & vini manent ſine ſubjecto, Corpus Chriſti exiſtit ſine extenſione locali, & in diverſis locis, 318. 21
In Euchariſtia non eſt Chriſtus præſens per ubiquitatem, 412. 1 Nec per unionem hypoſtaticam, 420. 4. Nec per ſimplicem conjunctionem, 421. 5
In Euchariſtia Chriſtus fit præſens per converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem Chriſti, remanentibus ſolis accidentibus, 422. 9
Panem, & vinum Deum mutare poſſe in corpus, & ſanguinem Chriſti, aliquot rationibus probat S. Ambroſ. ibid. 10
Ex duobus malis, ſi utrumque vitari non poteſt, minus eligendum, 607. 9
Exorciſmus ante baptiſmum adhibendus, 430. 1. Per exorciſmum expellitur Diabolus, 533. 7. Exorciſmus in Eccleſia tota uſurpatus, ibid Duæ ejus partes, exſufflatio, & adjuratio. 530. 5
Expiatio in lege Moſaica erat duplex. 291. 14
Ezechias rex cur fregerit ſerpentem æneum. 453. 2. Non habuit primatum Eccleſiæ in V. T. 642. 46

F

FIdeles quatuor modis poſſunt pro ſe eſſe ſolliciti, 193.8
Fides ſola non juſtificat, 354.3
Fidem Chriſti externâ voce negare nullo modo licitum, ne quidem ad vitandam mortem 569.1.
In fide ſua non poteſt quilibet ſalvari, ſi credat tantum in Chriſtum, aut 12. Articulos fidei, 566.9
Fidem an liceat aliquando tacere, aut diſſimulare, 570.1. Interrogatus a publica perſona, an ſit Chriſtianus, vel Catholicus, non poteſt tacere, aut ambigue tergiverſari, ſed tenetur aperte confiteri, ſe Chriſtianum, aut Catholicum eſſe, etiam cum periculo vitæ, ibid, 8. Qui autem interrogatur à perſona privatâ, poteſt tacere, aut eludere, neque tenetur aperte confiteri, ſe talem eſſe, ibid. 2. Aliquando tamen utilitas proximorum aliud exigit, 572.6
Fides non eſt efficax ad juſtificandum ſine charitate. 355.17
Fides quo ſenſu dicatur libera. 615.17
Figuræ Euchariſtiæ in V. T. 247.127
Filius duobus modis poteſt eſſe particeps peccati patris. 537.4
Filios fidelium ab utero materno naſci ſanctos, & hæredes vitæ æternæ, ac proinde ſalvari poſſe ſine baptiſmo, aſſerunt Calviniſtæ, 426. 1. Item, filios infidelium, etiamſi baptizentur, non ſalvari, nec baptiſmum illis prodeſſe, ibid. Item ex toro illegitimo natos, ſive ſint filii fidelium, ſive infidelium, æternæ damnationi obnoxios eſſe, nec ad baptiſmum admittendos, ibid. Confutantur.

G

GErmaniæ multi viri, ac fœminæ non debent cenſeri hæretici, ſed errantes. 589.7
Germanis cuſtodiam corporis Auguſtus, & alii Imperatores ob fidem eorum, & conſtantiam commiſerunt, 676.12
Gratiæ non cooperari voluntatem, ſed omnino nihil agere aſſerit Calvinus. 480. 6. Item, Non eſſe in poteſtate voluntatis conſentire, aut refragari, ibid. 4. Refutatur, ibid.
Gratiæ actualis officium duplex, 483.5
Gratia eſt ſemen gloriæ, 395.20
Gratia eſt triplex, Præveniens, Adjuvans, Juſtificans. 473.11.

Gratia præveniens, & adjuvans non tollit libertatem arbitrii. ibid.
Gratia juſtificans non deſtruit, ſed ſanat, & perficit naturam. ibid.
Gregorius IX. quo ſenſu decernat, hæreticis non deberi fidelitatem, & obedientiam a ſubditis, 408.28

H

HÆreditas noſtra non eſt caro, & ſanguis Chriſti, ſed vita æterna, Prælud. 2. §. 11.
Hæredibus non ſolet dari præceptum adeundi hæreditatem, ibid. 12.
Hæreditas V. T. relicta figura fuit hæreditatis N. T. relictæ, ibid. 13.
Hæreditas, quæ teſtamento relinquitur, non ſolet tradi hæredibus, niſi poſt mortem teſtatoris, ibid. 17
Hæreticorum quatuor genera. 1. Pertinaces. 2. Zeloſi. 3. Frigidi, 4. Dubii, ac fluctuantes. Prælud. 1. Cum ſingulis quomodo agendum, ibid. Pertinaces ſimiles Phariſæis, ib. Zeloſi S. Paulo, ibid. Frigidi Iſraelitis. 3. Reg. 18. ibid. Dubii Nicodemo, atque Eunucho. ibid.
Hæreticorum converſionem quæ maxime cauſæ impediant. Prælud. 2.
Cum hæreticis non facile ineundi contractus, fœdera, pacta, &c. 1. Propter periculum ſubverſionis, 2. Propter ſcandalum. 3. Propter ipſorum improbitatem, ac perfidiam, 590. §. 1. & ſeq.
Hæreticis fides ſervanda, ſi cum illis pactus es, aut fœdus iniiſti. 592. 1. Tres caſus excipiuntur, 1. Si pactum ſit de re turpi, vel illicita. 2. Si pactum vi, aut metu cadente in conſtantem virum extortum, 3. Si is, cum quo pactus es, non ſervat tibi fidem, 495. 10. & ſeq.
Hæretici ut fiant, Princeps Catholicus ſuis ſubditis non poteſt concedere, nec hæreſim introducere, nec introductam fovere, confirmare, &c. 604. 1
Hæreſim Princeps Catholicus in civitate, aut Provincia ſua in tribus caſibus poteſt permittere, ſeu tolerare, 1. Quando non poteſt impedire. 2. Quando ex permiſſione ſperatur majus bonum. 3. Quando ex permiſſione vitatur majus malum, quod aliter evitari non poteſt. 607.10
Princeps Catholicus non ſolum poteſt permittere, ſeu tolerare hære-

hæreticos, ſed etiam pacifici, ſeu promittere ſe toleraturum, 608. 14
Hæreſis puniri poteſt pœna capitis, non quatenus peccatum, ſed quatenus perturbat pacem, ac tranquillitatem reipublicæ, 611. 6.
Hæretici nullum miraculum fecere. 57. 68
Hæreticus nemo cenſendus, niſi qui in errore ſuo eſt pertinax. 589. 5.
Hæreticos puniendi ratio mutata eſt pro neceſſitate temporis, 615. 18.
Hieronymus Pragenſis contra fidem datam combuſtus non eſt, 501. 32.
Homo privatus, qui ex charitate diligit ſe, & proximum ſuum, poteſt ſecundum ordinem charitatis præferre ſe proximo, 547. 8.
Humanitas Chriſti non poteſt eſſe actus purus, nec eſſe æterna, aut independens. 403. 17
Hus non eſt combuſtus contra datam fidem in Concil. Conſtantienſi, 600. 27

I

JEhu Rex Iſraelpeccavit ſimulando ſe ſacrificium velle offerre Baal, 575. 10
Jeſuitæ quid doceant de æquivocatione, 671. 3
Imago Chriſti toleranda, & honoranda, 452. 1
Imagines Angelorum, & æneï ſerpentis tolerabantur in V. T. ibid. 3.
Impoſitio manuum in N. T. ad varios effectus ſolita adhiberi, 207. 20.
Infantes habere fidem actualem, qua credant in Chriſtum, & juſtificentur, male aſſerit Lutherus, 410. 4.
Infantes non juſtificantur ſine omni fide. 416. 16
Infantes dicuntur actu credere, quatenus actu baptizantur, & quatenus credunt aliena fide, ibid. 15. Pro parvulis in baptiſmo qui reſpondent, Credo, non mentiuntur, 418. 20
Infantes omnes tam fidelium, quam infidelium naſcuntur in peccato originali, 527. 4.
Infantes ratione peccati originalis ſunt filii mortis, iræ, & indignationis, ibid. Non poſſunt effici filii Dei, niſi renaſcantur in Deo per baptiſmum. ibid.

Infantes propter merita, vel demerita parentum non prædeſtinantur, nec reprobantur. 529. 10

Infantes non baptizati quo ſenſu corporaliter obſideantur a dæmone? 552. 9

Infantes in ipſa conceptione contrahunt peccatum originale ex Adamo, & cum illo naſcuntur. 536. 2

Infantes capaces ſunt gratiæ juſtificantis. 539. 2. legitime baptizari poſſunt. ibid. 3

Innocentius Papa primus legitime definivit, quinam libri Veteris, ac Novi teſtamenti pro canonicis habendi ſint. 4. 5.

Innocentius VIII. permiſit Norvegis, ut ſine vino ſacrificium celebrarent, 210. 38

Invocatio Sanctorum non cedit in injuriam Dei, 161. 4. Nec in injuriam Chriſti, ibid. 8.

Invocatio Sanctorum non eſt ſignum diffidentiæ, 162. 12. neque eſt inutilis, ibid. 13. Sancti cum Chriſto regnantes in cœlo audiunt noſtras orationes, & norunt, quæ apud nos geruntur, 165. 16.

An ideo non liceat invocare Sanctos, quia non habemus hac de re præceptum divinum? 167. 26

Invocatio Sanctorum uſurpata fuit in primitiva Eccleſia, ibid. 29.

Joannis Baptiſtæ vocationem, & miſſionem multis miraculis teſtatus eſt Deus. 299. 34

Joſias Rex non habuit primatum Eccleſiæ in V. T. 641. 44

Joſue a Gabaonitis idololatris deceptus fidem tamen ſervavit, 592. 2.

Judæorum ritus, & exercitia poteſt permittere magiſtratus, ſi adſit ſufficiens cauſa. 1. Ut per ritus Judaicos adumbretur, & confirmetur veritas Chriſtiana. 2. Ut Judæi facilius convertantur ad Chriſtum, non autem ut munera accipiant a Judæis, 615. 2.

Judæorum uſuras poteſt permittere magiſtratus ad impediendum majus malum, non autem ut ſit particeps lucri, ibid. 3.

A Judæis duplici titulo Chriſtiani Principes poſſunt lucrum percipere. 1. Titulo punitionis. 2. Titulo exactionis, quia poſſunt exigere a Judæis tributum ratione conceſſæ habitationis in loco Chriſtiano, 616. 4

Judæorum odium in Chriſtianos non poteſt magiſtratus, vel Princeps Chriſtianus impunitum relinquere. ibid. 5

Digitized by Google

Judæi quas injurias ſoleant Chriſtianis irrogare. 617.5
Judæi quomodo coercendi. ibid.
Judex diſtinguitur a norma, 105. 3
Judex controverſiarum eſt Eccleſia, ibid. 3. Norma, quam ſequitur Eccleſia, non eſt ſola Scriptura, ſed Scriptura, & Traditio ſimul, ibid. Eccleſia juxta hanc normam ſententiam pronunciat vel per Pontificem, vel per Concilia. ibid.
Judex controverſiarum non eſt ſola Scriptura, 106. 5. late probatur. I. Ex officio Judicis, ibid. 5. II. Ex parte Scripturæ, 107. 7. hæc enim non eſt Judex controverſiarum, ſi litteram ſpectes. ibid. 8. neque ſi ſenſum. 110. 19. III. Ex parte controverſiarum, quarum multæ ex ſola Scriptura decidi nequeunt. 114. 33. multæ hujus generis enumerantur. ibid. 33. & ſeq. IV. Ex uſu, & praxi V. T. ubi non Scriptura, ſed Pontifex pro judice agnoſcebatur. 118. 43. & ſeq. V. Ex uſu, & praxi N. T. 130. 79. oſtenditur exemplis. 131. 84. & ſeq. VI. Ex analogia judicis controverſiarum civilium. 137. 105. objectiones diluuntur. 139.111
Judicii forma in V. T. 118. 45. & ſeq.
Judex, qui publice ſecundum allegata, & probata condemnat reum, quem privata ſcientia novit eſſe innocentem, an dicendus mentiri, quando pronuntiat criminoſum, qui revera talis non eſt? 672. 6
Julius III. Papa primus generaliter prohibuit lectionem librorum hæreticorum. 584. 2
Jurare nihil aliud eſt, quam Deum, qui falli, aut mentiri non poteſt, in teſtem vocare. 551. 1
Juramentum non eſt abſolute prohibitum a Chriſto, ſed abuſus juramenti. 552. 3
Juramentum duplex eſt: Aſſertorium, & Promiſſorium. 551. 1.
Aſſertorium juramentum multiplex eſt, 675. 7
Promiſſorium juramentum latiſſime patet, ibid. 8. quibus caſibus ſervandum. 679. 11. tribus caſibus non ſervandum. 1. Quando eſt de re turpi, & illicita. 2. Quando legibus, & canonibus contrarium eſt. 3. Quando bono publico noxium eſt, ib. 12.
Qui juravit ſe in Lutheraniſ. perſeveraturum, an obligetur? 673. 1
Juriſdictionis Eccleſiaſticæ exterioris præcipui actus. 618. 2
Juſti poſſunt bene, recte, & laudabiliter operari. 386. 1
Juſti bene operando poſſunt mereri vitam æternam. 390. 2
Juſti obligantur ad obſervationem decalogi. 384. 1
Juſtificatio quid? 329. 1. Quo ordine fiat ex ſententia Catholicorum? ibid. 2.

Juſti-

Juſtificationis effectus duplex eſt: expulſio peccati, & ſanctificatio interioris hominis. ibid.

Juſtificationis cauſæ. ibid.

Juſtitia inhærens conſervatur, & augetur per obſervationem mandatorum Dei, & alia pia opera, ibid. 4. amittitur per quodlibet peccatum mortale, ibid.

Juſtificatio quomodo fiat ex ſententia hæreticorum. 330. 6. Docent 1. in juſtificatione non tolli peccata, ſed tantum tegi, & non imputari; ibid. Docent 2. in juſtificatione non infundi gratiam, & juſtitiam inhærentem, ſed tantum imputari externam Chriſti juſtitiam, 341. 1. Docent 3. hominem in juſtificatione non fieri juſtum in ſeipſo; ſed manere peccatorem, injuſtum, immundum, & ſolum cenſeri juſtum in Chriſto. 452. 1. Refutantur, ibid.

Sola fides non juſtificat. 354. 1. Donum charitatis, quod Spiritus ſanctus in juſtificatione nobis infundit, varia ſortitur nomina. Vocatur 1. Gratia. 2. Juſtitia. 3. Imago, & ſimilitudo Dei. 4. Pignus hæreditatis. 5. Semen Dei. 6. Veſtis nuptialis. 346.8

Juſtificatio dicitur gratuita ob tres cauſas, 360. 15

Juſtificationis fides non conſiſtit in eo, ut quis certo credat, peccata ſibi omnia remiſſa propter merita Chriſti, & ſe juſtum eſſe in conſpectu Dei. 362. 1. Homo non eſt certus de ſua juſtitia, perſeverantia, & vita æterna. 360. 1. Objectiones diluuntur, 371.9

L

Lectio librorum hæreticorum prohibita eſt jure humano diverſis locis, ac temporibus, 574.2

Legens libros hæreticos ſine facultate incurrit duplicem excommunicationem: alteram Bullæ Cœnæ Domini, alteram Indicis, ibid.3

An Catholici in Germania incurrant utramque excommunicationem, quando legunt libros hæreticos? 585. 4. An incurrat excommunicationem, qui paucos verſiculos legit in libro hæretico? ibid. 5. Prohibitio librorum hæreticorum juſta, & legitima eſt, 289. 7

Levitæ in V. T. quomodo conſecrati, 289.7

Lex Moſaica quoad obligationem abrogata eſt in morte Chriſti, 127. 70

Lex Decalogi tota obſervari poteſt ab homine juſto. 380.1

Lex civilis, quæ diſponit de rebus ſpiritualibus, non obligat Clericos, niſi jure Canonico confirmetur, 583.8

Liberi arbitrii uſus conſiſtit in tribus, 327. 1
Liberum arbitrium negant Lutherani, & Calviniſtæ, ibid. 2.
Liberi arbitrii uſum habemus in actionibus moralibus, & politicis, quæ pendent a viribus naturæ, 328. 4. etiam in actionibus ſupernaturalibus, quæ pendent a gratia Dei, ibid. 5.
Liberum arbitrium non eſt ſublatum peccato primi parentis, 470. 7. neque tollitur per peccata actualia, 472. 10
Liberum arbitrium labefactatum eſt quoad ſupernaturalia, integrum manſit quoad naturalia, 470. 8
Liberum arbitrium non tollitur, ſed adjuvatur per gratiam Dei, 473. 11.
Liberum arbitrium non tollitur, aut impeditur per præſcientiam Dei, 474. 12
Liberum arbitrium non impeditur per decretum, & voluntatem Dei, 477. 15
Liberum arbitrium non impeditur per providentiam, aut prædeſtinationem Dei, ibid. 16
Libertas Chriſtiana in quo conſiſtat, 544. 7
Ludovico Landgravio falſam de prædeſtinatione opinionem Medicus ſcite eripit, 470. 5
Lutherani ex Canone librorum V. T. exterminant libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum: Ex Canone N. T. Epiſtolam ad Hebræos, Epiſt. Jacobi, Judæ, & Apocalypſin, 3. 5
Lutherus triplici titulo perfidus fuit. 591. 4

M

MAcedoniani negabant Spiritum ſanctum eſſe Deum, 109. 14
Magiſtratus politicus fuit in V. T. 541. 1
Magiſtratus politicus licitus eſt Chriſtianis, 452. 2. Chriſtus eum non prohibuit, ſed potius aperte approbavit, 543. 4. & 5
Magiſtratui ſæculari ſubeſſe non eſt contra libertatem Chriſtianam, 544. 7
Mala orta ex peccato originali, 538. 9
Manichæi aſſerebant V. T. novo contrarium eſſe, 109. 15
Matrimonii vinculum apud Chriſtianos diſſolvi non poteſt ob fidei diſparitatem, 562. 1
Duo infideles ſi contrahant matrimonium, & poſtea alter conjugum fiat Chriſtianus, & altera perſiſtat in infidelitate, poteſt

Chriſtianus infidelem dimittere, & cum alia Chriſtiana contrahere. 563. 5
Dimittere poteſt aliquis uxorem propter fornicationem, non autem illa dimiſſa, & vivente aliam ducere. ibid. 6
Matrimonii finis triplex eſt; Procreatio prolis, mutuum obſequium conjugum, remedium concupiſcentiæ, 556. 7
Matrimonium contrahere cum hæreticis generatim loquendo non licet Catholicis, 588. 1. Catholici in Germania aliquando poſſint ducere hæreticam, ibid. 2. Catholici ducentes hæreticam quomodo excuſentur a ſacrilegio, ibid. 4
Melchiſedech in quem uſum protulerit panem, & vinum, 257. 13
Mendacium triplex eſt: Jocoſum, officioſum, pernicioſum, 667. 1. Omne mendacium peccatum eſt, 668. 2. Omne mendacium non ſolum ex prohibitione, ſed etiam ex natura ſua peccatum eſt, ibid. 3. Omne mendacium ex natura ſua triplicem continet deformitatem, ſeu malitiam rectæ rationi repugnantem, abuſum ſermonis, deceptionem proximi, violationem amicitiæ humanæ, ibid. 3
Mentiri nullo caſu licitum eſt; ne tunc quidem, ſi mentiendo nulli obeſſes, & tamen alicui prodeſſes, 669. 6
Militibus olim prohibitum conjugium, 315. 13
Miracula ſunt duplicia, 518. 21
Miſſio eſt triplex: ex imperio, conſenſu, conſilio, 90. 53
Miſſa, vide Sacrificium.
Mors triplex eſt: corporis, animæ, damnationis, 360. 7
Mors ex peccato ſecuta, 461. 7
Mortale peccatum dicitur, quod mortem animæ affert, & æterna punitione per ſe dignum eſt, 324. 1
Mortalia peccata omnia vitare poteſt quilibet juſtus: nemo autem omnia venialia curſu ordinario. 384. 8

N

NAaman Syrus non peccavit, quando adoravit in templo Remon. 577. 3
Naturas duas eſſe in Chriſto, definitum eſt in Concilio Chalcedonenſi, 132. 90
Nemo certus eſt, an perſeveraturus ſit in juſtitia inhærente, 329. 4
Nicodemo qui hæreticorum ſimiles, Prælud. 1
Norma, quam ſequitur Eccleſia, non eſt ſola Scriptura, ſed Scriptura & Traditio ſimul, 2. 1

O

OBligatio mutuæ promiſſionis oritur ex triplici virtute, nempe veritatis, fidelitatis, & juſtitiæ, 592. 1
Offenſa, & macula peccati ſublata, non ſtatim tollitur injuria, 181. 36.
Offenſio Dei duplex eſt, gravis, & levis, 327. 5. 10
Orans ſalva fide dubitare poteſt. I. An impetraturus ſit, quod petit pro ſe, 173. 11. II. Pro alio, ibid. 12. III. De ſtatu alterius, pro quo orat, 174. 13
Oratio hominis juſti triplicem vim, ſeu efficaciam habet, 1. Merendi, 2. Satisfaciendi, 3. Impetrandi, 175. 16
Originale peccatum non eſt concupiſcentia, ſeu inclinatio ad concupiſcendum malum, 320. 2
Originale peccatum eſt privatio juſtitiæ originalis, 323. 9
Originalis juſtitia, quæ data primis parentibus, fuit duplex, 323. 10

P

PArabola de homine ab Hieruſalem in Jerico deſcendente myſtice explicatur, 471. 9
Peccata, ſeu mala, duplicia ſunt: quædam propter ſolam prohibitionem Dei, vel ſuperioris, quædam ex natura ſua, 670. 11
Peccati nomen quatuor modis ſumitur in Scriptura, 321. 4
Peccatorum remiſſio eſt gratuita quoad culpam, & reatum pœnæ æternæ; non autem quoad pœnam temporalem. 182. 41
Præter peccata mortalia dantur etiam aliqua, quæ ex natura ſua venialia ſunt, 324. 4
Peccata venialia duplicia ſunt: alia ex genere ſuo, alia ex imperfectione operis, 325. 7
Omne peccatum eſt contra legem Dei, non tamen omne contra finem legis, id eſt, contra charitatem, 327. 11
Pelagius negabat peccatum originale, 110. 16
Permiſſio peccati duplex eſt: Una, qua quis permittit fieri peccata, & non impedit: altera, qua quis permittit non ſolum fieri peccatum, ſed etiam impune fieri: ut, ſi neque impediat, ne fiat: neque etiam puniat, quando factum eſt, 604. 3.
Permiſſio peccati priori modo ſumpta ex natura ſua neq; bona, neque mala eſt, ſed indifferens; & ratione circumſtantiarum

poteſt bene, vel male fieri. 605. 4

Permiſſio peccati tribus caſibus poteſt bene, ac licite fieri, 1. Quando fit majoris boni obtinendi cauſa, 2. Quando fit majoris mali vitandi cauſa, 3. Quando is, qui permittit peccatum, ideo permittit, quia non poteſt impedire, ibidem 5

Deus permittit peccatum primo modo, non autem ſecundo, aut tertio, ibid. 6. Homines non ſolum primo, ſed etiam ſecundo, & tertio poſſunt licite permittere peccatum, 606. 7. Primo modo Eccleſia permittit ritus Judæorum. Secundo modo Principes, ac Magiſtratus permittunt lupanaria, & uſuras, tanquam minus malum ad evitandum majus. Tertio modo iidem Principes, ac Magiſtratus permittunt quædam peccata ſubditorum, eo quod non poſſint, etiamſi velint, ea impedire, ibid. 9

Petrus an vocatus ante alios Apoſtolos? 86. 41

S. Petrus habuit primatum poteſtatis, & juriſdictionis Eccleſiaſticæ præ aliis omnibus, ſeu, quod idem eſt, fuit Vicarius Chriſti, Caput Eccleſiæ, Paſtor ovium, ibid. 44

S. Petrus appellatur a SS. PP. caput fidelium, caput omnium Apoſtolorum, Paſtor paſtorum, 87. 44

S. Petri privilegia, ſeu prærogativæ quindecim recenſentur, ibid. 45

S. Petrus exercuit primatum, 89. 50

S. Petro cur S. Paulus in faciem reſtiterit, 90. 55

Philippus, Hiſpaniarum Rex, qua conditione Provincias Belgicas in Archiduces tranſtulerit, 599. 24

Polygamia repugnat primæ inſtitutioni matrimonii, quæ a Deo facta eſt in Paradiſo, 554. 1

Polygamia etiam repugnat aliquo modo legi naturæ, 555. 4. Deus conceſſit poſt diluvium, ut liceret habere plures ſimul uxores, quod antea non licebat, 556. 9

Polygamiam Deus duplici ex cauſa poſt diluvium conceſſit, 558. 15. Hæc conceſſio divina, qua licebat habere plures uxores, confirmata eſt per legem Moſaicam, 560. 19. Revocata eſt a Chriſto, ut jam non liceat habere plures uxores, ibid. 21

Pontifex, & Sacerdotes V. T. quo ritu conſecrati, 289. 8

Pontifex in V. T. in deciſione controverſiarum fuit Judex infallibilis, 123. 60

Pontifex Romanus non eſt Antichriſtus, 155. 24

Pontifici Romano non conveniunt notæ Antichriſti, 157. 42

Præceptum, *non concupiſces*, non eſt impoſſibile, 375. 2. ſervari poteſt ab homine juſto, 376. 7
Præcepta legis Moſaicæ triplicia ſunt: moralia, ceremonialia, judicialia, 622. 3
Præcepta moralia ſummatim continentur in decem præceptis Decalogi, ibid. 4
Præceptum tertium morale eſt, quoad ſubſtantiam: ceremoniale, quoad determinationem certi temporis, 623. 4
Præcepta ceremonialia verſantur, 1. Circa ſacrificia, 2. Circa ſacramenta, 3. Circa inſtrumenta divini cultus, 4. Circa obſervantias legales, ibid. 5.
Præcepta judicialia ſunt quadruplicia, ibid. 6. Diſcrimen inter præcepta moralia, ceremonialia, & judicialia, 624. 7
Prædeſtinaſſe Deum æterno ſuo decreto quoſdam homines ad vitam, alios ad damnationem ſine ullo ipſorum merito, aut culpa, docet Calvinus, 1. Refutatur, 456. 1
Prædeſtinatos ad vitam æternam electos eſſe ante præviſa merita, licet hæreticum non ſit, male tamen, & inconſtanter aſſeruit Calvinus, ibid. 3. Deum æterno, & immutabili decreto quoſdam ad mortem deſtinaſſe ſine reſpectu, aut præviſione peccati originalis, aut actualis, impium, & hæreticum eſt, 558. 4. Deus creavit eo fine hominem, non ut periret, ſed ut æternæ vitæ hæres ſcriberetur, ibid. 5. Deus decrevit magis ſuam bonitatem, & miſericordiam circa nos oſtendere, quam juſtitiam, & ſeveritatem, 462. 9
Parvuli reprobantur propter ſolum peccatum originale, cum quo ex hac vita ante uſum rationis diſcedunt, 464. 11
Cum Prædeſtinatione quomodo cohæreat libertas arbitrii, 469. 5
Prædicantium improbitas multorum retardat converſionem, Prælud. II.
Præſens eſſe aliquis alicubi poteſt quatuor modis, 510. 1
Primatus Petri non conſiſtit in eo quod fuerit primus ætate, vocatione, & charitate inter omnes, 85. 40
Promiſſio Abrahæ facta dupliciter explicatur, 527. 5
Proportio eſt inter opera præſentia, & futuram gloriam, ſi gratiam, a qua procedunt, non autem durationem temporis ſpectemus, 394. 10
Purgatorium eſſe oſtenditur, 1. Ex orationibus fidelium pro defunctis, & praxi, judicioque primitivæ Eccleſiæ, 2. Ex eo, quod, remiſſa culpa mortali, non ſemper remittatur tota pœna illi debita, 3. Ex peccatis venialibus, 4. Ex Scriptura, & Patri-

Patribus, 170. 2. & ſequentib. Objectiones enodantur, 187. 61. Animæ juſtorum exiſtentium in purgatorio duplici pœna afficiuntur, Damni, & Senſus, 191. 3. In quo utraque conſiſtat, ibid. 4. Animæ juſtorum manent in illa pœna (niſi aliunde juventur) donec perfecte expiatæ ſint per ſufficientem paſſionem, quæ proportionata ſit reatui pœnæ temporalis, cui obnoxiæ ſunt, 192. 5
Animæ juſtorum poſſunt juvari per ſuffragia viventium, ut citius liberentur ex illa pœna, ibidem 6. Animæ in purgatorio detentæ aliquando apparent viventibus, 194. 11. Anima rationalis extra corpus poteſt ſe movere localiter, ibid. 13. Anima a corpore ſeparata an poſſit naturali ſua virtute res corporeas movere, januas aperire, turbare dormientes, alii ajunt, alii negant, 195. 14

Q

Quando duæ res totaliter, & adæquate inter ſe unitæ ſunt, tunc ubi eſt una, ibi eſt altera: quando autem non totaliter, & adæquate unitæ ſunt, tunc una poteſt eſſe alicubi, ubi altera non eſt, 405. 23
Quando plures naturæ, vel formæ uniuntur in una, eademque perſona, tunc poſſunt de illa in concreto prædicari, 406. 27
Quando ſunt duæ opiniones probabiles circa facti alicujus honeſtatem, aut turpitudinem, tunc liberum eſt ſequi alterutram opinionem, quam velis, 589. 5
Quid reſpondendum ad dilemma Calviniſticum, aut ſum prædeſtinatus, aut reprobatus, &c. 478. 1

R

Reſpublica omnis bene ordinata continet tria præceptorum genera, 618. 2
In Republica Chriſtiana duplex eſt poteſtas publica, temporalis, ſeu politica, & ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſtica, 620. 2
Reus, quando in judicio rogatur de crimine perpetrato, an poſſit negare, vel æquivoce reſpondere? 672. 4
Rex habet primatum in temporalibus in ſuo regno, 618. 1
Rex jure naturali non habet primatum Eccleſiæ, ib. 2
Rex non habet primatum Eccleſiæ jure divino V. T. ib. 2
Regibus in V. T. divino jure nunquam Eccleſiæ primatus conceſſus,

ſus, 625. 9. Id ingenue confeſſi Reges V. T. 627. 13
Rex in V. T. non eſt conſtitutus ſupremus Judex in rebus ad legem divinam, & ejus interpretationem ſpectantibus, ibid. 14
Rex jure divino N. T. ſeu ex inſtitutione Chriſti, non habet primatum Eccleſiæ, 647. 1
Rex neque jure Canonico, neque jure Civili habet primatum Eccleſiæ, 655. 1
Rex conſenſu doctorum hominum non habet primatum Eccleſiæ, 657. 1
Rex titulo præſcriptionis non habet primatum Eccleſiæ, 660. 1
Reges non ita debent ſua regna, ac provincias adminiſtrare, ut omnem religionis, & Eccleſiæ curam abjiciant, 665. 2
Reges Eccleſiam debent tueri, ac defendere, non ut domini, ſed ut miniſtri: neque ut Judices, ſed ut executores, 666. 4
Reges in Scriptura vocantur Filii Altiſſimi, Dii, Uncti Domini, in ſolio Dei ſedentes, Famuli Dei, Angeli Dei, Facti juxta cor Dei, Lumina Iſraelis, Nutricii Eccleſiæ, 643. 48 & ſequent.
Romanus Pontifex eſt Succeſſor Petri, 93. 60. probatur fuſe, I. Ex Patribus. II. Ex principiis poſitis. III. Ex titulis, quos PP. tribuunt Pontifici, 64. 62. IV. Ex Privilegiis Pontificis, ibidem 63. Primum eſt, Quod omnes Epiſcopi gravati Pontificem Romanum appellare poſſunt, ibid. 63. II. Quod omnes Chriſtiani, orta diſſenſione in fide, debent adhærere illi parti, quam tenet Romanus Pontifex, & Sedes Apoſtolica, ſi nolint errare. 96. 68. III. Quod nihil grave in Eccleſia univerſali, niſi conſulto prius, ac conſentiente Pontifice, poſſit tractari, decerni, ac definiri, 98. 69. IV. Quod Pontifex poſſit ſancire leges Eccleſiaſticas, quæ obligent univerſam Eccleſiam. 101. 71. Deducitur ex tribus principiis, ibid. 71

S

Sabelliani docebant, non eſſe tres perſonas divinas, ſed unam tantum, 108. 22
Sacerdotes in V. T. quo ritu conſecrati, 289. 8
Sacerdotes V. T. jure divino tenebantur ad aliquam continentiam ab uſu matrimonii; præſertim illis diebus, quibus Deo in tem-

plo, vel tabernaculo miniſtrabant, 311. 2
Sacerdotes N. T. obligantur ad cœlibatum, 317. 18
Sacramenta ſunt duplicia : vetera, ſeu Moſaica : & nova, ſeu Euangelica, 273. 1
Sacramentorum Confirmationis, Extremæ unctionis, & matrimonii cur nulla figura in V. T. ibid. 2
Sacramentum quid ſignificet, 274. 4
Sacramenti definitiones. 275. 8. Lutherani, & Calviniſtæ negant Sacramentum eſſe ſignum ſenſibile interioris gratiæ, & ejuſdem cauſam. 276. 14
Sacramenti definitiones ab hæreticis conditæ referuntur, & refutantur, Lutheri ibid. 15. Philippi 277. 16. Jacobi Herbrandi. ibid. 17. Calvini, 278. 18
Sacramenta omnia novæ legis perficiuntur rebus, & verbis, tanquam materia, & forma; non tamen omnia conſtituuntur rebus, & verbis, tanquam materia, & forma, 280. 24
Sacramentorum author principalis Deus, qui ea inſtituit, 282. 28
Chriſtus ſecundum humanitatem ea inſtituit, ut commiſſarius, & delegatus, ibid.
Sacramentorum fines : 1. Sanctificatio noſtra. 2. Inſtructio. 3. 3 Humilitas. 4. Profeſſio Chriſtianæ religionis, ibid. 29
Sacramenta inſtituta non ſunt, ut excitent in nobis Fidem. ibid. 30
Sacramentorum effectus eſt gratia, 283. 33
Sacramenta legis novæ ſunt ſeptem, 285. 39. Apud hæreticos de numero nihil certi, ibid.
Sacrificium quid, 253. 1
In Sacrificio ſpectantur quinque. 1. Miniſter. 2. Materia. 3. Forma. 4. Locus. 5. Finis, ibid.
Sacrificium quadruplex eſt. 1. Latreuticum. 2. Euchariſticum. 3. Impetratorium. 4. Propitiatorium, ibid.
Sacrificia alia legis naturæ; alia legis Moſaicæ; alia legis Euangelicæ, ibid. 2.
Sacrificia Moſaica tripliciter dividuntur, ratione materiæ, ratione formæ, & finis, ratione temporis, ibid. 3
Ratione materiæ dividuntur in victimas, immolationes, & libamenta, 254. 3
Sacrificium cum fiebat ex animalibus, vocabatur hoſtia, ſeu victima: cum ex fructibus terræ, immolatio: cum ex liquoribus, libamen, ſeu libamentum, ibid. 3
Sacrificium in lege Moſaica ratione formæ, ac finis erat etiam triplex. 1. Holocauſtum. 2. Sacrificium pro peccato. 3. Hoſtia pa-

pacifica, ibid. 4. Ratione temporis erat juge ſacrificium, quod quotidie, & alia, quæ certis ſolemnitatibus offerebantur. ibid. 4.
Sacrificium in lege Euangelica duplex eſt: cruentum, & incruentum. ibid. 5. Utrumque præfiguratum fuit per ſacrificia legis naturæ, & Moſaicæ. ibid. 6
Sacrificium incruentum tripliciter convenit cum cruento, & quintupliciter diſcrepat, 255. & ſeq. 8
Sacrificium Miſſæ proprie eſt ſacrificium, 256. 10. Probatur fuiſſe. I. Ex figuris V. T. ibid. 11. II. Ex vaticinio Malachiæ. 261. 21. III. Ex colloquio Chriſti cum Samaritana, 262. 27. IV. Ex duobus locis illuſtribus S. Pauli, 263. 31. V. Ex SS. PP. 266. 36. Objectiones Hæreticorum ſolvuntur, 268. 39
Sacrificium Miſſæ Lutherani, & Calviniſtæ vocant ſacrilegium, idololatriam, &c. 267. 38
Sacrificia legalia abrogata ſunt per mortem Chriſti, 128. 72
Salomon Rex non tenuit primatum Eccleſiæ in V. T. 637. 34
Salomon ex peculiari Dei inſtinctu depoſuit Abiathar Sacerdotem, 638. 36
Satisfactio Chriſti non prodeſt nobis, niſi applicetur. 182. 42. quibus modis applicetur. ibid.
Satisfactio Chriſti eſt infiniti pretii, ſed finito modo per varia media nobis applicatur, ibid. 43
Saul Rex punitur ob violatam fidem. 593. 5. 5
Scripturæ quæ legitima verſio, 4. 1
Scripturæ ſenſus duplex, litteralis, & myſticus. 5. 1. Hic ſubdividitur in allegoricum, anagogicum, & moralem, ſeu tropologicum, 6. 3
Scripturæ ſenſus multis in locis obſcurus. 7. 1. Obſcuritatis hujus duæ potiſſimum cauſæ. Una, ex parte rerum, quæ tractantur. Altera ex parte modi, quo tractantur, 13. 1
Res in Scriptura tractatæ quadruplices ſunt. 1. Hiſtoriæ. 2. Vaticinia, ſeu Prophetiæ. 3. Myſteria fidei. 4. Præcepta, & documenta moralia de virtutibus, & vitiis, ibid. Modus tractandi ſex maxime de cauſis obſcurus eſt. I. Quia in Scriptura multæ ſunt locutiones figuratæ. ibid. 2. II. Quia non ſolum occurrunt figuræ in vocibus, ſed etiam in rebus ipſis. 14. 3. III. Sæpe etiam in Scriptura occurrunt apparentes contradictiones, quæ lectori magnam pariunt difficultatem. 15. 7. IV. Verba Scripturæ ſæpe efficiunt ambiguum ſenſum ex defectu diſtinctionis. 18. 9. V. Sæpe in Scriptura, ubi minime putamus, ſubito fit tranſitus de ſenſu litterali ad myſticum, de carnalibus ad ſpiritualia, de temporalibus ad æterna, de regibus Iſrael ad re-

regem Chriſtum: & e contrario. 19. 15. VI. Sæpe in hiſtoriis non ſervatur ordo rerum geſtarum; ſæpe ſupputatio annorum non apparet liquida; ſæpe citantur libri, qui non extant. 20. 16. Aliæ obſcuritatis cauſæ breviter indicantur, ibid. 17.
Scripturam cur Deus voluerit eſſe obſcuram, 21. 21
Scripturam veram nec Lutherani habent, nec Calviniſtæ. Quia nec habent authenticum Canonem, nec authenticam verſionem, nec authenticam interpretationem, 24. 1
Scripturæ multa ſunt teſtimonia, quorum verus, & legitimus ſenſus haberi non poteſt, niſi ex traditione, & authoritate Eccleſiæ, 113. 29
Sedere ad dexteram Patris quid ſit, 409. 35
Ad ſepulturam ubi, & quando liceat comitari hæreticos, 579. 1
Similitudo inter Chriſtum, & Melchiſedech in quibus conſiſtat, 358. 16
Simulare alienam fidem, ac religionem an aliquando liceat? 573. 1
Spiritus ſanctus non eſt proprie Vicarius Chriſti in regimine Eccleſiæ, 83. 35
Subſiſtentia non eſt attributum divinum, 403. 19
Subſiſtentia poteſt communicari humanitati in ratione ſubſiſtentiæ, non tamen in ratione puri actus, æterni, independentis, ibid. 18
Sola ſubſtantia verbi proxime, immediate, ac formaliter communicata eſt humanitati in ſe, & per illam proxime, immediate, & formaliter ſubſiſtit humanitas, 402. 15
Synagoga Judæorum an ſæpe defecerit a fide? 78. 22.

T

Tentationis genus duplex eſt: unum ad probandum, alterum ad ſeducendum, 500. 2
Templum Salomonis ter dedicatum, 1. A Salomone, 2. Ab iis, qui reverſi ſunt a captivitate Babylonica, 3. A Machabæis, 636. 33
Teſtamentum in Scriptura proprie ſumitur duobus modis, 1. Generatim pro quovis fœdere. 2. Speciatim pro fœdere teſtamentario, ſeu pro ultima teſtatoris voluntate. Prælud. 2. §. 5.
Teſtamentum ſolenne duplex eſt; Vetus, & novum, ibid. 6
In V. T. promiſit Deus Hebræis terram Chanaan per modum hæreditatis, ibid. 7.
In Teſtamento Novo promiſit Deus Chriſtianis vitam æternam

per modum hæreditatis, ibid. 8
Teſtamentum vetus in quibus differat a novo, ibid. 9
Teſtamentum vetus imperfectius novo. ibid. 10
Traditiones præter ſcripturam habebant etiam Judæi, 27. 2
Traditiones Phariſæorum quæ fuerint? ibid. 2. Quare eas Chriſtus reprehenderit? ibid.
Traditiones Moſaicæ tres erant præcipue, 1. Quod omnes, & ſinguli libri, qui in Canone Judæorum conſignabantur, eſſent vere divini, & a Deo inſpirati. 2. Quod fœmellæ haberent aliquod remedium contra peccatum originale, 3. Quod cruenta ipſorum ſacrificia ſignificarent mortem Chriſti, 286. 6
Traditione magis, quam ſcriptura uſi ſunt Judæi, 29. 9
Traditiones quædam Apoſtolicæ extant, quæ expreſſe in ſcriptura non habentur, ſed tamen parem cum ſcriptura authoritatem habent, 30. 12. Earum aliæ ſunt de dogmatibus fidei, aliæ de moribus, ſeu ritibus externis, 31. 14. Variæ utriuſque generis recenſentur, ibid. & ſeq. Præter Traditiones Apoſtolicas ſunt aliæ quædam Eccleſiaſticæ a Prælatis Eccleſiæ introductæ, & ſervandæ, 34. 28
Traditiones rejiciunt hæretici, 35. 30
Trinitatis opera ad extra ſunt indiviſa, 84. 36
Tropologicus ſcripturæ ſenſus, 6. 5

V

Valentinianus Imperator ob conceſſam polygamiam reprehenditur, 561. 23
Ubiquiſtæ unde ſic dicti? 397
Ubique eſſe Chriſtum ſecundum humanitatem docent Lutherani, ibid. 1. Occaſio hujus erroris. 398. 6
Ubiquitas repugnat Evangelio, & Symbolo fidei, 399. 8. nititur falſo fundamento communicationis idiomatum, 402. 14. Deſtruit ſacramentum Euchariſtiæ, 404. 20
Veniale peccatum triplex eſt, 324. 2
Vicarius, & Succeſſor alicujus multum differunt, 82. 31
Vita æterna eſt merces, & corona, quæ danda juſtis intuitu bonorum operum, 389. 2
Ulandiſlaus Hungariæ, & Poloniæ Rex induciis violatis in prælio contra Amuratem Turcarum Imperatorem interimitur, 594. 8
Vocatio miniſtrorum Eccleſiæ duplex, ordinaria, & extraordinaria, 288. 4

Vocati ordinarie in Vet. Teſtam. erant triplices, Pontifex, alii Sacerdotes inferiores, & Levitæ, 286. 5. In illorum vocatione ſpectanda Electio, Purificatio, Conſecratio, Applicatio ad exercitium miniſterii, Poteſtas, & Officium, ibid. 6. Officia communia Pontifici cum aliis Sacerdotibus erant decem, 291. 13. Propria quatuor, ibid. 14.
Vocati a Deo extraordinarie in Vet. Teſtam. per miracula, & prædictionem eorum, quæ brevi futura erant, miſſionem ſuam probabant, 294. 21. Miniſtri Novi Teſtamenti generali nomine vocantur Clerici, 295. 24. Electio miniſtrorum Novi Teſtamenti non fit per naturalem propagationem, ſed per ſuffragium, & conſenſum cleri, ibid. 26. Purificatio miniſtrorum Novi Teſtamenti in quo conſiſtat? 296. 27. Conſecratio miniſtrorum Novi Teſtamenti debet fieri ab Epiſcopo per manuum impoſitionem, nullo modo ab homine laico, ibid. 28. Miſſio fit a Prælatis Eccleſiæ, differtque ab Ordinatione, & Conſecratione, 297. 30. Officia communia Epiſcopo, & Presbyteris, ibid. 31. Propria Epiſcopo. 298. 31
Vocati, & Miſſi extraordinarie in N. T. Apoſtoli, ibid. 32. Lutherus an ordinarie vocatus? 300. 36. An extraordinarie? 302. 41. An partim ordinarie, partim extraordinarie? 305. 51. Miniſtri Lutherani, & Calviniani an legitime vocati? 309. 60
Voluntas Dei regula eſt noſtrarum actionum. 495. 10
Uxorum pluralitas repugnat fini matrimonii a natura intento, 555. 6

L. D. V. Q. M.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 2007836

Digitized by Google